
IOANNIS
CARAMUEL
THEOLOGIÆ
MORALIS FVNDAMENTALIS
LIBER QVARTVS,

Qui est

DIALEXIS
DE NON-CERTITVDINE.

Opus Novum & varium, nec solùm Theologis, Iurisperitis, Medicis, ac Physicis, sed verè hominibus universis maximè necessarium.



LVGDVNI,
Ex Officina ANISSONIANA.

M. DC. LXXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. ANDREÆ DE LA TORRE,

ORDINIS SANCTI IACOBI EQVITI,

& Catholicæ Suæ Majeſtati à Conſiliis, necnon Supremo Italiæ Regenti, &c.

S. P.



AM ab anno MDCLI. noſtra FVNDAMENTALIS THEOLOGIA, in ſtadio Sapientiæ ſublimioris decurrit; & per interrogationes diffuſa, plurima ab ipſo initio voluit diſcere, nulla docere: ſemper enim bene interrogare, ab ingenio; bene autem reſpondere interdum à Fortunâ dependet. Laboro diu, noctuque, & pleráque omnia ignoro, & oculatiſſimum me eſſe exiſtimo, cùm mentem meam eſſe cœcam perſpicio. Et quid tunc faciam? Recurram-ne ad Primores Reipublicæ? Inutilia non ago: Scio enim multos ad ſummas dignitates promotos, qui neſciunt quid facere, aut omittere debeant; & Monarchiæ ſummo damno, ne cæteri ſe neſcios (Hiſpan. *necios*) eſſe cognoſcant, neminem conſulunt, malentes errare, quàm diſcere. Has Reipublicæ peſtes pernicioſas incriminor: qui enim ſcit diſcere, errare neſcit: vt enim Menander olim cecinit.

Quam ſit difficile bene interrogare.

Ignorantiâ Miniſtrorum mos.

Σοφοῦ γὰρ ἐστι μαθεῖν ὃ μὴ νοεῖ.

Sapientis profectò eſt, diſcere quod non ſcit.

Sed quid præſtitero, vt addiſcam, quæ neſcio? Scio: nam reſpondet Periander. σοφοῖς χρῶ *Sapientibus vtere.* Vtar ergo Sapientibus, vt vſus me ad Arcem Sapientiæ promoueat. Vtar ſanè: ſed quibus? Dedi Theologis operam, qui magnâ ſpe in ſcopum collimant; ſed quia Iuriſperiti ad eamdem metam per ſemitam aliam decurrunt, experiar, an iſti feliciùs feſtinent. Per priorem viam, quam terunt & ſequuntur Theologi, ad Veritatem veni, quæ Deus eſt, & caliginem habitat inacceſſibilem: Per poſteriorem autem, quam hodie Iuriſconſulti mihi aperiunt, & ad Veritatem etiam venio: videlicet ad Veritatem, quæ eſt Deus, & in Sole poſuit tabernaculum ſuum, vt ab omnibus cognoſceretur. Ergo Deo auſpice; Gymnaſium hodie Iuriſprudentiæ ingredior, & quid præſtitero? *Cenſeo Sapienti tria eſſe neceſſaria*, inquit Plato in Gorg. *Scientiam primùm, deinde Opinionem, tertiò Audaciam*: quod ſic intelligo.

Monitum Scholaſticum.

An clarior ſit Iuriſprudẽtia, quàm Theologia.

Quibus indigeat Sapiens?

Primus Sapientiæ gradus Scientia eſt: & quæ non cognoſcit res, vt ſunt in ſe, *Scientia* dici non poteſt. Ergo quamdiu Cimmeriis huius Mundi tenebris obſidemur, erit ignorantiſſimus, qui proprij ingenij tenuitatem ignoret; & Sapientiſſimus, qui rationem à Ratione ſuâ exigens, eò ratiocinando peruenerit, vt ſe cœcutire cognoſcat: & hoc ſenſu προθεώρημα illud veterum verificatur.

GRADVS I. Debet quis cognoſcere res, vt ſunt in ſe.

Ergo, ſi neſcius ſit, debet ſe neſcium eſſe ſcire.

Quòd neque decipitur ratio, nec decipit vnquam.

Vnde olim Socrates, quia ſe nihil ſcire ſciuit, ſe nihil ſcire dixit, nec falſa Sapientiæ imagine deluſus fuit, nec deluſit Diſcipulos, & ideò teſtimonio Oraculi Sapientiſſimus habitus eſt.

Cur Socrates ſapientiſſimus habitus fuerit.

In ſecundo Sapientiæ gradu collocat Opinionem: quoniam Sapiens, ſi conſe-

GRADVS II.

An, & cur Sapiens esse debet opinione contentus.

Humana Sapientia habet terminos.

Ad Rom. 12. 3.

Etiam est malum nimiu sapere.

N. B.

An scientia crescat extendaturque secundum magnitudinem Fidei?

qui non possit, quæ velit, debet nolle consequi, quæ non potest: ergo debet esse contentus loco, qui citra scientiam sit, cùm ad illam peruenire non valeat. Dictat Sapientia homini, Γνῶθι σεαυτόν. *Nosce te ipsum.* Omnia humana sunt finita, & omnia finita, habent terminos: & Sapientia ideò humana, etsi magna videatur, metam habet, vltra quam temerè se ingenium præcipitat. Hinc Paulus, cui explorata erat immodica sciendi cupiditas, quâ suo æuo rapiebantur Romani, illos monet his verbis. Μὴ ὑπερφρονεῖν, ait, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν: ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε μέτρον Πίστεως. Vulgatus. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: vnicuique sicut diuisit mensuram Fidei.* Ad literam. *Non supersapere, præter quod oportet sapere, sed sapere ad sobrium esse: vnicuique sicut Deus partitus est mensuram Fidei.* Ecce Sapientia prudens habet terminos, vnde meritò *Centur.* 2. *Epist.* 56. Lipsius exclamat, *Insipiens est omnis Sapientia, cui non adest modus*, nam vt *ibid. Epist.* 8. dixerat, *Infelix semper erro qui à Sapientia modo seu metâ aberrat.*

An sint infinitæ amplitudinis singulæ scientiæ?

An scientiis sint metæ præscriptæ?

De Origene.

Hieronymus apud Calepinum verb. Caricö.

Bernardus epist. 93. ad Ivonem.

An & quando viri Sancti esse debeant seueri?

Apis mel & aculeum habet.

Ingenium Humanum habet terminos?

An, & quo ipse modo ad certitudinem perueniat?

Modus. Quid dixit Lipsius? Quâ modum ratione habere scientiæ possunt, quæ infinitæ dicuntur, & terminos omnes respuere? An-ne in Orbe literario aliquis fuit, Scholasticus Hercules, qui columnas erexerit, & inscripserit illis. NON PLVS VLTRA? Negauit olim, Origenes, negauit Abaëlardus, quibus & alij adhærent: at nos humani ingenij tenuitatem experti, non solùm metas, sed ob oculos positas, cominùs intuemur. Suo præscriptas ingenio non percepisse, non cognouisse Origenem, luget S. Hieronymus his pulcherrimis verbis. *Origenes*, ait, *majora cogitans, propriumque ingenium ferre non sufficiens, oneribus maioribus caricabat se* (Hisp. *se cargaba*) *& cum sic incedere non posset, ruinâ magnâ deuolutus est.* Nullas Ingenium admisisse Abaëlardi, incriminatur meus Bernardus his verbis. *Magister Petrus Abaëlardus, sine Regulâ Monachus, sine sollicitudine Prælatus, nec Ordinem tenet nec tenetur ab Ordine*, &c. *Homo est egrediens mensuram suam, in Sapientiâ verbi euacuans virtutem Crucis Christi. Nihil nescit omnium, quæ in Cœlo, & quæ in terrâ sunt, præter se ipsum. Damnatus*, &c. *Sed quasi non sufficeret ei illa damnatio, iterum facit, vnde iterum damnetur: & iam nouissimus error peior est priore.* Et quis hæc verba profert felle amaro condita? Melleus Doctor: nam Apis argumentosa ipse est, & Apes, tametsi melle fluant, vbi occasio postulat, aculeum exserunt. Profectò extra se habitant, aut peregrinantur in seipsis, qui has metas nesciunt. Terminos habet Humani Intellectus capacitas. Sed vbi? Ante CERTITVDINIS ædem; vt ad eam anhelare eminùs placeat, peruenire non liceat. Hîc surgunt, hinc insurgunt, Calpe, & Abyla, Ingenio Humano erecti: montes altissimi, qui ἐγκυκλοπαιδίαν Scholasticam terminant; quos nonnisi temerè quis conabitur transgredi: sicut enim delirare diceretur, qui vellet vltra Caucasum volare, vt Aquila; sic etiam qui Veritates glisceret cognoscere intuitiuè, vt Angelus. Nam Veritates plurimas ignoramus; quas credimus, non in seipsis, sed in Reuelatione cognoscimus: & si quas scimus, non illas facie ad faciem respicimus, sed in vmbra & ænigmate per ratiocinia quærimus & rimamur: vt enim inquit

Quænam à Cicerone sententiæ veratum Opinionum nomine intelligantur.

Ab Opinionibus differunt Opinationes.

Sunt multæ Opiniones quæ probabiles tantùm probabiliter sunt.

Cicero *lib. de Senect.* (ab Spinulâ *hic disp.* 3. *sect.* 5. *pag.* 209. & à nobis *in Apologem. post Epist.* 1. *pag.* 10. *num.* 17. citatus) *magnæ felicitatis esse, saltem in senectute veras Opiniones adsequi.* Quas autem *Veras Opiniones* appellat? An fortè veritatum notitias? minimè. Quas ergò? Assertiones, quæ verè probabiles sunt, vt Academicorum, & Heterodoxorum deliria excludat, quæ etiam *Opiniones* deberent, à vulgo imperito vocantur. Scitè enim apud Honoratum Fabrum in Apologetico Dialog. 11. pag. 236. D. Hilarion Rancatus statuit. *Illa Opinio tuta est in praxi, quam docti ferè omnes probabilem esse fatentur, licèt multi oppositam teneant: illam verò, quam aliqui Viri Docti, periti, pij, post diligentem discussionem probabilem esse negant, in praxi tuta non est. Hinc non sufficit esse probabilem, nisi certum sit esse probabilem: nec sufficit ad hoc, vt sit probabilis, cuiquam talem videri, nisi fortè istum inculpata ignorantia eximat culpa.* Huiusmodi *verè Opiniones* potiùs quàm *Veræ Opiniones* dici possunt; & vtinam tandem illas in senectute ab spuriis & adulterinis secernamus.

GRADVS 3.

An Sapientes esse possint animosi & audaces?

Audaciam Plato Sapientiæ tertio in gradu constituit. Assentiuntur Philosophi. Et quid iudicant Critici? Problema esse: quoniam in scientiarum Cyclopædiâ in doctrinarum Sphœra Sapientiam in fastigio constituit, & Audaciam ad Antipodes reiicit: Dionem enim dilucidans, sic inquit. *Sapientiæ studiosi nec facinus*

vllum,

vllum, neque Audaciam, neque victoriam, sed id vnum spectant atque magni faciunt, si quis Fortunâ, rectè vtatur, &c. At alij Sapientiæ Audaciam volunt esse satellitem; & vt Medicæi Iouem aliquando præcurrere interdum subsequi, semper comitari, in Hypon. Polit. ait Guicciardinus, *Multi existimant Prudentem Virum animosum esse non posse, propterea quòd omnes casus, omnia pericula prospiciat. Ego prorsus contrarium sentio, prudentem esse non posse, qui non animosus sit.* At ego inter Plutarchum & Guicciardinum non reperio dissensum, Audaciam enim, quam alter laudat, laudo; &, quam alter condemnat condemno. Vti velle Fortunâ, Audaciæ est: non abuti Prudentiæ: & Plutarchus non Fortunæ vsum, sed abusum in Audaciâ condemnat; & Guicciardino illa arridet Audacia, quæ à Prudentiâ dimanat: vt enim Marsilius Ficinus *Dialog. 3. in Plat.* nos docet, *Virtutes à Prudentiâ tanquam inferiora membra à capite ducuntur.*

Audacia prudens commendatur.

N. B. Putat ingeniosè Ficinus Virtutes à Prudentia procedere; Assentior modo: sed certius iudico Prudentiam & Virtutem duo esse nomina, & vnicam simpliciter rem.

Ego autem hodie audax ero prudenter, ero & audacter prudens, cum coram Te, ILLVSTRISSIME REGENS, de Probabilitatis labyrintho, in quo multi oberrarunt, & etiamnum oberrant disputare præsumo. Coram Te, inquam, Sapientissimo Viro, in quo non solùm Academicæ Lauri industriâ & labore acquisitæ refulgent, sed Lauris etiam hæreditariis succollantur: quoniam fumosa Tuorum avorum Stemmata exornantur, & calamis; patrarunt enim illi, quæ æternitatis Tabulis sera inscribit Posteritas, & scripserunt, quæ admirata est Antiquitas. Et quidem quotiescumque illi in mentem meam subveniunt, auderem dicere, de ipsis intellectum iri grandem illam Ciceronis sententiam, quæ *lib. 1. de Orat.* inuenitur. *Sunt autem quidam*, ait (Domini de la Torre, inquam Ego) *ita Naturæ* (& Reipublicæ) *muneribus in iisdem rebus habiles, ita ornati; vt non nati, sed ab aliquo Deo ficti videantur.* Ita enim Patriæ in sago & togâ seruiuerunt; vt, dum occasio tulit, Militiæ; &, dum res postulauit, Senatui fuerint eximiâ Prouidentiâ Numinis conformati. Ab illis inter præclaros alios Viros prodiit Eminentissimus D. Franciscus Ximenez de Cisneros, S. R. Ecclesiæ Cardinalis: in quo vno myriadas Eruditorum veneror, nam Complutensem Vniuersitatem erigens, dedit Hispaniæ, vnde Senatores integerrimos; Ecclesiæ, vnde vigilantissimos Pontifices; Empyreo, vnde Heroas Sanctissimos, consequeretur. Materna linea in Te, Excellentiss. domûs de Mortara glorias immortales exonerat; & inter Cognatos tuos recenset P. Alfonsum de Orosco, Ordinis S. Augustini Religiosum, qui claruit prodigiis donec vixit, & hodie ab humo elatus, & ardentium lampadum Religione cultus, sicut suis in Cœlo suffragiis protegit, sic suo in terris nomine tuam Prosapiam & Familiam honorat. Ex iisdem Radicibus prodiit ille iterum & iterum Magnus D. Hieronymus de la Torre, Bernaldo de Quiros, qui gladio calamum præparabat scripturus Politica: fuit enim Monarchæ Catholico à secretis in togâ, à Consiliis in sago. *Mortuus est, & quasi non est mortuus* (vnum enim & alterum) *similem reliquit sibi post se*: videlicet Andream & Didacum: quos cum suspicio exclamo [*]

Quàm semper fuerint Domini de la Torre.

Quàm muneribus publicis gerendis apti?

Cisneros Complutensis Vniuersitatis Conditor.

Excellentissima Domus de Mortarâ.

P. Alfonsus d. Orosco.

D. Hieronymus de la Torre.

Eccl. 30. 4.

Quid vestras memorem laudes, par nobile Fratrum,
Ingenio æquales, similes virtutibus ambo?

Interim in nihil omnino videar dicere aliquid, breuiter tamen, prælibabo. Est hodie Didacus,

——— *Cui Pudor, & Iustitiæ soror*
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando vllum inueniet parem!

[*] Diuionensis lib. 2. epigr. 39.

D. Didacus de la Torre. Vide Petrũ Gassendum *tom. 6. pag. 256. epist. ad VVendelinum.*

In Summo Statûs Consilio Secretarius, cuius apud Patriam & Regem merita, indigerent profectò, si celebranda dignè forent, tempore liberiori & capaciori panigyri. Et, Te, Illustrissime Andrea, tanto Patre, & tanto Fratre digne, (quem in adolescentiâ studia humaniora magnâ gloriâ exornarunt, & in matura jam ætate Disciplinæ seueriores condecorant, & magno splendore dilucidant) ad Gloriæ arcem Doctrina & Virtus promouerunt per Gradus. Suspexit Integritatem Tuam Neapolitanum Regnum, dum Ius proferres in Areopago illo, quod *Vicariam* [a] appellant, quia quot Iudices, tot *Adrastos* [b] Albo Senatorum inscribit, qui Sacerdotum Nemeseos vices gerant. Claruit Prudentia Tua, dum apud S. Claram agere Consiliarium. Et quia Italia quanta est non capiebat Tua merita, te aduocauit Hispania, vt Fiscalis priùs, & Regentis posteà

D. Didacus de la Torre.

D. Andreas de la Torre.

Statius lib. 13

Est Dea, quã Nemesim dicunt, Dea magna, potensq; Quæ bona Cœlestûm concessu cuncta Deorum Possidet.

a] Vicariã penultima longa: morem sciãs, & rationem non quæras b] Adrastus Rex, Nemesi templum ædificauit, Sacerdotes instituit, solenniaque tanto cultu ordinauit, vt & Adrastia Nemesis diceretur.

munera impertiretur. In hac iam dudum dignitate, elegantia Te morum, innocentia vitæ, assidua integritas, intemerata sinceritas, & aliæ plurimæ prærogatiuæ, tam celebrem, nec non gloriosum reddiderunt, vt Theologi, Iurisperiti, Principes, immò Religiosi & Ascetæ, quem imitentur habeant, & cæteri, quem admirentur.

Est autem Νέμεσις (Iustitia) quam religiosè colis eadem quæ Κυβέλη, totius terrarum Orbis Dea, omnium Deorum mater, quæ puniendo impios, proborum vitam & salutem tuetur. Orpheus:

Μήτηρ μὲν τε θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.

Eusebius de preparat. Euangel. Telluris Dea iustitia.

Hanc olim Poëta Deam turribus exornarunt. Propertius.

Vertice turrigero iuxtà Dea magna Cybelles.

Et Virgilius. *Æneid. 6.*

——— Qualis Berecynthia Mater,
Læta Deûm partu, Phrygias turrita per vrbes
Inuehitur curru.

Cur turrita pingatur?

Et eodem tono Lucanus *lib. 3.* & Ouidius *Fast. 6.* cecinerunt.

Et, si fortasse interrogem, Cur Terræ Deam (Iustitiam) Poëtæ veteres turribus ornatam & munitam expresserint? respondebit sinceritas, non eos sua tempora respectasse, sed nostra; & Numine plenos prædixisse tunc Terram, tunc eius Deam (Iustitiam) felicem fore, cùm sit turrita: cùm ab integerrimis Heroïbus Hieronymo, Andreâ Didaco, &c. cognomento *à Turribus* fuerit defensa.

De Probabilitatis Labyrintho. An in illo Theologi indigeant filo & Theseo.

Ergo quando ab his Nobilissimis Turribus Κυβέλη (tota Terra) & in ipsâ Νέμεσις (Iustitia ipsa) protegitur, & condecoratur? Ego (& hoc iterum dico) audacter ero prudens, & prudenter audebo. Ingressus sum, aut veriùs inductus seu inuectus in obscurum perplexumque Probabilitatum labyrinthum, in cuius Cimmeriâ caligine Rectore oculatissimo, ne pericliter, egeo. Confugiam ergo ad Te, qui REGENTIS munus & dignitatem felicissimè exerces. Quoniam meæ Confidentiæ addit spem & Fidem Theseus; quicum similem exitum & Fortunam spero. Porrò,

Virgilius Æneid. 6.

Et labor ille domûs, & inextricabilis error,

(sic enim labyrinthus dicitur à Virgilio) etiam olim fuisset irresolutus, nisi Regens adfuisset, qui Mæandros tenebrosos resolueret. Lego in Operis Diuini sexto.

Theologia est Labyrinthus in quo errant plurimi, & qui Magistro & Duce careat miserrimè periclitabitur.

Dædalus ipse dolos tecti, ambagesque resoluit,
Cæca REGENS filo vestigia.

Ergo sicut Regina olim in Cretâ, sic hodie in Scholâ Moralis Theologia, quæ est Scientiarum Regina, REGENTE & FILO indiget, vt se expediat. Et sicut olim illa Dædalum fuit sortita, qui

Magnum Reginæ sed enim miseratus amorem.

Adnominatio lectu digna. ANDREAS ἀνδρεῖας ἀνήρ. εὖς NORTE Hisp.

Labyrinthum explicuit, sic sublimis hæc φιλοσοφία, *Amor Scientiæ*, aut veriùs *Scientia Amoris*, te fuit nactus, ILLVSTRISSIME ANDREA, in cuius ipso nomine reperit, vnde sibi tutelam & patrocinium polliceatur. Quoniam in ANDREÆ præclarissimâ εὐκλεία & ἀνὴρ & εὖς, & *Norte*, non sine mysterio includuntur.

Seneca ad Luc. lib. 5. epist. 44. Cicero lib. 1. de legib.

In literis ἀνὴρ multum lego: ἀνὴρ enim *Vir* dicitur; & teste Seneca, *Bonus Vir sine Deo nullus est.* Et ideò *omnes Viri boni*, quod & notauit Cicero. *Æquitatem & Ius ipsum amant: non enim est Viri boni errare, & diligere quod per se non sit diligendum aut colendum.* Nam vt Horatius lib. 1. Epist. 17. definit:

——————— Vir bonus est quis?
Qui consulta Patrum, qui Leges, Iuráque seruat.

Vir bonus quis? Quid Vir facere debeat? Quid vir bonus?

Et Tu, quia *Vir*, forti ingenio Consulta & Præcepta dilucidas: & quia *Bonus*, vita & lingua regis omnes & dirigis, vt Leges & Iura exactè obseruent. Quoniam, vt *lib. de Instit.* ait Lactantius Firmianus. *Bonus Vir non audet quidpiam cogitare aut facere, quod non audeat prædicare.* Et ego, cùm vitam tuam cum tuis verbis & consiliis compono, Tuam imaginem veneror in singulis, quos Regi ad summas in Italia dignitates promouendos proponis, & in Te eorumdem virtutes & prærogatiuas congregari suspicio: *Profers enim*, vt cum Ambrosio loquar *testimonia Iustitiæ librâ examinata, vt sit grauitas in sensu in sermone pondus, atque in verbis modus. In Te enim temperantia cordis animi munditiam, Iustitia Misericordiam, Prudentia Pacem, Fortitudo Mansuetudinem concomitatur.*

S. Ambrosius lib. 3. offic.

Vocem

Vocem *Vir* à vi, seu Virtute, vt vidisti, deduxi: nam volui morem gerere Viris eruditis & doctis, qui hanc deriuationem approbarunt, & illustrarunt. Audi *lib.3.serm.serm.*13. Augustinum: *Vir enim dicitur à Virtute, eò quòd libidines vincere debet.* Consonat Magnus Gregorius *lib.*26. illa Iobi verba *De ciuitatibus fecerunt gemere*, ingeniosè dilucidans, inquit enim. *Viri sunt, qui perfectis gressibus per Dei viam, non fluxè & eneruiter currunt, sed viriliter.* Et posteà *scriptura Sacra Viros vocare consueuit, qui vias Domini fortibus, & non dissolutis gressibus sequuntur.* Ita *lib.*38. super illud Iobi, *Accinge sicut Vir lumbos tuos.* Interim meo impræsentiarùm genio indulgeo, & Virum à vero deduco. Nec putes me viam inire singularem, nullam enim Virtutem honorat extra Veritatem Sinceritas. Assentior Marsilio Ficino, qui sicut Viro verum, sic Virtuti Veritatem adiunxit. *In Epist. ad Barth. Font.* ait. *Vir verus quis? In quo nihil effæminatum, nihil efferatum, nihil mendax, nihil, quod non Virtutis vim præ se ferat, & intra se ferat.* Et iterum. *Veritas Virum reddit Veritate dignum.* Ita enim *lib.*5. *in Epist.* Franciscum Soderinum instituit. Consonat Ludouicus Viues *lib.*2. *de Anim.* dicens: *Nulla duæ res inter se tam amicæ & concordes sunt, quàm Virtus & Veritas; nempè Germanæ; à Deo genitæ, & humanis mentibus, sicut vtilissimæ ita etiam integris iucundissimæ.*

An Vir à Virtute dicatur?

An verò à vero?

Intima Veritatis & Virtutis connexio.

Sed quid tandem est Veritas? Res ignota plerisque, quæsita à multis, inuenta à paucis. Non sanè hominibus vt intueantur Veritatem tenebræ, sed thesauri, splendorum officiunt. Pierium Valerianum *lib.*44.*pag.*430. *F* de arcanâ Sapientiâ perorantem ausculta. *Sol*, inquit, *Veritatis est Hieroglyphicum, quâ ratione videlicet is solus & vnus est, duplicia enim & multiplicia sunt veritati contraria. Simplex igitur sit necesse est, quod verum censeri deceat.* Quo respiciens Carolus Paschal. *lib. de Virtutib. & vitiis cap.*9. sic perorat. *Hæc falsas Opiniones discutit: dubias ad suam cotem explorat. Vt obscura hæc vna illuminat, ita illuminosa talia esse pronunciat. Hinc priscum illud:* Sol est Veritas, *& è conuerso.* Veritas est Sol, *id est, is, qui occulta reuelat, & perspicua asserit.*

Sol Veritatis symbolum.

Cur Sol dicatur esse Veritatis imago?

Ergò-ne Veritatem nemo exactè perspiciet? Nemo, si nemo Solem. At Solem Aquila & Lynx in se ipso, & cæteræ Animantes in radio: Ergo Lynceo, & Aquilino ingenio præditi in se ipsâ Veritatem suspicient, & cæteri in radio despiciemus. Rheginus. *Vt solare lumen imbecillus & impotens visus adspicere nequit; ita Veritatem, idque multò magis infirma mens & inualida conspectare non potest.* Ita apud Stobæum *serm.*2. *de imp.* Consonat Serino, qui apud Maximum *serm. de Veritat.* exclamat: *Quemadmodum debilis & impotens adspectus, Solis lucem intueri non potest, sic, idque multò magis mens debilis & infirma Verum cernere non potest.*

An nec Veritatē, sicut nec Solem respectare possimus facie ad faciem?

Illi igitur, quos finxit è luto nobiliori Prometheus Veritatem, quam quærimus, intuitiuè prospectent; nos enim qui cum cæteris serpimus, & in hoc lyncei sumus, quòd nos non esse lynceos manifestâ claritate videmus, conemur sensim, & ad Veritatem adscendamus per gradus. Per gradus-ne? Quid dixi? An-ne ipsa fluit: tumet, detumet: exaltatur, deprimitur; & vices patitur? Respondebunt Ascetici, Veritatem, tametsi in Peripatu nec gradus habeat, nec magis & minùs recipiat, illos habere in Scholâ Christianâ. Appositè *tract. de gradib. Humilit.* meus Bernardus. *Cùm sint tres gradus seu status Veritatis, ad primum adscendimus per laborem Humilitatis, ad secundum per affectum compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo Veritas reperitur seuera; in secundo pia; in tertio pura. Ad primum ratio ducit, quâ nos discutimus: ad secundum affectus producit, quo aliis miseremur: ad tertium puritas rapit, quâ ad inuisibilia subleuamur.*

An illam, sicut etiam hunc, in radio & vmbrâ definire & metiri possimus?

An Veritas habeat gradus, & quos?

Veritas est Sol.

Sed quâ arte aut industriâ poterimus hos Veritatis gradus obseruare & distinguere? Nos Vranometria manuducet. Ipsa gradus altitudinis in Sole obseruat: & quia Veritas in Politico Olympo, vt paulò antè dicebamus, Sol est, quâ ille methodo, eâdem hæc poterit obseruari. Sanè in Geodesiâ nostra *art.*7.*pag.*367. *b. num* 330. prostat hoc Lemma. *Ab vmbrâ vt Turris noscamus altitudinem, lucem recipio.* Semper enim inter se Solis altitudo, Turris magnitudo, & vmbræ longitudo ita se habent, vt d[a]tis duabus tertia necessariò inferatur. Firmat id Plato, qui sic statuit. *Prouidendum est, ne quasi ex opposito ad Solem conuersi, perinde respiciamus Deum* (impræsentiarum *Veritatem*: vera enim Veritas est Deus, & si qua extra Deum dicitur inueniri, est falsa Veritas) *ac si mortalibus oculis respici possit: tutius enim videbimus, si ad imaginem* (radium, seu vmbram) *eius respiciamus.* Quoniam, si habemus, vmbram, & Turris noscamus altitudinem, Solaris altitudinis gradum

Quomodo Solis altitudo obseruetur?

An detur falsa Veritas?

Plato apud Sebastianū Izquierdo In epistola Dedicatoria Pharo suæ eruditæ præfixa.

An lumen humanæ Rationis vmbra sit?

gradum necessariò inferemus. Sanè habeo vmbram: ipsum enim Rationis Lumen, quod alios illustrat, me obumbrat. Ergo, si fuero Turrim nactus, quâ vti possim, Solis potero, hoc est, Veritatis, altitudinem & gradum metiri.

Vnde Turris dicatur?

Sed cur de Turri dubito cùm à me sis (Nobilissime Andrea) qui es Literariæ Phari Turris Eminentissima. Et, si à terrendis hostibus dicatur Turris, vnde Æneid. lib. 4. Virgilius.

Turribus aut altis & magnas territat vrbes.

Pharus, quæ?

Qui in me commoti, tuo audito nomine terrebuntur. Quod Cynosura (Hisp. *el Norte*) in Cœlo, id vt vniuersi Viri docti experiuntur, & inuidia testatur, est in Scientiarum Pharo hæc Turris: ait Statius.

Lumina noctiuaga tollit Pharus æmula Lunæ.


Etymon vocis φάρος.

Ignes enim, qui noctu in illa accendebantur, nauigantium cursus & Rhombos dirigebant. Fauet & vocis ratio; quoniam φάρος dicitur ἀπὸ τοῦ φανοῦ, quod significat *Lucidum*. Et Turris hæc ardet & lucet: nam ardet Virtutum Eximiarum Charitibus: & innocentis vitæ lucet & coruscat exemplo. Et hanc ob rem huius ego celeberrimæ Turris, huius Phari, huius Cynosuræ splendore directus, influxu protectus, animatus auspicio, spiritu secundo inflata vela dirigo, & inter difficiles Quæstionum perplexarum vortices in Mappâ hac Hydrographica (Hisp. *en esta Carta de marear*) rhombos hos, quos sequar Ego, quos cæteri consequantur Nauarchi, qui ad Portum fugientis Veritatis adspirant, calamo securo delineo.

Hisp. Carta de marear.



P. Magister



MANDATVM R. P.

Reverendi Patris, Fratris Hyacinthi Libelli, Magistri Sacri Palatij Apostolici.

PATER Magister Passerinus, Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, videre & referre dignetur.

F. Hyacinthus Libellus, S. P. A. Magister.

CENSVRA

Fr. Petri Mariæ Passerini Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum.



X commissione Reuerendiss. Patris Fratris Hyacinthi Libelli Sac. Apost. Palatij Magistri Librum cui titulus est DIALEXIS DE NON-CERTITVDINE ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Ioanne Caramuele Archiepiscopo Hydruntino clarè, perdoctè & summâ (vt solet) eruditione elaboratum accuratè volvi, attentè perlegi. Opus sanè felici, ac vasto sui Auctoris ingenio apprimè dignum. In quo ex incertitudine Certitudinem, & conscientiæ securitatem quomodo obtinere possit studiosus Lector inueniet. Et quia in eo nihil inueni, quod à recta fide, iustis moribus, & Sacris Canonibus sit alienum, ideò dignum censeo, vt in lucem prodeat pro communi vtilitate. Romæ die 23. Iunij 1671.

Fr. Petrus Maria Passerinus
Procurator Gen. Ord. Prædicat.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus, S. P. A. Magister.

CENSVRA

D. Chrisostomi de Acuntiis Vicarij Generalis, & D. Dominici Plati, Abbatis Disenbergensis.



PARVVS liber est PRODROMVS iste, qui DIALEXIS PROOEMIALIS inscribitur, & alteri DIALEXI præcurrit. An ideò Lectori erit parui? Demosthenis Præclaram Decisionem audito. Ipse cum auscultaret Oratorem de re tenui immodicè vociferantem: *Non*, inquit, *quod magnum est, bonum est: sed quod bonum, id magnum.* Ergo TRACTATVS iste, licèt pauca folia contineat, est Liber magnus; magnus perfectione, non mole; multa enim proponit, & breuiter vniuersa decidit. Et est prælo dignissimus, nam, hoc æuo est maximè necessarius. *Quoniam, vt non iisdem literis* (vtimur Aristotelis verbis) *sic nec vocibus quidem iisdem, omnes vtuntur; at vno sensu animi; quorum primum verba notæ sunt, & res, quarum sensus animi speciem gerunt, idem apud omnes valent.* Hinc est Authores, etiam graues, vbi eorum animi sensu aut etiam conceptu conueniunt, literis & verbis differre; & eorum λογομαχίας, quæ sub initium videbantur de λόγῳ *ratione*, transire in rixas, quæ sint de λόγῳ *voce*, aut *verbo*. Vt huic inconuenienti obuiam irent *de verborum significatione*, scripsêre non pauci; Philosophi, Theologi, & Iurisperiti; illosque Illustrissimus D. Caramuel eo relinquens in loco, quem sunt ob eruditionem promeriti, sumere debuit etiam calamum, vt de eodem argumento disputaret. Folia hàc illac sparsa, redacta in ordinem, concinnarunt syntagma (cui nomen PRODROMVS) in quo, occasione verborum, res graues & difficiles medullitùs edisseruntur. Illum DIALEXINQVE (opus ingeniosum & doctum) cui præcurrit, attentè & vtiliter legimus; & quia in eis nihil omninò contra bonos mores aut Orthodoxæ Fidei Dogmata, sed potiùs doctrinas eruditas, quæ Lectoribus prosint, invenîmus, posse & debere imprimi, & in lucem prodire judicamus. Datum Sanctangelij Idibus M. DC. LXXII.


Man. lib. 4. apopht.

Aristoteles lib. 1. perihermenias cap. 1.

Λόγος vox æquiuoca est, significat enim, & *rationem & verbum.*

D. Chrysostomus de Acuntiis Vicarius Generalis.
D. Dominicus Platus, Abbas Disenbergensis.

INDEX



INDEX CAPITVM ET ARTICVLORVM.

NOn hîc (Lector Candide & Erudite) Nouas Doctrinas Curiositati Ingeniosæ propino, sed Communes, Antiquasque clariùs dilucidatas; quas Vniuersi Veteres & Iuniores Scriptores supponunt; quas admittunt omnes, & exercent in praxi, tametsi illas ipsas obscurioribus verbis tradiderint.

QVÆSTIO PROOEMIALIS.

DIsserit de Veritatis & Veracitatis distinctione, & præmitti debuit: nam lucem præbet vt expediantur illustrenturque obscurissimæ Difficultates.

PRODROMVS.

EAdem, si loca, si tempora, si personæ, si artes aut scholæ mutentur, diuersam habent significationem Vocabula. Cùm igitur hac ignoratâ impossibile sit Veterum Patrum, & Iuniorum Theologorum mentem adsequi, operæ pretium erit Animaduersiones nonnullas de Vocum significatione præmittere. numero 1. pagina 1

CAPVT I.

De Definitionibus.

CAPVT II.

Iterum de Definitionibus.

ARTI

Index Capitum.

DIALEXIS.

Quaeritur, invenitur, ostenditur, ratio illa formalis, quae in Moralibus dubiis reddit tutas & securas conscientias. Investigatur; An ad Conscientiae tuae securitatem, Opinionem, cui adhaeres, esse Certam, aut probabiliorem, aut saltem aequè, aut minùs Probabilem, requiratur; an verò necessarium sit, & sufficiat Oppositam Certam non esse.

Quia sapientibus & insipientibus sumus debitores, qui scribimus, in duas Partes hunc Tractatum divisi: & in Prima. à num.290. & pag.117 breviter Fundamenta propono, qualia & qualiter Viris doctis sufficiant. At in secundâ, quae à n.301 & p.120.a. decurrit, ut & his, qui instructione indigent, satisfacere possim, omnia uberiùs & exactiùs pertracto.

Omnes

SYNDROMVS.

Tametsi Rationes, quibus Dialexeos nostræ doctrina roboratur, & Doctorum quorum fulcitur testimoniis authoritas, videretur sufficere, ut ab omnibus admitteretur; volui nihilominùs nonnullos doctissimos Viros consulere, & eorumdem Censurâ nostras Positiones firmare. Et quoniam inter alios, Doctores Salmanticenses eminent, eorum Epistolas de hoc ipso argumento subiungo.

EPISTOLA I.

EPISTOLA II.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

CAPVT V.

CAPVT VI.

CAPVT VII.

EPISTOLA III.

EPISTOLA IV.

EPISTOLA V.

EPISTOLA VI.

EPISTOLA VII.

EPISTOLA VIII.

EPISTOLA IX.

EPISTOLA X.

Index Capitum.

EPISTOLA XV.





TOTIVS OPERIS
ASSERTIONES
PRÆCIPVÆ.

PRIMA.

RATIO formalis, quæ reddit Conſcientias ſecuras in praxi, non eſt Sententiæ, quam ſuſtinemus, Certitudo; non eiuſdem maior, æqualis, aut minor Probabilitas, ſed mera Contrariæ Non Certitudo.

SECVNDA.

Theologicæ Probabilitatis in Rationalem & Authenticam; nec-non Probabilium Sententiarum in magis, aut minùs Probabiles; aut etiam in magis & minùs communes Diviſio eſt tantùm ſubiecti in Accidentia.

TERTIA.

Probabilitas ſecundum ſua prædicata eſſentialia & intrinſeca conſiderata, in indiviſibili conſiſtit & non recipit magis & minus.

QVARTA.

Totum Probabiliorum & minùs Probabilium Sententiarum diſcrimen, quod vulgò aſſeritur, non ipſimet Probabilitati, ſed Probabilitatis inhæret accidentibus.

QVINTA.

Ex hypotheſi, quod reverà ſint aliquæ Opiniones Probabiliores quoad ſe, & aliæ ſint minùs Probabiles, huius diſcriminis certa & indubitata cognitio nec Hominibus eſt neceſſaria, nec poſt Adæ lapſum ſine Divinâ illuminatione poſſibilis.

SEXTA.

Stando eidem hypotheſi, etſi velimus dicere Probabilitatem quoad ſe recipere magis & minus, adhuc debebimus aſſeverare, illam quoad nos, ne quidem in ſuis accidentibus recipere magis & minus.

SEPTIMA.

Non dantur Materialia Peccata. Ergo neſciri omnia illa poterunt, quæ de illis à Doctoribus ſcripta.

OCTAVA.

Non dantur Probabilia Peccata quoad eſſentiam: hoc eſt, nec dantur in ſpecie, nec in individuo. Dantur quoad exiſtentiam ob memoriæ defectum.

NONA.

Dantur Hypothetica. Et tales ſunt omnes actus Humani, qui nec materialiter, nec formaliter Peccata ſunt; eſſent tamen formalia, ſi cum certâ & indubitatâ legis notitiâ eliceerentur.

Totam Dialexim de Non-Certitudine, & præcipuè eius Artic. XIV. à num. 679. perlege.

QVÆSTIO



QVÆSTIO PROOEMIALIS,

De Veritatis & Veracitatis Distinctione.

Sanè præmitti debuit hæc Diatribe; nam ex ipsâ in Philosophiâ, necnon in speculatiuâ & Morali Theologiâ expeditissimè multæ & graues Difficultates resoluuntur, quæ alliàs, etiam apud Doctos, Cimmeria obuoluuntur caligine.

I. An hæc nostra doctrina noua sit? An saltem sit nouus modus ipse tradendi? Cur hæc Disputatio præmittatur?

MVLTA *in hoc syntagmate de* NON-CERTITVDINE *dicturus sum; quæ, nisi attentè legantur, minimè intelligentur: in quibus, vt existimo, Recentiores non errant, sed adlucinantur, & spuriâ vocum acceptione obluduntur. Hinc ego opera pretium censui hanc Quæstionem præmittere, quæ, [vbi de Veritate & Falsitate, Veracitate & Mendacio, &c. de Finalis Causæ influxu, &c. de Præceptorum ad obstringendum conscientias efficaciâ, &c. de Vincibili, & Inuincibili Ignorantiâ, &c. de Conscientiâ Certâ, Erroneâ, & Probabili, &c. differitur,] clarissimam lucem præbebit aliquibus obscurissimis & intricatissimis Difficultatibus.*

ARTICVLVS I.

FVNDAMENTALIS.

De legitimo Falsitatis & Mendacij conceptu. An, & quo modo Falsa & Mendax Propositio inter se distinguantur? An illa Veritati, & hæc Veracitati contrarietur?

II. An, & quomodo *mentiri & falsum dicere* differant inter se?

NOn *est idem* mentiri *&* falsum dicere: *nam sine mendacio aliqui dicunt falsum, multique, vbi maximè vera dicunt, mentiuntur. Id iterum, iterumque alibi diligenter exposui; sed, quia impræsentiarum pulchræ ex eo Consequentiæ inferuntur, debebit adhuc breuiter dilucidari. Attendunto.*

Vnde habeat Propositio, quod sit vera vel falsa?

Est commune Peripateticorum Pronunciatum, Ab eo, quod res est, vel non est, qualis asseritur, Propositio dicitur vera, vel falsa. *Nam, si in iudicium veniat hæc Assertio*, Petrus sedet, *si Petrus sit, qualis dicitur (puta, si sedeat) erit vera: si non sit, qualis dicitur (puta, si stet) illa erit falsa. Et quidem hoc Pronunciatum desumitur ex Aristotele, qui* lib.4. Metaphys. cap. 7. text.41. *sic scribit.* [*Esse* & *est*, esse verum significat; *non esse* autem, non esse verum, æquè in affirmatione & in negatione. Vt, si Socrates Musicus sit, in hac Enunciatione, *Socrates est Musicus*. illud *est*, ipsam veram esse declarat: aut, si Socrates non sit albus, in hac enunciatione, *Socrates non est albus*, illud verbum *non est*, ipsam esse veram significat. In illâ autem, *Diameter non est incommensurabilis*, illud *non est*, significat eam esse falsam (*nimirum; quia reverà incommensurabilis est, & in Enunciatione asseritur esse commensurabilis; vel, quod in idem recidit, non incommensurabilis.*) *Similiaque repetis in varijs locis.*

An diameter sit incommensurabilis?

Oportet addere alterum Pronunciatum. Ab eo, quod res creditur (censetur, iudicatur) qualis asseritur, Propositio dicitur verax vel mendax. *Quoniam, vt testatur* D. Thomas in 3. sent. dist.38. quæst.1. [*nomen* mentiens *est concretum, & mendacium est abstractum. Ideò dicens verum contra opinionem suam, mentitur, sed quod dicit, non est falsum.*] *Et meritò sic inquit Sanctus Doctor*; mentiri *enim est contra mentem ire vnde, qui falsum dicit, fallitur; qui autem mentitur, fallatur aut non, se non decipi existimat, & tamen alterum conatur fallere. Rem dilucido exemplo. Petrus manebat domi: eum tamen esse in foro Ioannes & Paulus existimabant. Interim dicit Paulus.* Petrus est in foro; *& contrà*, Petrus est domi, *asserit Ioannes, & eorum ego dicta hac Censurâ perstringa. Paulus, inquam, non fuit mentitus, interim falsum dixit. Porrò non fuit mentitus; quia non iuit contra mentem, sed enunciauit rem, qualem esse putabat: at dixit falsum, quoniam decipiebatur, & non enumerauit rem, qualis erat à parte rei. Addo. Ioannes mentitus est, & verum dixit. Mentitus quidem est, quoniam contra mentem, contra id, quod credebat, & esse verum putabat, pronunciauit; sed tamen verum dixit, quoniam res reapse erat, qualem ipse enunciauit. Pauli ergo verba sunt veracia sed falsa, & Ioannis verba sunt mendacia, sed vera. Dilucidat hæc omnia*

Vnde habeat Propositio quod sit mendax?

Vnde *mentiri* dicatur? N. B.

P. Andreas Mendus in Epit. verb. Iuramentū, n.1. *vtitur communi Authorum Lexico, & sic inquit.* Veritatis defectus in Iuramento, quæcumque sit materia, est peccatū lethale. Iuramentum Promissoriū duplicē cōtinet Veritatem, aliam de præsenti, cuius defectus est graue peccatū: aliam de futuro, in quâ

Augu

attendendū est primò, quid iuretur. *Sunt doctissima verba, & transibit in hac, si iuxta meā dialectum formētur.* Veracitatis defectus in iuramēto &c. & commissiuū Veracitatē continet & Veritatem. Eadem præsenti, &c. nunc de futuro, in quā attendendū est, &c.

Augustinus, qui in Enchirid. [*Et habetur.* 22. quæst 2.] *sic scribit.* Is, qui mentitur, contra id quod animo sentit, loquitur, (*cum*) voluntate fallendi. Et vtique verba propterea instituta sunt, non vt per ea se inuicem homines fallant; sed, vt eis quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat. Verbis ergo vti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatum est.

Proderit autem hic notare inconsideratè multos cum Hostiensi dicere, Periurium esse Propositionem falsam, iuramento firmatam; nam potest homo, sicut sine mendacio, sic sine periurio falsum dicere, & sine falsitate peierare. Audiunto Hieronymum, qui lib. 2. in Hieremiam *sic statuit.* Alind est *iurare falsum*, & aliud *iurare in dolo.* Non enim omnis qui aliter facturus est, quàm promittit, in dolo iurat. Licèt enim Apostolus Corinthiis promitteret, *Veniam ad vos,* non tamen in dolo iurauit, aut mendaciter promisit. Ille autem in dolo iurat, & mendaciter promittit, in cuius mente est, non sic se facturum, vt promittit. Ille autem, qui promittit falsum, quod putat verum, nec in dolo iurat, nec mendaciter promittit. *Est ergo* Periurus, *qui propositionem mendacem iuramento confirmat: vnde propositio fallax (sit vera aut falsa) si iureiurando confirmetur, erit* Periurium.

Mendacij Etymon.

N. B. sunt, qui mendacium iubent prodire à mendâ, & tunc falsa omnia possent mendacia *dici, & hoc sensu exclamabat Nigidius*, Vir bonus præstare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium (*rem falsam*) dicat. *Sed tu communi sententiæ constabis, nomenque* mendacium *cum Criticis à* mentior *deduces. Et vocabis* mendacium *a mendacem omnem Propositionem, quà homo, quod credit falsum esse, asseverat.*

Quid illud sit?

ARTICVLVS II.

PHILOSOPHICVS.

De Causâ Finali. Quid illa sit? & An Finis secundum esse reale, an verò secundum esse cognitum; (siue, An secundum Veritatem an verò secundum Veracitatem) ad mediorum electionem voluntatem determinet?

III. Quid Finis sit?

CAusa Finalis est, *asserente Aristotele,* cuius gratiâ aliquid fit. *Sic illam definiunt vniversi Philosophi, quibus passim Theologi & Iuristæ subscribunt. Est Causa realis Prædeterminans: & adlucinari eos assero, qui eam esse metaphoricam dicunt, nam prædeterminando concurrere, non est fictè aut metaphoricè, sed realiter & verò concurrere. Hinc corrigi poterunt Authores, qui re parum explorata de Causâ Finali scripserunt. Sane in Thesibus à P. Marco Gualvico sub P. Francisco Porteri Romæ apud PP. Hibernos ann.* 1669. *part. Physic.* §. VII. *hæc lego.* Finis cuius gratiâ aliquid fit, Causa vera physica non est, sed metaphoricè tantùm Efficientem ad effectū productionem monet. *Fge autem doctrinæ & experientiæ insistens, assero, Finem Causam physicam & realem esse, & Efficientem non metaphoricè, sed verè & realiter ad effectūs productionem prædeterminare. Et multæ Finis vniversim sumpti circumferuntur divisiones.*

Nam diuiditur Primò in Finem Vltimum & Intermedium. Vltimus est, ad quem media ordinantur, & tamen ille ad nihil ordinatur vt ad finem. Intermedius, seu Finis Non-vltimus est, qui est simul finis & medium: nam ad ipsum ordinantur media, & ipse ad alium finem vlteriorem dirigitur. Inter Principium & Finem, proportione seruatâ, analogia & conuenientia reperitur: quoniam Principium Primum est, quod non prouenit ab alio Principio & Finis Vltimus, qui non ordinatur aut dirigitur ad alium Finem. Vterque Finis & vtrumque Principium penes Veritatem & penes Veracitatem, vel vt alij loquuntur, quoad se, & quoad nos, potest considerari. Secundum Veritatem & quoad se Primum Principium & Vltimus Finis est Deus: ipse enim secundum se, & independenter à nostrâ cogitatione aut apprehensione, est Principium sine principio, Finis sine fine. *Quoad Livium, si inuincibiliter erret, & sincerè existimet Iovem esse Deum, (sit Casus possibilis, aut impossibilis) non secundum rei Veritatem, sed secundum Livu veracitatem, Primum Principium, & Vltimus Finis erit Iupiter.*

Finis Vltimus & Nō-vltimus.

Principium Primum, & Non primum.

Principium & Finis duplex est: quoad se, & quoad nos: siue quoad Veritatem & Veracitatem.

Fine dicimur frui, medijs vti: & quia rebus creatis ita vti debemus, vt tandem Deo fruamur, peccat, qui creaturis, quibus deberet vti, fruitur: vnde 1. part. quæst. 63. art. 2. & 1. 2. quæst. 11. art. 1. & 2. 2. quæst. 163. art. 2. *Peccatum esse asserit S. Thomas, actum deviantem à debito fine, contra regulam rationis & legis æternæ: & committitur, vbi homo in creaturâ fruitionem & vltimum finem constituit.*

Quæ inter vti & frui differentia ponatur?

Quid peccatum secūdū D. Thomam sit?

Dividitur iterum Finis, in Finem qui, & *Finem* cui: *ille est res, quæ intenditur, & per media, quæ adhibentur, habetur: iste est persona, ad cuius damnum aut vtilitatem Finis* qui *dirigitur aut ordinatur. Hinc, si Petrus ægrotet, & Medicus propinet syrupum: finis* qui, *nimirum, qui intenditur à Medico, est sanitas: & finis* cui, *est Petrus; nempe persona, cui procuratur illa sanitas.*

Finis qui, & Finis cui.

Rursus Finis est duplex, & in Finem operis & Finem operantis distribuitur. Illum consequitur res, quâcumque intentione ponatur: hic autem est extrinsecus, & ab operantis voluntate dependet. Quoniam ex. gr. Si Titius det venenum Clodio, vt consequatur torquem aureum sibi promissum ab Aurelio; operis (nimirum propinati veneni) finis erit Clodium necare; & operantis finis erit autem torquem adquirere.

Finis operis, & Finis operantis.

His præmissis Finem mouere voluntatem, vt media adhibeat, cum experientiâ, & Philosophis

IV. An, & quomodo Finis

moueat voluntatem? An secundum esse reale, quod habet in se ipso; an secundum esse intentionale, quod habet in Operatis intellectu? a] Si fortè aliquis dicat, eamdem rem esse, quæ existit, & quæ cogitatur, distinctione ostendam, reducendo ingeniosum Cervantes, qui vt suadeat Novellas suas non esse Fabulas, sic inquit: Las mas de las historias son pensadas, pocas las sucedidas.

losophis vniversis supponis, & interrogas. An illam secundum esse reale moueat, an secundum esse apprehensum?

Videretur hoc posterius; nam Finis est causa secundum quod est mediorum electione & adhibitione prior: omnis enim causa est prior effectu. Sed tantum secundum esse apprehensum est mediis prior: his enim Finis existentia est posterior. Ergo Finis mouet voluntatem secundum esse apprehensum præcisè; ita vt apprehensio sit ratio formalis movendi. Ita Avicenna lib. 6. Metaphys. cap.6. *Medina* in 1.2.quæst.1.art.1. *Soncinas* 5.Metaph.part.3. *& aly.*

Et videretur illud prius: nam æger sumit pharmacum, non vt intelligat aut concipiat sanitatem, sed vt adquirat: & quidem, non vt adquirat & consequatur sanitatem cogitatam, seu sanitatis cogitationem [a] *sed, vt realem & veram. Mouet ergo ipsa sanitas, & non sanitas apprehensa aut sanitatis apprehensio. Ita communiter Thomistæ, inter quos P. Philippus à SS. Trinitate* 1. 2. summæ Philosoph. quæst, 14. art.3. pag.245. a, *hanc tuetur Conclusionem.* Cùm bonitas realis ipsius Finis, & non eius apprehensio, adliciat appetitum (*voluntatem*) & adepta ipsum quietet; Finis mouet voluntatem secundum suum esse reale. *Et asserit hanc esse sententiam S. Thomæ, qui* 1. part. quæst.80.art.1. ad 2. *sic statuit.* Id quod apprehenditur, & appetitur, est idem subjecto; sed differt ratione: apprehenditur enim vt est ens sensibile, vel intelligibile: appetitur verò vt est conueniens aut bonum. *Et idem docet* 1.contr.gent.cap.75. *&, sæpe alibi: & idem vbique eius Discipuli.*

Vtra harum sententiarũ sit vera.

Vt autem video, vtrique Veritatem rimantur, nam vtraque sententia nonnihil Veri proponit, illudque obvoluit tenebris, & difficile reddit: & hanc ob causam nos, quia claritatem & facilitatẽ diligimus, sequentes Conclusiones præmittimus & propugnamus. Et est.

V.
De Finis veritate & veracitate.

Prima. In Fine oportet Veritatem à Veracitate distinguere. *Ad Veritatem pertinet illud esse reale, quod ipse habet à parte rei, independenter à nostrâ cogitatione: ad Veracitatem illud esse reale quod habet in nostrâ cogitatione & existimatione, independenter ab illo, quod habet aut non habet, à parte rei*

Quoad se, & quoad nos.
Herbæ alias habent virtutes quoad nos: hoc est, aliàs seuerà & alias secundum opinionem Medicorum.

Posset hæc Distinctio aliis verbis proponi: puta, si quoad se, *&* quoad nos, *eiusdẽ Finis realitas consideraretur. Potest enim contingere, vt vna herba quoad se salutifera sit, & contra talem morbum conducat, & tamen quoad nos secundum apprehensionem & opinionem nostram sit nociua, & illum eumdem morbum exasperet.*

Secunda. Profectò (1) non Finis cognitio & apprehensio; sed ipsa Finis entitas: (2) non quidem secundum Veritatem, quam habet à parte rei, sed secundum Veracitatem, quam habet in intellectu, mouet voluntatem: (3) nimirùm, ad eligendum media, non jam secundum Veritatem quam habent à parte rei, sed secundum Veracitatem, quam habent in intellectu, proportionata & consentanea. *Hæc Conclusio Philosophis inter nubes ad luxit, & illas* Caramuelis Dialexis.

duas priores Opiniones peperit, male intellecta: quia cum non posset negari, in morbi curatione realem sanitatem intendi; & non posset negari, totam rationem mouendi esse cognitionem, alij illuc, & alij huc respicientes, in sententias oppositas divisi sunt.

Ad concordiam reducuntur præcedentes sententiæ.

Tertia. Hæc doctrina præcipuè in Fine Vltimo & Non-Vltimo locum habet. *De Fine quidem Vltimo nonnihil insinuavi paulò antè, & modò illa diluc.do. Deus enim mihi Iudex est, qui in meis actibus non Veritatem, sed Veracitatem requirit. Nam, si Petrus per impossibile talem concipiat esse Deũ, cui placeant officiosa mendacia, & in ipso insuperabilis sit hæc ignorantia, & stante hoc dictamine officiosè mentiatur, non peccabit. Ergo in Tribunali summo Deus se habebit secundum Petri Veracitatem: iudicabitque de illo peccato, non secundum Veritatem quam mendacium habet à parte rei, sed secundum Veracitatem quam habet in intellectu Petri. Et huc respiciens inquit P. Mendus vbi* infr. n.44. *ex Vasquezio* in 1.2.q.19.disp.59.c.3.n.12. [*Æquè peccare, qui agit contra conscientiam erroneam, ac qui contra veram: nam dum illa non deponitur, æquè obligat.*] *Ergo, siquidem hæ duæ Conscientiæ æquè obligant; ratio, ob quam obligant, debet reperiri in vtraque, at non reperitur in vtraque Veritas, sed Veracitas. Ergo necessariò debebimus asseverare, Veracem (vera aut falsa illa sit) homines obligare Conscientiam. Nam, si Petrus laboret ignorantiâ vincibili, habebit duas leges in capite: hanc,* Mentiendum est, *habebit realiter, vt supponitur; & hanc,* Non est mentiendum, *habebit moraliter & virtualiter; nam hanc deberet habere, & propter culpam suam non habet. Ergo siue mentiatur, siue non mentiatur, peccabit: nimirùm, si non mentitur, peccabit contra Veracitatem illam, seu morum Regulam, quam de facto in suo intellectu habet: si mentiatur, peccabit contra alteram Veracitatem & Regulam morum, quam non habet de facto, sed deberet habere. Sed de hoc argumento vberiùs & exactiùs Articulo sequenti differemus.*

Vt indicet homines Deus Veracitatem respicit nostrorum actuum.

An, & cur æquè obligat Conscientia erronea, ac Vera?
N. B. Conscientia Erronea vincibilem ignorantiam supponit.

Deus sicut essentialiter est Primum Principium, sic & essentialiter est Vltimus Finis. Non potuit Angelica aut Humana malitia facere, vt his vnquam Deus adtributis reapsè careret: sed affectu nihilominùs id ipsum expressè aut implicitè (realiter aut virtualiter) desiderare potuit, vt statim videbimus.

Multa, quæ nequeunt effectiuè homines, solent affectiuè (solo desiderio) præstare.

Qvarta. Hæc eadem doctrina in Finibus *qui*, & *cui* venit necessariò admittenda. *Aliter.* In Finibus *qui* & *cui* non est consideranda Veritas, sed Veracitas. *Et, vt hanc ego Conclusionem persuadeam, hunc Casum propono & decido.* [*Ardenti & periculosâ febri laborabat Aubertus, homo liberalis & dives, & Zacutũ, Iudæum Medicum, virũ eruditum, accersit. Hic sincerè gemmarum confectionem profuturã existimans, illam præscribit ægro qui graviùs illa sumpta laborat, & ideò Medicũ cũ indignatione dimittit. In hoc Casu multi Fines concurrunt, singulos cõsideremus.*

An in Finibus *qui* & *cui* Veritas, an Veracitas sit perpendenda?
Varij Fines considerantur.

Sanè ab ægroto, non sanitatis cognitio, non apprehensio, sed ipsa realis sanitas intenditur. Vbi autem illa? Nec est, nec erit in rebus. Ergo non mouet voluntatem secun-

Finis intentus ab infirmo consistit in Veracitate.

dum esse reale, quod habet à parte rei: quæ enim non existit à parte rei, aliquod esse reale à parte rei habere nequit. Et tamen mouet voluntatem. Ergo eam mouet secundum esse reale, quod concipitur ab ægroti intellectu.

VII. Finis qui, & Finis cui. In Medijs etiam sola veracitas attenditur.

Vt sanitatem recuperet advocat Medicum. Ecce Finis qui *est sanitas, Finis* cui *est ipse ægrotus, sibi enim & non alij sanitatem intendit: Medium Medicus. Porrò Zacutum vocat, quem tanquam alterum Galenum apprehendit. Si eum sciret sibi prodesse non posse, non advocaret. Ergo, quia Zacutum, vt sibi profuturum elegit, & ipse reverà profuturus non erat, non hominem secundum Veritatem, sed secundum Veracitatem, elegit: nimirùm, non qualis erat à parte rei, sed qualis in mente suâ credebatur & concipiebatur.*

Finis intentus à Medico, etiam consistit in Veracitate.

Zacutus (nam Iudæi sunt auari) a liberalitate ægroti pretiosum honorarium sperans, vt recuret infirmum coriandri confectionem præscribit. Realem profectò sanitatem intendit, sed, quæ nec erat existens, nec futura. Ergo æquè æger & Medicus realem, sed quæ nec est, nec erit, sed ab intellectu tantummodò repræsentatur, sanitatem intendit, & desiderat. Interim Medicus intendit honorarium, quod à parte rei erit nullum, & in Medici intellectu spe vanâ deluso videbatur eximium. Hoc ergo honorarium, quod Medici operantis Finis erat, mouebat eum, non secundum esse reale, quod existentia extra intellectum erat expers, sed secundum esse reale, quod in mente repræsentabatur & sperabatur. Vt intentionis, quam habet, Medicus, perniciosum pharmacum bonâ fide propinat. Ergo vtilitas, ob quam illud medium (illa confectio) à Zacuto præscribitur, est realis, non autem existens, sed existimata.

Finis Operantis Veracitatem, non autem Veritatem requirit?

Sæpe Medici ægrotos officiosissimè occidũt.

VIII. Vtra veritas, an veracitas in Operis Fine inueniatur?

QVINTA. De Fine operis & Fine operantis paulò aliter statuendum est: debemus enim dicere in illo Veritatem, & in hoc Veracitatem consideratum iri. *Hoc est,* Opus, suum Finem secundum rei naturam, independenter ab apprehensionibus humanis consequi. Operantem verò Finem, non qualis est à parte rei, sed qualis in mente suâ repræsentatur, exoptare & intendere. *Et, ne noua exempla adducamus, revertamur ad lectulum, in quo Aubertum ægrotum, Zacuti curæ creditum, & pessimè adiutum reliquimus, viresque præscripti pharmaci consideremus.*

Concernit Finem Operantis veracitas?

Gemmæ profectò, lapides, metalla, herbæ, & similia, habent virtutem viresque in medicinâ; easdemque independenter ab hominum opinionibus & apprehensionibus exserunt. Coriandrum, quod Græci vocant κόριον, si frigidum, infirmo fortè prodesse poterit; at nocebit, si est calidum. Quale autem illud est? Frigidum esse asseuerat Dioscorides. Galenus calidum: illi Avicenna, Ruffus, & Avenzoar adhærent, huic Paulus, Aëtius, & pauci alij. Interim Dum Medici certant, & adhuc sub Indice lis est. *Non juxta horum, illorumve opinationem, sed juxta vires inditas à Naturâ operatur coriandrum: non secus ac vbi ignis v.gr. applicatur stupæ; non à credulitate applicantis, sed ab activitate applicati ignis dependebit effectus, &c. Certa sunt hæc, & poterunt hoc exemplo, cuius sum testis confirmari.*

Coriandrũ, Græcæ κόριον, quale sit? calidum ne, an frigidũ?

Hic in hac Civitate, ante paucas hebdomadas graui morbo laborabat Terentius, & vehementem ei syrupum propinavit Ausonius (ita noster Æsculapius vocetur.) Vbi illud hausit æger, gravia passus συμπτώματα, crepare visus, & tandem ingrauescente horis singulis morbo, postridie periit. Mihi tunc Æsculapius; [Video, & admiror, inquit. Non operantur Medicinæ! Fuerat tali Terentius die, tali in loco, & quia ibi habebat æmulos & inimicos, illi venenum proculdubiò dederunt, quod stomachum occupat, viresque alexipharmaci, à me propinati, retundit.] Illi ego impatiens. [Non operantur medicinæ? Audio, & rideo: aut veriùs, audio & lugeo: non enim sine lachrymis optimi mei Amici, neglecti aut occisi, meminerim. Medicinæ (Expertissime Domine) non sunt libera causa: agunt acta; obediuntque non desiderio Medicorum, sed necessitati Naturæ. Hausta, te iubente à Terentio, operata est, vt debuit; nec potuit aliter; at non est operata, quod exspectabas tu, qui nec morbi statum, nec medicinæ vires, exploratas habuisti] Ita Terentius periit: ita à nostro Æsculapio officiosissime sublatus est. Et ego ex hac historiâ disco Primò, Finem operis à Fine operantis distinguere: Et disco secundò, Finem essentialem ab accidentario secernere. Profectò in nostro casu Finis operis, seu medicinæ datæ, fuerunt illa συμπτώματα; in quibus Veritas obtinet, & locum non habet Veracitas; quoniam à rei naturâ, & non à Medici opinione aut exspectatione dependent. Finis autem operantis erat, quem sibi Æsculapius præfixerat. Est Medicus, & est huius civitatis incola, & gravatur familiâ. Quà Medicus sanitatem intendit; quà Pater familias honorarium, vt nutriat vxorem & filios. [Ex his duobus finibus priorem essentialem, *& accidentarium posteriorem vocavi; nam, vt ait Aristoteles, Dialecticus disputat per se, & tripudiat per accidens.] Cæterùm in vtroque hoc operantis Fine, non Veritas, sed Veracitas est consideranda:* nam caret effectu spes bona sæpe suo. *Et in præsenti Casu sanitas cogitata & sperata ab Æsculapio, non fuit obtenta; & honorarium, quantum à Terentio obtinuisset, ab hærede non habuit.*

Aphorism. 1. inquit Hippocrates, Ars longa, vita breuis, iudicium (aliàs experimentum) difficile Et ideò in morbi acuti curatione solent vel doctissimi errare: & id permittit Deus, vt peccatores puniantur, ait enim Prov. 11. Spiritus Sanctus. Qui delinquit in cõspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus Medici.

Finis in Essentialem & accidentarium diuisio.

Medicus recurat infirmos per se, & opes lucratur per accidens.

A Veritate pendet, vt dixi, Finis operis, nec patiar ad Veracitatem reduci; licèt enim multi per apprehensionem infirmentur, & recurentur alij, effectus hi non à causa intentionali, sed à reali (tristitia aut lætitia) proueniunt, & alterant corporis humores per accidens. Notauit nuper id Raphaël Carrara in lib. *Confusione de Medici* confus. 13. pag. 145. *his verbis.* A le volte l'imaginatione è causa, e della sanità, e della infermità, il che si fà, *Per accidens, e non per se*, in questo modo cioè (parlando primieramente dell' esser causa della sanità l'imaginatione di cõfidanza nell' animo dell' infermo genera allegrezza, e giubilo, questo excita lo spirito & il calor naturale, per l' excitatione del quale restano superati gl'humori vitiosi, & meglio si

De apprehensionis viribus. An inferat interdum morbos, & interdum sanitatem restituat?

fanno

fanno le digestioni, è concottioni, si che l'infermità svanisce; è per il contrario l'imaginatione di cose cattive induce timore, il quale essendo passione d'animo tanto vehemente s'agitano gl'humori, è ne seguono l'infermità.

IX. De peccatis.

Quia autem Moralia in hoc Libro edisserimus, & peccata ad Finem operantis pertinent, aliqua de illorum ingenio subjiciemus. [*Nec temerè illa ad Finem operantis reduco: ait enim S. Thomas,* Dicendum, quòd formalis ratio alicuius peccati potest accipi dupliciter. Vno modo secundum intentionem peccantis. Et secundum hoc, *&c. Profert verba Rayneriis de Pisis* in Pantheologiâ verb. peccatum, cap. 17. §. 3. pag. 251. 2. *& citat Angelicum Doctorem* in 2.2. quæst. 10. art. 3. *&* in 1.2. quæst. 71. art. 5. ad 1. *&* in 2. sent. dist. 42. quæst. 1. art. 3. ad 5.] *Ergo attende.*

An, qui peccat, ultimum finem ponat in creaturâ?

Peccat homo, quia rationem Vltimi Finis, quæ Deo essentialiter convenit, ausu temerario in creaturam transcribit. Libidinosus enim actiones omnes suas ad propudiosam delectationem ordinat, & quia hæc ad Deum ordinare potest, in eâ ille consistit; eamdemque ut Vltimum Finem intendit. In libidine autem Vltimi Finis ratio Veracitatem, non autem Veritatem habet. Eam enim reverà esse Vltimum Creaturæ rationalis Finem, non est verum: at verum est illam in peccatoris mente ut Vltimum Finem admitti. Et huc respiciebat S. Augustinus, cùm lib. 1. de liber. arbitr. cap. 16. *peccatum definiebat his verbis,* Committitur peccatum, quando quis avertitur à Divinis veréque manentibus, & ad mutabilia & incerta convertitur.

Se avertit ab infinito bono, & se ad finita convertit.

Ac si diceret. [*Æterna principio & fine carent: & tantummodo Divina sunt æterna. Ergo homo, sicut agere gratias debet Deo, à quo principium habuit, sic debet omnes operationes suas ad Deum, ut ad Finem dirigere. Et hanc ob rem, quando suas ipse operationes deordinat, & quas ad Deum immutabilem & æternum deberet, ad creaturam mutabilem & incertam, temerario ausu dirigit, tunc affectivè (effectivè enim nequit) Deum attributo Finis Vltimi spoliat, illudque alicui vitio adfingit: & ideò peccatum committit.*] *Consono S. Iustino Martyri, qui* libr. ad Ortodoxos in respons. ad quæst. 3. fol. 271. *sic Scribit.*

Peccatum est humanorum actuû Deordinatio.

Quemadmodum, authore Apostolo, Fidelis, qui suæ rei non prospicit, (*qui se avertit à Deo, ad voluptatémque, ex. gr. ut ad Vltimum Finem recurrit*) Deum negavit. Estque deterior infidelibus, qui non cum cognitione, & Fide, & Baptismate, etiam mores addiscunt, *&c.* Ita tantò deterius est cum cognitione peccare, quàm sine cognitione, *&c. Ergo secundum Veritatem & esse reale, Deo omnia semper sunt integra, & nîl ab illo aufertur: & ideò, quidquid delirent homines, aut non delirent (peccare enim, quid aliud est, quàm insanire?) semper Deus erit rerum universarum Finis Ultimus & Primum Principium: cæterùm secundum esse apprehensum, quod respicit operationum intellectûs*

An graviùs peccent Christiani, quàm infideles?

Omnia Deo sunt integra.

Veracitas, qui peccat (quia affectivè rationem Finis Vltimi suffuratur à Deo, eamque prodigit, affingendo creaturæ) affectivè Deum negat, ut bene nos docebat Iustinus.

X. Omnia corporea serviunt homini, ut ipse soli serviat Deo.

Et similia nos docet S. Thomas, qui 1.2. quæst. 73. art. 5. *sic inquit.* Res quælibet exteriores ordinantur ad hominem sicut ad finem (*Intermedium,*) & homo ulteriùs ordinatur ad Deum sicut ad Finem (*Vltimum.*) *Hæc est Veritas. Et hic naturalis rerum ordo, quo stante nullum peccatum ab homine potest committi. Peccatum autem in deordinatione consistit, quando se homo temerè ad creaturam tanquam ad finem Vltimum dirigit.*

Et, ut omnia liquidiùs innotescant, hunc claudamus peragraphum verbis S. Bernardi, qui serm. 3. de tempore, *quales sint secundum esse apprehensum peccatoris affectus exponit dicens.* Porrò Voluntas propria, quo furore Dominum Maiestatis impugnet, audiant, & timeant servi propriæ Voluntatis. Primò namque (*se furando ut fugitiva ancilla, crimen furti committit; quoniam*) se ipsam & subducit & subtrahit eius dominatui, cui tanquam Authori (*cui tanquam Primo Principio*) servire iure debuerat, dum efficitur sua. [*Et huc respiciens, Theologia Germanica, à Viro olim pio & ingenioso scripta, peccatum* Egoitatem *appellat, unde Ego hoc soliloquium interdum, quâ possum, devotione profundo.*

Servus qui fugit, se furatur; eodem prorsus modo ac si servum alienum subriperet.

Mens mea, pars mansura mei, pars optima: ne iam
Sis mea, quod superest temporis esto Dei.
Indue te Christo, & mortales exue curas.
Si potes esse Dei, non pudet esse meam? *&c.*

Sed, ne interpellemus Bernardum, progreditur enim, & exclamat subiungens.] Nunquid (*propria Voluntas*) contenta erit hac iniuriâ? Addit adhuc, & quod in se est (*affectivè videlicet, non enim effectivè potest*), omnia quoque quæ Dei sunt, tollit & diripit. Quem enim sibi modum ponit humana cupiditas? *Et post pauca.* Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu!) desæviret Rectorem. Nunc autem & ipsum quantum in ipsâ est (*non ergo secundum esse reale & Veritatem, sed secundum affectum & desiderij præcipitis Veracitatem*) Deum perimit Voluntas propria: Omninò enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum: quæ, quantum in ipsâ est (*iterum affectum ab effectu, Veracitatem à Veritate Melleus Doctor secernit*) vult eum, aut impotentem, aut iniustum, aut insipientem esse. Crudelis planè & omninò exsecranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat? *&c. Et sic expressè, qui sunt in inferno blasphemant: &, si non expressè, saltem implicitè & virtualiter, quotquot mortalem culpam ausu temerario committunt.*

Affectus ab effectu sèper debet distingui.

An, & quo modo sapiètiâ, Iustitiâ, Omnipotètiâ, ac proptereà Deitate, peccator spoliat affectivè Deum.

Quomodo in hac vitâ, & quomodo in inferno operetur?

Stat igitur, præter Finem operis, qui veriùs est effectus quàm causa, omnia, quæ in Causâ

XI. An causa,

an vero effectus illud sit, quod Operis Finis vocatur?

Causâ Finali concurrunt, secundum Veracitatem; hoc est, secundum esse reale quod in intellectu repræsentatur; non autem secundum Veritatem; hoc est, secundum esse reale, quod à parte rei, extra mentem existit, influere. Et hinc facili negotio aliarum sententiarum argumenta soluemus.

Iudicium de Primâ Sententiâ. Sanitas ex. gr. quæ intellectui & voluntati objicitur, vera & realis est.

Itaque Primam sententiam, quæ asserit Finem secundum esse apprehensum Voluntatem mouere; esse veram & esse falsam, dicimus: veram, si bene intelligatur; falsam, si male. Nam, si vox esse apprehensum *importet esse verum & reale in intellectu repræsentatum, existat aut non à parte rei, Avicenna, Soncinati, Medinæ, & aliis, qui solent citari, assentimur: si autem aut meram apprehensionem, aut esse fictum vel non reale significet, falsa est illa Prima Sententia, & pro illâ Authores illos non bene citari putamus.*

XII. Iudicium de secundâ sententiâ

Addimus secundam similiter sententiam, quæ docet Finem secundum suum esse reale voluntatem mouere, esse veram, & esse falsam: veram quidem, si bene intelligatur, falsam si male. Nam si illud esse reale *significet esse, quod habet Finis à parte rei, est falsa secunda sententia; sæpe enim id, quod nec est, nec erit, Finis rationem habet: si autem illud* esse reale *sit illud, quod in intellectu repræsentatur, tunc est vera hæc sententia: & hoc tantùm sensu debet S. Thomæ adpropriari. Et ita eum* dict. quæst. 80. art. 2. *interpretatur Caietanus, inquit enim.* In respons. ad 2. memento, quod eâ ratione dicitur intelligibile aut sensibile apprehensionis objectum, quâ in 2. de Anima, dicitur visibile obiectum visûs. Non enim intenditur in literâ, quod ens sub ratione intelligibilitatis aut sensibilitatis sit obiectum apprehensionis *(vt Prima asserebat Sententia)* sed intenditur, quòd obiectum apprehensionis est ipsum ens, intelligibile quidem respectu intellectiuæ; & sensibile respectu sensitiuæ; *(non quidem vt jacet à parte rei, vt secunda asserebat Opinio: sed vt est in sensu aut in intellectu repræsentatum: id enim nostra statuit Conclusio)* apprehensiuæ vis appetitiua *(lego,* & appetitiuæ) in hoc stat, quod ratio obiecti illius est entitas, istius verò bonitas seu conuenientia. *Et sic loquitur, non quòd voluntas ferri possit in incognitum, non enim potest intendere aut amare bonitatem aut conuenientiam, quam non percipit: [nam vt antiquus Poeta ait,* Ignoti nulla cupido: *] sed, quia bonitas illa aut conuenientia sæpe abest à parte rei, & in sensu aut intellectu tantummodò repræsentatur. Et hinc patet, non bene Philosophos dicere,* Finalem Causam non indigere existentiâ, vt causet. [*Et quidem ita passim loquuntur. In Thesibus Philosophicis ad Scoti mentem Romæ apud Patres Hibernos propugnatis. part. Physic. §. iv. lego.* Nulla Causa verè, & realiter influens in effectum, ipsum causare potest, nisi quando causat, actu existat. Finalis tamen hoc non requirit.] *Dico enim Ego, semper Finalem Causam actu existere, cùm actu influit. Et ostenditur: nam Causa Finalis existentia est secundum*

N. B. *Sunt Genera, & species, quæ prædicâtur, & de indiuiduis verificantur, nõ sunt Entia rationis sim... sed prædicata realia, sic Finis, qui voluntatem mouet (sanitas v. g.) est ens reale.*

An voluntas possit ferri in incognitum?

An Causa Finalis, quâdo actu causat, actu existat?

Veracitatem, seu esse apprehensum: vnde, quia salus optata, quæ me mouet, vt sumam medicinam, est salus apprehensa, & hæc actu in apprehensione existit, dicendum omninò est, actu existere Causam Finalem, quando causat, & influit.

NOTA.

De existentiâ Materiæ-Primæ. An existat existentiâ Formæ?

INcriminabitur ordinem sciolus, nam apud omnes videt de Causâ Materiali & Formali priùs, posteà de Effectrice, & tandem de Finali tractari: &, quoniam hîc obseruat prioribus posteriora preponi, se habere occasionem existimat, vnde methodum incriminetur. Verùm enim verò, si rem bene consideret, aut me dialecticantem audiat, euidenter percipiet, communem à nobis ordinem ex merâ necessitate alterari. Aristotelem sequuti fuerint quotquot Philosophiam Naturalem dilucidauerint: &, vt argumento correspondêret Methodus, Naturalem elegerint, per gradusque à prioribus ad vlteriora ingeniosè deuenerint. Me Ordo Doctrinæ iuuat: & ideò illa præmisi, ex quibus possem securas Consequentias inferre. Demonstraturus enim sum Quæstionem de Materiæ existentiâ, non posse exactè sine Causæ Finalis perfectâ cognitione tractari. Attende.

An perperâ de Causis Realibus & Intrinsecis postquam actum fuit de Causâ Finali dissertatur?

An Causæ Materialis & Formalis notitia à Causæ Finalis cognitione dependeat?

Causa Finalis est compositum intentionale (reale, non fictum) dicens pro materiali rem quæ intenditur, & apprehensionem pro formali. Et interrogo, An id, quod in Finali Causâ est materiale existat? *&, si existit,* An habeat propriam existentiam, an verò ab esse apprehensiuo, siue à cognitione illam indipiscatur? *Et, vt rem meliùs intelligamus, in specie (aut in particulari) loquamur [Titius laborat febribus, & vt sanitatem recuperet, sumit alexi-pharmacum.] Finis in Casu est sanitas. Sed quæ est hæc sanitas? vera, an ficta? Est vera: Titius enim veram & non falsam apprehendit, & veram, & non falsam obtinere desiderat. An-ne existit hæc sanitas? Quod non est, operari non potest. At hæc apprehensa sanitas operatur. Ergo est. Probatur Minor: quoniam sumere illud alexipharmacum, est huius intenta sanitatis effectus. Sed quo modo, & vbi existit ista sanitas? Non existit realiter, aut à parte rei, existentiâ propriâ, ab* esse *apprehensiuo, quod est sua Forma, independenti. Existit igitur existentiâ intentionis; & quando hæc (intentio) non existit, nec illa (sanitas) existit. Certa sunt hæc, & clara, & nos in veram Materiæ-Primæ cognitionem deducent. Exactè ergo analogiam seruemus, & quæ de Fine diximus, appropriemus Materiæ, de quâ hæ sunt præcipuæ controuersiæ, quæ debent, & solent agitari.* Prima, An sit aliquid? Secvnda, An sit pura potentia? Tertia, An sit existens? Qvarta, An existat existentiâ Formæ?

Quid sit Causa Finalis?

Quæstio proponitur?

An Causa non existẽs possit actu operari?

Quo modo existat Finis? Anne existat existentiâ apprehensionis?

Discutiendæ Quæstiones proponũtur.

Ad Primam *respondeo affirmatiuè: nam est pars substantialis Compositi, & partes Compositi realis sunt reales. Nec oppositum*

1. Metaph.

Materia-Prima eſt ens reale.

1. Metaph.text.8. *nos docet Ariſtoteles dicens*, Materia-Prima, neque eſt quid, neque quantum, neque quale, neque aliud eorum quibus Ens determinatur. *Congruè enim illum interpretatur S. Thomas* 7. Metaph.lect.2. *& ex eo P. Philippus à Sanctiſſ. Trinitate* in ſummâ Philoſoph. 1. 2. qu.3. art.1. ad prim. *& Thomiſtæ communiter. At Ego meliùs & expeditiùs aſſerens id dici in Phyſicâ* Materiam-Primam *quod in Metaphyſicâ* Ens-Materiale *à Prædicamentis præciſum; quod tamen eſt aliquid, non verò quid, quantum, quale, aut cæt. ſed potentia vt ſit ſingula. Et quidem non multum à meo conceptu abeſt P. Philippus [cuius ſui pietatem doctrinamque veneratus, dum viueret, & libros nunc vtiliter lego] quoniam* in Philoſ.1.2. quæſt.3. artic.4. §. ſecundo, pag.173. a. *ſic ſcribit. [Confirmatur à ſimili; nam compoſitio Logica, quæ eſt tantum ſecundum rationem ex genere & differentiâ, & fundatur ſupra Phyſicam, non poteſt eſſe, niſi vnum extremum ſit per modum potentiæ, &c.] Nullum ponit exemplum. Si ad Animal & Rationale recurreret, potiùs Scoti, quàm D.Thomæ illuſtraret ſententiam: nam ſicut Homo Logicus componitur ex Animali & Rationali, vt ex potentiâ & actu; cùm tamen Animal etiam ex potentiâ & actu (Viuenti & ſenſibili) conſtituatur: ſic Homo Phyſicus apud Scotum vt ex potentiâ & actu componitur ex Corpore & Animâ; cùm tamen Corpus non ſit pura potentia, ſed ex potentia & actu (videlicet Materia-Prima & Forma Corporeitatis) conſtituatur. Debet igitur mecum Ens-Materiale & Perſeitatem in exemplum proponere; illud enim in ſuo conceptu eſt pura potentia, omni actu & vnitate tam ſpecifica, quàm numerica carens; adeoque per omnia ſimile Materiæ-Primæ Thomiſtarum.*

Quomodo eius conceptus apud Metaphyſicos intelligatur? P. Philippus à Sanctiſſ. Trinitate laudatus. Genus ſe habet vt potẽtia & differentia, vt Forma. Genus eſt ſimile Hominis ab Scoto deſcripti. Ens autem materiale à Subſtantia & Accidenti abſtractum eſt ſimile Materiæ-Primæ.

Ad ſecundam *etiam aſſertiuè reſpondeo ductus ratione, quam inſinuaui & authoritate D.Thomæ, qui* 1. contra Gent.cap.43. *ſic ſtatuit.* In rebus inuenitur aliquid quod eſt potentiâ tantùm, vt Materia-Prima; & aliquid, quod eſt actu tantùm, vt Deus; & aliquid quod eſt actu & potentiâ, vt res creatæ.

Pura potẽtia, Purus actus, & ſubſtantiæ intermediæ.

Ad Tertiam *ſimiliter reſpondeo, & partem aſſerentem concedendo; nam Totum phyſicum exiſtit actu; ac per conſequens habere debet partes, quæ exiſtant actu.*

Debent exiſtere Compoſiti exiſtentis partes.

Ad Quartam *etiam affirmando reſpondeo; nam id nos docet Ariſtoteles* 5.Metaph.textu 15. *Boëtius* opuſc.de vnit.& vno, *D.Bonaventura* in 2.diſt.22. *D.Thomas* vbi infr. *Capreolus* in 2.diſt.13.quæſt.1. *Caietan.* de Ente & Eſſ.cap.5.q.8. *Ferrarienſis* 1.contr. Gent. cap.4. *Soncinas* 7. Metaphyſ. qu.17. *Iavellus* 5.Metaph.quæſt.5. *Araujus* ibid. art.2. *Complutenſes* in libr.1.Phyſic. *P. Philippus* ibid.q.3.art.4. *& Thomiſtæ communiter; hanc enim ſententiam habet expreſsè D. Tho.*1.p.q.7.art.2.ad 3. *dicens.* Materia non exiſtit in rerum naturâ per ſe ipſam, cùm non ſit ens in actu, ſed potentia tantùm: vnde magis eſt aliquid concreatum, quàm creatum. *Conſonat ſibi* tract.de potent.q.4. art.1. *inquit enim.* Quidquid in rerum naturâ inuenitur, actu exiſtit; quod quidem non habet Materia-Prima, niſi per Formam, quæ eſt actus eius. *Et habet ſimilia aliis in locis.*

Materia nõ habet propriam exiſtẽtiam: ſed exiſtit exiſtentia Formæ.

Sed contra hanc noſtram Concluſionem duplex argumentum conformas. Primum ſic. *Quod non habet propriam exiſtentiam propriè loquendo nihil eſt. Atqui Materia-Prima non habet propriam exiſtentiam. Ergo eſt nihil. Et hoc contra Quæſtionis primæ Reſolutionem.* Secundum autem ſic. *Doctrina de Cauſa Finali non ſuccollat, ſed deſtruit doctrinam de Cauſa Materiali: Importunè ergo ſupponitur, vt ad illam hæc conformetur & elimetur. Probatur Antecedens. [Id quod eſt in potentia objectiua tantùm, eſt purum nihil, nec eſt à parte rei. Quod autem eſt (Materia-Prima) pura potentia ſubjectiua, ſiue receptiua Formæ, poteſt eſſe realiter aliquid extra nihil, ſaltem in ſuo toto, licèt excludat omnem actum.] Ergo potentia objectiua & ſubjectiua aut receptiua contradictionem potiùs habent, quam connexionem. Male ergo, quæ de Materia-Prima, quæ eſt potentia ſubiectiua & receptiua, aſſerimus, ex Cauſa Finali, quæ in potentia, obiectiua conſiſtit, probamus & dilucidamus.*

Duæ Objectiones formantur. An doctrina de Cauſa Materiali in doctrina de Cauſa Finali fundetur? An potentiæ objectiua & ſubjectiua opponantur?

Non vrgeor. Ad Primum enim reſpondeo verba P. Philippi referendo nam cit. quæſt.3, art.2. ad 2: *ſic inquit. [Dicendum ex Ariſtotele* 6. Metaph.text.4. *& D.Thoma* ibid. lect.2. *quòd aliud eſt, aliquid eſſe realem entitatem quæ ſit in actu: aliud verò eſſe reipsà realem entitatem: ad primum enim requiritur, quòd talis entitas vel ſit actus, vel quod includat actum; cùm ſit impoſſibile ex D. Thoma* 1. part. quæſt.66. art.2. *eſſe aliquid actu, quin vel ipſum totum ſit actus, & forma, vel habeat actum & formam: ad hoc verò, quod aliquid ſit reipſa realis entitas, ſufficit, quod non ſit purum nihil, quidquid aliud reale ſit. Ad hoc autem, quòd Materia-Prima componat vt vera pars Totum phyſicum, ſufficit vt ſit realis entitas realiter producta, non verò quod includat aliquam actualitatem, &c.] Et rem Ego confirmabo hoc exemplo. Americani incedunt nudi, & milites Hiſpani bene armati. Penetretur igitur Americanus cum πανοπλίῃ* totaliter armato *milite, vterque erit armatus, vterque ab impetu telorum ſecurus, at Hiſpanus erit armatus propriis, Americanus vero armis Hiſpani. Et hinc ad argumentum in forma reſpondeo negando abſolutè majorem.*

Eſſe realem entitatẽ, & eſſe realem entitatem exiſtentem differunt inter ſe. N. B. Si duo homines penetrarentur, vnica veſtis, vt eſſent veſtitis ſufficeres: & tunc alter eſſe poſſet propria veſte, & alter aliena veſtitus.

Et hìc obiter nota, hanc & alias ſimiles difficultates, quæ paſſim occurrunt, eſſe defectus abortiuos è Lexico communi erumpentes. Multa neſciuit Nomenclator Latinus, multa etiam Græcus: & hanc ob rem neuter poſuit ſufficientia vocabula, vt conceptus ſuos Metaphyſicus poſſet exponere. Vnde, quia eſſe *eſt æquiuocum, & multis modis ſignificat, & vno tantùm profertur & ſcribitur, irrepſere in Philoſophiam multæ adlucinationes: nam in Propoſitionibus his,* Mundus alius eſt poſſibilis. Objectum ſcientiæ Viſionis in Deo eſt creatura, quæ eſt in aliqua differentiâ temporis.

Eſſe multis modis ſignificat, & tamen vno ſcribitur & pronunciatur. Proponuntur exempla.

An multa nomina in Dictionario Latino desiderentur.

Adamus eſt præteritus. Antichriſtus eſt futurus. Mundus ad mentem Ariſtotelis eſt, &c. ad meam verò eſt. Angelus eſt. Homo eſt animal rationale. Deus eſt. *In quibus omnibus verbum eſt eiſdem prorſus characteribus ſcribitur, & eiſdem elementis profertur, & nihilominùs habet ſignificationem toto cœlo diverſam. Profectò deeſſe Nomina multi ante me obſervarunt Philoſophi: at deeſſe in Verbo Subſtantivo Modos, Inflexiones, & Tempora, nemo ante me, quem viderim. Et hanc Ego ob rem, ut hunc defectum ſupplerem in Dialecto ſcholaſticâ (Grammatici obloquantur, aut non) inveni illa tempora,* Sam, Sem, Sym, Som, Sum, *quorum ſignificationem hic verſu proponit, & dilucidat.*

An in ſubſtantivo verbo Modi & Tempora?

An, & quomodo ſuppleri poſſint?

Res eſt, exiſtit, æternùm, ſemper, & unquam.

Quem accuratâ diligentiâ & ſtudio noſter Pentaglottus. *exponit.*

An dentur Entia rationis?

Ad ſecundum dico verba illa, quæ parentheſi quadratâ clauduntur, eſſe P. Philippi; & addo eſſe falſa, & his, quæ paulò antè dixerat, contradicentia: nam ſemper, quod eſt in potentiâ objectivâ tantùm, eſt Ens reale (nam Entia rationis non admitto, & nihilum non ſcio propriè concipere.) Quamobrem, ſi nullum eſſet Triangulum à parte rei, & à me tantùm conciperetur, illud non eſſet purum nihil, ſed Ens reale: immò etiam exiſtens intentionaliter & objectivè; non exiſtentiâ propriâ, hac enim prorſus caret, ſed cognitionis exiſtentiâ. Et hinc doctrina Scoti, quæ Creaturis poſſibilibus eſſe æternum, quod appellat diminutum concedit, clarè poterit dilucidari.

An bene cōcipiamus Nihilum.

De eſſe diminuto, quod habēt creaturæ poſſibiles in opinione Scoti.

ARTICVLVS III.

IVRIDICVS, ET THEOLOGICVS.

De Legibus. Quæ in eis ſit ratio formalis obligandi? An ipſæ ſecundum Veritatem ſubditos, an verò ſecundum Veracitatem obligent?

XIII. Vnde *Lex* derivetur?

L*Egem dici à legendo, multorum aſſeverat Opinio: unde inferunt omnes leges in ſcriptis pronunciari debere, & niſi ſcribantur, eſſe invalidas: & favet Ariſtoteles, qui* libr. de cauſis civilib. ait, quo Lex eſt communis civitatis conſenſus, qui ſcriptis præcipit, quo unumquodque modo agendum ſit. *Ciſtercienſis Ordo in Hiſpan. Definitionib. anno* 1637. *Valliſoleti impreſſis* c.13. n.8. fol.34. b. *& leges ferri in ſcriptis iubent, & exponunt rationem his verbis:* Para que los Religioſos ſepan lo que han de guardar, y no pequen de ignorancia, manda el Capitulo, que las Obediencias y Cenſuras, que los Abbades puſieren en ſus Monaſterios, ſe aſſienten y eſcriban con las Viſitas del General y Viſitadores; y ſe lean a los Monjes los primeros Domingos del mes, en el refitorio, o en los coloquios.

An leges ſint neceſſariò ſcribendæ?

Ciſtercienſis Ordinis Conſtitutio.

Mihi autem non placet hæc Sententia; quoniam etſi pleraque omnes leges in ſcriptis ferantur, expediatque ut omnes in publicis legantur tabulis, non eſt ita neceſſaria hæc circumſtantia, ut, ſi fortè deficiat, legis dirimat authoritatem; poteſt enim, & ſolet Princeps (Laicus aut Eccleſiaſticus) ſubditos ſuos vocalibus legibus aut præceptis obſtringere. Et hanc ob rem aliò converto oculos, eidemque nomini aliud etymon, quod eſt convenientius, adſigno.

An à legendo *Lex*, an veriùs à ligando dicatur?

Aſſero itaque legem *dici* à ligando: *ligat enim quos obligat; & quæ actu non obligat, non eſt lex. Ita D. Thomas* 1.2.quæſt. 90. artic.1. *qui conſonare videtur Ovidio qui* in Metamorph. *cecinit*

——Nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Olim enim apud Romanos, quibus inſcribebantur leges Lapides, ære alligabantur, ne exciderent. Hoc vocis etymon multi Viri docti admiſerunt. D. Auguſtinus Radingus, tom.2.quæſt.15. de leg. art.1. controverſ. num.5. pag.359. a. [*Lex dicitur à ligando: eò quod obliget ad agendum.*] *Et citat S. Thomam* quæſt.23. de Verit.art.8. ad 3. *Pro formali igitur lex activam dicit obligationem, adeoque omnia quæ ad obligandum requiruntur. Ergo, quia lex ignota non obligat; & quia probabilis & incerta non obligat, lex certam & indubitatam notitiam inter rationes eſſentiales requirit. Et, ut id meliùs intelligas, interrogo,* An ſecundum eſſe reale leges, an verò eſſe apprehenſum ſubditos quibus iniunguntur, obſtringant?

Difficultas proponitur.

Ego autem iuxta ſuperiorem doctrinam Veritatem à Veracitate diſtinguo; & ut præcedentibus Reſolutionibus ſequentes conſonent, Legem ſumptam genericè in Definitivam & Præceptivam, in Mixtamque, quæ reſultat ex utrâque, diſtribuo. Definitiva lex ſolennitates, quæ requiruntur ad valorem, determinat, ſed nihil præcipit: Præceptiva legem profert, & obligationem imponit: Mixta & definit & præcipit. Ad Definitivarum legum cenſum pertinent Teſtamenta: nam ubi ſeptem aut plures teſtes Iuſtinianus requirit, non præcipit illos adhiberi aut omitti, ſed ſtatuit Teſtamenta eſſe invalida, ſi pauciorum fuerint teſtimonio ſuffulta. Ad Præceptivas pertinet totus Decalogus: & ut bene monet Ægidius Coninch, multa Iuris Naturæ leges, & circa Matrimonium præcipuè, quæ paſſim Definitivæ indicantur, tantummodò ſunt præceptivæ. Mixta ſunt Eccleſiaſtica, quæ Impedimenta Matrimonium dirimentia concernunt: qui enim ſororem duceret, & peccaret mortaliter, & invalidè Matrimonium iniret. Præterea, eſt neceſſarium diſtinguere inter culpam & pœnam: nam à culpâ & non à pœnâ ſubducit ignorantia invincibilis: qui enim invincibiliter ignoraret eſſe legem, quæ interdiceret furta, iſte furando nullam culpam committeret: ille autem qui ſciret interdici furta, & tamen quâ pœna fures damnarentur, neſciret, furando peccaret, & eſſet obnoxius culpæ conſtitutæ à

Leges aliæ Definitivæ, aliæ Præceptivæ, & aliæ Mixtæ ſunt.

Lex de Teſtamentis eſt Definitiva.

Decalogus eſt Lex Præceptiva.

Lex de Impedimentis Matrimonij eſt Mixta. De Iure Naturæ.

Ignorantia invincibilis à culpâ excuſat; an etiam à pœnâ?

à Republica. Sequentes Conclusiones considera.

XIV. Legum penes Veritatem & Veracitatem divisio.

PRIMA. Aliæ secundum Veritatem Leges, & aliæ secundum Veracitatem vim habent. *Considerantur penes suam Veritatem leges, cum examinantur quoad se, videlicet, quales sunt à parte rei, præcise ab apprehensione subditorum. Consideramur autem penes Veracitatem, quando à Veritate aut falsitate, quam habent, præscindendo illas speculamur prout in subditorum mentibus repræsentantur.*

Definitivæ Veritatem concernunt.

SECVNDA. Definitivæ leges iuxta Veritatem, quam habent, confirmant contractus, aut dirimunt. *Ostenditur: nam si quis, existimans duos testes sufficere, coram duobus tantùm in Lombardiâ, aut Germaniâ Testamentum condiderit, nihil validè gesserit: nam Ius Cæsareum septem,*

De Testamento.

& Mediolanense quinque ut minimum postulat. Et Testamenti valor à testatoris ignorantia non pendet. Sic similiter, si Titius putans se explevisse sextum-decimum

De Professione solenni.

annum solennem professionem emittat, invalidè emittet; non enim, quid senser t Novitius, investigat Ecclesia, sed an reverà ætatem convenientem habuerit:

Vis ostendere Leges ipsas Definitivas ab humana apprehensione dependere; nam apud Antonium Cotonium in summ. verb. servus. num.10. *legimus.* [*Servus item te-*

De Testamento Servi.

stari non potest; nec, si testetur, valet illius Testamentum, etiamsi posteà liber fiat: imò licèt tunc iam ipso ignorante vel dubitante, liber factus esset, Testamentum non valet. leg. qui testamento domini, & leg. sequent. *Valeret tamen illud ad pias causas, si verè liber iam erat, quando illud fecit, ut probat Molina* disp.13.] *Ergò in Testamentis, quæ, ut dicebamus, ad definitivas leges pertinent, non solùm requiritur libertatis Veritas, sed & Veracitas: quoniam, ut Imperator statuit, qui verè liber est, si se esse liberum nesciat, condet Testamentum invalidè. Ergo requiritur in Testatore, non solùm secundum esse reale, sed etiam secundum esse apprehensivum libertas.*

An ad valorem non modò in testatore libertas, sed libertatis cognitio requiratur?

An seriò possit quis velle facere, quæ scit se non posse?

Respondeo rem esse valde seriam condere Testamentum: & quia illum, qui se esse servum credit (sit reverà servus aut non) non potest seriò facere, quæ ad valorem libertatem requirunt; ideò prudentissimè Imperator tale Testamentum invalidum esse pronunciat: non quidem libertatis requisitæ defectui (hæc enim adesse supponitur) sed defectu voluntatis. Et ubi serio non procedit Testator, etsi ad pias causas testamentum sit, erit invalidum; nec oppositum poterit persuadere Molina. Interim, si in ta-

An Testamenta ad causas pias à legibus Cæsareis, dependeant?

li casu Testator seriò processisse dicatur (quod videtur difficile) non oberit Testamenti valori libertatis carentia, sed alia ratio, quam potuit habere Imperator, quæ, ut putat Molina, Testamenta ad pias causas condita non concernit.

Ad Testamenti valorem (& idē de quocum-

Porrò voluntatis defectus dirimit Testamenta, etiam ad pias causas facta. Lego in Cotonij summ. verb. Testamentum privileg. num.8. [*Quòd Testamentum ad pias causas manu propria testatoris scriptum valet, etiam sine testibus, dummodò liquidò constet, quòd scriptura sit facta manu defuncti. Ioannes de Imola* in leg. siquis cùm testamentum, num.5. & 6. ff. de testament. *& alij. Dissentit Clarus* §. testament. quæst.7. num.2. *Secundò, Testamentum ad pias causas factum, manu testatoris solùm subscriptum, etiam sine testibus, vim, Testamenti obtinuit. Tiraquellus*, de piæ causæ privil. 4. *&c. Hinc poterit Casus iste decidi.* [*Dum esset in rustico palatio Aurelius testamentum manu propria scripsit, & tamen sæpè habuit Notarij copiam, & nihilominùs illud nunquam authenticavit, tandem obiit; & domestici interrogant, an illud Testamentum, saltem quoad pia legata, sit validum?*] *Respondeo primò non valere quoad institutionem hæredis & legata profana: quia non habet solennitates, quas in eo Civiles leges necessariò requirunt. Respondeo secundò, non valere etiam quoad pia legata voluntatis defectu: nam, si testator seriò voluisset eius Testamentum valère, procul dubio (siquidem potuit) illud authenticari procurasset. Defectus autem voluntatis in Testatore, omne Testamentum & Dispensationem, etiam de re sanctissima dirimit. Ita Verricellius* tract.3. quæst.22. num.4. pag.167. b. *dicens.* [*Si pars non est parata ad omnem requisitionem alterius facere stipulationem, sed vult differre ad aliquod tempus, tunc signum est velle se non obligare ante stipulationem, neque habere contractum pro absoluto, sed velle manere in suspenso. Sic Surdus* decis. 292. per text. in leg. contractus, C. de fide instrument. *quem ita interpretatur: & refert decisum, quòd quidam scripserat totum Testamentum, in quo erant legata pia, & dixit, quòd post reditum ex villa volebat illud authenticari per Notarium: cùm interim mortuus sit. Non valuit Testamentum, neque quoad legata pia, ex defectu voluntatis. Quia ex eo quòd testator distulit in certum tempus, & non erat paratus mox authenticare, non habebat Testamentum pro perfecto & absoluto, &c.*] *Ergo bene dicebamus contra Molinam, ita ad Testamenti valorem voluntatem testatoris requiri, ut sine illa Testamentum non valeat.*

que alio contractu dicendum est) voluntas testatoris necessariò requiritur.

Testamentū ad pias causas sine testibus conditum in multorum sententia est validum: at sine voluntate factum in nullius opinione est validum.

N. B. *Voluntas quæ à legibus Definitivis in omni postulatur contractu est externa, signo aliquo extrinseco manifestata, nàm humani contractus ab actibus internis non dependent. Ita Diana* part.3. tract.4 resol.205: *Cotonius* in Summ. verb. Promissio: num.3. & verb. stuprum num.3. *Vasquez.* disp. 6. de Matrimon. cap.3. *Basilius Poncius* libr.2.cap. 4. *Turrianus* in select. part.1.disp 29.dub.6.

Leges Pœnales concernunt Veritatem.

TERTIA. Pœnales leges, nisi aliter Legislator statuat iuxta Veritatem, quam habent, pœnæ reos transgressores constituunt. *Est communis & ab omnibus admissa hæc doctrina. Ioannes Poncius* tom.2.part.2. ad distinct.43. Magistri. num.49. 2. [*Est expressa Doctoris (Scoti)* in 4. dist.6:qu.8. *ubi ait universaliter nullam ignorantiam, nec vincibilem, nec invincibilem Canonis, per quem*

quem ſtatuitur pœna, excuſare à pœnâ, dummodò committatur peccatum, ob quod imponitur pœna. Eſt etiam Corduvâ, Covarrubia, & aliorum, &c.]

An Ethnicus, qui nil de inferno audivit, poſſit iuſtè ad infernum damnari?

Corollarium I. Æternam gehennæ pœnam, qui Dei legem notam, aut vincibiliter neſcitam violant, etſi de inferno nihil ſciant, incurrunt. Ergo in huiuſmodi lege, attenditur Veritas & non Veracitas. *Ita Theologi P. Ioannes Poncius* tom. 2. part. 2. ad diſtinct. 43. num. 50. pag. 1070. b. [*Deus punit pœna æterna iuſtiſſimè etiam eos, qui nihil cognoſcunt de tali pœna.*]

An invincibilis ignorantia de Civili pœnâ ab illâ excuſet?

Corollarium II. Civiles pœnas etiam ignorantes incurrunt. In illis ergo ſolum habet locum Veritas, & non Veracitas. *Ita* loc. cit. *Poncius, inquit enim.* [*Et quid quæſo eſſet abſurdius, quàm quòd fures & homicidæ non poſſent puniri, niſi pœnis, quas ipſi priùs cognoſcerent, infligendis?*] *Et in praxi Iudices hanc ſententiam ſequuntur, Brugis enim in Flandria ann. 1640. dum ibi eſſem, appenſus fuit in patibulo Titius, tametſi obteſtaretur ſe ſemper credidiſſe & ſuppoſuiſſe furtum illud, quòd commiſerat, non fuiſſe capitale, ſed expiandum flagellorum ſupplicio.*

An à cenſuris excuſet ignorantia vincibilis?

Corollarium III. Ab Excommunicationis pœnâ (cui multi cæteras cenſuras adſcribunt) non ſolùm invincibilis, ſed etiam vincibilis ignorantia reos excuſat. *Ergo in illis perpendenda eſt Veracitas, & non ſufficit Veritas. Eſt probabile, nam ſicut ab aliquibus aſſeritur, ita etiam à Viris eruditis negatur. Et conſultò propter hoc Corollarium in Concluſione illud,* niſi aliter Legiſlator ſtatuat, *interſerui; ſunt enim leges, quæ contra præſumentes, & ſcienter ſe prævaricantes, pœnas Eccleſiaſticas, aut Civiles fulminant, & hæ nec à Veritate ſola, nec à Veracitate ſola, ſed copulativè ab utraque dependent. Pono Caſum. Erat lex.* Nulli libros ex hac Bibliotheca extrahunto. Qui ſecus ſcienter fecerint, excommunicantur.

De Cenſurâ, quæ contra ſuffurantes libros nonnullis Bibliothecis affigitur.

Et huius legis virtute. Dico primò, *Qui furatus fuerit ex illa Bibliotheca libros etſi Excommunicationis cenſuram ab Apoſtolica Sede fulminatam ignoret, peccabit mortaliter (ſuppono enim illos grave importare pretium) & erit obnoxius corporali ſupplicio, quod furibus ſolet imponi.*

An etiam ignorantes afficiat?

Dico ſecundò, *qui ignorat invincibiliter librorum ibi furtum inhiberi ſub excommunicationis cenſura, eam minimè incurrere. Et quid ſtatuemus de ignorantia vincibili?* Dico tertiò. *Probabile eſt eum, qui vincibiliter, non tamen ſupinè, pœnam excommunicationis neſcit, non eſſe contumacem, adeoque nec excommunicationem incurrere. Ita Layman.* lib. 1. tract. 5. par. 1. cap. 5. n. 7. *Tannerus* tom. 4. diſp. 6. quæſt. 20. dub. 3. num. 47. *Hurtadus de Mendoza* in 2. 2. vol. 1. diſp. 83. ſect. 5. §. 42. *Diana* part. 1. tract. 5. reſol. 13. & part. 5. tract. 9. reſol. 17. & tract. 14. reſol. 24. *Verricellius* tract. 8 miſcel. quæſt. 1. num. 1. *Sanchez* de Matrim. tom. 3. libr. 9. diſp. 32. num. 31. *Coronius* in Summ. verb. ignorantia, num. 7. *contra Sotum* in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 1.

XV. *Probatur benigna ſententia* ex cap. 2. de conſtitutionib. in 6. *ubi ſic inquit Pontifex.* Vt animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non ſit, aut ſupina.

De Legiſlatoris voluntate.

Ex his verbis, qui ſeveram cum Soto ineunt viam, colligunt eos tantum excuſari, qui laborant ignorantiâ invincibili, nam quæcumque vincibilis craſſa & ſupina *nominatur. Illi autem, qui contra Sotum ſentiunt duplicem eſſe aſſerunt ignorantiam vincibilem; alteram, quæ facilè; alteram quæ difficulter vinceretur; & hanc pronunciant nec eſſe craſſam, nec ſupinam. His conſentiens Laymannus* lib. 1. tractat. 2. cap. 4. num. 5. *ſic Scribit.* [*Illa eſt ignorantia craſſa, lata, ſeu ſupina, ad quam tollendam nulla vel modica cura adhibetur, qualis ignorantia earum rerum plerumque eſſe ſolet, quæ communiter ab eiuſdem conditionis & ſtatûs hominibus cognoſcuntur. Non craſſa ſeu non ſupina ignorantia eſt, quæ non tam facilè ſuperari potuit, vel ad quam vincendam diligentia adhibita eſt, ſed non ſufficiens.*]

An ignorantia vincibilis in duas ſpecies dividatur? & quænam illæ ſint?

Vt animarum periculis obvietur, *edit Conſtitutionem Pontifex, & tu ais per illam ſcrupulos augeri, non imminui: clarius enim ſcientia ab ignorantia, aut ignorantia vincibilis ab invincibili, quàm ſupina vincibilis à non ſupina vincibili poſſe diſtingui. Tibi autem reſpondebit Coronius* in Summ. verb. Ignorantia, num. 7. *dicens.* [*Si pœna lata ſit contra ſcienter violantes, aut præſumentes, excuſat etiam craſſa & ſupina (imò probabiliter etiam affectata. Ita Diana* part. 3. tract. 6. reſol. 7. & *recitanter* in part. 5. tract. 9. reſol. 17. §. Notandum. *Et tenet noviſſimè Ghilinus*, verb. Excommunicatio, num. 21. & *Celeſtinus*, in Compend. tract. 3. cap. 5. num. 4.) *quia temeritas & ſcientia omnem ignorantiam excludunt. Bonacina* de cenſur. diſp. 4. ſect. 10. num. 1. *Quæ omnia procedunt etiam de ignorantia ſolius pœnæ ſtante ſcientia præcepti. Diana* part. 3. tract. 5. reſol. 13. §. Notandum, & part. 4. tract. 4. reſol. 187. & part. 5. tract. 9. reſol. 17. *non enim ſatis eſt ad incurrendam cenſuram, quod ſciam opus eſſe prohibitum, niſi etiam ſciam prohiberi ſub cenſura. Portell.* in Addit. ad dub. regul. verb. ignorantia, num. 29. *Diana* part. 3. tract. 5. reſol. 12. & part. 4. tract. 2. reſol. 35. & 85. §. Dico, &c.]

An, & quo modo pœnæ contra legem ſcienter temerantes impoſitæ incurrantur?

Quo autem modo, ſi cognoſcatur præceptum, & ignoretur ſola pœna?

XVI. *Stat ergo iuxta benignam Recentiorum ſententiam ad incurrendam Excommunicationem aut aliam Eccleſiæ Cenſuram Veritatem & Veracitatem requiri: Quamobrem, tota hæc Quæſtio ad duos debet Caſus neceſſariò deduci.* Primus sit. *Si deſit Veritas (puta, ſi Cenſura lata non ſit) & adſit Veracitas (videlicet, ſi reus ſincerè exiſtimet dari Cenſuram) tametſi peccatum committat, cui adnexam Excommunicationem exiſtimat, non erit excommunicatus. P. Mendus* in Epitome, verb. Conſcientia, n. 12. [*Si Cenſuræ ſint impoſitæ ob tale crimen, & quis operetur dubitans, An eius operatio ſit illud crimen: ſi non ſit, non contrahi cenſuram, v.gr. Percuſſit Petrum, dubitans, an eſſet clericus: ſi non ſit; non incidit in cenſuram.*]

An ad incurrendum Cenſuras ſimul Veritas Veracitaſque requirantur?

censuram. Sit Secundus. *Si fortè adsit Veritas (puta, si reverà illud crimen sub Excommunicationis censurâ interdicatur) & tamen desit Veracitas (videlicet, si illa censura ignorantia vincibili non verò supinâ nesciatur) similiter Excommunicationem non incurrit. Quoniam, ut dicebamus, Censura contra scienter peccantes posita, Veritatem & Veracitatem requirunt.*

An promereatur præmium, qui illius nullâ habuit notitiam?

Hic *ordo Dissertationis postularet, ut moveremus, & dilucidaremus illud Dubium, quod pauci tangunt, & pauciores ex veris fundamentis decidunt, videlicet.* An, qui elicuit actionem, cui promissum fit præmium, & tamen ille nullam habebat huius promissionis notitiam, obtinere illud debeat? *At ego difficultatem non reperio: quoniam, si ignorantia pœna nullum, ut videbamus, excusat: rationis paritas postulare videtur, ut ignorantia præmij neminem privet favore promisso à Republica.*

An ad lucrandum indulgentias intentio; an etiam earũdem cognitio requiratur?

Hinc inferunt Theologi, eum, qui opera pia præstitit, quibus erant Indulgentia adnexa, & nihilominus non habuit eas lucrandi intentionem, quia illarum non habebat notitiam, adhuc eas lucraturum. Ita contra P. Mendum in Epitome, verb. Indulgentia, num. 7. & de Bull. Cruc. disp. 6. cap. 4. Rodriguez, Vegam, Corduvam, Suarium, & alios, docent iam passim Recentiores. Audire proderit Antonium Cotonium, qui in Summ. verb. Indulgentia, num. 5. sic Scribit [Probabile est sufficeere, quod fiant (nempe, illa bona opera, quibus sunt Indulgentia concesse) cum intentione habituali lucrandi Indulgentiam (& hanc universi habemus, ut existimo) ut docuit Sanctarellus de Iubil. capit. 15. dub. 4. *contra Cordubam* de Indulg. quæst. 16. *&c. Quare Indulgentia Plenaria Adriani VI. apud Rodriguez* in Compend. resolut. 77. num. 51. *adquiritur à recitantibus tres* Ave, *cum tribus versiculis* Angelus Domini. Ecce ancilla. Et Verbum caro, *ad sonum campana, post Solis occasum, quamvis ignorantibus tali operi talem Indulgentiam esse concessam. Ita Diana* part. 4. tractat. 4. resolutione 24.]

An debeãtur præmia illi, qui ea esse promissa ignoraverit?

Hinc etiam Iurista & Politici inferunt, ius ad præmium adquirere, qui servitium præstiterit, cui adnexum est præmium, etsi hanc ipsam adnexionem ignoret. Hinc, si ad tale obtinendum officium & munus in Republica requiratur, quòd Candidatus quatuor annis ex. gr. in tali Vniversitate docuerit, qui quatuor in illa annis docuit, etsi nec ipse hanc tunc intentionem, nec notitiam habuerit, illud meretur munus, & ad illud poterit adspirare legitimè. Et multi hinc Casus decidi poterunt, quos non permittit proponere brevitas, quam probatio unius Conclusionis requirit.

Qvarta. Leges Præceptivæ, quæ meritò *Morales* dicuntur, obligant in conscientia. *Et quidem Praceptiva dicuntur, prout à merè Definitivis, & merè Pœnalibus distinguuntur. Illud* merè *considera: nam sunt quadam etiam leges mista, qua definiunt & præcipiunt, & hanc ob rem sub pœnâ & culpâ simul obligant; & tandem qua definiunt, præcipiunt, & puniunt. Sed de hoc uberiùs in Theologia Fundamentali, in Regulari, in Scholio elimato ad Regul. S. Benedicti, & in Theolog. Intentionali disputavi. Et hic tantummodò notare oportet illas (Ecclesiasticorum & Laicorum) Principum leges, qua* merè *pœnales dicuntur, interdum ad Culpam obligare per accidens; videlicet, si talis sit pœna, qualem præter sententiam Iudicis non possit privatim reus subire. Et talis profectò est pœna capitis, & alia similes. Possem, aut alibi dicta repetere, aut per novas considerationes & speculationes diffundi; sed, quia hodie brevitas placet & iuvat, dabo aliquas Dn. Augustini Redingi eruditas & solidas Resolutiones.*

Quid, & quæ sint Leges Morales?

Quæ sint leges merè pœnales.

An obligẽt aliquando in conscientiâ?

Quæ sit Lex non-pœnalis?

Et quidem eximius hic & ingeniosus Doctor tom. 2. quæst. 16. artic. 3. contr. 1. num. 2. pag. 403. b. *præmittit Doctorum dissentientes sententias, de hoc argumento differit: & posteà* num. 5. *de legibus Ecclesiasticis specialiter disputans, ait. [Inter Theologos communis Opinio de lege non pœnali (nos Moralem eam dicimus) asserit quidem obligare semper ad culpam, vel venialem, vel mortalem. Nonnulli tamen cum à Serra* præf. quæst. 96. art. 4. *& Suarezio* libr. 3. de legib. cap. 25. num. 3. *allegati existimant, ex voluntate Legislatoris pendere, ut obligent ad culpam lethalem.] Et hoc ita Ego admitto, ut res levis nunquam possit præcipi sub mortali, & res gravis sub veniali probabiliter iuberi possit.* Obiicit *autem P. Redingus* Primò, *Quia in Religionibus ponuntur præcepta Obedientia, etiam sub Excommunicatione, de rebus minimis.* Secvndo, *Quia Deus Ada imposuit leve præceptum sub obligatione aterni reatûs. Et de hoc præcepto* in Summ. verb. lex. num. 35. *Antonius Cotonius hac habet. [Solus Deus habet ius obligandi sub mortali in materia levi, ut probabile est obligasse Protoplastos ad non comedendum bonum (lege, pomum) scientia.]*

An res gravis sub culpâ levi possit præcipi?

An etiam res leves sub gravi?

Respondeo *autem* ad Primum, *etiam res leves sub Obedientiâ posse præcipi, & tunc obligare ad veniale. Addo Excommunicationem esse duplicem Canonicam & Monasticam; illam à gremio Fidelium contumacem & impœnitentem hominem segregare, & ideò culpam mortalem adeoque gravem materiam præsupponere: hanc à mensa in Refectorio, aut à subselliis in choro Monachum separare, & sæpe ob regulares negligentias, qua sæpe non sunt culpa veniales, ad manutenendam observantiam infligi. Subiungo, res aliquas secundum se consideratas videri leves, qua ob concomitantes circumstantias graves redduntur. Quod enim levius voculis ita, & non? Et interim propter illas à testibus in Iudicio prolatas reus, iam capite plectitur, & iã absoluitur. Ergo, si qua in Religionibus parva præcipiuntur sub Excommunicatione Cano-*

Res aliquãdo leves, ob circumstantias adiacentes fiunt graves.

De peccato Adæ.

nica, ut ut minima sint secundum se, erunt magna & gravia ob circumstantias. Et hac est doctrina communis & passim in Scholâ recepta; unde Coteniu loc. cit. Doctè ait. [*Contingere tamen potest, ut res in se levis, ex circumstantiis fiat gravis, & sic admittat obligationem gravem, &c.*] *Et hinc patet, quid* ad secundum *respondendum sit; dico enim preceptum impositum Adæ fuisse materialiter leve, at formaliter grave; in illo enim gratitudinis testimonium continebatur. Nam, si hodie Rex feudum tale conferat Alberico, sub obligatione dandi singulis annis unum canem, ad huius tributi solutionem obligabitur graviter. Et quidem ratio, quâ passim Theologi persuadere conantur, non posse Prelatum levem rem sub culpâ mortali præcipere, à fortiori in Divinis præceptis vim habet. Audi Antonium Cotonium* ubi suprà. [*Certum Primò est superiores, sive Ecclesiasticos, sive Sæculares posse suos subditos arctare ad legem sub pœnâ peccati mortalis.*] *De hoc non dubito, aut disputo, nam hæc verba nostram Quartam Conclusionem, quam dilucidamus, reponunt. Sed pergamus.* [*Certum est secundò* (*subiungit*) *non posse Superiores, sive Ecclesiasticos, sive Laicos, imponere in materiâ levi obligationem gravem: Quia* (*N. B.*) *talis sententia esset iniqua & iniusta. Ita Sanchez* in Summ. tom. 1. libr. 1. cap. 4. numer. 3. *contra Sayrum; qui* libr. 3. cap. 7. numer. 17. *contrarium docet de Iudice Ecclesiastico. Ita etiam Diana* part. 3. tract. 5. resol. 24. *&* tract. 6. resol. 91. §. Notandum est. *Et* resol. 47. *&c.*] *Subsumo. Sed à fortiori Deus nequit sententiam iniquam & iniustam proferre. Ergo non potest Deus rem levem præcipere sub culpâ gravi. Et quidem me ab hominibus ad Deum optimè argumentari, suadebo producendo Ennodium, Ticinensem Episcopum*, lib. 2. epist. 19. *scribentem.* Si inter homines à recti discordat affectu, qui à subiectis exigit, quod in potestate non tribuit: hoc de Deo, quâ conscientiâ sentiatur, advertite.

An illud præceptum fuerit de re levi.

Tributum, quod gratitudinis & recognitionis nomine in Feudis penditur, obligat graviter.

Præceptis legitimis homines obligare possunt subditos ad peccatum mortale.

Iniqua & iniusta esset Lex, quæ sè levem sub gravi culpâ aut pœnâ præciperet.

An ab hominibus ad Deû valeat argumentatio?

Paulò inferiùs D. Redingus (*nemp.* nu. 6. pag. 404. b.) *hanc Resolutionem proponit.* [*Omninò & pro certò tenendum est, potestatem quoque Civilem posse suis legibus obligare in conscientiâ, sub culpâ etiam mortali.*] *Et addit hanc esse communem Theologorum sententiam, eamque à D. Thoma* 1. 2. quæst. 9. artic. 4. *Navarro* cap. 13. num. 14. *Suario* lib. 3. cap. 21. num. 6. *&* libr. 4. cap. 17. *Vasquez* in 1. 2. disput. 159. cap. 22. & 4. *Arrico* disp. 5. sect. 9. *Soto* lib. 1. de Iustit. quæst. 6. artic. 4. *Serrâ* quæst. 96. art. 4. dub. unic. *Castropalao* punct. 14. num. 2.

An Reges, & quicumque alij Superiores laici possint legibus & præceptis suis subditorum conscientias obligare?

QUINTA. Hæreticum est asserere solam legis Veritatem (hoc est, fuisse latam) ad conscientias obligandas sufficere. *Patet: quia leges, nisi à subditis cognoscantur, non obligant.*

XVII.
An Ignorantia Invincibilis à culpâ excuset?

Hac Conclusio statuitur contra nostri temporis Hæreticos & Novatores, qui retundè asserunt invincibilem ignorantiam neminem à legis obligatione subducere. Audi Lutherum in Genes. cap. 12. *delirantem his verbis.* Scholastici invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, id est, peccatum prorsus tollat. Hoc, si statuamus, verum esse, sequetur, etiam sine Christo homines salvari, si faciant, quod in se est. Tanta cœcitas est in Papæ Scholis, & Ecclesiis. *Et ibid.* Falsa est ista celebris Scholasticorum sententia, de Ignorantiâ invincibili excusante, *&c. Et, arrogantius posteà exclamat,* Quisquis invincibilem ignorantiam, excusationem mereri statuit, invertit Scripturam Sanctam, & tollit è mundo Christum Iustitiæ Solem. *Et quis quæso ista legat, & non asserat, Lutherum nescivisse Dialecticam? vel, qui oppositum dixerit, ex his Lutheri verbis in formâ & figura syllogismos conformet.*

Hæreticorum Opinatio.

Opinationem hanc (*quam meritò delirium dixi*) in eod. 12. cap. *nimis generalem eam indicans, contraxit Hæresiarcha ad præcepta Naturalia & Divina, & in Humanis ab Scholasticis traditam doctrinam admisit, & sic Scripsit.* In Politicis negotiis potest esse locus invincibili ignorantiæ, *&c.* Sed hæc ad res sacras & conscientiæ negotia transferenda non sunt, *&c. Erras clarissimè: nam invincibilis Ignorantia debet æquè in utrisque legibus* (*Divinis, & Humanis*) *excusare: &, si in alteris tantùm, minùs erraret, si statueret oppositum dicens, illam in Divinis legibus homines, non autem in humanis subditos à necessitate obediendi subducere: Nam ignorantia est res occulta; & secretissima cordis arcana Summo innotescunt Numini, non autem Hominibus, qui de occultis non iudicant.*

Inter Divinas & Humanas Leges hîc distinguendû non est.

Quid si esset?

Adhuc dici deberet Martinum Lutherum errasse.

Luthero, Præcursori suo, hic adhæret Calvinus libr. 2. Institut. cap. 2. §. 25. *dicens.* Eorum est repudianda opinio, qui consultam malitiam & pravitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt; nimium enim experimur, quoties labamur cum bonâ nostrâ intentione. *Relego, & interrogo, An fungos fore, & non homines, qui legunt suos libros, Hæresiarcha opinetur. Et primò deleo illam vocem* opinio, *& substituo* sententia; *quod enim ab omnibus Orthodoxis asseritur, & extra quæstionis aleam stat, non potest* opinio vocari. *Rideo præterea, ubi illud* experimur *interlego, peccatum non est res sensibilis, sed intelligibilis; & idcò sub experientiam nequit cadere. Et ut rem clarè percipias, pono exemplum. Detur præceptum de diligendo Deo, omnibus diebus festis, & Titius hoc ipsum præceptum insuperabiliter nesciat: & hac die, qua Dominica sit, actum ille Divini amoris non eliciat. Quid illi accidet? Experietur, docet Calvinus, se peccare. Sed quo modo experietur? Quid percipiet præter Amoris omissionem, quam posuit. Cognoscere se omittere illum actum, quem sub illis circumstantiis tuâ conscientiâ omisit, non est percipere*

Ei subscribit Calvinus.

Quid vocari possit, aut nô possit Opinio?

An homo, quando peccat, se peccare experiatur?

percipere se peccare. Præter hoc nihil aliud sentiscit: Calvinus igitur non ratiocinatur, sed nugatur.

Quàm certa olim fuerit, & etiam nunc sit nostra & communis de invincibili ignorantiâ sententia.

Sanè nostra hæc Conclusio, ut fuerit olim à Manichæis impugnata, tam communi consensu defendebatur à Catholicis, ut libr. de duab. animab. cap. 11. *Augustino asserente*, à Pastoribus cantaretur in montibus, à Poëtis in theatris, ab indoctis in circulis, à doctis in bibliothecis, à Magistris in Scholis, à Pontificibus in templis, & à genere Humano in orbe terrarum. *Illam Theologi in Belgio, dum Michaelis Bayi opiniones examinabantur, ad verba sequentia reducebant.* Vt actio quæpiam sit peccaminosa, oportet ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni, mali-ve in eâ sit, & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala. *Vel ad hæc breviora.* Actus indeliberati non sunt peccata mortalia.

XVIII. Orthodoxa sententia.

Et quidem nec sufficere nec requiri Legis Veritatem: & tamen (adsit, aut absit Veritas) requiri & sufficere Veracitatem, est tam certa Catholicorum Resolutio, ut possit demonstrari clarissimè.

An Lex Naturæ obliget ignorantes?

Nam lex ipsa Naturæ illos, à quibus invincibiliter ignoratur, non obligat. Porrò, si ex errore invincibili, Ioannes non esse peccatum iudicet officiosum mendacium; & illud mortale Ferdinandus existimet; neuter poterit iuxta legis Veritatem damnari: lex enim secundum Veritatem solummodò ad veniale obligat; sed debebit secundum Veracitatem indicari, & dici Ioannes nullum prorsus peccatum, & mortale Ferdinandum perpetravisse.

De officioso mendacio.

De Probabilitate. An-ne in Veritate, an verò in Veracitate cõsistat?

Dices, Ioannem & Ferdinandum secundum Probabilitatem indicari. At, non de Veracitate, sed de Veritate est Probabilitas. Ergo illi secundum Veritatem indicantur. Et ego ante Responsionem, ut P. Mendus audiatur desidero; nam in Epitomes Discursu prælegend. num. 12. *sic scribit.* Nec quis iudicat de duplici Opinione æquè probabili, esse utramque veram, id enim repugnat: sed indicat se licitè agere dum sequitur hanc, aut illam: nam esse utramque probabilem, non est, esse utramque veram nec utramque falsam; sed pariter quamlibet posse esse veram aut falsam. Falsitas autem, si detur, nec agnoscatur, non est quid malum in ordine ad mores.

Quale indicium formet, qui alicui propositioni, tanquã probabili, assentitur?

Malũ, quod certò non cognoscitur, non imputatur.

Consonat Angelo Mariæ Verricellio, qui Quæst. Moral. tract. 2 quæst 10. num. 4. *hæc habet.* Respondetur intellectum non indicaturum id, quod est probabilius, esse verum; alioquin indicaret esse falsam Opinionem Probabilem; cùm enim una sit Veritas, si hæc stat pro Opinione Probabiliori, altera Opinio necessariò indicaretur falsa, contra suppositum. Ergo in casu posito Intellectus indicabit, Opinionem Probabiliorem magis apparere veram, quæ autem magis apparent vera [a] plerumque reipsâ falsa sunt: unde Caietanus *in 2. 2. quæst. 10. artic. 7. in fin.* ait. *Contingit aliquando magis apparere, per ipi, satisfacere, & movere argumenta falsa, quàm solutiones eorum.* Ita Caietanus, &c.] *Et hinc ego doctior & instructior respondeo concedendo syllogismi Præmissas, & negando Consequentiam. Et quidem ex Præmissis veris sequitur falsa Consequentia, quoniam peccas in formâ, Minor enim deberet esse hæc,* At Veritas, & non Veracitas est Probabilitas. *Et tunc esset falsa: quoniam Probabilitas quoad nos (de hac enim agimus) est ipsa Assertionis Veracitas. Talis enim ex. gr. Propositio est mihi probabilis, quia in esse apprehenso (in mente mea) sunt rationes & authoritates, quibus prædicatum subiecto convenire suadetur, unde infero, non esse certò veram, sed posse in praxi tanquam veram supponi.*

a] *Dele illud* plerũque *& pone* interdum: *aliàs enim falsum ille diceret, nec bene ex Caietano probaret: hic enim non* semper, *sed* aliquando *tantùm dicit, & benè dicit.*

Quandò ex veris falsum sequitur, est mala Argumentatio.

An saltem aliquando secundum Veritatem Leges obligent?

Interrogas, An saltem ubi non intervenit conscientia erronea, Præceptivæ leges subditorum conscientias secundum Veritatem obstringant? Videretur, quod sic. Hæc enim lex, Non occides, *obligat reverà sub mortali. Et Toribius nullo præiudicio aut errore laborans occidit Claudium, peccavitque in omnium sententiâ mortaliter. Lex ergo illa Toribium secundum Veritatem obligat.*

XIX. Quando in Præceptivâ Lege Veritas & Veracitas simul concurrunt, illa censetur adesse per accidens, totaque obligatio à solâ Veracitate provenit.

Ego autem Respondebo primò, *sine ulla alteratione praxeos posse alterutrum dici: quoniam Veritas, & Veracitas tunc in mentem Toribij coincidunt: nam lex illa reverà obligat ad mortale, & hoc ipsum Veracitas, hoc est, dictamen rationis in mente Toribij repræsentat.* Respondebo secundò, *adhuc in hoc casu legem illam Toribium non secundum Veritatem, sed secundum Veracitatem obstrinxisse, quoniam, si illius legis abesset Veritas, modò adesset Veracitas (hoc est, si nunquam fuisset lata illa Lex, modò lata à Deo crederetur) homines obligaret: &, si adesset Veritas, & tamen abesset Veracitas (hoc est, si tametsi divinitùs fuerit lata, à Toribio invincibiliter ignoraretur) nullam haberet obligandi virtutem. Stat igitur nostra Conclusio: videlicet,* Præceptivas Morales omnes leges in opere suo, quod est obligare conscientias, non à Veritate aut Falsitate, sed à solâ Veracitate dependere.

Peccare eum, qui patrat id, quod existimat esse peccatum, de Fide est.

Sexta. Hæreticum est asserere ad moralem conscientiæ obligationem, legis Veritatem (illam profectò legem reverà & validè fuisse latam) requiri. *Patet: quia ex conscientia erronea peccare interdum homines, de Fide est.* [*Fundamentum desumitur ab authoritate Sacræ Scripturæ,* Omne enim quod non est ex fide peccatum est. *Ita* capite 14. ad Rom. *& per* fidem *hîc intelligi conscientiam docet S. Thomas* quæstion. 9. artic. 5. argum. sed contra. *Et Patres communiter, & referitur* in cap. literis, de restitut. spoliat.] *Dedi Dn. Roding. verba, qui præter D. Thomam, etiam D. Bonaventuram* in 2. distinct. 39. quæst. 3. art. 3. *Suarium* disput. 12. sect. 5. num. 10. *Ioannem à S. Thoma* in 1. 2. disp. 12. art. 2. n. 16.

Serram quæst. 19. art. 6. dub. 2. concl. 1. & 2. *Amicum* disp. 15. sect. 2. num. 19. *Ildephonsum Baptistam* disp. 17. num. 272. *pro hac sententia producit.*

De Præcepti privæ Legis Veracitate & veritate.

Corollarium I. Ergo, ubi subditus laborat ignorantia invincibili, in lege morali, ut obliget conscientias requiritur & sufficit Veracitas, & Veritatem adesse aut abesse perinde est. *Consono communi Theologorum sententia, & Corollarium hoc firmo & illustro verbis Dn. Redingi* tom. 2. quæst. 9. art. 3. controvers. 2. num. 1. pag. 243. *dicentis.* [*Conscientia invincibiliter errans distinguitur à conscientia vincibiliter erronea, ut non ad instar illius solùm obliget ad sui sequelam, sed omnimodè excuset à peccato: ita, ut operans iuxta illam possit facere actum moraliter bonum, &c.*]

Aliter Lex invincibiliter, & aliter vincibiliter ignorata, est iudicanda.

Non solùm optimus Argumentator, sed etiam optimus Concionator est P. Mendus.

Vt hanc ipsam Conclusionem confirmem placet P. Andream Mendum adducere, cuius est hodie eximia authoritas tam in Schola Cathedra, quàm in Ecclesia suggestu. Epitomen Opinionum Moralium nuper edidit, & præmisit Discursum, quem prælegendum *vocat, quia in eo tradit nonnullas generales doctrinas, quæ debent necessariò præsciri. Et statim in ipso limine (nempe,* num. 1. *Veritatem in eam quæ quoad se, & illam, quæ quoad nos consideratur (quarum priorem nos* Veritatem, *& posteriorem* Veracitatem *nominamus) accuratè distinguit, inquit enim*: Et quidem mecum de his colloquens unus ex illis gravissimus, suam mentem exponebat ita, ut sententia tutò sequenda debeat esse, Probabilior quoad me, non in se. Quod, si attentè examinetur, sanè coincidit cum sententiâ communi de Opinione Probabili sequendâ. *Subdit num. 4.* Non sufficit Opinio certò seu verè probabilis ad rectè operandum, siquis eam iudicet improbabilem: nam dum hoc iudicium non deponitur, nequit efformari iudicium certum de honestate actionis, nec haberi conscientia certa, & non formidolosa prudenter. *Et posteà numer. 12. subiungit.* Falsitas autem reipsa, si detur, nec agnoscatur, non est quid mali in ordine ad mores, *&c. Et quidem stante obiecto permanet Veritas, & tamen mutatis temporibus, locis, & personis, Veracitas solet mutari. Nam Legis, aut Canonis interpretatio, quæ olim placuit Antiquis, hodie Recentioribus displicet; quæ in Gallia admittitur, in Hispania refellitur; &, quæ ab Angelico Doctore traditur, ab Scotistis impugnatur, unde num. 10. P. Mendus.* Cùm non facilè dignoscatur, quæ sit probabilior, his hanc illis illam probabiliorem asserentibus: & præthereà, quæ nunc censeretur probabilior, posteà possit iudicari minus probabilis, *&c.*

Veritas dupliciter potest considerari: nimirùm *quoad se*, & *quoad nos*. Nos priorem *Veritatem*, & posteriorem *Veracitatem* appellamus. Eodem modo *quoad se*, & *quoad nos* potest etiam Probabilioritas considerari.

Pergemus ulteriùs; & ut hoc Primum sextæ Conclusionis Corollarium, dilucidemus, Casus sequentes expediamus.

Quid sit operari sincere?

An in erroneâ conscient-

Lælius sincerè (hoc est, adhibito debito examine, & nulla reperta dubitandi ratione) existimat cras esse diem ieiunii, & tamen fallitur. Et Dico primò hanc in ipso ignorantiam & errorem invincibilem esse. Secundò, eum sub mortali die crastinâ ieiunium observare debere. Tertiò hanc legem, Crastinâ die est ieiunandum, *quæ Lælium moraliter obliget Veritate carere: fuisse enim à legitimo unquam superiore latam talem legem, ut Hypothesis statuit, falsum est. Quartò, in eàdem lege solam veracitatem reperiri. Et infero solam Veracitatem in lege Præceptivâ esse totam rationem obligandi; adeoque formam constitutivam legis. Et ex hac Illatione subinfero, non reperiri materialia peccata: hæc enim in multorum sententiâ, quæ asserit legis essentiam non pendêre ab eiusdem notitiâ, sed hanc esse conditionem ut obliget, & valde probabilis est, bene admittuntur, & cum applausu propugnantur, A stando præsentis Corollarij doctrina, debent necessariò negari. Superioris enim decretum, nisi liget subditum, non est lex. Non ligat, nisi innotescat & sufficienter intimatum sit. Ergo ubi nulla lex violatur, non possunt peccata materialia committi.*

tiâ locum habeat?

An dentur materialia peccata. Qui nam illa debeant concedere, & qui negare?

XX.

An, & quando contractus iniustus benè iniri possit?

Sicut ob conscientiam erroneam, ab invincibili ignorantiâ subortam, tenetur ieiunare Lælius, etsi nullâ verâ & legitimâ lege obstringatur: sic etiam ob similem errorem Isidorus in Casu sequenti deobligatur. [Dubitat Isidorus, an contractus A, qui reverà est usurarius, tutâ conscientiâ iniri possit. Consulit Theologos, quos doctissimos iudicat: & assero obligationi eum adhibendi diligentias debitas satisfecisse, & posse (aut etiam debere) illorum assentiri iudicio. At illi inter se non conveniunt, alij enim dubitant, & alij contractum illum esse innocentem, & culpâ carere respondent. Interim Isidorus contractum celebrat favorabili Decisioni subscribens.

N. B. *Potest una & eadem res habere Veritatem & tamen Veracitate carere: puta, si habeat à parte rei existentiam, & in esse apprehenso illâ careat.*

Et Ego ad Casum hoc modo propositum Dico Primò, *Legem illam,* Non facito contractum A. *habere Veritatem: est enim verum talem esse legem, ut in Casus narratione supponitur; adeoque illum contractum interdictum & usurarium esse.* Dico Secundo. *Illam eamdem legem respectu Isidori non habere Veracitatem, ab illo enim insuperabiliter nescitur. Quoniam ex suis Consiliariis alij, ut vidimus, dubitant, & alij negant. Profectò legem dubiam non obligare, & non posse ad illam ius dici, tota Dialexis, quam propono, persuadet. sive enim dubium, legis existentiam, sive interpretationem concernat, à Possessione in quâcumque materia Resolutio desumitur. Audi Coteninum,* in summ. verb. Ieiunium, num. 55. *dicentem.* [*Cùm hæc omnia faciant saltem quæstionem dubiam, tutò quis potest hanc sententiam sequi: quia in dubiis melior est conditio possidentis; possessio autem stat pro libertate; & in dubio nemo præsumitur se velle obligare. Ita Diana* part. 1. tract. 9. resol. 5. §. sed talem, & resol. 6. in fin. & resol. 41. & part. 3. in addit. resol. 20. & part. 5. tract. 14. resol. 13. *&c.*] *Ergo à fortiori, si lex, de cuius existentiâ docti dubitant, non obligat, lex, quam docti dari negant, obligare non poterit.* Dico Tertio, *Isidorum huiusmodi contractum ineundo non peccasse; nam, ut dicebamus, morum Regula, quæ eius conscientiam*

Lex, nisi sit certa quoad existentiam, & certa quoad intelligentiam non obligat.

An, qui ex ignorantiâ invincibili iniquum

contractum inivetit, peccaverit? & an, si veritatem posteà resciat, teneatur ad restitutionē?

scientiam dirigit, iubet, ut quidquid probabile est in praxi, possit facere; non autem quod improbabile, vel malum certò. Et hac doctrina, tametsi olim à Martino Luthero & Ioanne Calvino negata, & hodie à multis Iansenistis negetur, tam est indubitata, ut ingeniosiores Hæretici eam negare non audeant, fateanturque Catholicorum argumenta solutione carere. Vnde David Origanus, Francofurti ad Oderam Mathematum Ordinarius Professor, licèt sit Lutheranus, tom. 1. Ephemeridum in Prologo, quem inscribit Astrophilis, pag. (d) 2. §. Magine. sic dicat. Explicanda mihi fuit causa meorum factorum: quando & nobis hominibus unicè danda est opera, ne quid dicamus, agamus, vel faciamus, cuius rei probabilem aliquam rationem aliis reddere nequeamus. Actûs enim nostri causa, etsi non omnibus ostenditur, tamen ab omnibus examinatur. &c. Nota ergo bene. Causam vir doctus postulat, non certam, non probabiliorem, sed probabilem. Nostrorum ergo actuum Bonitas & Honestas, non à Veritate, quæ Legum existentiam & veram intelligentiam concernit: sed à Veracitate (in quâ consistit Probabilitas) quæ est, Veritas quoad nos (eo nimirum modo, quo & diximus & dicturi sumus) oritur & dependet. QVARTO, Isidorum, quamdiu in hac invincibili ignorantiâ permaneat, posse retinere, quæ contra æquitatem fuit lucratus ex hoc usurario contractu. Et QVINTO (idque notetur bene) eumdem Isidorum, ubi primùm didicerit, se iniustè in illo processisse contractu, ad restitutionem teneri.

Tā est certa Doctrina de Probabilitate, ut eam, tametsi veteres condēnarint Hæretici, iuniores Catholici, eorū argumentis convicti, passim admittant & tueantur.

Et hîc obiter nota, Veracitatem, seu Dictamen rationis à Socrate vocari Δαίμονα, nempe ἀπὸ τοῦ δαίειν, doceri, discere, quod sit Vniversalis morum Regula, & inde, quid facere debeamus aut possimus, doceamur. Nam rationis Dictamen erat ille invisibilis Dæmon, soli Socrati notus, qui hæc facienda fore, & illa debere omitti, assiduâ directione monebat. Erasmus lib. 3. apophth. [Dicebat Socratis sibi peculiarem esse Dæmonem, à quo prohiberetur arcano signo, siquid tentaret parùm honestum. Genium autem illum opinor fuisse Rationem, &c.] Et de hoc Socratis Dæmone Apuleius librum specialem scripsit.

Δαίμων unde dicatur?

De Socratis Dæmone. Quid ille fuerit?

Corollarium II. Ergo, ubi subditi laborant ignorantiâ invincibili, & est error communis circa jurisdictionem aut qualitatem aliquam, in quâ Princeps (sæcularis, aut Ecclesiasticus) potest defectum supplere, in negotiis gravissimi momenti (quando videlicet, si res aliter fieret, magna inconvenientia sequerentur, aut perturbaretur Respublica) non facti Veritas, sed Veracitas est consideranda. Probatur clarissimè ex lege Barbarius, quæ passim à Legistis, Canonistis & Theologis adduci solet. Ille enim erat inhabilis & incapax ut Prætorio fungeretur officio, adeoque reverà, si sola facti Veritas consideretur, omnia eius decreta erant invalida: quia autem Veracitas, quæ in communi hominum opinione consistit, eum supponebat esse superiorem legitimum, censendus fuit Imperator ob necessitatem publicam supplevisse defectus, aliàs enim turbaretur tota illa Provincia. Huius Decisionis necessitas est Iuris Naturalis, & ideò æquè Imperatorem & Reges, ac Pontificem & Episcopos obligat: hinc ob rem, multos Casus Theologi & Canonistæ ex lege Barbarius, quæ est Cæsarea, decidunt; ex quibus ob oculos habeo Nicolaum Garziam de Beneficiis, qui part. 4. §. 1. num. 305. tom. 1. pag. 500. sic scribit. Convinci videtur, quod aliqui dicunt, quod quando est opinio probabilis, quod quis est legitimus Minister & habet jurisdictionem, licèt illa (opinio) in re non sit vera, valeant gesta per illum ex dict. leg. Barbarius, quia probabilis opinio sufficit ad communem errorem, & existimationem, titulumque præsumptum. Henriquez in summ. libr. 5. cap. 14. §. 3. & 4. Suarez, & Thomas Sanchez, disp. 20. num. 4. & disp. 22. in fin. & in præcept. Decalog. lib. 1. cap. 9. n. 35. Lessius cap. 29. num. 68. &c.]

An, & cur Barbarij Decreta fuisse valida definiat Imperator?

An necessariò debuit Imperator sic resolvere?

An illa lex etiā Ecclesiasticos obliget?

An, ut aliquis sit legitimus Minister Veritas requiratur: an verò sufficiat Veracitas & communis opinio?

Et hîc obiter nota, non esse Errorem communem, aut Veracitatem, seu Opinionem falsam, etsi vera credatur, quæ confert in talibus Casibus Iurisdictionem; sed Principem, qui quando adest error publicus & Veracitas, & abest Veritas, ob gravissimas causas censetur supplere defectus. Vnde (& hîc nota duo) ALTERVM, si defectus sit in re, quam Princeps non potest supplere, non habere locum legis Barbarius, aliàs prudentissimam, dispositionem: unde si Titius laicus, qui ad Sacerdotium non est promotus, agat in civitate Parochum, & cum titulo & errore communi Fidelium confessiones excipiat, & Ioannes, qui est verus Sacerdos, sine approbatione legitimâ, cum titulo tamen colorato audiat confessiones similiter; uterque procedet illicitè; at ille invalidè, hic verò validè; quia defectum, qui in Titio, supplere Ecclesia nequit, non enim concedere ipsa potest, ut laicus in Pœnitentia Sacramento à peccatis absolvat: defectum autem, qui in Ioanne, supplere potest Pontifex, cuius interest dare iurisdictionem. ALTERVM, requiri causam gravem & communitatem aut multos concernentem, ut voluntatem Principis ex leg. Barbarius, interpretemur. Hæc enim est mala Consequentia. Princeps potest facere. Ergo de facto facit, nam ex potentiâ ad actum secura non decurrit Dialectica. Verùm hæc (Consequentia) est bona. Princeps debet facere. Ergo facit, nam Pietas postulat, ut semper de illo bene præsumamus. At defectus non tenetur supplere Princeps, ubi non urget gravis subditorum necessitas. Ergo. Et ex hac doctrinâ multos Casus decidere posset Garzias; licèt enim Sacramentalis absolutionis valor, sit res gravissima in Ecclesiâ; nam ab illo pendêre potest, ut Animæ in æternum damnentur, hoc, vel illud Beneficium invalidè collatum fuisse, non præiudicat bono communi, & per sententiam iuxta Veritatem prolatam poterit tunc provideri Iustitiæ.

An communis error conferat iurisdictionē?

Sunt defectus, in quibus non potest dispensare Superior.

Vbi nō datur causa gravissima, lex Barbarius locū nō habet.

De peccatorum absolutione.

De beneficiorū collatione.

XXI. De consciētiā erroneā, & ignorātiā vincibili.

Corollarium III. Ergo, ubi subditus laborat ignorantia vincibili, duplex venit consideranda Veracitas: altera Veritati

dissona, quæ est; altera Veritati consona, quæ abest, & adesse deberet. *Propter huius Veracitatis absentiam tenetur subditus Veritatem inquirere, & peccat ante debiti examinis adhibitionem operando. Et propter illius Veracitatis præsentiam tenetur secundum proprium dictamen operari. Hinc Dn. Redingus ubi supr. contr.* 1. *pag.* 241. *a. sic statuit.* [*Ex conscientiâ vincibiliter erroneâ duplex oritur obligatio; cùm deponendi ipsam quà vincibilem, tum operandi secundum illam non depositam: ut adeo habens talem conscientiam eatenus peccet eam retinendo, ut tamen cæteris paribus maioris sit peccati reus, operans contra illam.*] *Et rem dilucido exemplo opportuno & præclaro.* [*Putat Clodius tauri viscera hodie Marti esse adolenda: & vincibili ignorantia laborat.*] *Quid faciet? Peccabit mortaliter, si adoleat; cum enim à peccato vincibilis ignorantia non excusat. Peccabit mortaliter, si non adoleat; quoniam conscientiam erroneam debet sequi. Et alterutrum faciat, mortaliter est peccaturus: si non adoleat peccabit, quia operatur contra dictamen, quod habet: &; si adoleat, peccabit, quoniam operatur contra dictamen, quod deberet habere. Ergo-ne necessariò peccabit? Minime: quoniam inter* cum ignorantiâ adolere, & cum ignorantiâ non adolere, *datur medium: videlicet,* ignorantiam deponere, *hoc est, actus suos secundum repertam Veritatem dirigere.*

Ovidius Fastor. 3. Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset.

Est possibilis casus, in quo Titius, aut faciat, aut omittat sit peccaturus; nec tamen necessariò peccabit.

His præmissis opera pretium erit aliorum sententias breviter examinare.

Prima sententia. An contra erroneam cōscientiam operari, peccatum sit?

ERRONEAM *homines obligare conscientiam negat absolutè & simpliciter Glossa* in cap. omnes. 28. quæst. 1. *& in suam opinionem Guilielmum Parisiensem teste Ildephonso Baptista* disp. 2?. num. 220. *propellit: & asserit, operari contra erroneam conscientiam nullum esse peccatum, adeoque non Veracitatem, sed Veritatem in legibus considerandam esse. Et hanc Resolutionem sui Authores sic suadere conantur.*

An Propositio falsa esse possit Regula morū?

Conscientia erronea est conclusio huius syllogismi Practici. [Quidquid lex valida præcipit, est faciendum. Sed hîc & nunc esse adolendum Marti tauri viscera præcipit valida lex, illa igitur hîc & nunc debent Marti adoleri.]

At in hoc Syllogismo Practico, tametsi Maior lumine naturali sit nota, Minor est falsa.

Ergo & Conclusio erit falsa. Nam Consequentia sequitur debiliorem partem.

At Propositiones falsæ non sunt Regulæ morum, nec possunt obligare conscientias.

Ergo Conscientia erronea ad operandum iuxta se, nunquam poterit obligare conscientias.

Falsa Propositio, quādiu æstimatur vera, mores dirigit.

Respondeo, hoc argumento nîl evinci: Maiorem enim, & Minoris priorem partem concedo: & posteriorem illam partem, Minor est falsa, *distinguo. Et quia Propositionum alia dicuntur esse vera quoad se & alia quoad nos, illam Minorem.* Sed hîc & nunc, *&c. esse falsam quoad se, condono, quoad Clodium, nego. Clodius enim eam esse veram existimat, ut in Casu supponitur. At Clodius secundum notitias, quas habet, debet suos mores & operationes dirigere. Ergo ex Minori quam putat veram, Conclusionem, si non Veram, Veracem, actuumque suorum directricem deducit.*

XXII. *Secunda sententia.* Conscientia erronea in Positivam & Negativam dividitur. Utra obliget?

Conscientiam vincibiliter errantem, negativè, non autem positivè obligare, asserit Vasquez in 2. 2. quæst. 9. disp. 60. cap. 2. num. 4. *cui Castropalaus* tract. de Conscient. disp. 2. punct. 2. & 3. *& pauci alij Viri docti assentiuntur. Quid illi termini* positivè & negativè *importent, explicant Casum hunc proponentes. Eò Titium deduxêre inimici, ut vel mori, vel mentiri deberet. Illi Conscientia vincibiliter erronea dictat, mentiri se debere potiùs, quàm exponi mortis manifesto periculo. Tunc, inquiunt, si non mentiretur, peccaret: Ergo in Casu obligatur, ne contra Conscientiam operetur: & hoc est, obligari negativè. At illa obligatione non obstante peccat etiam mentiendo. Ergo Conscientia vincibiliter erronea neminem positivè obligat; hoc est ad operandum juxta illam.*

Tertia & Vera Resolutio.

Sed ingeniosus Vasquez, festinus erat, cùm hanc Opinionem edisseruit. Dic Tu in Casu duas esse Conscientias (duas Veracitates) juxta quas Titius à sinceritate iudicatur: nempe, quam habet, & quam habere deberet. Illa prior est erronea, hæc est certa. Illa eum negativè & positivè obligat; nam sub illis Titius circumstantiis, Conscientia erronea vi mentiri debet: & contra eam non mentiendo, peccat; & mentiendo non peccat. At, inquis, Titius etiam mentiendo peccat. In eadem igitur ille actione peccat & non peccat: adeoque præstat, ut duæ dentur Contradictoria simul vera. Audio attentè: & iterum distinguendo respondeo. Peccare illum videlicet contra Conscientiam erroneam quam de facto habet, nego: & tamen peccare contra Conscientiam certam, quam deberet habere, concedo. Nec inauditum, nec mirum esse in eiusdem hominis mente duas leges inter se repugnantes. Nec ex illis inferas hominem in peccandi necessitatem induci: nam hæc necessitas est (ut paulò antè monui) Titio libera: nam habet obligationem deponendi conscientiam erroneam, & Veritatem addiscendi.

An in uno & eodem actu aliquis peccare & non peccare possit?

Qui erroneā conscientiā præpeditur, debet observare duas leges; nempe falsam, quam habet, & veram, quam habere deberet.

Dn. Augustini Redingi, Eruditi Theologi, verba, ubi es in examen vocari, ipse enim tom. 2. quæst. 9 art. 3. contr. 2. pag. 243. a, *sic scribit.* Conscientia invincibiliter errans, *&c.* omnimodè excusat à peccato, ita ut operans juxta illam possit facere actum moraliter bonum, non tamen mereatur, nisi per actum aliquem concomitanter se habentem ad opus morale ex tali conscientia procedens. *Et interrogas, An hæc verba sint vera? &, An etiam sit moraliter bonum opus, quod ex vincibili ignorantiâ seu erroneâ Conscientiâ procedit?*

An actus ex errante conscientiâ elicitus sit bonus moraliter? An meritorius esse possit?

XXIII. An Samson licitè templum Getiīs prosternendo, se occiderit?

Ut rem meliùs intelligas, Samsonem considera, de quo alij severiùs, alij benigniùs judicant; de quo D. Bernardus non vult loqui absolutè: nam libell. de præcept. & dispens. cap. 3. *sic scribit.* Unum exemplum pono

pono de Samsone, quod occurrit; qui seipsum cum hostibus opprimens, interfecit. Quod vtique factum (*alij*, facinus) si defenditur non fuisse peccatum, privatum habuisse consilium indubitanter credendus est; etsi de Scripturâ id non habemus. *Tu autem, ut dilucidetur hac præsens Controversia, dicito, eum ex invincibiliter erroneâ Conscientiâ existimasse, se posse aut debere templum illud diruere, & Philistæorum multitudinem occidere, etsi ipse cum cæteris occideretur. In Casu hoc* αὐτοχειρία (*i. suicidium*) *habet stando aliorum communi doctrinâ, malitiam materialem & bonitatem formalem; nam est contra Dei legem, sed operanti sub illis circumstantiis ignotam. Constando tamen nostra, habet bonitatem absolutam, & malitiam hypotheticam: consonat enim dictamini rationis, quod habet; & dissonat dictamini, quod, si non deciperetur, haberet. Illud, quod de merito dicitur, nos ad æquivocationes deducet, actus enim moraliter bonus ab homine in gratiâ elicitus, à Charitate realiter aut moraliter elevatur, & promeretur præmium. Hæc autem, quæ de invincibiliter erroneâ asserta, de vincibiliter erroneâ Conscientiâ dici nequeunt; nam, si materia est gravis, peccatum mortale Conscientiæ, quæ deberet haberi, obsistendo committitur, & ubi mortale crimen adest, habere locum nequit gratiæ status, & meritum supernaturale.*

Cur actus secundum vincibiliter errantē conscientiā elicitus, non possit esse meritorius.

Audiri jubes S. Thomam, qui in 2. sent. distinct. 39. artic. 3. ad 3. hæc scribit. Conscientia (*Erronea*) obligat, non virtute propriâ, sed in virtute præcepti Divini, in quantum dictat hoc ut præceptum à Deo. Et ideò dictamen Conscientiæ hujusmodi plus obligat, quàm Præceptum Prælati, sicut & præceptum Divinum, in cujus virtute obligat. *Supponit, & bene S. Doctor hoc syllogismo mores dirigi.*

Cur obliget conscientia erronea?

An strictiùs quam humana præcepta?

Quidquid jubet Deus est faciendum.
Sed hîc & nunc id jubet Deus
Ergo hîc & nunc id omninò faciendum est.

In quo (syllogismo) Major continet per se notam doctrinam: Minorem errans Conscientia dictat: & Conclusionem infert rigorosa Dialectica.

Respondeo me horum verborum expositionem referire in Rever. Patris Andreæ Mendi Epitome, verb. Conscientia, numero 44. *vbi hæc leguntur.* Si subdito habenti Conscientiam erroneam in aliquâ re præcipiatur à superiore contrarium, dum ipse eam non deponat, nec Superior possit in ea re dispensare, nequit ei obedire; Quia ea conscientia, dum non deponitur, eum obligat ac si esset vera. Quod si obediat peccabit contra eam legem, quam erroneè judicat exstare. *Et citat Montepilosum* disput. 71. artic. 7. *sed cur sic illa obligat, & iste peccat? Respondet.* Et quidem (*ut docet Vasquez* in 1. 2. quæst. 19. disput 59. cap. 1. numero 11.) æquè peccat, qui agit contra Conscientiam erroneam, ac qui contra veram. Nam dum illa non deponitur, æquè obligat. *Et subjungit.* Erronea obligat secundum quid; nempe, dum durat, & debet deponi; vera autem obligat simpliciter, & nequit absque errore deponi. *Et D. Thomam* quæst. 17. de Veritate art. 4. *producit. Et his præmissis ad D. Thomam redeo, ejusque verba hoc Scholio seu Paraphrasi illustro.*

An subditū possit superior contra errantē eius Conscientiā obligare?

An agere contra Errantē Conscientiam, & agere contra Veram æquale peccatum sit?

XXIV.

Conscientia erronea est propositio practica: nempe, Hic & nunc est præceptum Divinum, quod præcipit rem talem facere. *Et in illâ Præceptum, Veritas, & Veracitas debent considerari. Præceptum, quod concipitur, impositum sit, aut non sit, Divinum est. Abest Veritas: nam non esse revera hoc Præceptum, supponitur. Adest Veracitas, nam Titius illud sibi impositum credit. Conscientia autem erronea, hac Veracitas, hæc cognitio, non obligat virtute propriâ: obligari enim formaliter non est cognoscere, sed in virtute præcepti Divini, hoc enim à Veritate præcisum (falsum aut verum sit) obligat* ut quod, *& ratio totalis obligandi hunc (nempe, Titium) est Veracitas, seu Veritatis existimatio, quæ dictat intimat & notificat hoc à Deo præcipi.*

Tria sunt in Consciētiæ Erroneæ dictamine consideranda.

Vide, quæ paulò antè §. Audiri jubes dicebantur.

Addit S. Doctor. Et ideò dictamen Conscientiæ, *&c. & Ego infero. Ergo Præceptum obligatorium pro materiali dicit rationem Præcepti à Veritate & Falsitate abstractam, & pro formali Veracitatem, seu existimationem, quam habet subditus de Veritate & existentiâ præcepti. Probo consequentiam. Nam illud præceptum, quod putatur Divinum præferri debet præcepto Prælati. Ergo non venit in judicium præcepti Veritas, sed Veracitas. Patet consequentia; nam illud, quod dicitur Divinum, falsum est, & quod à Prælato procedit, est verum. Et Veritas semper debet Falsitati præferri. Cæterùm, si in illis duobus præceptis à Veritate præscindamus, & Veracitatem meditemur: alterum in esse apprehensivo est Divinum, & alterum in esse apprehensivo est Humanum. Debent autem Humanis Divina præferri.*

Quid præceptum pro materiali, & quid pro formali importet?

Relegatur & perpendatur hæc ratio.

Dicebat P. Mendus. Conscientia (*Erronea*) obligat, ac si esset vera. *Ergo ratio, ob quam præcepta obligant, non est Veritas: nam, si hæc esset, præcepta quæ Erronea Conscientia proponit, non obligarent; hæc enim, ut patet, non sunt vera. Ratio igitur, ob quam omnia præcepta obligant est Veracitas, seu Veritas existimata:* homo enim peccat, *ut ait Mendus*, contra eam legem, quam judicat exstare. *Hæc enim tam in præceptis, quæ à Certâ, quàm in iis, quæ ab Errante Conscientiâ proponuntur, invenitur: vera enim præcepta nisi realiter aut virtualiter vera existimarentur, subditorum conscientias non obstringerent. Censentur autem vera realiter, cum Titius illa esse vera scit: censenturque esse vera virtualiter, cum Titius vincibili ignorantiâ præditus illa esse vera nescit: tunc enim virtualiter hoc ipsum scit; hoc est, ita*

Ignorantia vincibilis est moralis & virtualis cognitio.

si,

se habet ac si realiter sciret. At, si realiter sciret, obligaretur. Ergo voluntariè & vincibiliter præceptum ignorans, ad illius observantiam tenetur.

XXV. Ratio formalis obligandi omnibus legibus obligatoriis debet esse communis.

Et fortia sunt verba illa, quæ ex Vasquezio subjungit. Æquè peccat, qui agit contra Conscientiam Erroneam, ac qui contra Veram. *Noto illud* æquè, *& sic discurro. Duo præcepta, alterum à Conscientiâ Certâ, & alterum ab Erroneâ propositum æquè obligant. Ergo habent aliquod prædicatum commune, à quo iste communis effectus procedat. At illud non est Veritas, nam præceptum ab Errante Conscientiâ propositum non est verum. Ergo est Veracitas, nam utrumque existimatur verum. Hac doctrina adluxisse videtur Patri Redingo* tom. 2. quæst. 9. art. 2. contr. 1. numero 6. pag. 241. *dicenti.* [*Per ipsam legem æternam resultat obligatio non faciendi contra Conscientiam, etiam Erroneam, eò ipso, quòd talis conscientia repræsentet opus quà præceptum, fundetque adeò obedientiæ obligationem, legi quà repræsentatæ debitam. Unde faciens contra talem Conscientiam, vel illam non sequens, directè & expressè adversatur Legi æternæ, quæ dictat habendam esse obedientiam omni præcepto per rationem repræsentato, &c.*] *Ergo omni non Vero, sed Veraci (non, quod sit Verum, sed quod credatur Verum) præcepto. Nostram ergo Dominus Redingus sententiam nostris ferè verbis proposuit.*

Quo modo obliget Cõscientia Errans, An per se, an per accidẽs? An simpliciter, an secundum quid?

Subjungit Pater Mendus, Erronea (*Conscientia*) obligat secundum quid, nempe dum durat & debet deponi, Vera autem obligat simpliciter, & nequit absque errore deponi. *Et quid, si & Ego dicerem.* [*Vera Conscientia obligat secundum quid, nempe dum durat, si enim mutetur & ampliùs non duret, non obligat: nam verum hominis dictamen, cum culpâ, & etiam sine culpâ illius, posse in falsum transire, qui à se ipsis & qui ab aliis crebrò decipiuntur, testantur.*] *Et quid, si & adderem.* [*Errans Conscientia obligat simpliciter: tota enim ratio obligandi in præcepto est Veracitas: & hæc in Errante Conscientiâ non secundum quid, sed simpliciter & absolutè reperitur.*]

An P. Mendus sententiam & verba dederit S. Thomæ? An impugnari possit, quin S. Thomas impugnetur?

Antequam progrediaris ulteriùs, vis adhuc tantisper hærere, & Divi Thomæ perpendere quamdam authoritatem: ipse enim quæst. 17. de Verit. artic. 4. *præscripsit Patri Mendo illa verba, quibus suam hic opinionem exposuit. Ergo, si Sancti Thomæ verba, sua fecit Pater Mendus, non poterit ipse corrigi, quin Sanctus Thomas corrigatur. Et quidem Sanctus Doctor Rectam & Erroneam Conscientiam differre asserit*, Quòd illa liget simpliciter & per se; hæc verò secundum quid & per accidens. Siquidem potest aliquid contingere, scilicet depositio Conscientiæ, quâ contingente, quis ulteriùs non ligabitur: cùm è contrà Conscientia Recta non possit sine peccato deponi.

Quæ regulariter vera, possunt, & solent affirmari.

Respondeo, quæ Sanctus Thomas, & ex eo Pater Mendus impræsentiarum asserit, esse regulariter vera: id tamen non tollere, ut possint aliquando esse falsa: nam etiam deberem hic dicere, posse aliquid contingere, quo contingente ampliùs Recta Conscientia non ligabit. Nam, si Petrus reverà debeat Lucio centum aureos, & velit illi solvere, habere Conscientiam Rectam dicendus est. Si autem ejus Oeconomus cui confidit, & bonorum omnium administrationem concredidit, se jam Lucio solvisse asserat, & chirographum illius & cautionem (Hisp. la carta de pago) *ostendat, Rectam sine peccato Conscientiam deponet, & rebus sic stantibus (quousque Lucius chirographum falsum esse ostendat) illos Petrus centum aureos solvere non tenebitur.*

An Conscientia Vera & Certa deponi possit?

Leges non obligant, quia latæ: sed quia latæ creduntur.

Septima. Sicut in Præceptis ut obligemur, sic in morum Regulis ut dirigamur, non requiritur Veritas, sed Veracitas. *De Præceptis jam diximus: non enim obligant Leges, quia sunt latæ, sed quia latæ censentur: lex enim, quæ reverà fuit lata, si id nesciatur, & non fuisse lata invincibiliter putetur, non obligat: & è contrario, quæ nunquam fuit lata, si lata censeatur, obligabit. De morum Regulis aliquid addamus.*

Quid apud Apostolum Fides significat?

Omnes hæ sunt Assertiones de existentiâ aut non existentiâ præceptorum & consiliorum: nec conscientias dirigunt si vera sint, & tamen existimentur falsa: sed, quæ sincerè judicantur vera, sint vera aut falsa à parte rei: inquit enim Apostolus, Quod non est ex fide (*id est*, Quidquid est contra conscientiam *ut ex Glossa Scotus* in 2. distinct. 39. quæst. 2. numero 14. *& Pater Ioannes Poncius* ibid. pag. 950. *interpretantur. Quidquid nimirum est contra dictamen rationis; etsi fortè Divinæ Legi materialiter consonum*) peccatum est. *Et sincerè hominem tunc procedere assero, cùm secundum rei gravitatem & temporis & loci commoditatem, ut inveniret Veritatem examen opportunum præmisit. Hinc nascitur Probabilium Opinionum securitas; omnes enim, qui probabili opinioni subscribunt, insuperabili ignorantiâ succollantur; nam ubi quis adsequi Veritatem potest, laborat ignorantiâ vincibili, & seducitur opinione improbabili.*

XXVI. Quomodo indocti & rustici leges observent?

Obiectio. *Legem Dei doctis & indoctis imponi, & observari debere ab omnibus, indubium est. At indocti non possunt judicium formare de intelligentiâ legum, & tamen legibus obedire tenentur. Ergo, qui temerè Veracitati sui intellectûs confiderent, ab ipsâ legum Veritate gubernari tenentur.*

An aliquando de illarũ existentiâ docti dubitent?

Respondeo Primò, me dixisse, ne quidem doctissimos Viros secundum legum Veritatem judicari divinitùs, sæpe enim contingit, An lex talis existat? & An tali sensu sit lata? certò sciri non posse: & in tali casu quia nescitur Veritas, conscientias obligabit Veracitas. Ergo à fortiore ab obligatione operandi juxta legum Veritatem imperitos liberare debemus. Et, ut rem aliquo

aliquo exemplo, quod prosit in praxi dilucidem, si quis inquirat, An detur lex Canonica, que præcipiat Episcopis, ne superflua in usus profanos expendant? Respondebit affirmativè communis Theologorum sententia; & tamen Reverendiss. P. Magister Petrus Lorca, Cisterciensis Ordinis Generalis, & in Vniversitate Complutensi Primarius Theologiæ Professor in 2. 2. quæst. 38. art. 9. sect. 3. disp. 4. membr. 2. num. 44. *constanter asserit, nec in Apostolorum Canonibus, nec in Pontificio Iure, nec in ullo Concilio exstare legem, quam universi scriptores adducunt. Sæpe igitur, etiam apud Viros doctissimos, de legum existentiâ quæritur, & disputatur.*

Quid hac in re illiterati possint?

Respondeo Secundò, non posse hominem ignorantem, nisi temerè velit procedere, de legis existentiâ aut interpretatione immediatum dictamen sequi: tenetur enim scire se indoctum esse, & in rebus, in quibus cœcutiunt interdum scriptores doctissimi, non esse judicem, sed ab aliis gubernari debere.

An soli docti & periti sint sancti?

Quid illiterati sancti fecerint?

An indocti possint inter doctos & indoctos distinguere?

Respondeo Tertiò, hominem ignorantem scire esse in Cœlo multos indoctos homines, nam inter Canonizatos habemus multos, quos constat nunquam Theologicæ aut Iurisprudentiæ studuisse. Ergo debet supponere, se, si fecerit, quæ illi fecerunt, similiter esse glorificandum. Sed quid fecerunt illi? An-ne legerunt libros, & rationum fundamenta & momenta librarunt? Fuissent temerarij & superbi, si id fecissent; superbiamque non comitatur sanctitas. Quid ergo? Iubent aliqui, ut illiteratus eligat communiorem sententiam: alij, ut saltem communem. Sed unde scire idiota poterit, Vtra sit, aut non sit, communis & secura sententia? Iubeo autem Ego, ut Confessarium aut Consiliarium eligat, quem videt passim inter doctos censeri: nam etiam analphabeti ex famâ & applausu communi doctos ab indoctis secernunt. Hujus se directioni committat: & ab eo non interroget, Quid tutius, aut probabilius sit? nam & hoc eius poterit perturbare intellectum: sed tantùm, Vtrum hoc, hîc & nunc, tutâ conscientiâ possit facere? *Verba ipsius cum humilitate recipiat, & ad illa elîmet suas operationes.*

Exponitur, quo modo vir illiteratus, ubi agitur de regimine conscientiæ debeat philosophari?

Modò, quia signatum est super nos lumen vultûs tui Domine Deus, *te favente radios, quibus imperiti intellectus offunditur, considerabo. Casus sit. [Anselmus, dives rusticus, habet granorum copiam; &, quia illi ab aliis rusticis, æquè indoctis, contractus A. proponitur, ex quo multum lucrari possit, dubitat, an tutâ illum conscientiâ inîre possit.] Et ideò sic discurrit.*

Homo imperitus, nisi stupidus sit, suam propriam ignorantiam & insufficientiam cognoscit. Scit se debere alieno consilio juvari.

Ego sum homo indoctus, & incapax, ut examinem, *An sint in Iure leges, quæ de contractu A. statuant?* &, si sint, ut determinem, *Quomodo sint intelligendæ?*

Mihi igitur sum insufficiens, ut meam conscientiam gubernem.

At, qui sibi est insufficiens, debet ad eos recurrere, à quibus adjuvari potest. Peccaturus omninò, si non faciat.

Ergo ego ad Virum aliquem doctum debeo recurrere; *nam sicut divites opitulantur pecuniarum egenis, sic docti auxilium præbent consilij inopibus.*

An Petrum video numerari inter doctos.

Eligo ergo Petrum, ut juxta illîus imperium operationes meas gubernem.

At ille mihi dicit, contractum A, qui proponebatur, interdictum non esse.

Ergo contractus A. non est interdictus.

Ergo illum inîre potero tutâ conscientiâ.

Et hi sunt Divinæ lucis radij, qui scintillant in Anselmi intellectu. Singulos recognoscamus.

Habet intellectum læsum, qui suam ignorantiam & incapacitatē ignorat.

Primum Antecedens Ego sum, &c. & *prima Consequentia* Mihi igitur, &c. *subsumpta illa Minor*, At, qui sibi, &c. & *Consequentia illata, nimirùm*, Ergo ego, &c. *sunt Anselmo evidentia: debemus enim distinguere inter ignorantem & stupidum: potest enim contingere, ut fatuus aut stupidus se doctum somniet: Verùm boni judicij vir, qui analphabetus est, & characterum formam & valorem non didicit, sicut evidenter nescit, se non scire legere, neque scribere; & ideò, ut vel scribat epistolam, vel ut ab amico acceptam legat, ad alium recurrit: & sicut evidenter nescit, se Medicinam nescire; & ideò, cùm laborat morbo, curæ se Medici prudentis concredit: sic etiam homo imperitus Theologiæ: se illam nescire evidenter cognoscit; &, quia non potest in Scientia, quam ignorat, præsumere, tenetur Virum doctum consulere, & illîus directioni obedire. Et hîc obiter nota, aliud esse.*

Aliud est, se esse ignorantem cognoscere, aliud fateri.

Fama etiam ab indoctis cognoscitur.

Minor etiam illa, At Petrum, &c. *est Anselmo, licet rustico, evidens: scit enim, quid communiter audiat, & quid de Petro Opinio communis pronunciet. Et hîc Veritatem à Veracitate distinguo: & quia fortè indoctus Petrus est, & vulgus in judicio decipitur. At non decipitur Anselmus se voci subscribendo communi. Etiam est certum, quod subsequitur; quoniam ex hac Minori Consequentiam* Eligo ergo, &c. *Dialectica Naturalis deducit.*

Minor, At ille, &c. *supponitur: & de illâ, si ponatur, etiam Anselmus evidentiam habebit.*

In unâ & eâdem propositione esse potest incerta Veritas, & certa Bonitas.

Et tandem ad Consequentiam, Ergo contractum A, &c. *devenitur. Quæ Propositio fortassis non est Vera, sed quia fecit Anselmus quantum secundum capacitatem suam debuit & potuit, ut adsequeretur Veritatem, est Bona, ultima Consequentia est legitima, & omninò secura, non enim à Veritate, sed à Veracitate deducitur.*

An Ego primus, aut etiam solus, qui hoc modo de Conscientia & synderesi hominum ignorantum discurro? Minimè: quoniam Gabriel Vasquez, qui inter eximios recense-

tur Theologos, postquam egerat de modo, quo Viri docti conscientias suas regere debent, in 1.2.disp.62.cap.8.num.42.*sic scribit.*[*Hactenus de Viro docto, qui de rebus agendis suam propriam habere solet opinionem, satis dictum est, quam videlicet ipse sequi debeat in sua operatione, ne peccatum committat, restat, ut dicamus de viro illiterato, cujus non est inter opiniones discernere, neque de his rebus, in quibus esse solet controversia per se ipsum potest aliquam habere opinionem.*] *Attendamus ergo, & videamus, quo Vir oculatissimus modo de illiteratis, qui ubi de scientiis agitur, censentur cæci, discurrat & philosophetur. Et quidem, ut clariùs procedat, aliorum Opiniones præmittit. Et inquit Primum:* [*Fuit, sententia Majoris* in q 2. prologi lib. 4. sententiarum conclusione 5. *hujusmodi hominem illiteratum debere sequi semper opinionem quam ipse existimat apud peritos & doctos in eâ arte esse magis communem: id quod intelligit ipse, quando opposita pars non est tutior, nam si opposita pars tutior sit, etiamsi sit minùs communis nemo dubitabit, eum tunc posse operari juxta minùs communem*: Quam *sententiam sequutus videtur Corduba* lib. 2. quæst. 3. in resolutione, quæst Dicto 4. *ait enim, hominem imperitum excusari, cùm sequitur opinionem, quam bonâ fide putat esse probabiliorem vel tutiorem. Hæc autem sententia probatur, quia temerarius videtur imperitus homo, qui ex se nescit momenta opinionis expendere, si relinquat opinionem magis communem, quam videt à pluribus probabiliorem existimari, & sequatur in suâ operatione minùs communem, & minùs tutam.*] *Et ego hic noto illa verba* bona fide, *ut discam in electione Majorem, & Cordubam, non Veritatem, sed Veracitatem requirere; qui enim bonâ fide procedit, etsi fortè materialiter erret, non peccat. Et noto similiter illa* ex se nescit; *quoniam tota hæc Probatio, Discursui Idiotæ consonat, quem à* §. Ego sum homo indoctus, *præmisi. Progreditur ulteriùs Vasquez, & aliam opinionem proponit.* [*Henricus (ait)* quodlib. 4. quæst. 33. *& Conradus* quæst. ultima, de contractibus, conclusione 2. in 2. casu, *docet imperito homini & illiterato satis esse, si sequatur opinionem, quam ipse putat esse probabilem, & quam videt doceri à probis & peritis in eâ arte, etiamsi illa nec sit magis tuta, nec magis communis. Hanc sententiam sequutus videtur Sylvester* in Summâ verbo Opinio, quæst. 1. *cùm enim memorasset sententiam eorum, qui dicunt*, excusari eum, qui sequitur opinionem sui Magistri, *& sententiam oppositam, quæ asserit*, eum non excusari, *ipse præsenti difficultati respondet*: in iis, in quibus non potest, esse ignorantia invincibilis, eum non excusari; in aliis verò excusari. *Excusat igitur Sylvester eum, qui sequitur opinionem alicujus viri docti quando circa rem illam ipse habere potest ignorantiam invincibilem, ac si diceret,* In iis rebus, in quibus ipse ignarus est, & aliorum tantùm consilio, & judicio duci debet. *Cum igitur Sylvester dicat*, satis esse, si ignarus & illiteratus sequatur sententiam sui magistri & Doctoris, *planè videtur asserere*, non esse necessarium eum sequi opinionem magis communem, apud reliquos; *cùm contingere possit opinionem sui Doctoris, & magistri non esse magis communem*] *Et hæc est illa ipsa sententia, quam Ego tradidi: & hæc, cui adhæret Vasquez; nam statim subjungit.* [*Mihi maximè probatur hæc sententia Henrici, & Conradi, quæ hac facili ratione confirmari potest. Nam si quisque doctus & probus potest sequi opinionem suam, relictâ aliorum opinione, etiamsi pars illa sit minùs tuta, cur etiam non poterit juxta eam operari illiteratus, qui doctrinæ illius, & moribus meritò fidere debet? Etenim quicumque illiteratus rectè advertit, Doctorem illum esse probum, & tutâ conscientiâ sequi eam opinionem in operando & in præbendo aliis consilium: Ergo etiam ipse illiteratus colligere potest inde singulare judicium, quo credat sibi etiam licere, quod judicat licitum esse probo, & docto viro. Consonat autem huic sententiæ, quam putamus esse veriorem, Panormitanus* in cap. Capellanus, de feriis, *& Immola* in cap. Per tuas 2. de simonia, *cùm dicunt*, eum, qui operatur juxta opinionem sui Doctoris, excusari. *Nec ab hac sententiâ abhorret Sylvester* loco citato, *ut supra memoravimus. Ex quibus colligitur, licèt Doctor ille, quem homo illiteratus consulit, dicat magis communem sententiam esse oppositam ei, quam ipse sequitur, & quam sequendam illiterato proponit, nihilominùs posse illiteratum opinionem illius in operando sequi: ratio enim superiùs allata in hoc etiam casu idem omninò probat.*]

Vasquezio, adeoque mihi, adhæret Pater Andreas Mendus, qui in Epitome Discurs. præleg. numero 6. *Ibi enim, quia multa ad conscientiæ securitatem postulaverat, quæ vix doctissimi præstare possent, ne diceretur imperitos à viâ æternæ salutis exigere, sic eos instituit.* [*Ne illiteratis scrupulorum laqueos injiciamus, illis sufficerit, Virum Doctum, prudentem, pium, & expertum consulere, quin hæc, quæ non callent investigent, ut tutò operentur.*] *Me lego, cum hanc Resolutionem, lego. Interim conscientiam, quam ab scrupulis liberaverat, illaqueare videbitur alicui, cùm subjungit.* [*Non tamen sufficiet consulere nudum, ut vocant, Moralem Casuistam, qui levi scientiâ ornatus, quasi ex tripode Casus resolvat.*] *At hi sunt multi, & qui scientificè in Moralibus discurrant, pauci. Unde ergo Vir illiteratus nosse poterit, An ille, aut ille Theologus, sit doctus, an nudus & purus Casuista? Ergo-ne Pater Mendus, qui Veracitate cùm agitur de doctis, est contentus, in imperitis Veritatem requiret; ita,* ut

Agere bonâ fide est secundum dictamen, & apprehensam Veritatem procedere.

Imperitus temerè de rebus doctrinalibus judicat.

Per locum extrinsecû formare dictamen tenetur.

N B.
Via doctorum, & præcipuè si superiores sint, est ignorantium Lex; quoniam discurrunt sic. Meus superior est doctus & pius, & tamen sic operatur, & consultus & interrogatus sic respondet: Ergo sic debet fieri. Patet Consequentia: ille enim non fallitur, quia doctus est: & nec in operando præcipitat, nec nos respondendo decipit, quia probus est. Ergo eum securè imitari poterimus.

P. Mendi sententia.

An sententia, quæ scrupulorũ laqueos injicit, sit reprobanda?

De Consiliarij aut Magistri electione.

ut non sufficiat homini illiterato Teologum, quem doctum putat, sed illum debeat, qui reverà sit doctus, in Magistrum & conscientiæ Directorem eligere? Respondeo sat esse homini illiterato, si illi suæ conscientiæ directionem concredat, quem esse Virum doctum communis declamat opinio. Ergo Magistri doctrinam non secundum esse reale sed secundum esse apprehensum, Electionis prudentia & honestas requirit.

XXVII. De causâ, & causæ cognitione. An, ut superior imperet, aut dispenset requiratur?

Octava. Dispensatio (sicut & Legislatio) non solùm causam, sed & causæ cognitionem requirit: &, ut validè & licitè concedatur, non Veritas sed Veracitas debet intervenîre.

Quid possit in suis legibus Princeps? De licitâ & validâ Dispẽsatione. An, quæ temerè indulgetur, sit valida? An etiam licita?

Si objicias, esse communem opinionem Doctorum, qui asserunt, posse Principem sine ullâ causâ in suis legibus dispensare: ita enim à Basilio Ponce de Leon lib. 8. de Matrim. cap. 17. *Andreâ Mendo* in Epit. verb. Dispensatio, num. 5. *Villalobos* tract. 2. dubio 4. n. 5. *Diana* part. 1. tract. 10. resol. 31. *Cotonio* in summ. verb. Dispensatio, num. 2. *& aliis, contra Gabrielem Vasquez,* part. 2. tract. 2. disp. 178. cap. 4. *docemur. Ante Responsionem monebo Dispensationem alias concedi licitè, aliàs validè: multa enim ab hominibus validè fiunt, quæ tamen illicitè fiunt: nam ut alia prætercam, qui simplici voto Castitatis obstringitur, validè, sed illicitè ducit uxorem. Et hac doctrina præmissâ.* Respondebo Primò, *omnem Legislatorem, etiam temerè in propriâ lege dispensantem, validè dispensare.* Et secundò, *peccare contra legem Naturalem, si dispensatio damnum inferat; & graviter aut leviter secundum damni, quod infertur, materiam.*

Legum existentiæ pendent à Legislatoris voluntate.

Et Prima demonstratur Responsio. *Leges enim existunt Voluntatis Legislatricis existentiâ: unde, sicut antequam Princeps illas tulit, non exstiterunt; sic ubi eas Princeps noluerit manutenere, non existent. Non enim legem facit utilitas aut necessitas, sed præter alterutram, quæ debet ut conditio supponi, adhuc Iussio requiritur.*

Legislatoris obligatio.

Et similiter secunda demonstratur Responsio. *Quoniam sine causâ leges ferri non possunt: &, ut in illis dispensetur, sufficit cessavisse causam, ob quam conservabantur & observabantur.*

Non potest nocere Reipublicæ.

Igitur Legislator, quando dicitur in lege sine causâ dispensationem indulgere, legem utilem auferendo, damnum infert Reipublicæ. Peccat ergo in ipsam Rempublicam, cui nocet: & peccat in Officium, quoniam est Patriæ Pater, & ei ex Officio prodesse & favere tenetur.

Bernardus lib. de præcept. & dispensat. cap. 3. & 4.

Hæc præmittere debui, ut hæc Octava Conclusio bene intelligeretur: ut autem illam bene probem, producam Mellifluum Doctorem, qui libellum de Præcepto & Dispensatione *calamo accurato conscripsit, & multa in illo tradidit, quæ ad Legum omnium intelligentiam penitiorem conducunt. Igitur.*

Cur leges inventæ?

Docet Primò. Ecclesiasticas leges, ut sanctiùs & meliùs viveremus, institui: *Non enim omnes leges sunt ad Reipublicæ (Ecclesiasticæ aut Laicæ) conservationem necessariæ; nam & aliquæ ad incrementum & ornatum conducunt. Audiunto itaque Melleum Doctorem: inquit enim.* Regulæ Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, nec non authentici Canones, & si qua sunt alia Ecclesiastica Instituta dignæ auctoritatis, *&c.*

Cur præcipuè Ecclesiasticæ?

Porrò inventa atque instituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret, sed quòd ita magis expediret: nec planè ad aliud, quàm ad lucrum & custodiam Charitatis, *& ostenditur: quia ante Basilium, Augustinum, & Benedictum fuerunt in Mundo Monachi, & antequam conscriberentur Canones, qui hodie observantur, fuerunt in Mundo Clerici, qui sanctè vixerint: Ergo sine hujusmodi Regulis & Canonibus olim vivere licuit. Ergo illa & illi sunt ad melius.*

An, & quãdo Inferior in lege superioris dispenset?

Docet secundò, In superioris legibus non posse inferiorem Prælatum sine causâ dispensare. *Agens enim universim de Ecclesiasticis legibus, monet Pium Lectorem his verbis.* Sanè, qui hæc legerit, attendat, me cautè non dicere ea posse, vel ab istis leviter [*a*] pro voluntate mutari, sed ex ratione fideliter dispensari. *Et posteà, quia specialiter de S. Benedicti Regulâ disserebat, illâ æquè Abbatem & Monachos obstringi, asserit; nec posse hunc in ejus (Regulæ) legibus ad nutum dispensare. Ipsius verba sunt hæc.* Reliqua (*Regulæ* pars, quæ in corporalibus constat observãtiis ne ipsa quidem in cujusvis ita voluntate posita est ut ejusdem deserviat voluntati, sed magis charitati. Neque enim Abbas supra Regulam est, cui semel, & ipse spontaneâ se professione submisit, & si (quod negandũ non est) Dei Regula Charitas, regulæ S. Benedicti Iure proponitur.

Abbas subest Regulæ. Dei Regula, quæ? a] Leviter, *Hisp.* Ligeramente: livianamente: por liviandad.

Esto proinde, ut interdum Regulæ litera cedat pro tempore Charitati, cùm ratio necessitatis, vel Charitatis exegerit. Absit tamen, ut hominis cujuspiam subdatur voluntati. Super fratrum sanè transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur; mandatorum cultor, & ultor vitiorum. Arbitror namque sanctas illas observantias Prælatorum prudentiæ, & Fidei creditas, non subditas voluntati. Hinc est, quod idem Legislator in his, quæ Abbati dispensanda reliquit: cautè nusquam (ut memini) voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut providentiam, aut certè arbitrium, seu aliquid hujusmodi ponit; volens nimirùm providũ fidumque dispensatorem rationis, ubi fortè dispensat, sequi judicium, non suæ placitum voluntatis. Vnde, & intimat ei non semel, quod de omnibus judiciis suis Deo redditurus sit rationem. Lego profectò in Regulâ. Hæc consideratio penès Abbatem sit: & hoc, vel illud esse in providentiâ vel arbitrio, seu dispositione Abbatis. Vt autem pro suâ voluntate aliquid mutet, me ibi legisse non recolo, quinimò in omnibus, inquit, omnes Magistram sequantur Regulam, nec ab eâ temerè devietur à quoquam. Ergo nec ab ipso Abbate. Omnes inquit Magistram sequantur Regulã, Nemo ergo suam voluntatem. Vbi sanè nec Abbatem excipi puto. *Relege omnia attentè: & nota bene illud*

Abbas (& de omni Principe & Superiore eodem modo Philosophare) ita debet procedere, ut pro voluntate sit ratio, non autem pro ratione voluntas.

An, & quando discedere à Regulæ præscripto possimus?

temerè, *non enim jubet Sanctus Doctor, ne devietur à Regulâ, sed ne devietur temerè. Et quidem non deviat temerè superior, qui cum causa cognitione dispensat; nec subditus, qui prudenter concessâ fruitur dispensatione.*

De Ecclesiasticarum legum fine.

Docet Tertiò, Ecclesiasticarum legum Finem (mediatum, immediatum-ve esse supernaturalem Charitatem: & donec hic ipse Finis cesset, esse manutenendas. *Et meritò mediatum ab immediato Fine distingui volui: Canones enim illi, qui bona externa, & Ecclesiasticos redditus & fructus concernunt, ut similes videantur Politicis, non profani, sed sacri & Theologici sunt; nam immobilia in Ecclesiâ Dei bona stant, ut recipiantur fructus: hi ut alantur Dei Ministri, & ex residuo provideatur pauperibus. Ita Tridentinum sess.* 21. *cap.* 3. Cùm Beneficia ad Divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda, sint constituta. *Et sess.* 22. *cap.* 11. Fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in Ministrorum & pauperum necessitates converti debent, *&c. Ergo finis harum omnium legum est Charitas. Hinc igitur audiamus Bernardum.* Quamdiu ergo (*Ecclesiastica leges*) Charitati (*hac enim illarum Finis est*) militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omninò, ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensâ possunt.

Cur temporalia bona ab Ecclesiasticis possideantur?

An, & quomodo cessante fine cesset lex?

Docet Quartò, Cessante legis fine ejus etiam obligationem cessare: *Quintò*, Non tamen spectare ad subditos, utrùm ille cessaverit aut non cessaverit, definire, sed ad Prælatos: *Sextò*, Horum esse cum causæ cognitione in prædictis legibus per abrogationem, aut commutationem dispensare. *Et Septimò*, Ad Dispensationem Veritatem, nec sufficere nec requiri; & tamen Veracitatem requiri & absolutè sufficere. *Docet profectò hæc omnia Sanctus Doctor expressè: scribit enim*: Si è contrario (*Statuta Ecclesiastica*) contraria fortè aliquando Charitati visa fuerint, his dumtaxat, quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est. Nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro Charitate inventa fuerunt, pro Charitate quoque ubi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur. Sicut è regione, iniquum procul dubio foret, si statuta pro solâ Charitate, contra Charitatem retinerentur. Tenent ergo fixam firmamque immobilitatem. *Et dixerat paulò antè.* Et quidem *Stabile* dixerim, quod ita est necessarium, quòd non cuilibet hominum illud mutare fas sit, nisi solis Dispensatoribus mysteriorum Dei; id est Præpositis. *Et, ne Monachi, quibus Epistolam hanc scribebat, sibi protrudi aliquam doctrinam singularem putarent, subjunxit.* Nunquid autem hoc Ego, vel solus sentio, vel primus dico, An non hoc ipsum & Papa Gelasius sensit? ait siquidem. *Vbi necessitas non est (nempe illa alterandi aut mutandi) inconvertibilia maneant Patrum sanctorum Decreta.* Leo quoque Papa. *Vbi*, inquit, *necessitas non est, nullo modo Sanctorum Patrum Instituta violentur.* Vbi ergo necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis.

N. B. *Finis potest cessare duobus modis, contradictoriè, & contrariè. Sanè contradictoriè, quando cessat legis utilitas: contrariè verò, cum lex, quæ erat utilis, mutatis circumstantiis transit in perniciosam.*

Non debent leges sine necessitate mutari. *At necessitas est. vel absoluta, vel relativa: & relativa est idem ac utilitas.*

Profectò Documentum Tertium & Quartum præ se ferunt omnia, quæ Sanctus Doctor in illis duobus Capitibus (secundo & quarto) à quibus hic excripsimus præcipua, edisserit.

Et constat Documentum Quintum ex illis verbis, His dumtaxat, *&c. & ex illis* Nisi solis, &c. *Tametsi enim cessare legem, ubi ejus cessat finis certum sit, non tamen ad subditos pertinet examinare, & definire, an ille cesset, aut non cesset, sed ad Prælatos, hi enim sunt Dispensatores mysteriorum Dei, & ipsis hoc videre & discernere datum, & providere divinitùs creditum est.*

Non pertinet ad subditos legum fines disquirere & examinare.

Constatque Sextum, ex illis, Quibus videre datum est, & providere creditum est, *&c. Quoniam sine causa cognitione semper illicitè; & in superioris lege dispensatur invalidè.*

Septimum est certissimum; non enim scripsit Melleus Doctor, Si contraria Charitati fuerint, *sed* si contraria visa fuerint. *Etsi enim reverà lex, quæ pro bono publico lata, in perniciosam versa fuerit, si tamen hoc ipsum nesciatur, debet à subditis observari, & à superioribus manuteneri. Et, si sit reverà utilis aut necessaria, & tamen superiori prudenti inutilis aut nociva visa fuerit, dispensari, aut commutari poterit, aut debebit. Ergò, cùm ad Legislationem & etiam ad Dispensationem requiritur à doctis necessitas, non agitur de hujus necessitatis Veritate, sed de Veracitate: ad neutram enim (nec ad Legislationem, nec ad Dispensationem) requiritur aut sufficit à parte rei esse necessitatem, si hæc lateat Legislatorem: cùm tamen, ubi probabiliter affulget necessitas, etsi reverè nulla sit, & validè imponuntur præcepta, & validè in eis dispensatur.*

De causæ Veritate & Veracitate. Vtra ad legum Constitutionem & Dispensationem requiratur?

De lege & præcepto jam egi superiùs, & modò tantùm addam Patris Mendi doctissima verba, qui in Epitom. discurs. præleg. num. 22. *sic scribit.* Si Superior præcipiat, id quod juxta opinionem probabilem (*hoc est, secundum mentem suam & esse apprehensum*) est licitum, aut non excedit ejus potestatem, tenetur subditus obedire, etiam si oppositum sit probabilius: quia potest subditus conformare suum judicium opinionis superioris, & hic justè præcipit, ac est in possessione præcipiendi: nec subditus contra suam conscientiam agit, cum possit & debeat vltimum dictamen practicum elicere. Quod licitum ei sit hic & nunc obedire, *&c.* Dum autem peccatum non cernitur in re præceptâ, sufficit eam imperari à superiore, ut justa censeatur; sicut sufficit authoritas Confessarij respectu

Tenetur obedire subditus in materiâ probabili, etiam contra suam Opinionē: etsi sua Opinio sit probabilior.

Pœni

Pœnitentis, *&c. Ita ille, qui se* in ſtatera diſſ.13. quæſt.15. §.4. *& ſecum Patrem Antonium Perez, Malderum, Caſpenſem, Vaſquez, Salas, Thomam Sanchez, Dianam & Breſſerum adlegat.*

XXVIII
Si cauſa detur, & tamé illam adeſſe ſuperior neſciat, diſpenſatio concedetur inva lidè.

Et quia modò de Diſpenſatione ſpecialiter agimus, hanc adhuc Aſſertionem repono. Qui ſine cauſæ cognitione, etiamſi à parte rei cauſa ſufficiens & legitima reverà detur, diſpenſare audet, temerè & irrationabiliter procedit. Et qui ſecundum adlegata & probata procedit, etſi omnia falſa ſint, licitè & validè diſpenſat. Vnde Pater Mendus ubi ſupr. numerò 6. *hac ſcribit.* Diſpenſatio data ab inferiore in lege Superioris ſine cauſæ cognitione, etiamſi re ipsâ detur cauſa, eſt nulla in utroque foro: quia, dum non eſt cognita, non eſt cauſa quæ moveat diſpenſantem. *Et citans Menochium* conſ.5. numero 15. *aſſerit hanc eſſe doctrinam communem. Quam ob rem, ſi æger habeat ſufficientem infirmitatem, ut ex ſuperioris diſpenſatione poſſit die Veneris carnes comedere, & ſine diſpenſatione non poſſit: ſi tamen ille & ſuperior, non eſſe ſufficientem crediderint, nec ille nec iſte diſpenſationem licitè & validè petet aut impertietur. Et è contrario, ſi æger non habeat morbum ſufficientem ut poſſit petere diſpenſationem, ſi tamen ſincerè putat ſe ſufficientem habere, illam licitè poſtulat: & ſuperior, ſi illam concedat ex Medici prudentis conſilio, licitè & validè illam concedet.*

An, & quo Inferior poſſit modo in lege ſuperioris diſpenſare?

Conſono Sanchezio de Matrim. tom.3. libr.8.diſput.17.numero 8. *Azorio* part.1. lib.5.cap.15 quæſt.9.& 10.*Dianæ* part.1. tractat. 10. reſol. 33. *contra Salas* de legib. diſputat.20. ſect.4. numero 35. [*Et utrumque probabile putat Cotonius* in ſumma verb. Diſpenſatio, numero 4. *Diana* loc. cit. reſol.34.*& alij.*] *Vt autem meam Opinionem dilucidem, audire proderit ſcriptorem Mellifluum, qui* libell. de præcept. & diſpenſ. cap.2. *his verbis Monachos Carnotenſes inſtituit.* Si (*præcepta, leges, aut ſtatuta*) contraria aliquando Charitati, viſa fuerint, his dumtaxat, quibus hoc poſſe videre datum, & providere creditum eſt, (*puta*, mutari poterunt.) *Nota illud viſa fuerint, necnon illud* videre datum eſt. *Non enim afferente Bernardo requiritur, aut ſufficit, quod illa fuerint Charitati contraria. ſed requiritur & ſufficit ut poſt circumſpectum examen eſſe contraria judicentur.*

Quomodo debeant ſuperiores cũ ægrotis procedere?

Vide inferius pag. 234. a. num 673.

In diſpenſationis causâ Bernardus Veracitatẽ, & non Veritatem requirit.

N o n a. Sunt aliquæ Diſpenſationes, quæ ad valorem Veritatem & Veracitatem ſimul poſtulant. *Et tales ſunt, in quibus cauſa veritas aufert aliquod impedimentum naturale. Huc pertinet Diſpenſatio, ſeu licentia, quæ fœminæ de cujus mariti morte diſſeritur, conceditur, ut ad ſecundas nuptias tranſeat; eſt enim invalida ſi mors primi mariti non ſit vera, erit tamen licita, ſi de illâ per teſtes ſufficienter conſtiterit. Et erit illicita & invalida aſſerentibus Patre Coninckio, & Patre Mendo, etſi revera primus maritus mortuus fuerit, ſi de ejus morte ſufficienter non conſtet. Inſiſtunt autem fundamentis diverſis. Coninckius enim* de Sacrament. diſputat. 24. dub. 6. numero 53. *eam exiſtimat non ſeriò procedere à quod tamen negat Sanchez* tom.1. libr.2. diſputat. 33. numero 2. *Quos Baſilius Poncius* libr. 4. capit. 23. numero 1. *conatur ad concordiam reducere. Vide Dianam* part. 3. tractat. 4. reſolut. 193. *& Cotonium* in ſumm. verb. Impedimentum, numero 15. *At Pater Mendus non cauſam modo, ſed cauſæ cognitionem requirit. Ejus verba ſunt hæc.* Nec intereſt maritum multis jam annis eſſe captivum aut abſentem, nec poſſe de eo notitiam haberi, quia dum non conſtat de ejus morte, nequeunt aliæ nuptiæ contrahi. Conſtare autem debet per teſtimonia, aut teſtes fide dignos, ut detur certitudo moralis qua homo prudens reddatur certus. *Ita ille* verb. Matrimonium, n.40.

An aliquando Veritas & Veracitas copulativè requirantur?

Quid requiratur, ut ſecundum poſſit Matrimonium iniri?

An de prioris coniugis obitu eſſe debeat Veritas, an Veracitas? an requiratur ſimul utraque?

Sequitur hanc doctrinam etiam in aliis Caſibus, in quibus Veritatem & Veracitatem ſimul poſtulat, quoniam verb. Confeſſarius, numero 29. *hac ſcribit.* Si Confeſſarius approbetur, ipſe verò ſuam approbationem ignoret, non excipit validè confeſſiones: nam, cùm teſtimonium idoneitatis requiratur ad operandum, dum ignoratur, perinde eſt ac ſi non exiſteret: illeque Sacerdos, cùm ignorat ſe eſſe capacem per approbationem, ut accipiat juriſdictionem ex Bullâ, aut Iubilæo, nequit uti juriſdictione ad abſolvendum. *Et citat ſe* in Bull. Cruc. in Append. diſp.2. cap.22.

De Confeſſarij approbatione. An ipſe ſuam approbationem debeat ſcire?

ARTICVLVS IV.

A n a l y t i c u s.

Præmiſſas de Veracitate Reſolutiones ad unicum, idque primum Fundamentum reducens.

XXIX.
De digeſtione & ordine horum Articulorum.

P*Repoſtera videbitur fortaſſis Erudito Lectori noſtra hac Articulorum diſpoſitio; & iſtum, qui Quæſtionem hanc claudit, præmitti omninò, & illam aperire debuiſſe. Verùm enim verò deſinet admirari, ſi me Doctrinæ Ordinem potiùs, quam Naturæ in hac Reſolutionum digeſtione elegiſſe didicerit. Natura poſtulat, ut priùs jaciantur fundamenta, quàm ædificia ſubrigantur; eam non moror; quoniam Methodi ratio nos monet, ut erigendos lapides formemus priùs, quàm in debito loco collocemus. Hanc ego ob cauſam aliquas Concluſiones præmiſi, eaſque tribus præcedentibus Articulis dilucidavi, & eaſdem in hoc quarto confirmo, & ut ſecuriſſimè ſubſtruam, hoc unicum Fundamentum adſumo.*

De ordine Naturæ & Doctrinæ.

XXX.
Quæ Deus

Deus impoſſibilia non jubet: ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis,

præcipit sunt possibilia.

& petere quod non possis, & adjuvat ut possis. *Concilium Tridentinum* sess.6. capit. 11. *Est Generale & indubitatum Assertum, & assumitur ut morum Regula à Bonifacio VIII. Pont. Max.* in 6. numero 6. *dicente.* Nemo potest ad impossibile obligari. *Et habetur* in Decret. distinct 4. *Vnde Divus Thomas sanctissimè*,

Sanctitas & Iustitia postulat, ne impossibilia à Legislatore (Divino, aut humano) subditis præcipiantur.

Quod præcipit Deus non est impossibile homini ad servandum; quia & substantiam actûs potest ex libero arbitrio servare; & modum, prout scilicet fit ex Charitate, potest servare ex dono gratiæ. *Ita* de Verit. quæst. 24. art. 4. ad 1. *& eum sequimur universi Catholici.*

Et hic adsumens Protheorema, & ad Philosophicas leges dialecticans, sic ratiocinor.

Deus, utpotè justissimus & clementissimus homini impossibilia non præcipit. *Quoniam, ut in Epistolâ ad Demetriadem, cujus Author Augustinus aut Hieronymus dicitur, sanctè asseritur*, Nec impossibile aliquid voluit imperare (*Deus*) qui justus; nec damnaturus hominem fuit pro eo, quod vitare non potuit, qui pius est. *Quæ verba malè exponit Iansenius* tom. 1. lib. 4. cap. 16. column. 218. *juxta editionem Lovaniensem. Consonat Basilius* in brevior. Regul. resp. 176. *dicens.* Sine dubio autem non præcepisset hoc, qui bonus ac justus est, nisi etiam facultatem, quâ id faceremus, fuisset largitus.

Quis Epistolæ ad Demetriadem fuerit author?

Cùm Deus aliquid supra vires humanas præcipit, præbet, ut obediamus facultatem.

At impossibilia præciperet, si aut juberet Veritatem cum Veracitate in humanis operationibus confundi: aut ad ipsam Veritatem mortales, & non ad Veracitatem obligaret.

Iubet igitur Veritatem à Veracitate distingui: & ubi post debitum examen latet homines Veritas, vult sibi satisfacere, qui adhæserint Veracitati.

Circa Minorem, si fortè excitetur aliqua difficultas, ab illâ nos sequentes Conclusiones expedient.

Qui non mentitur, etsi falsum dicat, non peccat.

Prima. Non peccat, qui falsam propositionem asserit; sed, qui mentitur, aliàs enim Deus præciperet impossibilia. *Probatur Consequentia: multa enim invincibiliter nescimus, & tunc, quia non possumus determinare qualis extra mentem nostram sit res, quale esse apprehensum habeat; hoc est, qualis esse à nobis existimetur, labio & calamo exponimus. Id clarissimè Dominus* in Deuter. 30. 11. *nos docet; inquit enim.* Mandatum hoc, quod Ego præcipio tibi hodie, non supra te est; neque procul positum; sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. *Ac, si diceret.* [*Quando Ego mendacia, & falsa testimonia interdico, nil prorsus jubeo, quod vires humanas excedat. Sermonem tuum ita ab ore tuo prodire iubeo, ut cordi tuo, menti tuæ, consentiat. Iubeo, inquam, ut res in ore proferatur, qualis in mente putatur, & in corde sentitur. Erit tibi huic præcepto obedire perfacile; non enim aliquid supra vires humani intellectûs indico. A Veracitate Veritatem secerno: hæc enim invincibiliter aliquando nescitur: & ideò qui te juberet Veritatem attingere, impossibilia sæpe tibi præciperet. At quando jubeo veracia verba dicere; rem ita esse asserere qualem esse putaveris; transalpinare, aut Caucasum transvolare non jubeo, sed ita tantùm loqui, ut non dicantur verba tua in mentem ire.*]

Non jubet Deus, ut verba rem à parte rei existentem exæquent: sed tantùm ut rem exprimant, qualis creditur & esse putatur.

Quo modo à mendacio falsa propositio distinguatur?

Hæc Doctrina habet locum in omni Opinione probabili. Et, ut id lucidiùs innotescat, pone reverà esse falsas D. Thomæ sententias, quas Scotus impugnat. Ait Thomista, Materia prima existit existentiâ formæ. *Stando hypothesi assero illum, falsam Enunciationem dicere, non mentiri. Sane Propositio illa falsa est, quoniam à parte rei non est materia, qualis dicitur; at mendax nòn est, nam in Thomistarum illa mente est qualis dicitur. Et tamen, addo Thomistam falsum asserendo non peccare, non enim Divina Præcepti VIII Lex, potest ad hæc verba reduci*, Cùm loquimini subjectis, qualia à parte rei habent, prædicata accensento. *Vel breviùs*, Veritatem dicunto, *sumpto* Veritatis *vocabulo prout à Veracitate condistinguitur: sed ad hæc prorsus debent*, Subjectis, qualia eis inesse existimatis, prædicata accensento. *Vel breviùs*, Veracitatem in verbis religiosè observanto. *Et sic similiter, si per impossibile Deipara originariam peccati labem in suâ Conceptione contraxisset, non ideò in nobis hæc Assertio*, Beata Virgo peccato originali caruit *peccati condemnari posset. Nam tametsi ex suppositione esset falsa, hanc falsitatem invincibiliter nescimus, & insuperabiliter ignoramus, & Deus non præcipit ut supra mentis ab ipso nobis indulta vires cognoscamus objecta; si enim id præciperet impossibilia præciperet: Et tamen ut* 1. Corinth. 10. 13. *scribit Apostolus*, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari (πειρασθῆναι, *onerari*) supra id, quod potestis. *At debebit hæc eadem Assertio laudari, & censui actuum virtuosorum adscribi, est enim verax, & enunciat rem prout est in intellectu nostro, & adtribuit prædicatum subjecto, quale nos illi convenire putamus.*

Octava Decalogi Lex dilucidatur.

Nemini præcepit Deus, ut supra suæ mentis vires res intelligat?

XXXI. Quid requiratur ut leges obligent?

SECUNDA. Non peccat, qui præceptum, quod revera fuit latum, non observat; sed, qui illud temerat, quod putat legitimè latum; latum à superiore fuerit, aut non fuerit. Ergo in præceptorum existentiâ (immò etiam intelligentiâ) non obstringit conscientias Veritas, sed Veracitas: Alias enim Deus præciperet impossibilia. *Est certa. Leges enim, de quarum existentiâ dubitatur, non obligant; & etiam illæ, quæ certò existunt, si diversimodè à Doctoribus exponantur, non obligant. Sæpe enim me scire an revera talis lex lata fuerit, &, si lata, quo sensu eius verba Legislator acceperit, impossibile est. Interim, si Titius dari talem aut talem legem existimet, decipiatur aut non, debet illi obedire. Et huc pertinent omnia, quæ nuper à nobis de Errante Conscientia dicebantur.*

Prima de Lege Quæstio, quæ examinari debet est, An sit? & secunda, Quo modo intelligenda sit?

TERTIA.

Quid imponet verbum *non possum* in Vocabulario Civili?

Tertia. Modestia postulat, ut quæ præstare nolumus, nos non posse præstare dicamus. *Hinc cavillandi Heterodoxi importunam occasionem arripiunt. Sic illi argumentantur.* [*Fides divinitus pracipitur. At interdum Fides est impossibilis, ait enim Ioannes* in Evang. cap. 12. verf. 39. Διὰ τοῦτο οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν. Propter hoc non poterant credere. *Ergo impossibilia pracipiuntur.*] *Respondeo Hæreticos verbis abuti, & sensum, quo sunt dicta, non capere, & id ex Theophylacto* in Ioann. cap. 12. fol. 365. b. *manifestè persuadeo. Inquit enim.* Hoc autem quod dicunt, *non potuerunt credere*, significat, *noluerunt*; nam malus & improbus homo non potest credere, quamdiu talis fuerit, mala scilicet eligens ac volens. *Ecce habet impotentiam voluntariam & liberam, qua non praiudicat libera voluntati. Ergo vociferari cesset ille Calvinistarum cœtus, qui in Holland:â* Contratemonstrans *nominatur, & art.* 53. in Specim. Amstel. *exclamat,* Exigit (*Deus*) Fidem ab omnibus quibus verbum adnunciatur, sed non vult omnibus ipsis dare Fidem.

An Fides impossibilis sit?

An detur voluntaria necessitas?

Quid sint Contratemonstrantes?

ARTICVLVS V.

Potest & solet subditus præceptam rem imperfectè facere & tamen præcepto perfectè satisfacere.

XXXII. De Amore Dei.

NEmo in hac vitâ amat Deum perfectè. *Ergo-ne hinc inferri debet, aut Deo homines imperfectè obedire; aut nobis in Decalogo à Deo impossibilia pracipi?*

An ab hominibus nō nisi imperfectè diligatur?

Asserunt nostri evi Heterodoxi Melancthon ad cap. 4. Epist. ad Roman. edit. 1. *clarissimè.* Cùm mandat Lex, diligi Deum; perinde impossibilia iubet, ac si præcipiat nobis transsvolare Caucasum. *Et iterum*, in Apolog. tit. de votis Monast. *eamdem repetit opinationem.* Extrema impietas, est, *ait*, sentire, quod Decalogo ita satisfaciant, ut merita supersint. cum hæc præcepta omnes Sanctos accusent, *Diliges Dominum*, &c. item, *Non concupisces*, &c. *Consonat Magistro suo Luthero, qui* in Confutat. rationis Latomianæ *dixerat*, Tot Scripturæ testimonia probant, mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius. *Et iterum Psalmum L. 1. exponens scribit*, Decalogum nunquam posse bene præstari. *Et similia* in Respons. ad Dialog. Sylvestr. *reponit, inquit enim.* Pessimè facis, quod negas Salvatorem impossibilia iussisse; plusquam pessime facis, quod hoc *falsitatem* audes appellare. Non possumus in hac vitâ mandata Dei implere.

Hæreticorum Opinatio.

Contra autem, Possumus, & solemus in hac vitâ mandata Dei implere, *dicimus Orthodoxi, & Assertionem nostram, qua certissima est, subcollamus* Conclusione *sequenti:*

Catholicorum Responsio.

Aliud est rem præceptam perfectè facere, & aliud obedire perfectè. *Corollarium.* Ergo potest homo imperfectè seu remissè Deum amare, & tamen Primum Decalogi Præceptum observare perfectè.

Possumus in iis ipsis, quæ imperfectè facimus, obedire perfectè.

Vt Conclusionem intelligas, oportet scire, rem perfectè facere, esse quid physicum, aut reale; & perfectè obedire, esse quid morale. Arte factum enim realiter & physicè perfectum est, in cuius materia, forma, & dispositione non reperiunt quod iustè reprehendant, docti Artifices. Et censetur obedisse perfectè, qui ita præcepto satisfecit pœnali, ut nullius pœna maneat reus; ita morali, ut nequidem veniale commiserit. Omnia potero exemplis clarissimis dilucidare. Aliqua proponamus.

Quid sit rē facere perfectè?

Et quid obedire perfectè?

Sacerdoti v. gr. præcipitur ut Horas Canonicas recitet. Si verba voluntariò abscindit & decurtat, ita ut nullum prorsus, aut diversum sensum præ se ferant, non satisfacit, & ideò peccat mortaliter. Si autem verborum syncopa non mutant notabiliter sensum, satisfacit quoad substantiam, deficit in modo, & ideò peccat venialiter. Ita Fillincius cap. 7. num. 232. *Diana* part. 2. tractat. 12. resolut. 32. *& Theologi universi communiter. Qui est blesus, balbus,* ψελλὸς; *qui natura vitio (ut de Aristotele & Alcibiade testatur Scaliger* libr. 2. de causis Ling. Lat. cap. 24.) *R vertit in L. quod hodie Senenses omnes faciunt: aut S, in C, ut apud Hispanos aliqui* de los quales dezimos, que Cecean. *aut ultimas literas absorbet, &c. proculdubio imperfectè pronunciat. Si tamen sit Sacerdos, & ita recitet Officium Divinum, ut quantam possit ad bene pronunciandum diligentiam adhibeat, & in Theologicum tribunal veniat, eum omnes Iudices, male quidem verba Divini Officij pronunciasse, sed tamen eumdem Officium recitandi præcepto bene obedivisse, definient. Stat ergo posse hominem præceptam rem male facere, & nihilominùs bene obedire.*

An, & quando Sacerdos, qui male pronūciat, præcepto Horas legendi satisfaciat?

De ψελλῷ, bleso, & balbo.

Aristoteles & Alcibiades erant blesi.

XXXIII. An solœcismi reddant invalidas formas Sacramentorum?

Hinc resolui debet Historia, quam ex probatissimis Authoribus in Fundam. Theolog. lib. 3. fund. 64. pag. 79. num. 3066. *refero. Vigilius enim Papa scribit*, [*Quòd fuerit in Boiorum provincia quidam Sacerdos, qui Latinam linguam penitùs ignorabat, & dum baptizaret, nesciens Latini eloquij, infringens linguam diceret*, Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua-sancta.] *Quia tamen baptizatos hac forma VVifrindus, Pontifex Moguntinus, iusserat rebaptizari: ad illum Summus Pontifex*, Hoc audientes nimis fuimus conturbati, & in admirationem quamdam incidimus, si habetur, ut dictum est, *&c. Et Quæstionem decidens, sic inquit.* Si ille, qui baptizavit, non errorem aut hæresim introducens, sed pro solâ ignorantiâ Romanæ loquutionis, infringendo linguam, ut suprà fati sumus,

VVifrindi Opinio.

Quæstionis Dissolutio.

An incapaces & indigni possint adspirare ad officia, aut illa, si conferantur, acceptare?

mus, baptizans (*illa nempe verba*) dixisset, non possumus consentire, ut (*illi*) denuò baptizentur, *&c. Ergo ille Parochus male loquebatur, nam solœcismos loquendo committebat: esto & fuerit in æterna damnationis statu munus Parochiale suscipiens, quod defectu scientiæ non poterat bene administrare. Cæterùm, non male (hoc est, invalidè) baptizabat; non enim, qui ab eo abluti, iterum baptizari debuerunt.*

An Religiosi, qui in choro male cantant, satisfaciant?

Sic similiter Religiosus Chorista, qui ex professione Monasticâ Horas Canonicas cantare cum aliis tenetur, seu gutturis raucedine seu asperitate laboret, vel audiat durè, vel Practicæ Musicæ notitiam sufficientem non habeat, & tamen Choro intersit, & ut bene cantet, convenientem diligentiam adhibeat, concinet sanè male, sua tamen obligati ni obediet bene.

De illo, qui scribit imperfectè.

An possit rem incompletè facere, & tamen obedire cōpletè.

Sic tandem adolescens, qui defectu exercitij tremulos & vacillantes characteres delineat (velut Hispanus loquitur, haze muy mala letra*) iussus Psalmum exscribere: si adhibeat diligentiam, quam potest, rem præceptam faciet male, & tamen præcepto obediet ben. Et, si concionis, quæ per octo pagellas excurrit, u priores quatuor articulos exscribat insserim, & ipse pensum sibi impositum adimpleverit, Concionem incompletè & imperfectè scripserit, sed t men obedivit completè, adæquatè, & perfectè. Cur plura? Hæc enim sufficientia videntur, ut persuaserim, posse hominem rem præceptam imperfectè præstare, & tamen obedire perfectè.*

De primo præcepto Decalogi.

An legis Naturalis sit?

Hinc ad Decalogi Primum Præceptum, propter quod omnia hæc dicta. Illud est. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ. *Deut. 6. Addit Matthæus cap. 22.* Et in totâ mente tuâ. *& Lucas 10.* Et ex omnibus viribus tuis. *Et est Legis Naturalis hoc præceptum, unde* in Carminibus aureis Pythagoras,

> Ἀθανάτους μὲν πρῶτα Θεοὺς νόμῳ, ὡς διάκεινται, τίμα.
>
> Primum immortales Deos, uti sese habent, legitimè cole.

Cui adhæsit Plato; quoniam lib. 8. de Civit. Dei *scribit Augustinus*, Non dubitavit etiam Plato, hoc esse philosophari; scilicet, Deum amare.

Amor intensivè & appretiativè potest considerari.

Pro huius Præcepti observantiâ notandum est, Amorem esse, vel intensivum, vel appretiativum. Iubemur enim Deum super omnia diligere; non ut illum intensiùs diligamus, quam cætera; sed, ut eum maioris æstimemus, quàm cætera. Est communis doctrina, quam nos docent Antiqui Ecclesiæ Patres.

XXXIV. An nolle peccare sufficiat?

Magnus Basilius. Ex totâ mente tuâ dilige Deum, ut in omnibus actibus tuis placeas illi. Deus enim non tantum vult verbis diligi, sed corde puro, & operibus iustis. *Ergo, qui post Sacramentalem absolutionem ritè susceptam, permanet in nunquam graviter peccandi proposito, hoc primum dilectionis præceptum bene adimplet.*

An amare debeamus Deum, quando speciália beneficia recipimus?

Idem sanctissimus & doctissimus Pater. Cùm nobis Deus magna beneficia præstat, nil exigit à nobis nisi ut diligamus eum: & templa nostra ei servemus, ut ille semper in nobis habitet, & nos in illo permaneamus. *Ecce iterum docet eum, qui non vult peccare, hoc ipso Deum amare, ut debet.*

Quid sit amare Deū super omnia, an ne Deum facere maioris quàm omnia?

Et de appretiativo Amore sic statuit. Magis omnibus diligamus Deum, qui & nos & parentes nostros propriis manibus finxit, & cuncta nobis bona, quæ erga nos geruntur quotidie, eius beneficiis adscribamus, *&c. Et iterum,* Christus diligendus est supra parentes, quia non bonis (*lego*, nobis) tribuunt parentes ea, quæ Christus. *Consonat S. Clementi, qui dixerat.* Stultum est, aliquid amare plùs quàm Deum. Mentem enim, quam repleverit memoria Dei, maligno in eâ non dabitur locus. *Et hoc sensu intelligi debet Bernardus, qui* libr. de Amore Dei, cap. 5. *Exclamat.* Domine, tibi soli amor debetur: *nam solus Deus amandus est appretiativè super omnia. Unde* serm. 20. in Cant. *exclamat.* Toto corde, totâ animâ, & totâ virtute diligere, est omne, quod blanditur de carne propriâ vel alienâ, carnis Christi amori postponere.

An res terrenæ haberi debeant parvi? An nihili?

Et non iuvat maioris res Divinas facere, si magni adhuc æstimare volueris res Humanas: qui enim Deum bene cognoscit, non tam parvi, quàm nihili habet universas creaturas, si obstiterint Divino Amori. Et quidem habemus locum egregium apud Paulum, qui ad Philippens. 3 8. sic scribit. Δι᾽ ὃν τὰ πάντα ἐζημιώθην, καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι, ἵνα Χριστὸν κερδήσω. Propter quem (*Deum*) omnia detrimentum feci (*damnum subij*) & arbitror stercora esse, ut Christum lucrifaciam.

De duplici Amoris Divini mensurâ.

Hinc venio ad lineam. Sanè in Amoris actu, quo Deum prosequimur, duplex esse potest mensura; altera, quæ ab obiecti dignitate desumitur; & altera, quæ ab amantis viribus, & intentione præcipientis. Porrò Dei Maiestas & Bonitas infinita est: & infinito, si possibilis esset humanitùs, amore digna. Et huc respiciens libr. de diligendo Deo, *ait Bernardus.* Vultis à me audire, *Quare, & quomodo diligendus est Deus?* Et Ego dico, quòd causa diligendi Deum Deus est: Modus sine modo diligere.

Deum amādi causa.

Deum amādi modus.

Ob duplicem causam dico Deum propter se diligendum: vel quia nihil iustius, vel quia nil fructuosiùs diligi potest. *Ecce Deum secundum se consideratum, cùm infinitus sit, Amor, qui mensura aliqua aut modo circumscribatur, non exæquat. Convertens autem oculos ad nostram tenuitatem* libr. de Amore Dei, cap. 5. *scribit.* Amas nos (*Deus*) in quantum efficis nos tui amatores: & nos amamus Te, in quantum à Te spiritum Tuum accipimus, qui est Amor tuus, obtinens & possidens omnes affectionum nostrarum recessus, & perfectè eos convertens in puritatem Veritatis Tuæ, *&c. Porrò Spiritus sanctus infinitus est, at nobis finitè communicatur, qui incapaces, sumus favoris*

Quomodo Deus homines amet: & quomodo homines ament Deum?

favoris & gratiæ infinita. Et hanc ob rem, Deum in numero, pondere, & mensurâ diligimus, & propterea imperfectè. Nec plus, quàm possumus à nobis exigit Divini Legislatoris authoritas; unde, qui quàm intensè potest, Deum diligit, ad puritatem Veritatis Divinæ se perfectè convertit, ac propterea Legi Divinæ etiam perfectè obedit.

Quid à nobis postulet Deus?

Heterodoxi audiuntur, impugnanturque.

Ergo, ubi dicunt Hæretici, nos Deum imperfectè diligere, assentimur, sumus imperfecti & finiti, & ideò actiones nostræ sunt realiter loquendo imperfectæ. At, ubi addunt, nos imperfectè obedire; si agant de operis præcepti perfectione, nam obscurè & confusè loquuntur, iam diximus amoris actum, qui à nobis ponitur, finitum & imperfectum esse: verùm enim verò, si agant de ipsâ nos obedientiâ; si asserant nos imperfectè legem Dei adimplere, hoc est, in ipsomet Dei amore peccare, rotundè contradicimus; asserentes nos imperfectè, hoc est, finitè Deum amando obedire perfectè; ponimus enim amorem quantum possumus; adeoque quantum nobis præcipitur; non enim Deus, ut se plusquam possumus, diligamus, nobis in Decalogo præcipit. Et cur? Quia Deus impossibilia non præcipit.

XXXV. In præceptorum & legum existentiâ & intelligentiâ semper debet Veritas à Veracitate secerni.

Et ob eamdem rationem in legum & præceptorum observantiâ, nec existentiæ Veritatem, sed Veracitatem, nec sensûs Veritatem sed Veracitatem, ut semper homines sequamur, præcipitur: [vel, ut clariùs rem explicem; Non præcipitur nobis, ut an talis lex reverà fuerit lata, aut tale præceptum impositum certa cognitione noscamus; aut quo sensu sit loquutus Legislator sciamus sine erroris formidine: sed, ut legi, quam fuisse latam iudicamus, & in tali sensu ab omnibus exponi videmus, satisfaciamus studiosè & perfectè.] legi enim, quæ reverà fuit lata, si id invincibiliter nescio, & latam non fuisse sanctè & sincerè iudico, obedire non teneor. Et ubi circa legis sensum sunt diversæ Scriptorum sententiæ, & genuinum ego insuperabiliter ignoro, non iubeor illum amplecti, sed quem secundum mentem meam prudenter eligo. Quia aliàs me Deus ad impossibile obligaret.

ARTICVLVS VI.

Instituens aliarum Artium, & Medicinæ præcipuè cum Theologiâ & Iurisprudentiâ comparationem.

XXXVI. An errores, qui in ægrotorum curatione committuntur quotidie, à Doctoribus, an verò ab ipsamet Medicinâ proveniant?

OBloquuntur interdum Medicis, etiam Viri eruditi, & Artis obscuræ & incertæ Professoribus imponunt culpam, quam Methodo & Arti deberent. Docent Medicinam, & discunt in Excellentissimis Academiis Optimi Ingenij adolescentes, qui postea in praxi passim sunt infelices. Porrò, si Canones ab Hippocrate, Galeno, & aliis præclaris Philosophis, qui huius fuerunt Facultatis Antistites, traditos & præscriptos, ignorent, meritò illorum damnabitur arrogantia & inscitia: cæterum, si iuxta suæ Artis Regulas processerint, & tamen patientem non iuverint, subduci ab improperio debent, non enim tolerat æquitatis sinceritas, ut peccata Artis adfingantur Artifici: & Ars Medica plurimis maculatur.

De Medicinâ quoad se, & quoad nos.

Vt eam eluant & emaculent aliqui quoad se, & quoad nos Medicinam considerant: & sub priorem considerationem acceptam, eam vocant certam & infallibilem; & talem esse asserunt, qualem nemo prudenter possit carpere: sub posteriorem verò eamdem perpendentes suspiciunt, & in Medicorum negligentias querimonias invidiosas exonerant: &, ut illam extollant, istos deprimunt: & se bene statuisse opinantur. Hanc viam inivit Hippocrates, cui libr. de loc. in hom. *Medicina* tota constans est & firma. *Cui subscribit Galenus* libr. de curandi rat. per sang. emiss. cap. 12. *& multò clarius* libr. de opt. sect. ad Thras. cap. 4. *inquit enim.* Errant illi, qui eò (*Medicinam*) Artem Coniectricem aiunt, quòd coniecturalibus præceptis continetur. Non enim à præceptis *Coniectrix* denominatur, hæc namque perpetua (*vel ut hodie Scholastici loquuntur*, perpetuæ Veritatis) sunt; sed ab actione & medentium opera; hæc enim incertum eventum habens Coniectricem Artem reddit. Nam omnium Artium præcepta æquè firma sunt & constantia. Verùm, quoniam non omnium Artium finis semper attingi potest, eò fit, ut ipsarum nonnullæ *Coniectrices* appellentur, quæ incertum & ancipitem, ut dixi effectum habent.

Qualis sit sumpta secundum se?

An sit Methodus Coniecturalis?

XXXVII. An habeat certa fundamenta & principia?

Ego interim, ubi hanc distinctionem audio, ab Hippocrate & Galeno rescire vellem ubi Medicina quoad se sit invenienda? An in cælo, an in terrâ? quoniam si nusquam datur, est vox significationis expers: & sola manet Medicina quoad nos, de quâ Vopiscus Fortunatus Plempius, eiusdem Facultatis Doctor, & Primarius Professor Lovanij, Fundam. Medic. libr. 1. cap. 2. pag. 2. b. *sic statuit. [Profectò quis dubitet meritò, An ipsa etiam Ars nostra prout hactenus constituta est, de omni re certa præcepta habeat. Certi quidem enim nihil decretum est, vel ipso Galeno teste in cognitione, & distinctione colici doloris, & nephritici, nihil in curatione morborum à totâ Substantiâ: nihil in prædictionibus salutis, aut mortis in morbis acutis, Fatente id Hippocrate in Aphorismis, seu definitis Sententiis. Audacter Celsus in Proœmio:* vero propius esse, vix ulla perpetua præcepta Medicinalem Artem recipere. *Quo sensu ipsam vocat* interpolem *Plinius* lib. 29. cap. 1. *Sed enim hoc habet commune Medicina nostra cum Naturali, & Transnaturali, aliisque scientiis, quæ multas habent Conclusiones probabiles tantum, non certas, & evidentes. Dicam-ne verò? Non iniuriâ quis ambigere possit, num aliqua alicujus rei in nobis vera sit scientia? Quid enim quæso, Homuli nos certò scimus? nisi hoc,*

Quid sciat Medici in gravioribus morbis?

Quid Aphorismus sit?

An sint in Medicinâ Opiniones probabiles?

An aliquæ sint in Mundo scientiæ?

hoc, nihil nos scire; imò ne hoc quidem, &c.] *Sic ille. Nec est cur, ut Medicina excuset Canones, universim dicat nihil sciri ab hominibus, nam in Mathematicis pleraque omnia demonstrantur Asserta: & si non demonstrarentur, non ideò Medicina erit certior, quòd sint alia Facultates incerta. Ergo illam nos cum Theologiâ & Iurisprudentiâ collaturi, adsumimus has Conclusiones. Et erit*

XXXVIII. *Quantâ securitate fruatur in actibus suis Theologus, qui sincerè procedit?*

Prima Theologica. Quando agitur de salute Animæ, qui rem malam facit, quam talem esse invincibiliter nescit, suæ conscientiæ non nocet, *Præterea*, qui rem bonam facit, quam esse malam existimat, suæ conscientiæ nocet, & peccat. *Corollarium.* Ergo Theologica actuum humanorum Bonitas & Malitia non in esse reali, sed in esse apprehenso (adeoque non in Veritate, sed in Veracitate) consistit.

Semper excusat à peccato ignorantia invincibilis.

Non peccare, qui rem malam, cuius invincibiliter ignorabat malitiam, facit, est Catholicæ Fidei Decisio. P. Mendus in Epitom. verb. Ignorantia, num. 2. *illam tradit his verbis.* Ignorantia Invincibilis à peccato excusat: nempe, cùm quis operatur ignorans prohibitionem; nec habens titulum, quo cogeretur ad curandam scientiam illius, nec motivum probabile ad dubitandum de eo. *Et ideò.* in præleg. Discurs. num. 9. *dixerat.* Si ab intellectu per ignorantiam invincibilem obiectum malum proponatur ut bonum, quin ulla mali species repræsentetur, Voluntas sine peccato fertur in illud. *Et posteà*, num. 12. *subiungit.* Falsitas autem reipsa si detur, nec agnoscatur, non est quid malum in ordine ad mores. *Et, ut rem bene intelligas*, verb. Ignorantia. cit. *hoc exemplum proponit.* Ingreditur Hispanus Mediolanum, & illico petit Ecclesiam, in quâ intrat in capellam ad audiendam missam. Ibi est prohibitio, ne quisquam, nisi minister, intret in capellas ad audienda sacra: at ille ignorantia invincibili laborabat, cùm omnes circumstantiæ positæ ei faverent: unde nullo modo peccavit.

De rebus malis, si fortè bonæ iudicantur.

XXXIX. *Quid, si Opinio verè probabilis, per errorem censeatur improbabilis?*

Secundam Conclusionis partem etiam tradit, edisseritque idem P. Mendus in cit. Epitom. præleg. Discurs. num. 4. *his verbis.* Non sufficit Opinio certò seu verè probabilis ad rectè operandum, si quis eam iudicet improbabilem: nam, dum hoc iudicium non deponitur, nequit efformari iudicium certum de honestate actionis; nec haberi conscientia certa, & non formidolosa prudenter. *Et posteà num. 8. subiungit.* Si obiectum bonum repræsentetur sub aliquâ specie mali, ita ut dubium sit de bonitate, peccat Voluntas dum amplectitur illud. *Et consultò* de bonitate *dixit: nam semper debeo in quâcumque Propositione Bonitatem à Veritate distinguere, & possum Opinionem amplecti de cuius Veritate dubito, si certus sim eam esse Bonam. Et probatur clarissimè, quoniam, tametsi probabilis, adeoque incerta sit Opinio, quæ docet Deiparam caruisse originariâ labe, quia tamen est Bona, potest admitti, & tutâ conscientiâ defendi.*

Debemus in Propositionibus Veritatem & Bonitatem bene considerare.

Secunda Iuridica (1) Vbi lex habet diversas Interpretum expositiones, non sunt omnes veræ. (2) Possibile est, contra Legislatoris mentem esse, quæ inter Doctores est communior, & probabilior. (3) Circa intelligentiam Legum iubent Principes, ut Iudices sequantur interpretationem communiorem. (4) Circa factum, ut in causis criminalibus neminem condemnent, nisi prius convincatur. (5) Vbi ex lege intellectâ ad Iustiniani mentem domus A. adiudicanda Titio est, & ad communiorem Iurisperitorum opinionem adiudicanda est Semphronio: si pro Semphronio pronunciaverit Iudex feret sententiam legitimam, & transferet reverà dominium in eumdem Semphronium: si autem ad Titij favorem ius dixerit, pronunciabit iniquè, & in syndicatu reus erit. *Corollarium.* Ergo Humanarum Legum authoritas & practica efficacia, quam habent, non in esse reali (in sensu, quem reverà intendit Legislator) sed in esse apprehenso (in sensu, quem cum intendisse intra Communioris sententiæ terminos prudenter opinantur Interpretes) adeoque non in Veritate ipsâ, sed in Veracitate consistit.

De Lege, quæ habet varias expositiones.

Quænam præferri debeat?

Quid fiet Iudici, qui secundum singularem aut minùs communem pronunciet?

De Veritate & Veracitate respectu Legum.

XL. *An res dividi debeat in dubio?*

Lego in P. Mendi discur. cit. num. 7. doctrinam, quam certissimam iudico, & tamen practicari non video. Inquit enim. Quod si (*quando neuter possidet*) æquæ sint probationes, debet (*Iudex*) rem dividere inter litigantes; nam, si uni eam applicaret, idem esset, ac iudicare totum ius esse penes illum secundum adlegata & probata. *Et citat Sayrum, Suarez, Castro-Palaum, Thomam Sanchez, &c. Et hæc ratio, si est efficax, etiam habet locum ubi non fuerint probationes æquales: nam, si totam rem adiudicaret habenti probationes fortiores, perinde faceret Iudex, ac si decerneret pro illo totum stare Ius, & alterum omni Iure destitui.*

Quid, si probabilitas sit inæqualis?

Tertia Medica. Quando agitur de salute corporis, qui ex Medici eruditi præscripto haurit syrupum realiter perniciosum, tametsi ille iuxta probabiliorem & communiorem sententiam propinetur, sibi nocumentum (aut etiam mortem) inferet. *Præterea*, si cibus talis realiter sit salutifer, & febres fuget, tametsi illum incriminetur & condemnet communior Medicorum sententia, si tamen ab ægroto sumatur, febres fugabit, & sanitatem restituet. *Corollarium.* Ergo herbarum, lapidum & metallorum vires, & rei Medicæ praxis, ab esse reali & non ab esse apprehenso (adeoque à Veritate, & non à Veracitate) dependet.

Medicinæ herbarum, lapidum, metallorum, &c. virtutes, non à Veracitate & esse apprehēso, sed à Veritate & esse reali proveniunt.

Hinc patet Primò, Theologum, si doctè procedat, & in Quæstionibus controversis & dubiis Opiniones probabiles & communes sequatur, etiamsi illæ in seipsis falsæ sint, finem (non peccare; se in gratiæ statu conservare) verè & realiter consequi. *Et patet: quoniam non peccare hominem,*

Finem suum adsequitur Theologus, si sincerè procedat.

Minùs probabilis Opinio tutâ cõscientiâ eligi potest.

hominem, qui adhæret probabili aut etiam minùs probabili Opinioni certum est. Non ergo gratiam poterit amittere, qui iuxta probabile dictamen operatur. AT DICES, *aliud diversum esse, gratiam perditam recuperare; sunt enim multa in materiâ Sacramentorum Opiniones, quæ si falsæ sint, non sufficient, ut conferatur prima gratia.*

Et unde hęc proveniat licentia?

Respondeo *eligendi quamcumque probabilem sententiam libertatem, quam concessit hominibus Humanæ Naturæ imperfectio, Voto, Iuramento, & Præcepto limitari: nam, qui vovet, aut iurat, S.Thomæ Opiniones se defensurum esse, non poterit oppositas, etsi sint probabilissimæ, defendere: & ille, cui legitimè præcipitur, ut tueatur talem, tueri nequit contrariam. At Charitas (immò & ecclesia) præcipit, ut in materiâ Sacramentorũ (& necessariorum præcipuè) sententias certas & securas sequamur. Vnde scitè P. Mendus* in Epitome, verb. Baptismus, num.2.pag.46. *postquam recensuerat varias Theologorum sententias, quæ censentur probabiles, dixit*, Erit tamen peccatum grave mutare formam verborum. *Et idem de materiâ dicendum. Quamobrem, tametsi Baptismus sub hac formâ*, Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati. *teste P. Mendo* loc.cit. num.4. *necnon Card. Toleto, Chamerota, Vivaldo, Soto, Coninckio, Vasquezio, Bonacina, & aliis apud ipsum censeatur probabiliter validus: non tamen probabile est licere alicui hac formâ uti. Ergo, qui sequeretur illam, non adhæreret Opinioni probabili. Id bene perpende; nam in eo non pauci adlucinantur: & audi P. Mendum* in Statera diss.10. quæst 1. & in Epitom. discur.prælegen.num.15. *dicentem.* Non potest *quis* sequi Opinionem probabilem circa formam & materiam Sacramenti, omissâ certa; ne suscipienti Sacramentum damnum irreparabile inferat.

Libertas Voto, Iuramento, aut Præcepto limitatur.

Cur in Sacramentorum materiâ debemus semper securas sententias eligere?

Posse nos probabiles semper sequi, non est probabile.

Adsequitur & Iurisperitus, si Opiniones communiores sequatur.

Hinc patet Secundò Iudicem, si iuxta Iurisprudentiæ Canones & leges procedat, & in Causis controversis & dubiis Opiniones communiores & probabiliores sequatur [*quoniam Legislatores*, ne secundum *singulares, vel minùs communes, aut minus probabiles ius dicat, & proferat sententiam, præcipiunt*] finem (in Criminalibus, hunc vel illum capite plecti, fustibus excipi, mancipari triremibus, proscribi, &c. Et in Civilibus hunc, & non illum, reddi domûs, aut Maioratus dominum) verè & realiter consequi.

XLI.
An possint Iudices secũdum Doctorum illustrium singulares sententias ius dicere?

Notum præcipi a Legislatoribus, ut ius pronuncient Iudices iuxta communiores sententias. Et hinc decidi Quæstio poterit, quam in summ. verb. Opinio, num.2. *Antonius Cotonius proponit, videlicet*, An in administratione Iustitiæ Iudices possint secundum Duareni, Cuiacij, Donati, Fabri, Masij, & aliorum, quibus esse singularibus placuit, Sententias pronunciare? *Negant aliqui, quia illorum Decisiones sunt probabiles speculativè, & non practivè. Sed contra hoc insurgit Ioannes Sancius* in Select. disput.54. num.11. & disp.64. num.63. *docens omnem Opinionem probabilem speculativè, esse in praxi tutam; quoniam Probabilitas practica est effectus Probabilitatis speculativa. Vide Dianam* part.2. tract.13. resol. 5. & 12. & part.9. tract.6. resol.2. *Ego autem dicam.* PRIMO, Non omnes horum Scriptorum sententias esse probabiles. *Cessat igitur quæstio respectu illarum, quæ in censum Probabilium non veniunt.* SECVNDO, Omnem probabilem speculativè esse tutam practicè, si in praxi reverà ponatur, ut erat in speculatione. [*Aliqui enim sunt Casus (verba do P. Mendi* in Epitom. discurs. prælegend. num.16.) *in quibus Opinio probabilis non potest ad praxim reduci: unde manet speculativè probabilis.*] TERTIO, Dato, & non concesso, quòd illæ Opiniones sint probabiles speculativè; & quòd sint tutæ in praxi secundum se consideratæ, non possunt ad illas pronunciare Senatores & Iudices. *Demonstratur: nam ista singulares sunt, & illis præcipitur Responsa sua ad communiores elimare.*

An omnes Propositiones probabiles speculativè, sint etiam probabiles practicè?

Debent Iudices secundum communiorem sententiam pronunciare.

Hinc patet Tertiò. Medicum, etsi doctè procedat, & in morbis acutis & periculosis opiniones probabiliores & communes sequatur, si ipsæ, quod sæpe solent, in seipsis falsæ sint, finem (conservare in bonâ valetudine sanum, aut recurare infirmum eumque sanitati restituere) minimè consequi.

Finem suum sæpe non adsequitur Medicus, etsi doctè & sincerè procedat.

Stat ergo inter Maiores Facultates (quo nomine in Vniversitatibus Theologia, Iurisprudentia, & Medicina intelliguntur) hanc in praxi ultimam difficillimam esse, nam ex maiori parte non ab studio, librorum lectione, eruditione; vel, ut verbo dicam à Veracitate, seu ab esse rerum apprehenso, sed à fortuna & casu, quoniam à Veritate, quæ sæpe humanitùs est incognoscibilis, tota dependet. Quamobrem illud Lemma,

XLII.
Facultates Maiores, quæ?

Et caret eventu spes bona sæpe suo.

Etsi alibi interdum, in re tamen sine ulla hominum culpa passim verificatur. Quod attente considerans ad Thessalum [a] *Medicorum & Medicinæ infensissimum hostem converto oculos, & sic exclamo. Voluit in singulis scientiis Deus Cruces erigere, hoc est, Difficultates prorsus irresolubiles, ne superbirent Scholastici, ubi viderent aliquas Conclusiones se scire. Sunt in Grammatica duo nomina, nempe,* Nihilum, & Infinitum, *quorum significationem innuere solet, at nequit Humanus Intellectus comprehendere. In Arithmetica sunt Radices Quadrata & Cubica, quibus fragmenta adhærent: nam tametsi exactè Numeris Quadratis 16. & 25. Latera designemus, nescimus exhibere intermedia. In Geometria occurrunt statim Lateris & Diametri proportio, Circuli Quadratura, & multa alia. In Cosmographia, Locorum longitudo. In Physica vexat omnes Compositio Continui. In Astronomia Deus solus est, qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat, & qui Planetarum descripserunt Hypotheses, an per circulos ipsi, an per ellipses convolvantur, ignorant. In Theologia Scholastica pleraque speculativa*

a] *Plinius* libr 29. cap. 1. *Eadem ætas Neronis principatu ad Thessalum transilivit delentem cunctorum Maiorum Placita, & rabie quâdã in omnes eius ævi Medicos perorantem.*

Recensentur aliquæ ex multis Difficultatibus, quæ Humani Ingenij captum superant.

speculativæ Conclusiones à Fundamentis Philosophicis pendent; quæ, quoniam nos latet eorum Veritas, Placita *nominantur. Et in Iurisprudentia, sæpe frustra ad labores, si Canonis aut Legis rationem adsignare volueris. At nemo obloquitur Grammatico, nemo Arithmetico, Geometræ, Cosmographo, &c. nemo Physico, Theologo, Iurisperito, &c. Si non prætergrediatur Columnas, quibus inscriptum est,* NON PLVS VLTRA. *Si non intelligat & expediat Difficultates, quæ humanitùs non sunt resolubiles. Cur igitur in solùm Medicum invehuntur Iuniores Thessali, illumque incriminantur, quòd hominum ætatem divinitùs definitam non proroget, cùm ignorare nequeant habere in singulis præfixum terminum, apud quem succlamant Humanæ Vires* NON PLVS VLTRA. *Ait enim Iobus:* Breves dies hominis sunt, & numerus mensium eius apud Te (*Deus*) est. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.

Non esse eur ægroti, quibus male prospicitur, in Medicos vociferentur.

Iob. 14.





DIALEXIS



DIALEXIS PROOEMIALIS.



Nonnullas Rerum & Nominum Definitiones valde necessarias præmittens.

NON hîc (Amice Lector) Prologum, sed Prodrómum 1
meæ Dialexi præscribo: non enim præfari volo fusè, sed cursim multa insinuare veriùs, quàm dilucidare & exponere. Nihil ineptius lege, inquit Seneca, affectâ Prologo: at ego nulli legem impono, cùm propriam sententiam edissero. Moneo, non doceo: spero tamen, ut quæ viri eruditi monentur, si legerint, amicè doceant.

Cur Prodromum potiùs quàm Prologum Dialexi huic præmittamus?

An leges habere possint Prologum?

Et meritò ab eruditis solis legi volo: alij enim, ubi audiunt, quæ à suis Præceptoribus non receperunt, putant ineptias dici, ac si unius scholæ gymnasium universas contineret Athenas, & unîus Academiæ Prælectores possent aliis universis præscribere. Trado, non novam, sed antiquam; non singularem, sed communem doctrinam, ut à num. 457. videbitur: cujus tamen genuinum fundamentum, aut non tetigere Antiquiores, aut reflexi actûs defectu se tetigisse non animadvertisse videntur. Et quid si novam traderem? Non est mala nova, si vera.

Cur liber hic solis doctis & eruditis scribatur?

An eius doctrina sit nova?

An, quæ nova damnanda?

Hæc de Dialexi libuit sub initium præfari: nunc de ipsomet Prodromo aliquid subjungamus. Eædem Latinæ voces in libris Veterum & Iuniorum leguntur, sed non eodem semper sensu: & quia non inter se illi, aut isti universim conveniunt, oportet, ut quo nos sensu illas accipiamus, breviter explicemus.

*Quænam in hoc Prodromo expositu*ri simus?*



CAPVT I.

De Definitionibus.

Vt omnem claudat aditum λογομαχίας, agit de Terminorum acceptione Naturali & Morali, præcipuásque, quæ circa Intellectûs & Voluntatis operationes moveri solent, edisserit Difficultates.

2 OMNIS, quæ à ratione suscipitur de aliquâ re Institutio, ut monet Cicero, *debet à definitione proficisci ut intelligatur, quid sit de quo disputatur, & innotescat nodus Difficultatis.* Et quia non loquimur per conceptus, ut Angeli, sed per voces: à vocum notione incipiemus, plurimæ enim Quæstiones, quæ videntur difficiles, à Definitionum differentiâ nascuntur; & hæc ipsa differentia à diversâ vocum acceptione suboritur: & desinunt in Quæstiones de nomine, quæ sub initium de re, & quidem maximâ reputabantur. Cognoverunt hanc difficultatem Viri docti, & inter eos Ioannes Adamus Scherzerus, ut remedium aliquale adhiberet, *Manuale Philosophicum* ann. 1654. Lipsiæ edidit, in cujus Epist. Nuncupatoriâ suum Mecœnatem compellat his verbis. [Non adscendam ad Facultates Superiores, sed demittam me tantùm ad Philosophiam. Deus bone! quot dissidia, quot iurgia sæpe de *Literis*, & *Syllabis*, de *Quodlibeteitatibus*, *Haceitatibus*, *Scoteitatibus*, vno verbo

Cicero lib. 1. offic.

Quomodo loquantur Angeli?

Multa tandem sunt Quæstiones de nomine, quæ sub initium de re, & gravissimâ reputabantur?

Quanta oriantur in scholis dissidia ob Definitionum differentiam?

verbo, de asini vmbrâ! Quando ad nucleum (arroso & morso inutiliter, laboriosè tamen, & ad stuporem vsque, dicamne dentium? putamine) vel tandem per tot discrimina ventum est, sinciput demum magis fit vertiginosum. Ille enim hanc, iste aliam affert definitionem, ludens cum Quiditatibus rerum, ut pueri cum astragalis. Hinc tam bene inter se conveniunt, quàm bene canis Tobiæ cum baculo Mosis: & propterea tot habemus Definitiones, quot Definitores; tot capita & sensus, quot cudones; tot Philosophias, quot Philosophos. Fons mali est studium innovandi [a] & nolle contentum esse approbatis hactenus à Claris Viris Definitionibus rerum. Fieri namque non potest nos unquam convenire in Principiatis, si in Principiis divellà sentimus. Quemadmodum impossibile est, eandem numero Peripheriam è duobus duci centris. Vnde vel me tacente ipse vides, quid Theologia quoque, quæ utitur ministerio Philosophiæ, exinde capiat detrimenti, si Naturalia evertantur Fundamenta. Evertuntur autem, si Definitiones Entium pervertuntur, permutantur, immutantur, vel saltem dubiæ redduntur. Sufficiat pro exemplo sola doctrina de causis, & quidem circa causam per accidens, Moralem, & Instrumentalem. Quæ profectò lites circa horum terminorum definitiones, pernitiosas in Theologiâ gignunt controversias: partim Calvinianos, partim (Catholicos) partim quoque Remonstrantes tantùm non defendentes. In hisce scilicet punctis: *An Deus sit causa peccati per accidens? De merito item bonorum operum: & influxu Fidei, & Iustificatione*, &c. Quapropter maximè necessarium esse videtur, receptas & communes Rerum Definitiones retinere, ut uno ore, & vna philosophemur mente. Et ille profectò non exiguam operam (meo quidem iudicio) in publicum conferret, qui in commune Lexicon, omnibus publicâ lege pro Authentico habendum veras Definitiones terminorúmque redigeret acceptiones. Si enim Grammatici sua ubique habent vocabularia (absque quibus si foret, nullus cum altero sermonem serere posset amplius) cur eadem non est felicitas Philosophiæ? Non ita sanè iretur per ambages, ut fit hodie, dum unus contradicit alteri ex planè diversâ & contradictoriâ terminorum acceptione. Quomodo Gilb. Acheus *rationem causandi* dicit, quod Peripatetici omnes *causalitatem*; & contrà, quod hi *rationem causandi*, ille *causalitatem* vocat. Proinde necesse est unum eâ ratione ex cepis, alterum ex alliis de eadem re disputare. Hinc res eò rediit hodie, ut nemo fere cum altero intrepidè disceptare possit, nisi prima actio instituatur de Nomenclaturâ & acceptione terminorum satis imperiosâ authoritate subinde hoc ingeminato. *Sic ego acceptum volo hunc terminum, non aliter, sic volo, sic iubeo*, &c.] Hæc omnia Scherzerus. Et verè quidem: nam sicut inter Arrianos & Catholicos, aut etiam inter ipsos Catholicos, de vocum *Persona, Hypostasis, Subsistentia, Substantia, Natura*, & similibus gravissimæ olim fuerunt dissensiones exortæ; & sicut tota S. Cypriani contra Cornelium Pontificem Maximum animositas, distinctionis, quæ inter causam Principalem & Instrumentalem est, ignoratione fundabatur; sic hodie Hæretici novas liberi arbitrij, Fidei, Gratiæ, Charitatis, Iustificationis, &c. definitiones, acceptionesque comminiscuntur, & in legem Dei committunt; nam legis verba materialia complectentes, contra legis nituntur voluntatem. [b]

Quàm multæ & variæ sint cuiuscumque rei definitiones?

a] Videtur hic Scherzerus nova omnia increpuisse, & interim. §. *Sed tamē*, Sic loquitur. *Desideravi adhuc viā aliquam de vero Definitionū usu, nondū, quod sciam, expositam*, &c. Reliquerunt ergo nobis Antiqui, quæ inveniemus.

Præcipua inter Catholicos Hæreticósque cōtroversia.

De communi Lexico. An illud deberet omnibus præscribi publicâ authoritate? Philosophi in Terminorum significatione, & acceptione non conveniunt.

Sunt de vocibus Quæstiones, quæ primo aspectu gravissimæ reputabantur.

De Controversia Arriana rursu.

Cur Cyprianus in Cornelium scripserit?

b] Iuris Pontificij Regul. 88.

Hinc specialiter laudandi veniunt Iurisperiti, qui ne λογομαχίαις implicentur, de vocum significatione disserunt erudite. In Vocabulario utriusque Iuris anno MDXL. Lugduni edito, hæc habes.

[Vocum proprietas, significatio, ac interpretatio quanti in Civili Prudentiâ sit momenti hoc ipso manifestum est, quòd Iurisconsulti fere simul ac Edictum aliquod propositum est: mox ad verborum interpretationem properant: nec in Edictis modò id observant, sed in cæteris quoque ferè omnibus iuris tractatibus. Hinc Labeo Antistius, teste Gellio: [a] Iuris quidem Civilis disciplinam principali studio exercuit: & consulentibus de iure publico responsitavit: cæterarúmque bonarum artium non expers fuit: & in Grammaticam sese, atque Dialecticam literásque antiquiores penetraverat, Latinarúmque vocum origines rationésque percalluerat: eáque præcipuè scientia ad enodandos plerósque Iuris laqueos vtebatur. Hinc M. Fabius Quintilianus Romanæ togæ gloria: quem omnibus sine controversia ingeniis anteponit Vallensis: exactissimi Vir iudicij, quæstionem omnem Iuris verborum proprietate, aut æqui disputatione: aut voluntatis conjecturâ contineri asserit. Sic quodam loco Cicero: tantus ille Vir, ut Romanum forum similem nunquam habuerit: proprietatem Iurisconsultorum peculiarem esse affirmat. Et planè Iurisconsulti omnes, qui inter manus versantur, hoc est: hi de quorum scriptis excerptæ sunt Pandectæ [b] (ne quid de priscis illis dicamus, quorum ad nos scripta nō pervenerunt.) Nihil est meâ sententiâ (inquit Valla) quod addi adimíve posse videatur: non tam eloquentiæ (quam quidem materia illa non magnoperè patitur) quam Latinitati, atque elegantiæ, sine quâ cæca omnis doctrina est, & illiberalis, præsertim in Iure Civili. Vt enim Quintilianus inquit omne Ius aut in verborum interpretatione positum est, aut in æqui pravique discrimine, &c.]

Et tanta cura in exponendis vocum sensibus necessariò adhibetur, aliàs enim esset impossibile, ut homo ab homine posset intelligi: quod scitè testatur S. Thomas, inquit enim. [Duæ offensæ in scripturis hominum inveniuntur: error scilicet contra ipsam veritatem sicut in doctrinis hæreticorum contra fidem invenitur, de quibus est certum, quod falluntur in ratione humanâ, quia argumenta contra fidem

Cur Legistæ & Iuristæ tam accuratè disputent de vocabulis?

a] Hunc quem vocat Gellium, & alij dicūt Aulum Gellium debebat Agellium vocare.

An, & cur de significatione vocū disputaverit Labeo?

Cur etiam Quintilianus? Cur Cicero?

b] Non facilè crediderim illa verba, *excerpta sunt Pandecta* à Vallâ usquā scripta: Valla enim est Author Latinitatis gloriâ celeber, & illa constructio continet solœcismum, nam *Pandecta*, sicut *Planeta*, *Cometa*, &c. nomen est masculinū.

S Thomas *Opusc. 72. fol. 137.*

Cur Hæreticorum scripta sint erronea?

fidem non sunt fundata super prima Principia, vel lumen naturale, quia Deus & fidem, & naturalem scientiam homini tradidit. Est & alia offensa in scripturis, & quidem satis frequens, difficultas, scilicet deveniendi in mentem Authoris, quod dicitur esse in tantum à quolibet studioso. Pauci enim, vel nulli aliquid scripserunt, qui ab hoc immunes sint, quia secundum August. 5. *de Trinit.* nunquam fuit aliquis, qui in omnibus ab omnibus intelligeretur.

An sit scriptor, cuius omnes doctrina ab omnibus intelligantur.

Sperantes igitur cum Dei adiutorio in Operibus nostris primam offensam evasisse, alteram quantum possibile est, vitare desideramus. Vnde quæ in diversis locis posita sunt, eadem dumtaxat quæ occurrerunt nobis de huiusmodi cogitantibus, quæ inter se aliquibus videntur dissona, quibus mens nostra non satis est nota, sic concordare intendimus, ut quomodo unumquodque in suo loco accipi debeat sine difficultate sciri possit: supplicantes, ut si quid aliquis invenerit à nobis non concordatum, si ei non sit causa dicendi, ex quo secundum Hilarium accipienda est intelligentia dictorum, discretum, & magis exercitatum consulat. Si vero non fuerit inventum, quod simul utrumque stare possit, id illorum eligat quod magis Veritati consonum indicaverit, alterum verò revocaremus, si talis nobis discordia occurreret, &c.]

Fatetur sanctus Doctor in suis operibus multa esse, quæ possint videri contraria: negat tamen illa reverà inter se contrariari.

Cur Prodromus hic præmittatur?

Hanc ego ob causam, quia multa sunt in nostris & etiam aliorum Illustrium scriptorum libris, & in hac Dialexi præcipuè, nomina, in quorum ratione, significatione & acceptione, Theologi excellentes dissentiunt, hunc Tractatum præmitto, qui exornari non potuit, quin etiam aliqua ponerentur, de quibus nulla erat disputatio. Illum sincero animo perlege: & vive, ut opto, salvus & incolumis ad multos annos.

D E V S.

De Nomenclatoribus, An omnibus & singulis rebus imposuerint convenientia vocabula?

NOmenclatores prisci (illi videlicet, qui in singulis provinciis, aut regnis res opportunis distinxere nominibus) non fuerunt Theologi, non Philosophi, non Metaphysici, & ideò nec rebus Divinis, nec Supernaturalibus, nec Spiritualibus, nec secundis Intentionibus, nec Moralitatibus, aut Virtualibus imposuerunt vocabula: sed intra rerum sensibilium sphæram continuerunt sua λέξεις; ita, ut verborum Thesauri communes terminos cum rebus corporeis haberent. Nec mirum; nam apud Lynceum *tom.3. lib.7. Metaphysica, tract.2. cap.1. pag.303.* S. Thomas *1. part. quæst.64. art.7.* & eius cum ipso discipuli, obiectum naturale Intellectus esse quiditatem rei materialis arbitrantur.

De obiecto naturali Intellectûs.

Vnde, nisi à Deo elevetur, & illuminetur Intellectus, serpet inter Entitates corporeas, & non se subriget ad spirituales, aut supernaturales contemplandas. Supervenerunt homines maiori ingenio prædіti, qui non sine luce divinitùs communicatâ inceperunt sensibilia admirari causas inquirere,

An, & quo possint modo spiritualia & supernaturalia speculari?

& insensibilia rimari. Hi fuerunt Scientiarum Eminentiorum Inventores: & quia non habebant in linguâ communi sufficientia vocabula, coacti sunt, vel nova fingere, vel usu iam recepta contra usum, per similitudinem ad res novas designandas transferre. Et quidem, tametsi multa invenerint, adhuc hodie plurima nos deficiunt, quorum defectu nec scimus, nec possumus, etsi diligentiam providam impendamus, mentem nostram exprimere; & ideò cogimur per circumloquia insinuare, quæ volebamus definire. Aliqua nomina in exemplum ponamus.

An careant plurima res propriis vocabulis.

3 *De nominibus, Deus, Διὸς שדי Sadai, אדני Adonai. יהוה Ieova.*

Et primum occurrit nomen DEVS, cuius obiectum latriæ cultu adoramus. Sed unde provenit? Tres derivationes eruditas reperio. Prima illud à voce Διὸς Græcâ deducit: Secunda à *Do* verbo Latino; Tertia à שדי *Sadai*, voce mysteriis plenâ, aut etiam ab אדני *Adonai*, voce Hebræâ, quam Iudæi quidem proferunt, sed scribunt יהוה quos characteres dicunt ineffabiles esse.

An nomina priùs dicantur de creaturis, quàm de Deo?

Primam derivationem esse congruam, admittet, qui ignorare noluerit, nomen *Deus* sicut & alia quæ *Divina* vocantur, priùs de creaturis dicta, fuisse translata ad Deum. Audi D. Carolum de Tomasiis ex Duce Parmæ Clericum Regularem *quodlib.2. Schol.34* dicentem [Nota nomina analoga Deo & creaturis, quoad impositionem, dici priùs de creaturis, quàm de Deo; quia prius cognoscimus illa in creaturis, quàm in Deo: quoad significationem verò priùs dici de Deo, quàm de creaturis; quia non solùm competunt illi ut causæ, sed essentialiter omnia in illo præexistunt eminenter, & quidquid est, in Deo est formaliter Deus.]

An de Deo principaliùs?

Gentiles adorabant suos Principes.

Saturnus, Cælus, Iupiter, &c. erant nomina appellativa, & significabant dignitates.

Certùm profectò est Ethnicos adorasse suos Principes; & hos merà crudelitate à subactis populis Divinos honores extorsisse. Xenophon universim asserit, *Saturnos dictos, nobilium Regum vetustissimos, qui condiderunt urbes & populos; ac proinde non unum, sed plures fuisse Saturnos, quorum patres dicti sunt Cæli, Filij verò Ioves*, &c. Additque *hæc nomina fuisse dignitatis & Deitatis cuiusdam apud rudes priscos ob nominis celebritatem inventa.* Vide Kyrcherum *Ædipi.tom.1. Syntagm.3.pag.180.* Et agens in particulari idem Xenophon. *Nimbrodus est Saturnus, cuius Filius Belus est Iupiter Babylonius* (quod etiam Diodorus scribit) *similiter Cameses apud Ægyptios* (quem Hebræi *Cham*, Ægyptij *Chem* proprio nomine appellant) *est primus Saturnus; cuius primogeniti Osiris & Isis, Ægyptius nimirum Iupiter & Iuno.*

An apud Babylonios Nemrod fuerit Saturnus, & Belus Iupiter?

4 *Nemrod quasi nemphroodt Cape panem.*

Porrò Nemrod (Saturnus Babylonicus) in Sacrâ Paginâ (*Genes.10.9.*) dicitur *Fortis venator coram Domino.* Hic occæpit cæteros debellare & prosternere; & qui se nollent colere, spoliare & exsuere, ut non sit de nihilo ratio illa nominis, quam ex Cimbricâ linguâ (eius sententiâ primâ) adducit Goropius Becanus, existimans dictum fuisse *Nembrod*, quasi *Nempbroodt*, hoc est, *Capè panem*, nam & hodie *Broodt*

Qualis fuerit?

Antiqui Principes voluerunt dici & haberi ut Dij.

nemer, qui panem furatur, vocatur. Hic igitur eos, qui nolebant se colere, aut occidebat, aut possessionibus & mediis, quibus alerentur, privabat. Ergo omnes violentiâ & terrore ad sui cultum pellebat. Porrò Nemrodi Filius Belus fuit, & nepos Ninus. Huius Epitaphium iussu Semiramidos, uxoris suæ, marmori incisum *libr. de Æquivoc.* producit Xenophon & ex eo Schot. *in Technica lib. 7. pag. 560.* Illudque hic in Eruditorum gratiam scribo.

a] Nescio, an Epitaphij Author, fuerit satis versatus in Historiâ: quoniam Oggen (lege *ὠγύγην* *Ogygen*) Noachum nominare videtur. At Ogyges, ut *libr. de Civit. Dei.* S. Augustinus testatur, Thebanorum Rex fuit, qui Bœotias Thebas ædificavit, circiter mille quingentos annos ante Vrbem conditam. Sub hoc asserunt Rege inundationem magnam accidisse, minorem Diluvio, sed Deucalionæâ maiorem.

Mihi Pater Ivpiter Belvs:
Avvs Satvrnvs Babylonivs:
Proavvs Cvz, Satvrnvs Æthiops.
Abavvs Satvrnvs Ægyptivs.
Atavvs Coelvs, Phoenix, Ogiges. [a]
Ab Ogige ad mevm Avvm
Sol orbem svvm circvmlvstravit
Semel et tricies centies.
Ab Avo ad Patrem
Sexies et qvinqvagies.
A Patre ad me
Bis et sexagies,
Colvmnam, Templvm, Statvam,
Iovi Belo Socero, et Matri Rheæ
In hoc Olympo SEMIRAMIS dicavi.

Omnia, quæ de antiquis Chaldeæ & Ægyptiis Regibus à variis Authoribus scripta, collegit & edidit in suo Eruditissimo Ædipo P. Kircher.

5 Sequutus est post multos annos in regno Babylonis Nabuchodonosor, qui erexit statuam (ut multi putant suam) & sub pœnâ vivicomburij illam adorari præcipit Daniel. 3. Erant edicti verba. *Vobis dicitur* (indicitur) *populis, tribubus, & linguis. In horâ, quâ audieritis sonitum tubæ & fistulæ & cithara, sambucæ & psalterij, & symphoniæ & universi generis Musicorum, cadentes* (procidentes in terram) *adorate Statuam auream, quam* (vice suâ) *constituit Nabuchodonosor Rex. Si quis autem non prostratus adoraverit, eidem horâ mittetur in fornacem ignis ardentis.* Vbi consultò *constituit* dicitur, non *erexit*: nam Statua non adoranda erigi quidem poterat, at constitui non poterat; nam *constituo* est *decerno*, & *constitutio* est *decretum*. Et hæc vox, si nihil addatur, κατ' ἐξοχὴν pertinet ad Religionem, unde *lib. 3. de legib.* & *libr. etiam. 3. de Bruto* dixit Cicero, *Constitutiones Religionum.* Audiebant miseri Babylonij illa tremenda verba, *mittetur in fornacem*, & timore perculsi ad statuæ pedes provoluti, adorabant sculptile.

Interim, si anno mũdi 1656. ut Genebrardus vult diluvium accidit, & 3401. Roma conditur inter Noachum & Ogygen erunt 245. anni.

De statuâ Nabuchodonosoris. An fuerit eiusdemmet Regis? An verbum constituo sacrum sit; &, si nihil addatur, intelligi debeat de re sacrâ?

Ergò crudelis statuam tunc Principis illo
Solus in orbe deam fecit timor.

Faciliùs, aut etiam potentiùs, quàm virtutes propagantur scandala, & ideò Chaldæorum ad Græcos transivere deliria, ita ut multi voluerint honoribus Divinis suspici. Inter eos Alexander maiori fastu & strepitu *Deus dici* voluit, & orationem cum adoratione confundens, noluit à subditis, nisi adoraretur, orari. Sabellicus *lib. 5. Enn. 4.* [Post res in Asiâ gestas, cùm iam Indicam suscepisset expeditionem, cæpit in tanto rerum successu, gloriæ cupidus, ut iam non aliter quàm prostratis humi corporibus se salutari pateretur.] Et quomodo id obtinuit? Respondeat Cassander Antipatri Filius, cuius caput, quia hunc cultum irrideret, per crines ambabus manibus ad parietem contudit. Plutarchus *in Alexandro.* Ergò, si sic prisci illi Principes cultum extorquebant à populis, quid mirùm exclamasse Papinium.

Se velit ut Deum præcipit Alexander

Quantâ violentiâ cultum extorserit?

Primus in Orbe Deos fecit Timor?

Adorarunt etiam prisci benefactores suos titulo gratitudinis: ob agriculturæ inventionem Cererem; ob vinearum usum, & vini expressionem Bacchum, ob Artes Mechanicas Vulcanum, ob Liberales Minervam, ob Militarem Martem, ob Medicam Æsculapium, &c. & tunc vocem *Deus* deduci voluerunt *a dando*, ut qui beneficia præstet sit Deus, &, qui non præstet, non sit Deus.

An, & cur Devs *à timore dicatur?*

An potiùs dicatur à dando?

Divinitas ergò illo ævo apud Heterodoxos, sive à timendo, sive à dando sit dicta, erat extrinseca quædam denominatio à causâ, vel effectu, desumpta, quo respiciens Martialis sui ævi mores considerans sic cecinit.

An opinione Gentilium Divinitas fuerit quædam extrinseca denominatio?

Qui fingit Sacros auro vel marmore vultus;
Non facit ille Deos, qui rogat ille facit.

An Dij fiant, quando rogantur, aut orantur?

Fuit imitatus Ovidium, qui libr. 4. de Ponto. eleg. 8. dixerat.

Dij quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt:
Tantaque Maiestas ore canentis eget.

Et utrumque D. Garcias Coronel in Comment. ad sol. 1. vers. 35. dum cecinit.

No solicito el Cielo mas piadoso
En mi fortuna, ni al poder humano,
Haze Deidad mi ruego fervoroso.

Et posteà altioris Philosophiæ periti, quia in vero Numine Iustitiam & Providentiam cognoverunt timendum ob pœnas quas infligeret, amandum ob beneficia, quæ largiebatur, dixerunt, & retinuerunt vocem *Deus*, & sublatis omnibus imperfectionibus per illam summè iustum, & summè bonum nobis significarunt.

Cur Orthodoxi vocem Devs *retineamus?*

6 Philosophi ad cælum convertentes oculos perceperunt clarissimè illud non posse authore & rectore carere, & hunc vocarunt *Deum*. Illorum ratiocinium fuit hoc.

Cœli enarrant gloriã Dei, & opera manuum eius adnunciat Firmamentum. *Psalm. 18.*

Nos elementa movent: elementa reguntur ab astris:
Astra Deo parent, ultima causa Deus.

Et quid Astris Deus præcipit? Manlius. 1.

Quid Deus præcipiat astris?

Nunquam transversas solem decurrere ad Arctos,
Nec mutare vias, & in ortum vertere cursus,
Auroramque novis nascentem ostendere terris,
Nec Lunam certos, excedere luminis orbes,
Sed servare modum, quo crescat, quove recedat

Nec

Nec cadere in terram pendentia sydera cælo.

Deo in cælo, & in terrâ cuncta obediunt.

Et Deo sic imperanti universa respondent γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Hæc est naturalis Theologia, ad quam Veteres (etiam Gentiles) ratiocinando pervenerunt. Vnde Callicratidas Pythagoricus solebat dicere, *Mundus, Græcè Κόσμος appellatur, ut qui per communem omnium* diacosmesin, *id est*, decoram administrationem, *ad unum optimum dirigatur. Est autem illud unum Optimum Deus ipse. qui secundum cogitationem existit* (nam intelligere Dei, est esse Dei) *vivens Cæleste, Incorruptibile, Principium & causa dispensationis omnium rerum.* Hæc est ratio tam efficax, ut Eusebius Philosophus dixerit, *Non esse quærendum*, An dij sint? *Sed protinus esse credendum. Nam quæstione propositâ, etiam ille, qui impiissimam Opinionem defendit, nempe Deos non esse, sperare conatur* Quam sententiam promovit Aristoteles dicens, *Qui interrogat, An Dij, Parentésve colendi sint? Instructione non indiget, pœnâ indiget.*

Cur Mundus Græcè Κόσμος dicatur?

Plato lib. de legib. *in sensu civili & Morali accepit Διακόσμησιν.*

An intelligere Dei sit esse Dei?

Vtrùm ab aliquo nesciri possit, an Deus sit?

Quàm fortè & clarum sit argumentum, quod à Mundi creatione & gubernatione deducitur?

Et profectò tam est efficax hoc argumentum, quod à Mundi creatione & gubernatione deducitur, ut Romanos S. Paulus instituens, *cap.* 1. 19. dixerit Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. *Quod notum est Dei, manifestum est illis:* videlicet, Philosophis Ethnicis. Sed cur est illis manifestum? ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε [a] *Quia Deus illis manifestavit.* Sed ubi, quando, aut per quos fuit ipsos adloquutus Deus? Vbique, semper; per omnia: per terram, per cœlos, per sydera: nam *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius adnuntiat Firmamentum* Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, διότι γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ ηὐχαρίστησαν. *Nam invisibilia ipsius à creaturâ mundi facta* (Deus enim factis potius, quàm verbis loquitur) *intellecta, conspiciuntur.* videlicet, *ipsa sempiterna eius virtus & Divinitas. Ad esse eos inexcusabiles, quoniam cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, &c.

[a] Radix est φανερόω.

Psal. 18.

Quando Deus loquitur, verba illius sunt prodigia & miracula.

7

Cur nivem esse nigram, dixerit Anaxagoras?

In hâc nihilominùs luce, tametsi meridiana sit clarior, sponte voluerunt cœcutire nonnulli, qui sicut Anaxagoras gloriam venari voluit, quod nigram esse nivem assereret, sic ipsi oculatiores cæteris voluerunt esse, quod Deum, quem cæteri in creaturis videbant, non viderent.

Deorum irrisor & contemptor Diagoras.

An hodie suos Discipulos habeat?

Omitto Diagoram, qui multos antiquiores habuit, à quibus hoc venenum hauriret, qui infecit plurimos, quos communicato delirio sibi similes reddidit; hominem sané impium; qui tantùm cognoscebat materialia & corporea, & ridebat nomen Divinitatis, Hic per antonomasiam ἄθεος dicitur, & sicut viam aperuit nostri temporis heterodoxis, ut miracula publicè negent, sic eos clam in atheismum manifestum protrusit. Hunc hodie Galli *Esprit Fort* (hoc est, *Fortem Spiritum*) nominant, & eius Adseclas *Esprits Forts*, Quia, cum Fortitudo vera sine Pietate nequeat concipi, unde Ovidius lib. 3. Fastor.

Cur ἄθεοι apud Gallos Spiritus Fortes vocentur?

An vera Fortitudo sit Pietati connexa?

Consilium vobis forte, piúmque dabo.

Homines Consilij Fortitudinis & Pietatis expertes, *Fortes εὔψυχοι* sunt nominati.

Quomodo Dei notitiâ à multorum hominū intellectu deleta, iterum irradiarit?

Ecce Diagoras, & alij scelerati homines, eidem similes, quam elementa & corpora cœlestia prædicant, deleverunt notitiam, mentémque humanam immissâ positivâ impietatis caligine obnubilarunt. Sed, quia non perennant violenta, ratio tenebris his offusa hinc inde Veritatis radios emicantes, si non perspiciebat, rimabatur. Et in seipsam ducta sub initium incepit dubitare, Ovidius Transformationum lib. 13.

Sub initium Latini dubitabant.

——— *Si Dij sunt, non vana precaris.*

Et Lucanus postquam de Deo fuerat loquutus ait,

Sive nihil positum, sed sors incerta vagatur,
Fértque refértque vices, & habent mortalia casum, &c.

Quia dubitabant, quæsiverunt: & quia quæsiverunt, invenerunt tandem Veritatem.

Et alij dubio perculsi, ad examen invecti, cùm primum Deum voluerunt quærere, statim in seipsis, & in quibuscumque creaturis invenerunt. Cicero *lib. 2. de natur. Deor.* omne deponit dubium, & Deum esse pronuntiat: inquit enim. *Quid esse potest tam apertum, támque perspicuum, cùm cælum suspeximus, cælestiáque contemplati sumus, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc rogantur.* Consonat sibi, *lib. de Arusp. resp.* dicens: *Quis tam vecors, qui cùm suspexit in cælum, Deos esse non sentiat?* Et posteà *lib. de legib.* distinguit Quæstionem, *An sit?* à Quæstione, *Quis sit*, inquit enim: *Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.* Cæterùm, Qui sciat, quid Deus sit, nescire non poterit, an sit.

An in Deo quæstio, An sit? à quæstione, Quid sit? distinguatur?

Verùm enim verò posteriores Romani, qui obliteratam Dei notitiam conabantur Orbi terrarum restituere, æquè ac Græci prisci *Divinitatis*, nomine nonnisi extrinsecam quandam denominationem intellexerunt. Et primò illo timendam & tremendam rem, ut etiam veteres significarunt. 8

Quid Romani intellexerint nomine Divinitatis.

Plautus *in Pseud. scen. 1. act. 1* huic etymo videtur insistere, inquit enim, *Deos quos maximè æquum est metuere, minimi facit.* Adhæret huic interpretationi Hesychius, cùm ait, Δεὸς ἢ Θεός. *Timor, aut Deus.* Et videntur huic inesse sententiæ Ethnici, qui apud Lactantium Firmianum *lib. 2. c. 2.* dicebant. *Non ipsa* (Idola) *timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus* (Numinibus) *consecrata sunt.* Et contrà instat: *Nempè ideò timetis, quod eos esse arbitramini. Cur igitur in cælum oculos non tollitis? Imago supervacua est; præstò est Deus.* Et quidem τὸν μὲν Θεὸν φοβοῦ, *Deum time* serm. admon. ad Demonicum exclamabat Isocrates. Et huius rei multa habe-

An Deum timuerint?

An ipsi non statuas coluerint, sed Numina per eas repræsentata?

Timor multos Imperatores Romanos fecit Deos.

mus exempla in Historiâ Romanâ: nam Caligula, Commodus, Nero, & alij Imperatores, qui voluerunt *Dij* haberi, crudelissima perpetrabant facinora, ut se Deos esse timido & credulo vulgo persuaderent. Philo Iudæus, dum esset Romæ, Deum esse Caligulam sibi persuaderi non voluit, & in carcerem trusus, multa fuit pro veri Dei confessione perpessus.

9 *Deus est Timor Filialis, non servilis.*

Isaaci Timor à Iacobo vocatur.

Ecce stando primariæ vocis significationi, Δεὸς est *timor*, quæ tamen acceptio sobriè sumpta, poterit retineri: nam filialem à servili timore distinguendo, ut ut Ethnici suos fictos Deos ut servi & mancipia timuerint; Verum nos Deum timemus, sed ut Filij. Et hoc profectò sensu Deum Iacobus *Timorem Isaaci*, Genes. 31. 42. vocitabat: quia eum Isaacus timebat, & ob ipsius timorem noluit Iacobo collatam benedictionem revocare. Gen. 25. 23. Et certe metuendus est Deus, & Exod. 15. 11. & Deuter. 10. 17. *Timendus* dicitur.

An nomen Deus veniat à dando?

Secunda derivatio animos generosos redolet: qui potiùs beneficiis obstricti, quàm horrore seducti Deum coluerunt. Hi Deum dici volunt *à dando*: quod omnia à Deo recceperimus. 2. Reg. 25. 9. Habet Deus, quod det, & dat nemo largiùs.

Qui, & cur apud Veteres Dij fuerint dicti?

Deus igitur stando huic nominis derivationi, nihil aliud sonat quam *Benefactorem*, unde illi apud Veteres dicti sunt *Dij*, qui cæteris favores & beneficia contulerunt. Maternus *libr. ad Constantium & Constantem Augg. cap. 7.* hanc dilucidat Veritatem his verbis. *Amat Græcorum levitas eos qui sibi aliquid contulerint; vel, qui consilio aut virtute se iuverint; Divinis appellare nominibus; & sic ab ipsis beneficiorum gratia repensatur, ut Deos dicant, ut Deos esse credant, qui sibi aliquando profuerint.* Vnde prodiit illud celebre Adagium Ἄνθρωπος ἀνθρώπου λύκος, καὶ ἄνθρωπος ἀνθρώπου θεός. *Homo homini lupus, & homo homini Deus.* Sunt enim homines crudelissimi, qui in alios sæviunt, & meritò vocantur *Lupi*: sunt & alij clementes, & ad aliorum bonum nati, & hi à Veteribus dicti sunt *Dij*.

Græcum Adagium.

Cur Augustus nominatus sit Deus, cur Domitianus?

Augustum *Deum* appellavit Virgilius, quòd se ditaverat. *Eclog. 1.*

— *Deus nobis hæc otia fecit:*
Namque erit ille mihi semper Deus, &c.

Ovidius etiam ut sibi benignum & beneficum redderet, *lib. 2. Trist.* eumdem Augustum *Deum* vocavit.

Per Mare, per Terras, per tertia Numina iuro. [a]
Per te præsentem, conspicuumque Deum.

a] Ecce Ovidius tria cognoscit elementa, & Ignis regionem ignorat.

Et Martialis *libr. 7. epigr. 7.* eâdem de causâ Domitianum.

Nunc hilares siquando mihi, nunc ludite Musæ.
Victor ab Othrysio redditur Orbe Deus.

Qualis Deus sit?

Et huc hostium Legati respicientes Alexandro obstiterunt his verbis. *Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: si autem homo es, id quod es, semper esse te cogita.* lib. 2. hist. cap. 3. Publ. Orosius. *Dei clementia est quod vivimus; quod autem miserè vivimus, intemperantiæ nostræ.*

Quintus Curtius *libr. 6.*

Bona à Deo proveniunt & mala à nobis habent quod sint talia:

An qui alit & conservat universa, sit Deus?

An, qui nullo indiget?

Inter alios Divinitatis characteres, ille est, qui *Proverb. 29. 13.* proponitur his verbis *Deus omnes alit.* Sane, qui omnes alit, & non alitur, meritò nuncupatur Deus. Propheta Rex Psalm. 15. 2. *Dixi Domino Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* Considera bene illam particulam causalem *quoniam*: ille enim, qui sibi soli sufficit, & nullo indiget, vocatur *Deus*. Hebraicè דַי. *Dai.* sufficiens & שדי Sadai, *Qui sibi sufficit.* Homerus Iliad. μ. homines, qui vocari *Dij* volunt, irridet: & ipsos non esse Deos demonstrat, quia comedunt, & cibis indigent: Et ait. οὐ γὰρ (subintellige, οἱ θεοὶ, nam de illis loquitur)

Quomodo probet Homerus, Principes, qui se esse Deos delirabant, non fuisse Deos?

Σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον
Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Non enim (Dij) cibum edunt, non bibunt calidum vinum;
Idcircò sine sanguine sunt, & vocantur immortales.

An Dij bibant, aut comedant?

Et hîc etiam causalem illam *idcircò* adnotare digneris.

10 *Græcorum Theologia cum Theologiâ Chaldæorum cōparatur.*

Hæc addnxerim, ut Græcorum Dialecticam cum illâ, quâ Chaldæi utebantur, conferam, & horum vecordiam admirer. Dicebant illi.

Daniel. 14. 2.

Vivunt: & tamen nec bibunt, nec comedunt.
Ergo sunt Dij.

Hi autem è contrario.

Bibunt, & comedunt
Ergò sunt Dij.

N.B. Verissima sunt Ciceronis verba si de Ethnicorum hæresibus intelligantur. *Sunt Dogmata*, inquit, *uniuscuiusque sectæ decreta, quæ prodere scelus est, non minùs quàm Patriam: sine quibus nec Secta Philosophorum, nec Religionum vires constare possunt.* Et hoc ipsum hæc demōstrat historia; tota enim populi Assyriorum erga Belem devotio consistebat in fraude, quâ detectâ deberet necessariò corruere.

Attendite. Erat *Idolum apud Babylonios nomine* Bel. *& impendebantur in eo per dies singulos simila artabæ duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoræ sex: Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum.* Et Daniel, ut ostenderet Belem non esse Deum, ad hominem, ut dicitur, argumentum deduxit, dicens. *Ne erres Rex: iste enim intrinsecùs luteus est, forinsecùs æreus: neque comedit aliquando.* Ergò eò fuit deducta quæstio, ut Belem non comedere, Propheta debuerit evidenter ostendere. Quod & præstitit, ut habemus in Sacrâ Scripturâ. Et tunc Ethnicis occisis sacrificulis, tradidit Bel in potestatem Danielis, qui subvertit eum & templum eius. At, quia Deo carere non poterant, & ignorabant verum Deum, invenerunt Draconem, qui comederet viveretque, & illum elegerunt in Deum; insultabantque Danieli dicentes, *Ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit Deus vivens, adora ergo eum.* Ac si dicerent.

Qui vivit, comedit, & bibit, iste est Deus:
At iste Draco, vivit, comedit, & bibit:
Ergò iste Draco est Deus.

Chaldæorū argumentū dissolvitur à Daniele practicè.

At Daniel respondit argumento practico, & Draconem occidendo, demonstravit illum non esse Deum.

Tertia derivatio voces שדי *Sadai*, & אדני *Adonai* ponit in fontibus è quibus nomen *Deus* & Θεὸν seu *Deum* derivat.

שדי Deus

Dicitur

Cur Deus dicatur שדי Sadai? Cur אדני Adonai? Cur & יהוה Iehova?

Dicitur autem Deus שדי *Sadai*, ut paulò ante monuimus, quia sibi sufficit, & ideò à Græcis αὐτάρκης ὁ Θεὸς nominabatur. Adonai אדני, est *Dominus* Et hæc vox scribitur & legitur, & est omnibus nota: at vox יהוה in quâ aliqui dicunt omnes contineri vocales, & sonare IEOVA, est minùs nota, & debet scholio aliquo dilucidari.

11 *Vnde nomen יהוה Ieova deducatur?*

Radix eius est היה, *fuit*. Reperitur Exod. 3. 14. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *Ego sum quod ens.* Et quia illud participium ὤν, *ens*, tam essentiam, quam existentiam concernit. Vtramque breviter dilucidabo. Plato Deum considerat, & ita eum esse ens asserit, ut cætera cum ipso collata, potiùs *non entia* debeant nominari quàm *entia.*

Creaturæ cum Deo collatæ nihil sunt.

Sed quis Platonem docuit tam certam & sublimem doctrinam? Augustinus *libr.* 8. *de Civit. Dei*, cum existimat Mosaicam Exodum legisse, & ex illâ lucem hanc suscepisse, quam ipse posteà (erat enim Platonicus) *libr.* 7. *Confess. cap.* 11. reddidit illustriorem his verbis. *Inspexi cætera infra te, & vidi, nec omninò esse, nec omninò non esse: esse enim quantum abs te sunt; non esse autem, quoniam id quod es, non sunt, id enim verè est, quod incommutabiliter manet.* Hinc Bernardus infert, Quid, & qualis sit Deus. In libro enim de Consideratione ad Eugenium Pontificem Maximum sic ait: [Nunc iam transi Spiritus istos, si fortè cum sponsa dicere possis & tu: *Paululum cum pertransissem eos inveni, quem diligit anima mea.* Quis est? non sanè occurrit melius quam QVI EST. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit dicente Moyse ad populum, ipso quidem iniungente: QVI EST *misit me ad vos.* Meritò quidem. Nil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est EST. Nempè hoc est ei ESSE quod hæc omnia esse. Si hæc & centum talia addas, non recessisti ab ESSE. Si ea dixeris nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare tam summum ESSE, nonne in comparatione huius, quidquid hoc non est, iudicas potiùs non esse, quam esse? Quid item Deus? sine quo nihil est: Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est, Ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est, & omnium ESSE.] Consonat Elias *in Orat.* 14. *Nazianz.* à D. Carolo de Thomasiis *quodlib.* 1. *de essentiâ Dei. pag.* 41. *b.* citatus: inquit enim *Deus, ut S. Dionysius ait, est quidem causa iis quæ sunt, ut sint, ipse autem non est ut nihil* (aliquid) *eorum quæ sunt, sed, ut supra omnia sit. Quamvis enim Deus* ENS *dicitur, iuxta illud*, Ego sum, qui sum, *Attamen ens non est, ut ea quæ sunt, (quonam enim modo Opifex, ut opera esset?) neque certò* (determinato) *modo ens; sed simpliciter &* *& peculiari* (hoc est infinito) *modo; aut velut eximiè & præcellenter, quemadmodum ipse solus novit.*

Vnde Plato doctrinam tam sublimem didicerit? An Moysis libros legerit?

Augustini doctrina.

Bernardi pul herrima verba. Similia sunt quæ in Orat. 49. Gregorij Nazianzeni leguntur, Blasphemia est, inquit, ut inane putetur, per quem cuncta consistunt, qui omnia verbo edidit, ratione constituit virtute perfecit. Cuius nutu & imperio universa geruntur, cuncta deserviunt: Et bene, quo de Deo lege scriptum est. Ego sum, qui sum, & Qui est misit me. Et, ipse salvator & Dominus: Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum verū Deū, & quem misisti Iesum-Christum. Est

Ens in Deo, prout existentiam & durationem concernit est æternum: & Æternitas est unum infinitum instans, coëxistens omni ævo, & Tempori, & dans illis, ut in suis mensuris ipsa sint. Hæc est, quæ à Iudæis nominatur אין-סוף ein-suph. *sine termino* est enim, ut definit Boëtius, *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Et sicut tametsi extra cœlos vera spacia non sunt (scitè enim *libr.* 1. *de Cœlo, cap.* 9. *text.* 99. exclamat Aristoteles, *Nec locus, nec tempus extra cælum est.*] nihilominus illa concipimus, ut Immensitatem Dei undique in infinitum fusam, intelligamus; sic similiter, tametsi ante Mundi creationem nulla tempora fuerint, concipimus tempora imaginaria, ut Dei æternitatem intelligamus. De illis loquebatur Hieronymus *in cap.* 1. *ad Tit.* cùm dicebat. *Ante Mundi tempora, æternitatem quamdam sæculorum fuisse credendum est, in quibus semper cum Filio & Spiritu Sancto fuerit Pater: &, ut ita dicam, unum Tempus Dei est omnis æternitas; immò innumerabilia tempora sunt, cùm infinitus sit sæpe, qui ante tempora omne tempus excedit.* Et huc respiciens P. Valerianus Magnus, in suis Opusculis Philosophicis Deum *Præexistentem* scitè nominat, qui enim omni creaturæ præexstitit, est Ens increatum; & hunc vocamus Deum. Sic de illo eloquitur S. Gregorius Nazianzenus Orat. *Exod.* 3. 14. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν *Ego sum ens* ita ut illud participium *Ens*, omnia percurrat tempore & 42. [Deus semper erat, & est, & erit: vel ut rectiùs loquar, semper est (Ego dicerem *fyt.*) Nam illius *erat*, & illius *erit*, nostri temporis fluxæ & caducæ naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat cum in monte Moysi oraculum edit: universum enim *esse* in seipso complectitur; quod nec principium habuit, nec finem habiturum est. Quasi pelagus quoddam essentiæ immensum & interminatum, omnem tum temporis tum naturæ cogitationem superans.]

Ergo in essentiâ sua Deus. cuius cognitio vita æterna est, &c. Qualiter Deus sit ens?

12 *Quid sit æternitas? Quis sit אין-סוף Ein-suph Sine termino? An extra cælos spatia imaginaria ponantur? An ante mūdi creationem imaginaria tempora sæcula sint concedēda?*

Præexistens an sit nomē Dei. Cognovement Scholastici huius communes multis indigere nominibus, at non videntur observasse ipsi communia verba novis indigere ēporibus. Quinque ego addidi verbo substantivo: & quia de illis scripsi speciale syntagma, hoc hic propter illud *fyt* adnotasse sufficiat.

N O T A.

De nomine Tetragrammato.

NOn videtur carere sublimiori mysterio numerus literarum, quæ Dei nomen constituunt. Quatuor illæ sunt, & ob hanc causam illud sacratum nomen in plerisque omnibus linguis tetragrammaton vocari solet. Dicitur enim Deus

13 *Nomen Dei in plerisque omnibus linguis est quatuor literarum.*

יהוה *Hebraicè.*
אדני *Iterum Hebr.*
אללא *Arabicè.*
ΘΕΟΣ. *Græcè.*
DEVS. *Latinè.*
DIOS. *Hispanicè.*
DIEV. *Gallicè.*
IDIO. *Italicè.*
GOTT. *Germanicè.*
GODD. *Anglicè.*

ESAR.

a] His libellus scriptus contra alicuum qui sub Prosperi nomine Etruscas confecerit antiquitates. Aliqui hunc Prosperum fuisse Guillelmum Postellum suspicantur: at Observationum in eû Author, asserit fuisse Thomam Fedrum, sub annum 1490.

Esar apud Etruscos nomen Dei.

ESAR. *Etruscè.*
TVPA. *Paraguayens.*

Cætera nomina notiora sunt : de duobus ultimis, quæ minùs obvia, aliquid scribamus.

Prodiit Amstelodami ann.1639. eruditus libellus, qui scribitur, *Ad antiquitates Etruscas, quæ Volaterræ nuper ediderunt,* OBSERVATIONES. [a] & *cap.7.pag.19.* hæc habet. ESAR *Etruscâ linguâ significasse Deum, nemo nescit, qui Suetonium evolvit. Prosper noster sibi ingentes facit delicias centies prolato hoc vocabulo. Sed transiit Suetonij limites: nam aliò quoque transtulit significatum. Pro Deo accipit pag.1. dum inquit,* Maximus Esar, cùm hominem creasset. *pag.33.* Cæræ templum Esaris corruit. *pag.147.* Maximo Esari non ingrati. *paulò pòst.* Si maximus Esar fuerit semper vobis Deus. *pag.1-5.* Maximus Esar. In hoc templo statua Esaris non ponatur. *Plura non congero.* &c.

Tupa apud Paraguayenses nomen Dei.

Et nomen TVPA, quo accolæ fluvij Paraguaij *Deum* significant, est mirabile. Ex interrogatione & admiratione componitur, ut à nobis exponitur in nostræ Matheseos tom.1. in Disputatione Proœmiali, quæ legitur ante Arithmeticam, art.3. pag.51.

ANGELVS.

An Angelus nomen sit naturæ, an officij?

14 ANgelorum *vocabulum, nomen est officij, non naturæ; nam sancti illi Cœlestis Patriæ Spiritus, semper sunt Spiritus, sed semper vocari* Angeli *nequaquam possunt: tunc* (enim) *solùm sunt* Angeli, *cùm per eos aliqua nunciantur. Vnde Psalmus, qui* facit Angelos suos Spiritus [a] *Hi vero, qui minima nunciant,* Angeli; *qui verò summa nunciant* Archangeli *vocantur. Græcâ enim linguâ* ἄγγελοι, nuncij, ἀρχάγγελοι *verò* summi nuncij *vocantur. Qui idcircò privatis* (specialibus) *nominibus censentur, ut* Michaël, Gabriël, Raphaël; *ut signetur etiam per vocabula, quid in operatione valeant.* Ita S.Gregorius *in homil.*

a] Hoc testimonio utitur S. Paulus *Hebr.1.* Et illud sic intellige, non ut ex nunciis Angelos creet, sed ex Angelis nuncios faciat.

Exponitur quid Angelus sit?

Sed quid secundum suam naturam est Angelus? Damascenus *libr.2. cap.3.* sic eum describit. *Angelus est,* inquit, *substantia intellectualis* [a] *semper mobilis* [b] *arbitrio libera* (adeoque intellectu [c] & voluntate prædita) *incorporea* [d] *Deo ministrans* [e] *gratiâ & non naturâ: & immortalitatem suscipiens* [f] *cuius substantia speciem & terminum* (taleitatem) *solus, qui Creator est, novit,* [g] &c. *Angeli sunt naturâ mutabiles conditi* [f] *sed facti contemplatione immutabiles, animo impassibiles, mente rationales* [h] *stirpe æterni, & beatitudine perpetui,* &c. *Natura Angelorum mutabilis* [f] *est; quia inest illis mutabilitas in naturâ, sed fecit eos incorruptos Charitas sempiterna,* &c.

An, & quomodo mutari possit?

An intellectualitatis perfectio, ab immaterialitatis perfectione dependeat?

a] Placet Thomistarum sententia, quæ asserit intellectualitatem ab immaterialitate dependêre, & repugnare substantiam spiritualem, quæ intellectualis non sit.

b] Sed cur Angeli dicuntur *semper mobiles?* Quia naturali mentis vivacitate hinc illuc ictu oculi per naturam universam discurrunt? & ideo Damascenus, qui priùs illos *semper mobiles* dixerat, ut quo loquatur sensu exponat, eos mox *contemplatione immutabiles* esse pronunciat.

An Angeli mobiles & mutabiles sint?

c] Liberum arbitrium intellectum & voluntatem dicit: quoniam, quidquid alij asseruerint, intellectus liber impossibilis est, & voluntas, si desit intellectus, operari non potest.

Quid importet libertas?

d] Immaterialitas & intellectualitas tam sunt connexæ, ut ex alterâ ad alteram consequentia procedat.

Immaterialitatis, & intellectualitatis connexio.

e] Omnes Angeli administratorij sunt Spiritus: Deo adsistunt, & illi ministrant: hoc autem ipsum non illis ex naturâ suâ convenit, sed ex gratiâ & misericordiâ Creatoris.

Cur Angeli ministrent Deo?

f] Vnde autem habent, quòd immortales sint? Aliæ res per corruptionem, & aliæ per annihilationem esse desinunt. Et, si agatur de primis, Angeli incorruptibiles sunt; nam corruptio est formæ à materiâ separatio, aut formæ in materiâ desitio, & primo homines modo, secundo cæteræ animantes corrumpuntur. Angeli autem, quia materiâ & formâ non componuntur, à naturâ suâ habent, quòd incorruptibiles sint. Cæterùm, si agatur de secundis, cùm conservatio sit actio Dei liberâ, & Angeli annihilabiles profectò sint, Sempiterna Angelorum duratio dependet à misericordiâ conditoris.

Cur sint immortales? Cur incorruptibiles? Quid sit corruptio? Cur sint nunquam adnihilandi?

g] *speciem,* & *terminum* vocat, aut naturam & personalitatem, quæ illam terminat: aut speciem & taleitatem, quæ illam determinat. Et tam difficilis est utriusque cognitio, ut licèt plurimi de alterutrâ eruditè loquantur, veras earum essentias solus, qui creavit, novit.

Quid hic speciei & termini nominibus intelligatur?

h] An-ne Angeli sunt rationales? Asserunt omnes, qui Hominem esse dicunt, *Animal rationale mortale,* ut distinguant ab Angelo, qui eorum sententiâ est *animal rationale immortale.* Hic, ut vides, illis Damascenus consentit. Sed & S. Gregorius inter Hominum & Angelorum intellectum differentiam non reperit, homiliâ enim vigesimâ-nonâ in Evangelia, illa Christi verba, *Prædicate Evangelium omni creaturæ,* eruditè dilucidans, sic exclamat, *Nunquid, Fratres mei, sanctum Evangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur,* Prædicate omni creaturæ? *Sed omnis creatura nomine signatur Homo. Omnis autem creatura aliquid habet Homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creaturâ Homo, iuxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cùm soli homini prædicatur.* Interim est communis opinio, quæ docet homines per discursum, Angelos res intuitivè cognoscere: sed, si rem velimus accuratè perpendere, subscribemus Damasceno & Gregorio, nam sine discursu Homines res multas aliquando

De Angelis. An ratiocinentur? An in intellectionis gradu cum hominibus ipsi conveniant? Marc.16 v.14. An, & cur Homo sit omnis creatura? An per discursum Angeli, & an sine discursu homines aliqua intelligant.

aliquando percipiunt, & Angeli interdum ex præmissis priùs cognitis ratiocinantur.

HOMO.

15 *Qualis Homo sit?*

EST omnium materialium creaturarum nobilissima, *ff. de edil. edic. leg. Iustiniane.* Abbas post Ioannem Andream *in cap. siquis de fur. num.* 3. ubi ait. [In eo attenditur reverentia Divinæ pulchritudinis.] *in leg. siquis in metallum, C. de pœn.* & *cap. ad audientiam. de crimine falsi.*

Vnde dicatur. אדם אדמה

Latinè *Homo* dicitur, ab humo; quia ex terra est, & in terram ibit. Nam & Hebraicé vocatur אדם ADAM, quia ut constat ex Divino Textu, ex אדמה ADAMA, *terrâ rubrâ* formatus est. Et huc respexit S. Paulus cùm dixit, *Primus homo de terra terrenus; secundus homo ipse de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni, qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Quæ veritas etiam innotuit ethnicis; cecinit enim Phocylides.

Apostolus 1. Corinth. 15.

Componi ex corpore mortali & animâ immortali hominem, etiã Ethnici cognoverunt.

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμὲν, ἀὴρ δ' ἀνάπνευμα δέδεκται.

Corpus enim ex terrâ habemus, & penitùs in ipsam
Soluit: pulvis sumus: aër (cœlum) verò spiritum recipit.

An. & cur Homo à concordia dicatur?

Ratio nominis *Homo* ab omnibus passim admissa (nempe, *ab humo*) Varroni displicet, quòd id sit animantibus universis commune; & vocem iubet *à concordiâ* deduci, quoniam ὁμόνοια, ας, ἡ, *concordia* est, & ὁμονοίω *consentio.* Quæ etymologia monet homines, sociabiles esse, & inter se concordiam & amicitiam conservare debere; & inhumanos prorsus censeri illos, qui contentionibus, rixisque delectantur. Et quia ὅμοιος est *similis*, monet etiam hominem sibi debere esse semper simillimum; & in bono constantissimè perseverare; nam, qui sibi est dissimilis, non est, cui homines prudentes confidant.

Debent homines concorditer & pacificè vivere; & morum, semper similem elegantiam servare.

Græcè dicitur ἄνθρωπος: sed hanc vocem alibi fusius dilucidavi. *ἄνθρωπος.*

Iuvat ad linguam maternam recurrere: quoniam *Hombre* Hispanicè dicitur quasi *umbra*, quoniam ut exclamat Patriarcha Iob, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore; repletur multis miseriis; quasi flos egreditur, & conteritur, effugit sicut umbra, & nunquam in eodem statu remanet.* Has Iobi lineas videtur legisse Homerus, nam ξ Iliados cum arborum foliis homines comparat. Eius verba sunt hæc.

Hombre.

Iob cap. 14. art. 1.

An, & cur Homo ab umbrâ dicatur?

Οἵαπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν
Φύλλα μὲν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη
Ὣς ἀνδρῶν, γενεὴ; ἡ μετὰ φύει, ἡ δ' ἀπολήγει.

Quale foliorum genus, tale hominum.
Folia quidem alia ventus humi fundit, alia verò sylvâ:
Pullulam gignit; quando veris venit tempus?
Sic hominum profectò genus, alind quidem nascitur, alind autem moritur.

Est controversia agitata & difficilis, & quæ Ingeniosos Philosophos anxit & angit, *An, & possit debeat-ve modo Homo in substantiæ Prædicamento collocari?* Similis etiam Quæstio de Deo, & Angelo proponi solet.

An, & quo Homo modo in Prædicamento ponatur?

Alij enim, ut Deum, & Angelum excludant, asserunt, Ens Prædicamentale, quod in decem Categorias passim dividitur, esse Corporeum asserunt. Et hac hypothesi semel admissâ exclusio stat: at hypothesis nunquam suadebitur; nam æquè potest per decem Prædicamenta distribui Ens à Corporeo & Incorporeo abstractum.

An Deus, & Angelus in substantia Prædicamento locum habeant?

De concepru entis, quod in decem Categorias dividitur.

Alij iubent Ens illud Prædicamentale esse Finitum, & ideò excludunt Deum, includunt Angelum: ille enim infinitus, iste finitus est. Ad horum mentem superiora Prædicamenti substantiæ Capita sic debent coordinari.

An finitum & limitatum sit?

N. B. Necesse est ponere entis attributa Systematica (videlicet Præcisionem, Materialitatem, Spiritualitatem, Supernaturalitatem, & Infinitatem) ut Prædicamenta intelligantur.

ENS
Finitum.

SVBSTANTIA
- Corporea *& distribuitur per varios gradus, ut statim videbimus.*
- Incorporea. *Et hæc est Angelus, & iuxta Angelicum Doctorem in varias species subdividitur.*

ACCIDENS. *& hoc subdividitur in novem Prædicamenta Materialia.*

CATEGORIAM MATERIALIS SUBSTANTIÆ
sic Peripatetici, quos alij sequuntur, describunt.

SUBSTANTIA
Corporea

- **Simplex** — *Et huc pertinent quatuor elementa quando sunt pura.*
- **Mixta**
  - **Non-vivens** — *Et huc pertinent met illa, & lapides.*
  - **Vivens** — *Et hunc gradum constituit Anima Vegetativa.*
    - **Insensibile** — *In hoc constituuntur genere multæ & variæ arborum & plantarum species; quarum aliæ sunt fructiferæ, & aliæ serviunt aliis usibus; nam, ut sciтè ait Aristoteles,* Deus & Natura nihil faciunt frustra. [a]
    - Est gradus Inter utrumque medius, in quo omnia constituuntur ζωόφυτα; & hæc Latinè *Planti-animalia* dici possent, quoniam utramque vitam (vegetativam, sensitivamque) participant.
    - **Sensibile**
      - **Irrationale** — *Huc refer omnia Animantium genera; & præcipuè reptilia, pisces, volucres, quadrupedes, &c. quæ in alia etiam genera subdividuntur.*
      - **Rationale.** — *Animal rationale est* Homo: *qui corpore & animâ (illo materiali, & hac spirituali) concinnatur.*

a] Particula & non semper est coniunctiva, nam interdum est expositiva, & significat *id est*. Vt id probetur, alij diversa testimonia conglomerent, Tibi autem hæc verba Philosophi sufficiant: *nam* Deus & (*id est*) Natura &c. nomine enim *Naturæ operantis* (seu *Naturantis*, ut loquuntur Theologi) intelligi debet, solus Deus.

Quàm nobilis creatura homo sit? Psalm. 8. sub fin.

An animal in Rationale & Irrationale dividatur? An Homo sit animalis species?

P. Valerianus Magnus Capucinus, Vir subtilis ingenij, cuius Scripta (paucâ & brevia illa sunt) cum applausu leguntur, tolerare nolebat Hominem [*quem minuisti (Deus) paulò minus ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius; oves, & boves universas, insuper & pecora campi; volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris,* &c.] asseri Animalis speciem, & hanc ob rem eum in Substantiæ Incorporeæ Prædicamento constituebat; illudque per gradus istos derivabat.

Quæ sint Substantiæ totaliter, & quæ partialiter immateriales?

SUBSTANTIA
Immaterialis, Incorporea, seu Spiritualis

- **Totaliter Incorporea.** Angelus. *Sunt Angeli Substãtiæ simplices, totaliter spirituales.*
- **Partialiter Incorporea** Homo. *Est Homo Substantia composita, ex Corpore materiali, & animâ incorporeâ coalescens.*

Ratio, à P. Valeriano proposita obtorquetur?

Interim P. Valerianus imperfectionem, quàm in Peripateticis notat, non effugit: quoniam, si Homo, quia habet Spiritualem animam non potest in Corporeæ Substantiæ Prædicamento collocari; nec poni in Substantiæ Incorporeæ Prædicamento poterit, cùm habeat Corpus Materiale. Ergo meliùs hæc Prædicamenta describentur hoc modo.

SUBSTANTIA

N. B. Homo est substantia in duobus systematibus constituta: quà enim habet Corpus ad Materiale pertinet: & quà animâ rationalem, ad Spirituale. Quæ & qualia sint systemata in nostrâ Philosophiâ dilucidatur.

SVBSTANTIA
Ens per se.

Corporea			Incorporea		
Completa	Incompleta		Incompleta		Completa
	Actus	Potentia.	Actus	Potentia.	ANGELVS.
Cœlos esse Substantias simplices & completas, adeoque carere Physicâ Materia & Forma compositione cum Averroë multi Viri docti tuentur.	*Huc omnes Formæ Corporea pertinent quæ classes differentes constituunt.*	*Hoc nomine intellige Materiam Primam, quæ non multiplicatur specie.* [b]	*Anima Rationalis est forma substantialis; adeoque substantia incompleta* [c]	*Repugnat dari Puram Potentiam Incorpoream, non autem non puram Potentiam.*	*Sunt autem Angeli substantiæ simplices & incorporeæ, intellectu & voluntate præditæ.*

H O M O.

b] Sunt, qui doceant Materias cœlestem & sublunarem specie differre inter se: si hoc esset verum, neutra esset pura potentia.

c] Substantiæ receptivæ materiales non sunt puræ Potentiæ.

Et hic ex potentiâ materiali, & actu immateriali (videlicet, Corpore, & animâ rationali) componitur.

Hanc Substantiæ Prædicamentalem Digestionem quousque alia melior succurrat, poterimus manutenere.

16 De Deo. *An, & quomodo in Prædicamenta constituatur?*

SIcut sub Ente Materiali, decem Prædicamenta Materialia, & sub Ente spirituali decem spiritualia constituuntur, sic sub Ente Infinito decem similiter infinita poni debent; quæ, ubi non obviet Relationis oppositio, realiter idemtificentur. Et in his omnibus Prædicamentis ponitur Deus. Est enim Substantia infinitè perfecta: habens Magnitudinem infinitam (Immensitatem) Qualitates formales (attributa) infinitæ præstantiæ: Durationem similiter infinitam (æternitatem) Potentiam activam infinitam (omnipotentiam) Vbi infinitum (Vbiquitatem) & hæc cum Immensitate coincidit, & sitûs rationem excludit. Hæc omnia in Deo idemtificantur. Et prætereà sunt in eo Relationes, infinitè perfectæ, quæ divinas personas constituunt & distinguunt. Sed hæc credenda potiùs sunt, quàm disputanda. Bernardus. *Inquirere de Trinitate* (an videlicet, sit?) *perversa curiositas est: & tenere, sicut Sancta Ecclesia tenet, Fides & securitas est: videre autem eam sicuti est, perfecta & summa felicitas est.* Ita ille *in separat. Serm.* 1.

De Ente Infinito, & decem Prædicamentis constitutis sub illo.

De Trinitate.

Credenda est, non autem discursu naturali indaganda.

INTELLECTVS.

17 *Quid Intellectus sit?*

GRæcè dicitur Σύνεσις à verbo νοέω, quod est *intelligo*. Et est vis animæ, quæ invisibilia (insensibilia) percipit. Ita Aristoteles *libr. magnor. Moral.* & *Ethic.* 6. & Augustinus *de spiritu & animâ.*

Vnde dicatur Mens?

Vocatur à Latinis *Mens*; in cuius vocis derivatione Critici non conveniunt. Aliqui ad fontes Græcæ linguæ recurrunt, & iubent vocem *mens* esse νόος, & per crasin νοῦς; sed videntur abludere, nam litterarum *m* & *n* est dissimilis sonus. Alij longiùs respiciunt, vocemque *mens* à voce μήνη, quæ significat *Lunam* deducunt. Nec caret ingenio & mysterio hæc deductio; nam sicut Luna non lucet splendore proprio, sed radios emendicat à sole: sic mens humana à sole (Deo) dirigitur & illuminatur. [a] Et sicut dietim Luna incrementa splendoris sortitur, sic in Humanâ mente *dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*, Psalm. 18. 2. Nec menti, sicut Lunæ, decrementa deficiunt: quoniam rerum notitiæ aliquando senescunt, memoria languet, & in ætate decrepitâ omnis gloria cognitionum minuitur.

Νόος & νοῦς.

Μήνη.

a] Intellectus & Intelligentia hominum à Deo est. *Psalm.* 119. 18. 34. 73. 125. 144. 169. & 2. *Timoth.* 2. 8.

Malunt alij vocem *mens* deducere à radice Latinâ. Videlicet à verbo *memini*. (Ita D. Thomas 1. *part. quæst.* 79. *art.* 9.) ut moneant Memoriam & Intellectum non esse duas potentias animæ, sed Intellectum appellari *Memoriam*, quando olim intellecta recogitat. Et fortè non sunt iniurij fragilitati cognitionis humanæ, qui eamdem vocem *mens* à verbo *mentior* trahunt, nam *omnis homo mendax* & mens ipsa sibi sæpe mentitur, unde noster Luppus de Vega exclamat.

An Mens veniat à Memini?

An Memoria & Intellectus distinguantur?

An & cur Mens à verbo mentior derivetur?

Y miente en quanto piensa el pensamiento.

Est enim intellectus Humani communis & immedicabilis morbus, cognoscere res aliter, quàm sunt in se. Hoc morbo si ideas Ethicas consideremus, omnes peccatores laborant, nam *mentita est iniquitas sibi*: Psalm. 26. sub fin. Si verò Physicas, eodem præpediuntur Philosophi, qui pleraque omnia intelligũt per alienas species.

Homo plerasque res cognoscit per alienas species.

Vnde dicatur Intellectus?

Vox *Intellectus* hodie, sub eâdem significatione est magis in Scholâ communis. Venit à verbo *Intelligo*. Et videtur *Intelligo* non differre ab *Interlego*, quod *Inter* & *lego* constituunt. Sed quid est *Lego*.

Quid sit Intelligo?

Quid significet Lego? An colligere?

Erat in vsu antequam essent literæ, & *colligere*, Græcè ἀναλέγομαι, Hisp. *coger* significabat. Virg.3.Eclog.

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga.

An respicere?

Translatum ad visum, ut esset *cum attentione respicere*. Virgil. Æneid.6.

Quin protinus omnem (picturam)
Perlegerent oculis.

An sit Hisp. Leer.

Et quia literas visu quasi colligimus, Græcè ἐπιλέγω, Hisp. *Leer.* significavit. Virgil, Eclog.4.

At simul Heroum laudes, & facta Parentis.
Iam legere, &c.

Quid Interlego sit?

Interlego Hisp. *entresacar*. licèt hodie in vsu non sit, nam *intelligo* dicitur, est seligere, unum capere, & aliud relinquere. Sub initium ad sensus materiales pertinuit. Plautus in Most. scen.3. act.1. *Quid oleant, nescias; nisi quod malè olere intelligas*, hoc est, *sentias*. Vnde vox *Intellectus* etiam in hominibus pro sensu ponitur.

Intelligo pro sentio.

De gustûs organo.

Plinius lib.11.cap.37. *Intellectus* (sensatio) *Saporum est cæteris in primâ linguâ, homini in palato.* Ideò sub illud tempus intellectus brutis accensebatur. Plinius lib.8. cap.42. agens de equis. *Nam in circo ad currus juncti non dubiè intellectum adhortationis & gloriæ fatentur.* Et lib.20.cap.35. *Columbis inest quidam gloriæ intellectus.* Et quoniam Metaphysici mente formalitates interlegendo (Hisp. *entresacando*) universalia invenerunt, illam vocarunt *Intellectum*, & illam dixerunt *intelligere*. Quæ acceptio hodie est ita recepta, ut quando vox in primâ significatione sumatur, non nisi impropriè accipi asseverent Grammatici. Legimus enim in Passeratij Calepino. [Impropriè tamen passim apud Scriptores *Intellectus* vocabulum etiam de brutis animalibus dicitur, in eâdem scilicet significatione, quâ nos & *sensûs* & *perceptionis* & *cognitionis* verbis vtimur.] Ecce tantùm in hac materiâ potest usus, ut significatio secundaria & impropria esse hodie unica & propria censeatur.

Intellectus pro mente.

Huius vocis significationem propriâ esse metaphoricâ & metaphoricam esse propriam opinati sunt Critici.

18 *Corpora, ut uniantur, debent nec tempore nec loco distare.*

Svmus adsueti videre, quòd quādo manus librum exempli gratiâ capit, ab illo nec tempore nec loco distat: & sumus adsueti audire agens in distans operari non posse. *Audire* inquam: id enim omnes dicunt, & nemo sufficienter persuasit. Interìm, quidquid de cæteris agentibus sit, id in igne percipimus; nam, ut incendat lignum, debet illi coëxistere & approximari: Et ideò quando de intentionalibus operationibus disserimus, præjudicio maximo laboramus. Ex quo nata est illa specierum intentionalium sarcina, quam prodiga Aristotelis Philosophia in Scholas protrusit. In his Propositionibus.

An agens corporeum possit in distans operari?

An dentur species intentionales?

Objectum, Intellectúsque, etsi distent loco, possunt intentionaliter idemtificari.

Objectum, Intellectúsque, etsi distent tempore, possunt intentionaliter idemtificari.

Quas cum Angelico Doctore admittunt severiores Thomistæ, nullam ego video difficultatem. Tradit eas Aristoteles *lib.3. de anima, text.37.* & D.Thom. *ibid. sect.13. & 1.par.quæst.14.art.1. & de Verit.quæst.1. art.2. & quæst.2.art.2. & quæst.21.art.1.* & *1. contr. Gent. cap. 44.* & sæpe alibi. Sequuntur S.Thomam Caietan. *tract. de ente & essent. cap.1.quæst.2. & in 1.par.quæst.14. art.1. & quæst.79.art.2.* Zumel & Bañez *in 1.part.quæst.14.art.1.* Sotus *in Prædic. c.4. quæst 1.* Gonzalez *ibid. disputat.34. sect.2. num.13.* Nazarius *ibid.* Cornejus Carmelita *ibid. disp.1.dub.4.num.23.* & Salmanticenses Carmelitæ Excalceati *in Theol.Curs. tract.3. de scientia Dei, disput.2.dub.2.* quos omnes cito & sequor *in Philosoph.lib.6.disput.6.pag.361. a n.2636.* iuxta Lovaniensem Editionem anni 1642.

De intellectus & rei intellectæ idemtificatione intentionali.

Cognovi duos Cornejos Salmāticæ, alterum Augustinianū & alterum Carmelitanum. Viros doctissimos, & ab ingenio dilaudatos.

Superfluæ igitur sunt omnes species, si independenter à temporis & loci coëxistentiâ Intellectus & res ipsæ intellectæ possunt uniri & idemtificari.

Se habent Vnitio & Idemtificatio ut in Peripatu species impressæ & expressæ: illæ enim se tenent ex parte actûs primi, & in his consistit formaliter actus secundus. In unione Memoriæ thesaurus consistit: & intellectiones actuales nihil aliud sunt, quam idemtificationes intentionales.

De Intellectione, & Memoria thesauro.

Hæc doctrina videbitur Scotistis difficilis: at Thomistæ, quia fundamenta admittunt, si dedolare entitates superfluas ab intellectu velint, citò illam habebunt familiarem. Ipsi in visione Beatificâ impressam & expressam rejiciunt: & cur non similiter in visionibus & intellectionibus aliis? P.Petrus Wadingus *tract. de Incarnatione, disp.6. dub.10.* agit de speciebus, & illas in cognitione intuitiva §. 1. & 2. non esse necessarias ostendit: at easdem concedit pro cognitione abstractivâ? Sed cur? Intellectus in cognitionibus ab indistantiâ temporis, & loci non dependet. Sufficiat id breviter insinuasse: quæ vberiùs nostra ψυχικὴ proponit & examinat. Interim, multa ad compendium reducuntur, si semel intentionales species proscribantur.

An, & quibus hæc doctrina sit censenda difficilis?

VOLVNTAS.

Svmitur à verbo *Volo*. & Græcè τὸ θέλημα, & ἡ θέλησις vocari solet. Est autem Voluntas Appetitus boni cum ratione. Aristoteles *lib. 1. Rhetor.* clariùs *Est appetitus boni cogniti.* Nota illud *cogniti*; est enim tam necessaria cognitio, ut Maxima Philosophica sit, *Nihil volitum quin præcognitum.* Nulla est sine Voluntate, eáque liberâ Virtus, & nulla sine prævia cognitione Voluntas. Scitè *Epist. 96. ad Lucilium* Seneca. *Virtus, & aliorum scientia est, & sui. Discendum de ipsa est, ut in ipsa voluntas discatur. Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas. Rursus voluntas non erit recta, nisi habitus Animi rectus fuerit, ab hoc enim est voluntas. Habitus porrò Animi non erit in optimo* (gradu) *nisi totius vitæ leges perceperit, & quid de quoque iudicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit.*

19 *Quid sit Voluntas?*

An feratur in incognitum?

Quid

Quid sit Velleitas?

Quid est *Velleitas*. S.Thomas 1.2. *quæst.* 13. *art.*5. sic inquit. *Voluntas completa non est nisi de possibili, quod est bonum volenti: velleitas verò secundum quosdam, incompleta de impossibili; Quia scilicet aliquid vellet, si illud esset possibile.* Cùm Sanctus Doctor ait, *secundum quosdam*, insinuat se non ita sentire, Profectò, quando dico, *volui*, *volam*, *vellem*, explico verbis actum mentis, quem habeo, & actum voluntatis, non quem habeo, sed quem habui, quem habebo, quem haberem. Ergo sicut *volui*, non est actus voluntatis sed actus intellectus, quo cognosco, & affirmo, me voluisse: sic etiam *vellem*, non est actus voluntatis, sed est actus intellectûs, quo ego cognosco & explico, quid vellem, si talis circumstantia poneretur aut tolleretur. Et, ut id meliùs intelligas, converte oculos ad exteriores sensus: petunt obiectum præsens: *Vidi*, *videbo*, &c. *audivi*, *audiam*, &c. sunt actus intellectûs, non sensûs: nam clausis oculis, & sine cooperatione visivæ potentiæ possum dicere, *vidi*, *videbo*, *si viderem*, &c. Ergo similiter intellectus sine voluntatis concursu poterit dicere *volui*, *volam*, *si vellem*,&c.

An volui, volam, vellem sint actus voluntatis an verò sint actus intellectûs.

An volitio à nolitione, & voluntas à noluntate distinguatur?

Nolitionem à Volitione distinxêre Philosophi. & Robertus Fludius, ut distinctiùs procederet, à Voluntate Noluntatem secrevit; ut sicut oculis videmus, non auribus; & auribus audimus, non oculis, sic voluntate velimus, nolimus verò Noluntate. Hanc doctrinam sunt amplexi Rabbini, apud quos concinuntur hæc Carmina,

הר צון והסירוב
הם שני קטבים
שכל הפע לות
סובבות עליהם

Voluntas, & Noluntas sunt duo Poli: Quia omnes actiones Vertuntur circa eas.

El querer y aborrecer
Son del Alma los dos Polos;
Pues a todos mueven solos,
Para bien, y mal hazer.

Interim tu, etsi cum communi sententiâ, Nolitionem à Volitione distingui specie inferis; non est cur realiter Noluntatem à Voluntate distinguas, nam sicut idem realiter Intellectus apprehendit, indicat, & discurrit, sic eadem in animâ qualitas poterit velle & nolle, & quà vult Voluntas, & quà non-vult appellari Noluntas. Hæc Te monuero ex hypothesi, quòd actum Nolitionis admittas; quoniam re bene examinatâ, illa sententia quæ mihi adhuc puero insêdit animo, & dilucidat liber ille, qui inscribitur. *Herculis Logici labores tres*, quæ videlicet docet *Non dari propositiones negativas*, Assensumque à Dissensu obiectivè differre: & infert Volitionem à Nolitione similiter obiectivè distingui, vera est.

An omnis propositio sit affirmativa? An omnis voluntatis actus sit volui?

Existimo enim primò semper, & in omni iudicio affirmare Intellectum; & negationem, quâ copulam afficiebat Grammatica, Logicam ad prædicatum transmittere: ut in hoc syllogismo videre est,

Stellæ, quæ non scintillant, Planetæ sunt.
Iupiter non scintillat.
Ergo Iupiter Planeta est.

An hæc propositio, Iupiter non scintillat sit affirmativa?

Est enim bonus, & quia asserentem consequentiam infert, debet habere asserentes præmissas. Est igitur affimativa illa minor, *Iupiter non scintillat*, quoniam quidquid dicat Grammatica, Logicè æquivalet huic. *Iupiter est non scintillans*, ut totus syllogismus sit,

Stellæ non scintillantes, Planetæ sunt,
Iupiter est stella non scintillans,
Ergo Iupiter est Planeta.

De erroribus Grammaticorum.

Existimo secundò, non esse dependendum in rebus Philosophicis ab inepto Grammaticorum tribunali: nam committunt manifestos errores, propter quos excludi debeant à iudicio. PRIMO enim in hac propositione *Nullus homo currit*, negatio quæ grammaticè subiectum afficit, revera subiectum non afficit: nam eam transfert ad copulam communis Logicorum Opinio: & eamdem noster citatus Hercules, non ad copulam, sed ad prædicatum transmittit. SECVNDO, lineam in puncto C. v.g. finiri scimus, quia non pergit ulteriùs: Ergo finis in purâ negatione consistit, & res positiva est carentia finis: & tamen Nomenclator Latinus invertit terminos, cùm *Finitum* & *Infinitum* dicit: & pro positione negationem usurpat. Et idem accidit in vocibus. *Corporeum* & *Incorporeum*: *Materiale* & *Immateriale*, & similibus.

De propositione, Nullus homo currit.

De vocibus Finitum, & Infinitum: Corporeū, & Incorporeum: Materiale, & Immateriale.

Existimo tertiò, hunc actum, *Nolo audire comœdiam*. Si non curetur Grammatica Verborum syntaxis, sed veritas ipsa quæratur, æquivalere huic, *Volo non audire comœdiam*: nam sicut omnis visivæ potentiæ actus est *video*: & omnis auditivæ est *audio*: sic omnis volitivæ est *volo*. 10

An Nolo audire, sit Volo non audire?

A Voluntate dicitur *Voluntarium*, & hæc vox Grammaticè sumitur & Philosophice. Si loquamur Grammaticè, omnis Voluntatis actus (liber aut necessarius sit) est voluntarius: si Philosophicè, eos tantùm, qui sunt liberi *voluntarios* dicemus. Aristoteles *libr.*5. *Ethic. cap.*8. vocem sumpsit Grammaticè, cùm dixit. *Eorum, quæ voluntaria sunt, partim consultò partim inconsultò facimus; consultò, cùm antegressa est deliberatio: inconsultò cùm non est antegressa deliberatio.* Vocem autem Philosophicè sumpsit *ibid.* inquit enim, *Dico voluntarium id quod in suâ quisque potestate positum sciens agit: nec enim ignorat, in quo versetur actio, nec quo quasi instrumento rem agat, nec finem ipsum, ut verb. gr. (si sciat) quem verberet ac pulset, & quo instrumento, & quâ de causâ pulset; atque illa non casu, aut vi faciat: veluti siquis correptâ manu alterius alium pulset, non faciat ille suâ voluntate, quandoquidem in ea id situm non est* Hanc Voluntarij distinctionem ineptissimè auferebat Iansenius dicendo [a] *Omnis omninò voluntas, quantumvis ad unum determinata, nullâ tali necessitate, quâ dicitur necesse esse ut velit, desinit esse libera.* [b] *Voluntas enim seu volitio, & libera volitio idem sunt, sicut velle, & libere velle: & impossibile est ut velle non sit liberum.*

Quid voluntarium sit, & unde dicatur?

De Voluntario Grammaticè, & Philosophicè acceptione.

a] tom. 3. lib. 6. cap. 6. col. 634.

b] Ibid. cap. 5. col. 625.

An actus magis liberi minùs sint voluntarij?

Et hîc obiter nota Voluntarium & Liberum recipere magis & minus, sed diversimodè: nam, *magis voluntarius* actus dicitur, qui intensior, plus enim à voluntate habere videtur, sicut subiectum candidius dicitur, si plus habet candoris: sed actus *magis liber* est, qui cum maiori est elicitus indifferentiâ. Et hinc solui potest illa Quæstio, quæ examinat, *An actus magis voluntarij sint minùs liberi?* Poncius *in* 1. *dist*. 40. *quæst.unic.* sic inquit. [Adverto, quod quamvis communiter doceri soleat, quod aliquod voluntarium possit esse minùs liberum libertate indifferentiæ, & magis tamen voluntarium voluntarietate ut sic (cuius exemplum afferri solet, quòd quò quis magis attrahitur ab obiecto aliquo delectabili, minùs liberè agit, sed tamen magis voluntariè & spontaneè: unde peccans cum muliere pulchrâ minus peccare dicitur cæteris paribus, quàm peccans cum muliere deformi, in quâ non est vis tam adtractiva, quàm in pulchrâ,) &c.] Et hæc doctrina, si bene intelligatur, & exponatur, vera est: nam libertas summa consistit in æqualitate: quam ob rem, quò magis voluntas inclinat ad unum extremum, quàm ad aliud, aut magis trahitur ab uno obiecto, quàm ab alio, intensiùs quidem, sed minùs liberè operatur: ac propterea in genere Voluntarij perfectius, & in genere Liberi imperfectius. Hæc sanè propositio, *Actus, quò magis voluntarius est, eò minùs liber est.* Est similis huic. *Linea, quò maior alterâ est, minùs æqualis est.* Nam, sicut Voluntas, quò ponderosiùs in unum obiectum inclinat, quàm in alterum, eò minus habet indifferentiæ, sic una linea, quò maior est alterâ minus habet æqualitatis. Et quidem, me bene discurrere, collige ex Fillincio, qui in Compendio à se composito, *tract.* 21. *cap.* 2. *pag.* 291. sic ait. [*Concupiscentia Voluntarium auget in actu, quatenus delectabilis est.* (Ergo, si illum delectabiliorem, intensiorem, & magis volentem reddit) *at minuit in eo, quatenus efficit, ut minus inhonesti ratio consideretur* (& ideò, quia ratio delectationis magis, & ratio inhonestatis minùs consideratur, cum minori indifferentiâ elicitur operatio.) *Quæ vera sunt de concupiscentia consequente ex vehementi Voluntatis appetitu & consideratione Intellectûs, non autem de antecedente consensum Voluntatis & advertentiam Intellectûs.* Et ratio est; nam ante Intellectûs advertentiam non habet Voluntas omnia prærequisita, ut liberè possit operari.

Virum, qui fœminam [illegible] cognoscit, grav[illegible] peccat.

[illegible]

Sicut, qui [illegible] distant, dicuntur minùs indifferentia, sic, quæ plus ab æqualitate distant dici poterùt minùs æqualia.

Actus Voluntatis circa bonum delectabile si delectabilior, est intensior.

Cur indifferentia imminuatur?

In omni actu libero advertentia requiritur.

An ratio generica [illegible] æqualiter in omnibus [illegible]?

Hæc est vera & communis doctrina, à quâ non abest Poncius, sed comminiscitur aliam expositionem, ut habere possit, quam impugnet: inquit enim. [Hoc verò, mihi videtur pati difficultatem. Nam actus ille Voluntatis minus liber libertate indifferentiæ non potest esse magis voluntarius voluntarietate ut sic, quàm actus ullus magis liber, quandoquidem ratio Voluntarij ut sic perfectissimè includatur in ipso tam bene, quàm in quocumque alio actu: & quandoquidem voluntarium ut sic abstrahat ab omni differentia voluntarij: nec etiam ratio voluntarij necessarij includitur in ipso, cùm sit liber: sive loquamur de ratione Voluntarij ut sic, sive de ratione Voluntarij necessarij, sit magis voluntarius, &c.] Et reiectâ communi expositione, quam putat, adducit duas, quæ inter se, & cum communi expositione coincidere profectò videntur, inquit enim. [Itaque, ut illa doctrina sit, vera, sensus debet esse, quòd, &c.] & mox. [Alius etiam sensus posset esse, &c.]

Affirmat communis sententia: at quando ratio generica est divisibilis, ut sensibile, nos negamus.

Respondeo primò divisionem Voluntarij ut sic, non esse generis in species, ut existimat Poncius, sed subiecti in accidentia: nam eadem numero voluntas, taliter disposita, operatur liberè, & taliter disposita, operatur necessariò.

Voluntarij in Liberum & Necessariū divisio, qualis sit?

Respondeo secundò, hac nos voluntatis divisione non indigere, ut Quæstionem propositam decidamus: nam agimus tantùm de actu libero, quem dicimus minus indifferentiæ seu libertatis habiturum, quo intensior sit: & addimus, sicut album ut quatuor, est magis album, quam album ut tria; sic voluntarium ut quatuor esse magis voluntarium, quam voluntarium ut tria.

Actus Voluntatis quò intensior minùs liber, & magis voluntarius est.

Hæc, ut meliùs intelligas, postulare videntur, ut de Libertatis essentiâ in particulari disseramus.

LIBERTAS.

21 *An detur Liberum arbitrium?*

Illam, quæ Voluntati inest, & Liberum constituit arbitrium, esse vocem expertem significationis Martinus Lutherus nugatur. In enarrat. *in Psalm. in resol. circ. concl.* 7. sic exclamat. *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu suâ quidpiam cogitare, vel mali vel boni*, &c. Alij mitius loquuntur: interim re bene perpensâ ita vocem *Libertatis* exponunt, ut abstulisse videantur.

De divisione Libertatis.

Interim Libertas est quadruplex: à coactione, à necessitate, à peccato, à miseriâ. Prima est hominibus cum brutis & plantis communis; illa enim & hæ nemine cogente crescunt & vegetantur ut ridendi potiùs, quàm impugnandi sint Novatores, qui hanc solam humanæ Voluntati concedunt. Secunda est illa, quæ formaliter Liberum Arbitrium constituit: non enim est potentia libera, quæ necessariò operatur. Consultò posui illud *formaliter*, non enim hæc libertas sola, sed utraque (prima, & secunda) liberum arbitrium constituunt, non enim actus sunt liberi, qui coacti. Et hinc observa, male Hæreticos argumentari, quando dicunt, *Augustinus asserit voluntatem liberam non posse cogi. Ergo Liberum Arbitrium in libertate à coactione Augustinus constituit.* Nam Liberum Arbitrium nec cogitur, nec necessitatur: & Augustinus, quando non cogi liberam hominis voluntatem concedit, non asserit illam necessitari. Tertia est Sanctorum propria, de quâ agebat Apostolus *Rom.* 6. cùm scripsit. *Liberati à peccato, servi*

Alia est à coactione.

Alia à necessitate.

Utraque in Libero arbitrio invenitur.

Alia est à peccato.

Alia à miseriâ.

servi facti estis Iustitiæ. Quarta non est quærenda in mundo, quoniam *homo natus de muliere, brevis vivens tempore, repletur multis miseriis*, Et tantùm reperitur in cœlo, ubi homo æternâ beatitudine fruens, habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Sane tametsi in terris hanc beatitudinem adsequi non possimus, illius similitudinem indipisci poterimus, si meo Bernardo assentiri velimus. Attende. *Cælites sunt beati, quia habent omnia, quæ volunt: At tu in hac vitâ habere potes, quidquid velis: Ergo etiam in hac vitâ potes beatitudine frui. Probatur minor. Quia, si nunquam illa, quibus cares, desideres; semper habebis, quæ volueris.*

Iob. 14. n. 1.

Quomodo imaginem Cœlestis beatitudinis habere in hac vitâ possimus?

Sanctus Bernardus tres libertates numerat, & libertatem à coactione intermittit, quia aliæ tres sunt creaturæ rationalis propriæ, & illa est brutis etiam communis. *In libell. de liber. arbitr.* sic ait. *Cum nobis triplex proposita sit libertas; à peccato, à miseriâ, a necessitate: hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione Naturæ: in primâ restauramur à gratiâ: media reservatur nobis in patriâ. Hinc dicatur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prima habet multum honoris, secunda plurimum virtutis, tertia cumulum iucunditatis.* Sunt & alia clarissima S. Bernardi testimonia, & tamen quia Liberum arbitrium non cogi asserit, cum solam in homine libertatem à coactione cognovisse Novatores delirant.

De libertate Naturæ Gratiæ, & Gloriæ?

Martinus Lutherus sub initium citatus. *Omnia (ut VVicleffi articulus. Constantiæ damnatus, rectè docet) de necessitate absolutâ eveniunt.* Melanchthon *in locis Theologicis VVittembergæ editis*, agens de hominis viribus & voluntatis libertate sic scribit. *Est autem libertas, posse agere & non agere, posse sic aut aliter agere. Itaque in quæstionem vocatur, sit-ne libera Voluntas? &, quatenus libera sit? Responsio. Quandoquidem omnia, quæ eveniunt, necessariò iuxta Divinam prædestinationem eveniant, nulla est arbitrij nostri libertas.* Et Chamierus *tom. 2. libr. 2. cap. 8. num. 21.* mutat vocabuli significationem, ut cautiùs decipiat. *Retineatur sanè, ait, non tantùm* Liberum arbitrium *Latinorum, sed & τὸ αὐτεξούσιον Græcorum, ne inutili λογομαχίᾳ tempus inutiliter teramus..... hoc salvo* (nimirùm, voluntatem necessariò operari) *salva pax esto.* Respondet Ioannis Calvini voto, qui *de lib. arbitr. contra Pighium. libr. 2.* nolebat disputare de nomine, sed dicebat. *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse, & fateor, & constanter assevero, & pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat, &c.*

An omnia eveniant necessariò?

An prædestinatio inferat necessitatem?

Τὸ αὐτεξούσιον.

Quid hoc nomine intelligendum sit?

22 Fusè alibi hanc materiam pertracto, & Voluntatem nostram esse à necessitate liberam nervosè ostendo: interim placet hîc duo argumenta proponere, quibus Hæreticorum protervia retundatur.

Primò intendo probare, nec Ioannem Wicleffum, nec Martinum Lutherum, nec Philippum Melanchthonem, nec Ioannem Calvinum, nec Chamierum, nec alios Hæreticos; immò nec Michaëlem Bayum, nec Cornelium Iansenium, nec eius asseclas, credidisse hanc propositionem esse veram, *Omnia necessario iuxta Divinam prædestinationem eveniunt.* Et argumentor sic. [Vel Deus decrevit me hanc Propositionem vestram *Omnia necessariò*, &c. intellecturum, & amplexurum, vel non decrevit. Si primum, frustra Wicleffe, Luthere, Melanchthon, Calvine, Chamiere, &c. Frustra Baye, Ianseni, &c Scribendo, concionando, argumentando, &c. tempus teritis. Quia, etsi vos non adlaboretis, & vel vestrum caput obtundatis, vel meum frangatis, adsequemini intentum: nam erit necessariò, quod Deus decrevit, & hoc eum decrevisse supponimus. Si non decrevit, frustra etiam tempus teritis, in cassum laboratis; nam, etsi vos contrà obnitamini, necessarium est, ut non sit, quod Deus non esse futurum decrevit. At non obstante huius argumenti violentiâ, scribitis, concionamini, & argumentamini. Ergo aliquid speratis vestris libris, vestris concionibus & vestris argumentis consequi, quod sine illis non consequeremini. Non ergo omnia ex necessitate eventura putatis.]

An credant Hæretici Liberum arbitrium non dari?

N. B. Argumentum hoc in variis materiis potest poni. Et Comitis Palatini Medicus apud Cæsareum illud formavit sic. Aut decrevit Deus quod ex hoc morbo moriaris, aut quod supervivas. Si primum, medicina non iuvant: si secundum, non sunt necessaria. Ergo.

Secundò contra eamdem propositionem præcedenti non per omnia dissimile argumentum propono. Sic inquam. [Diabolus, etiamnum in inferno, est optimus Dialecticus, optimus Philosophus: intuetur humanæ Voluntatis essentiam, & quantum valeant in quocumque syllogismo vires præmissarum exactè & sine erroris suspicione cognoscit. At ipse hanc propositionem, *Omnia necessario iuxta Divinam prædestinationem eveniunt*, esse veram non credit: liberi arbitrij & Divinæ Providentiæ ex illâ non deducit concordiam, Ergo non est vera. Patet: quia si esset vera, eam esse veram Diabolus ignorare non posset: nam Liberum arbitrium ad ordinem Naturæ pertinet, in quo nihil omninò latet Diabolum. Sed unde demonstrabimus illam Propositionem à Diabolo falsam censeri? Declaraturo S. Gregorius lib. 14. Moral. viam aperiat. *Diabolus*, inquit Magnus Pontifex, *contra illos diversis tentationibus insistit, qui possunt etiam aliis suâ utilitate prodesse; ut dum illi impediuntur, non proficiant, qui docendi sunt.* Immò non qualitercumque tentat singulos, sed utitur tentationibus proportionatis. Idem S. Doctor. ibid. *Quædam qualitates morum sunt certis vitiis vicinæ: Nam mores asperi aut crudelitati aut superbiæ solent esse coniuncti: mores autem blandi, & paulò ampliùs quàm decet lætiores, nonnunquam coniuncti sunt luxuriæ & dissolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani uniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui: & illa ponit ante faciem, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mentem; ut blandis & lætis moribus sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; asperis verò mentibus iram & superbiam & crudelitatem opponit.* Ecce quanto studio consideratione, & industriâ in nostram perniciem Dæmon vigilat: quomodo media à mediis distinguit, & secundum

An credat Diabolus homines nō esse liberos?

Habet ingenium subtilissimum.

Cognoscit perfectè naturam, & omnes veritates naturales.

Habent diversa temperamenta homines, & diversis vitiis inclinantur: & hæc omnia meditatur Diabolus, ut tentationes suas inclinationi singulorum attemperet.

dum uniuscuiusque indolem (hanc enim nomine, *morum naturalium* intelligit) laqueos proportionatos apparet. Ergo Dæmon omnia ex necessitate evenire non credit: quoniam, in his quæ sunt necessariò eventura, non sumuntur consilia, nec admittitur deliberatio. Vnde argumentor sic. Ego non adhibeo diligentias, ut sol oriatur cras, quia scio necessariò oriturum: nec adhibeo diligentias, ut à meridie in ortum redeat, quia scio esse ipsi necessarium non regredi: nec facio diligentias, ut cras pluat, quia erit quod Deus decrevit, & meæ diligentiæ non impedient, quæ sunt necessariò futura. Ergo Dæmon, si esse peccata hominum necessariò futura, aut necessariò non futura crederet, nullas diligentias adhiberet, & nulla, ut committerentur, media poneret; neminem tentaret, aut suggestionibus perturbaret, sed omnia necessitati absolutæ relinqueret. At diligentias adhibet, media proportionata ponit, singulos tentat, & perturbat. Ergo peccata hominum necessariò eventura, aut necessariò non eventura, non credit.

Nemo prudens deliberat, nec media adhibet, ut necessaria non eveniant.

23 Stat igitur esse in homine libertatem à necessitate. Illam Aristoteles, Philo, & alij τὸ ἑκούσιον vocant: unde τὰ ἑκούσια, *quæ sponte fiunt*; & οὐχ ἑκούσια, *quæ non sponte fiunt*: & ἑκούσιος, *qui sponte operatur*. Plutarchus & Herodianus ἐξουσίαν, *liberum arbitrium* appellarunt: & Iosephus in Macchabæorum histor. αὐτεξουσιότητα, *liberam potestatem, quæ sui iuris & arbitrij est*: & passim Theologi αὐτεξούσιον, *eum qui fungitur hac potestate*. Et hoc sensu Authores Latini loquuntur. *Iudicio arbitrioque nostro quantum quoque modo videbitur, hauriemus*. Cicero *in proœm. Offic.*] *Non fuit arbitrij litera nostra tui*. Ovidius *Eleg. 4. lib. 4. Trist.*] *Omnia pro meo arbitrio facio*. Cicero *1. de Finib.*] *Arbitrij alieni esse*. Suetonius *in Claud. cap. 2.*] *Homo sui arbitrij*. Idem *in Tiber. cap. 17.*] *Status, & arbitrium Romulus Vrbis habet*. Ovidius *4. lib. 3. Fast.*] *Arbitrium est in sua tecta Iovi.*] *Arbitrium tu Dea Floris habe*. Ovidius *Fast. 5.*] Et hinc apertè colliges meliùs Ethnicos veteres, quàm Iuniores Hæreticos, novisse & expressisse essentiam humanæ libertatis.

Græca humanæ libertatis vocabula.

Gẽtiles Romani melius quàm nostri Hæretici liberi arbitrij cognoverunt essentiam.

PETIS. An physicæ prædeterminationes, quales à Thomistis & PP. hodie Dominicanis asseruntur (nam illas non docuit D. Thomas) auferant libertatem? Respondeo (1) malè illas frequenter exponi: & præcipuè cùm necessitatem in sensu composito importare dicuntur: huic enim brevissimo argumento, quo à quadraginta aut pluribus annis, utor, nondum fuit satisfactum.

An dentur physicæ prædeterminationes & an illas S. Thomas cognoverit, tradiderit-ve?

Non est in meâ potestate habere physicam prædeterminationem (aut auxilium ex naturâ suâ efficax) quando voluero.

At semel receptâ physicâ prædeterminatione (aut auxilio ex naturâ suâ efficaci) non est in meâ potestate actum illum, ad quem sum prædeterminatus, omittere.

Ergo, si physicæ prædeterminationes (aut auxilia ex naturâ suâ efficacia) admittuntur, actum est de Libero arbitrio creato; nihil enim est in nostrâ potestate.

Argumentum contra physicas prædeterminationes, quod solutione indigere videtur.

P. Leonardius, Dominicanus, Regens Lovaniensis studij. Vir verè ingeniosus & doctus, negabat huius syllogismi maiorem, tametsi minorem certam esse putaret. Eratque negandi maiorem illam ratio, quòd, qui dixit, *Petite, & accipietis*, vi promissi tenetur nobis dare physicas prædeterminationes (aut auxilia, &c.) quoties illas (aut ista) implorare velimus. Et potuisset hoc ipsum firmare verbis Hymni, quem Cistercienses canimus in Quadragesimâ videlicet;

An sit homini liberum habere physicam prædeterminationem, cùm voluerit?

Si corde rogamus pio,
Certè debes ex promisso.

At hoc est differre difficultatem, non auferre: nam etiam ad orandum, & petendum à Deo physicam prædeterminationem (vel auxilium efficax, &c.) indigeo physicâ prædeterminatione (vel auxilio efficaci, &c.). Ergo vel veniendum est ad unam physicam prædeterminationem (aut unum auxilium efficax, &c.) quæ (aut quod) ex merâ gratiâ detur ante omnem orationem vel petitionem; vel dabitur processus in infinitum: nam oratio, aut petitio sine prædeterminatione (& auxilio) impossibilis est. Ergo de illâ physicâ prædeterminatione (aut auxilio) quæ (aut quod) ante omnem orationem indulgetur divinitùs, redibit argumentum; &, si hæc, quæ à P. Leonardio dabatur, erat unica & tota argumenti solutio, caret congruâ solutione argumentum.

An orare possimus sine physicâ prædeterminatione?

N. B.
Cùm processus in infinitum non debeat dari, nec ad orationem non prædeterminatam pervenire possimus, prædeterminationẽ aliquam nõ oratam recipere debemus.

Ego, adhuc iuvenis, Salmanticæ incepi negare illam minorem; & dicere, physicas prædeterminationes in sensu composito infallibilitare voluntatem (hoc est, eius operationem infallibilem reddere) sed nullo modo necessitare. Quæ speculatio tametsi à discipulo inventa, summoperè Angelo Manrique, oculatissimo Theologo, placuit: & posteà admissa à multis, hodie in P. Ioanne de S. Thomâ (in quo Compluti pietatem & doctrinam venerabamur universi) & in aliis Theologis invenitur.

De prædeterminationibus physicè infallibilitantibus.

Vidi interdum contra præmotiones & prædeterminationes ex ipsâmet Agentis liberi definitione argumenta formari: nam libertas postulat indifferentiam, indifferentia exigit indeterminationem, & indeterminationi opponitur determinatio. Et has verborum tricas vidi sæpe non bene dissolvi.

Quò tandem pervenire soleant qui prædeterminationes impugnant?

Respondeo ego veram Agentis liberi creati definitionem à Thomistarum contrariis non proponi: ea enim, quæ passim legitur, aut est Agentis liberi ut sic, aut Agentis Divini. Attende.

Vnde vires eorum argumentum desumat?

Agens liberum ut sic, est, *quod positis omnibus ad operandum prærequisitis, ita operatur, ut possit non operari: [nimirum, simultate potentiæ, non potentiâ simultatis.]* Simultate potentiæ: quia potentia operandi, & potentia non operandi, sunt simul: non autem potentiâ simultatis, quia huiusmodi agens non habet potentiam faciendi

Quid sit agens liberum ut sic?

ciendi ut simul sint non-operatio, & operatio.

Formalitates transcendentales, semper subintelligi debent.

Transeamus ad Agentis liberi creati definitionem; & ante quam illam exhibeam, DICO PRIMO, *Prædicata transcendentalia, quia semper subintelligi debent, in definitionibus poni expresse non solent.* Hinc est, quod dependentia à Deo, quia omnes creatorum Entium formalitates permeat, semper subintelligi debeat, & expressè significari non soleat. Et hanc ob rem interroganti, Quid sit homo? respondemus dicendo, *Homo est animal rationale*, & de dependentiâ nihil dicimus, tametsi non minùs essentialis ipsa homini sit, quàm rationalitas. DICO SECVNDO, *Nemini iniuria fiet, si termini transcendentales, qui necessariò subintelliguntur, expressè etiam ponantur:* ut siquis dicat Hominem esse, qui animalitatem, rationalitatem, & dependentiam habet. Et, si hoc modo, maioris claritatis gratiâ, loqui placeat, veram Agentis liberi creati exhibebimus definitionem, quæ nobis exponat quale sit, & qualiter ab Agente libero Divino distinguatur. Ergo sic inquam.

Facilitatis & claritatis interest ut expressè aliquando ponantur.

Vera Agentis liberi creati definitio.

Agens liberum creatum, *est aliquid dependens à Deo, quod dependenter à Deo positis omnibus ad operandum prærequisitis, quando operatur dependenter à Deo, tunc dependenter à Deo potest non operari.*

Ex illâ solvuntur omnia argumenta, quæ contra prædeterminationes infallibilitantes conformantur.

Hac sum usus Agentis liberi creati definitione, quoties ex munere præsidere debui, & me Respondenti attemperando, Physicas Prædeterminationes defendere; & sum expertus, argumenta, quæ ex ingenioso verborum contextu aliàs viderentur difficilia, ex hac solâ definitione summâ claritate difflari.

Novatores liberum arbitrium sub initium absolutè negarunt.

Porrò Martinum Lutherum, eiusque antiquos discipulos, & Melanchthonem præcipuè, & Ioannem Calvinum sub initium, negasse liberum arbitrium ut diceamus num. 2. certum est. *De servo arbitrio* Lutherus librum edidit: cuius arrogantia iam claris fuit ab adversariis argumentis retusa, ut iuniores Hæretici opinationis suæ pervicaciam remiserint, & ad Orthodoxos accesserint. In libro, qui inscribitur *Saint Augustin Victorieux*. confer. 4. cap. 6. pag. 103. hæc lego. *Il paroit evidemment, que Luther a soustenu en termes formels, qu'il n'y avoit en l'homme nul libre arbitre, que ce mot de libre arbitre estoit un mot en l'air sans force & sans effet. Et que les Saints qui sont poussez de l'esprit de Dieu ne se mouvoient pas eux-mesmes, n'agissoient en aucune sorte, & ne faisoient rien du tout. Mais il semble que Calvin depuis ait temperé ce langage de Luther, & ait reconu que la volonte de l'homme en recevant la grace de Dieu, ne demeuroit oisive, ny sans action.* Et quidem bene monet: nam Calvinus *lib. 6. de liber. arbitr. pag.* 234. sic inquit, *Ad illud Pauli*, Deum esse, qui operatur in nobis & velle & perficere pro suo bene placito, *se quoque idem confiteri* (inquit Pighius) *sed ita ut simul agat voluntas. Hoc flexu elapsum se putat, cùm medio adhuc corpore ipsum teneam: non enim hoc quæritur, Agat-ne voluntas? quod extra dubium est: sed Agat-ne à seipsa: aut pro modo Divinæ actionis? aut crassiore, si placet loquendi modo, Distinctane ac separata sit actio voluntatis* (humanæ) *ab operatione Dei: an illi, quod aiunt, subordinetur.* Dixerat libr. 3. pag. 196. *At nullas libero arbitrio partes in bonis operibus tribuo? nullas sanè; nisi ut agat dum agitur: quia per se* (puta sine Dei gratiâ) *nihil potest*, Quæ verba pag. 196. explicat dicens: *Nostra est, quæ Spiritûs Sancti virtute jam bona facta est voluntas, & per eam nos agimus, acti prius à Deo*, quibus verbis reponit, ea quæ apud S. Augustinum *libr. de gratiâ & liber. arbitr. cap.* 16. leguntur. Etiam consonat Augustino Epist. 106. dicenti, *Comitante, non ducente: pedissequâ, non praviâ voluntate.* Consonat etiam eidem Augustino *libr.* 1. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 1. monenti. *Quod non sicut in lapidibus insensatis; aut sicut in eis, in quorum naturâ rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis*, Et se ex diametro Luthero opponit: & tamen Hæreticus est. Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 4. quid in hac materiâ debeamus sentire definit. *Siquis dixerit* (1) *Liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac preparat:* (2) *neque posse dissentire, si velit* (3) *sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere: anathema sit.* Omnia hæc tria asserebat Lutherus, & ideò in omnibus fuit ab Ecclesia damnatus. In primo & tertio à Luthero, & in secundò à nobis differt & dissentit Calvinus: & ideò tantùm in secundo damnatur. *Libr. 5 de liber. arbitr. sub initium.* dicebat. *Hominem sic quidem docemus agi Dei gratiâ, ut tamen simul agat: sic tamen ipsum agere ut penes Dei Spiritum tota sit ac maneat actionis efficacia.* Et explicatiùs *libr. Institut. cap. 2. de cognit. homin. pag.* 37. scribit. *Hoc perperam homini tribuitur, quòd gratiæ prævenienti pedissequè voluntate obsequatur.* At oppositum nos docet Augustinus *libr. 2. de peccat. merit. & remiss. cap.* 5. dicens. *Non solis votis agendum est, ut non subinferatur admitendo etiam nostræ efficaciâ voluntatis.* Vnde Author libri, qui *Saint Augustin Victorieux* inscribitur, *conferent. 4. cap. 6.* sic inquit. *Saint Augustin enseigne, qu'au regard des bonnes œuvres saintes & salutaires, nous devons toujours distinguer en l'homme fidele & gouverné par l'esprit de Dieu deux sortes de vertu, de puissance & d'efficace: l'une qui luy convient en qualité d'homme & de creature raisonnable & intelligente: & l'autre en qualite d'homme spirituel, & regeneré par la grace celeste:* [a] *l'une qui le separe des choses insensibles & inanimées, ou destituées de l'usage de la raison; & l'autre, qui le tire de la societé des hommes charnels, & non encore renouvelez par l'Esprit de vie & de sainteté*, &c.

Convicti à Catholicis suum errorem remittunt.

Calvinus humanam voluntatè à Deo excitatam agere confitetur.

An una & eadem actio sit, quæ procedit à voluntate, & à gratiâ?

Asserit, & bene Calvinus.

Cur Calvinus, siquidem in his Augustino assentitur, & contradicit Luthero, adhuc Hæreticus sit?

Voluntas nō solùm activè, sed & liberè Deo vocanti assentitur.

In quibus erraverit Lutherus?

In quo Calvinus?

An hominis sit Deo obedire, si velit?

Negat Calvinus: asserit Augustinus.

Duæ virtutes ad benè actum concurrunt gratia Dei & arbitrij libertas.

a] Sed hic Author, tametsi piè scribat, nec Augustini, quem *Victorem* vocat, tuentem

mentem adſequitur : nec difficultatem ingreditur, non enim, cùm quæritur, *An gratia voluntatem neceſſitet? An liberum hominis arbitrium poſſit diſſentire, ſi velit?* agitur de gratiâ iuſtificante, ſed de præveniente & auxiliante : hanc enim dicimus requiri ; &, ſi concedatur, infallibilitare, non autem neceſſitare voluntatem.

Gratia de quâ hîc agitur, non iuſtificans, ſed auxilians eſt.

Ergo, ut bene auxilia ſupernaturalia & phyſicas prædeterminationes cum Thomiſtis defendas, habe ſemper præ oculis, rationem illam dependentiæ à Deo, quæ in omni formalitate creatâ clauditur : utere Liberi arbitrij definitione, quam §. *Agens liberum creatum* tradebamus : & aſſere eius effectum formalem eſſe, non quidem neceſſitare, ſed infallibilitare voluntatem : nam poſitâ phyſicâ prædeterminatione ad legendum, leget infallibiliter Petrus : non enim erit neceſſarium ut legat : quoniam non legere poterit : at erit certum & infallibile eum libere lecturum eſſe.

Quid præſtet phyſica prædeterminatio?

Libertatis in Naturalem & Moralem diviſio.

LIBERTAS eſt duplex, Naturalis, Moralis : illa dicit Liberi Arbitrij entitatem & indifferentiam à legibus & præceptis præciſam : hæc autem eamdem Liberi Arbitrij realitatem, quatenus legibus & præceptis dirigibilis, obligabilis, ſeu obſtringibilis eſt. Vtramque unicâ definitione *leg. libertas*, D. *de ſtatu hominum*, comprehendit Florentinus, dicens, *Libertas eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi quod vi, aut iure prohibetur.* Vbi notare oportet non eamdem vi & iure prohiberi : ſed vi realem, & iure ligari moralem.

24 *An, & quo ſenſu libertas inamiſſibilis ſit?*

Voluntas libera, bifariam poteſt conſiderari : videlicet in actu primo, & in actu ſecundo : hoc eſt, quatenus operari illa poteſt, & quatenus operatur de facto. Quæ eſt in actu primo, eſt inamiſſibilis nam in eſſentiâ Voluntatis conſiſtit. Quæ eſt in actu ſecundo ſolet impediri de facto. Impeditur profectò in imperatis actibus voluntas phyſica, qui enim habet compedes, aut fractum crus, etſi currere velit non poteſt : & in internis etiam, qui enim incertis præoccupatur præmiſſis, etſi velit, ſcientificam concluſionem non inferet : & in ſeipſâ, nam circa obiectum, propoſitum ut purè bonum, non poterit actum odij, licèt velit, elicere. PRÆCEPTA, & leges non tollunt libertatem Moralem, eam enim exercet homo, quando illis reſpondet & ſatisfacit : ligant tamen, ita ut vel taliter operari ipſe debeat, aut peccare: moraliter videlicet aut pœnaliter, prout fuerint moralia, aut pœnalia præcepta.

Sicut Naturalis.

Sic etiam Moralis, ligatur, impeditur, non tollitur.

Analogia inter Libertatem Realem & Moralem.

Differentiam & analogiam, inter Realem & Moralem Libertatem, quam non omnes bene intelligunt, nec ſatis exactè dilucidant, expoſiturus, pono ex una parte hominem chiragrâ præpeditum, & ex alterâ hominem præcepto, de non ſcribendo, obligatum. Sanè chiragra libertatem naturalem, quæ eſt in actu primo, non tollit, non imminuit ; non impedit actum ſecundum ; non facit, quòd homo non poſſit ſcribere ; ſed præſtat, ut homo ille ſi velit ſcribere, characteres realiter malos (vacillantes, & deformes) delineet. Sic ſimiliter præceptum, de non ſcribendo libertatem moralem, quæ eſt in actu primo, non tollit, non imminuit ; non impedit actum ſecundum ; non facit, quod homo non poſſit ſcribere ; ſed præſtat, ut homo ille, ſi velit ſcribere, characteres moraliter malos (inhoneſtos, illicitos ; & dignos ſupplicio) delineet. Exiſtimo, ſic bene expoſui Libertatem Moralem : dicere enim, eam auferri aut deſinere, quando ſuperveniunt præcepta, nec verum, nec ſatis ingenioſè dictum eſt.

An ſupervenientes leges aut præcepta tollant Libertatem Moralem?

Sed arguis contrà, D. Franciſci Verde authoritate, qui *in libr. contra Borgiam quæſt.* 12. *part.* 5. §. 1. *pag.* 157. *a.* Sic inquit. [Ius, vel factum, quod inducit aliquod onus contra libertatem, in dubio non præſumitur. Ratio, quia libertas & Ius ad libertatem eſt homini naturale, & ſic illo non eſt privandus propter Ius non certum.] Ergo erit privandus propter Ius certum. Ergo ſenſit doctiſſimus Vir, propter præcepta certa hominem privari libertate morali.

Obiectio ex verbis D. Franciſci Verde deſumpta.

Reſpondeo (1) me libenter admittere tanti Magiſtri authoritatem : erit enim aliquando antiquus, & meritò Claſſicorum Doctorum cenſui adnumerabitur.

Qualis, & quantus ille ſit?

Reſpondeo (2) illis D. Franciſcum verbis, *Libertatem, & Ius ad libertatem*, duas libertates (alteram in actu primo, & alteram in actu ſecundo) proponere : ſicut enim voluntas, ſic & libertas, iam pro potentia ſumitur, iam pro actu

De libertate in actu primo, & in actu ſecundo.

Reſpondeo (3) Verba ſequentia, videlicet, *Illo* (iure) *non eſt privandus.* poſtulare ut hîc tantiſper immoremur.

Quid ſit licitum non bene expoſuit Bartolus *in leg. ut vim.* 3. D. *de iuſt. & iur.* dicens Illud eſt licitum, cuius contrarium eſt illicitum : quam doctrinam Paulus de Caſtro, Angelus & alij *ibid.* receperunt incautè : nam licèt aliquando ſit vera (*leg. ſi ſervus, C. de his, qui ad Eccleſ. confug.*) eſt ſæpe falſa. Vnde Philippus Decius eamdem legem *Vi vim*, dilucidans, doctè ait, [Advertendum eſt, quia tale argumentum à contrariis, non videtur procedere, quia bonum eſt *nubere*, & tamen *non nubere*, quod eſt contrarium, non eſt malum : & licitum eſt mihi *exire domo*, & tamen *non exire*, non eſt illicitum : & ſic de ſimilibus.] Tu rem breviter expedi. Dic illud eſſe licitum, quod lege non prohibetur. Non prohibitio, tametſi realiter ſit quid negativum ; virtualiter eſt quædam conceſſio, vi cuius homo habet ius faciendi, quod voluerit. Et hoc iure ſuperveniens præceptum hominem privat. Non aufert potentiam realem hominis, illud præceptum, *Non occides.* Sed neque aufert moralem. Non impedit actum ſecundum. Cain enim illo præcepto non obſtante non ſolùm ut agens reale, ſed etiam ut agens morale conſideratus, fratricidium commiſit. Sed hominem privat contrariè, alterum occidendi iure. Et ideò

De actu licito.

An quid ille eſſet, intellexerit Bartolus?

Decius tetigit nodum difficultatis.

Quid licitum ſit?

Quo ſenſu non prohibitio quid negativum, & quo ſenſu quid poſitivum ſit?

Cain

Quid præstent leges.

Cain realiter & moraliter consideratus potuit occidere & non occidere: at, quia erat per legem iure & potestate occidendi privatus, aut debuit ab operatione abstinere, aut actum iniustum committere.

Ius ad liberè operandum, non autem libertatem auferunt. Vide quæ num. 801. dicantur.

Ergo, quando Authores dicunt per leges hominem morali libertate privari, si interpretandi aut corrigendi sint, *libertatis* nomine intelligitur ius ad liberè operandum, quod ut ex D. Francisco didici, est amissibilis quædam libertatis proprietas: ac propterea non est in quarto modo, à Porphyrio descripto, collocanda.

Si nulla essent leges, nulla essent culpa? An sint leges, aut non: est quæstio facti. Factū debet probari.

Si nulla esset lex, nulla esse prævaricatio: Ergo leges sunt directiones morales provenientes ab extrinseco. Ergo, cùm illas supervenisse, aut non, sit Quæstio facti. Et factum debeat probari. Semper legē, cuius non probetur existentia, non esse ac propterea minimè obligare præsumemus.

S. Bernardi de Libero Arbitrio Sententia.

An iniurius Bernardo sit Iansenius cum illum pro Calvini & Lutheri errore adducit?

SVnt tam clara, tam copiosa, tam solida, quæ Melleus Doctor edisserit de
25 Libero arbitrio, ut cum admiratione Lutheranos & Calvinistas; cum stupore Iansenistas legerim, qui obtorto illum collo, sicut & Augustinum ad suum errorem volunt trahere. Et quidem multos possem, sed unicum locum, in quo totam suam mentem ille proposuit & exposuit, adducam. Nam *serm.* 81. *in Cant. num.* 6. (*tom.* 3. *pag.* 131. *b.* Iuxta editionem Parisiensem ann. 1658.) sic inquit.

Inter Verbum Divinum & Animam Rationalem magna est similitudo.

[Sed enim adhuc unum occurrit quod minimè prætereo: nec enim minus insignem similemve minus Verbo Animam facit, & fortè etiam plus. Arbitrij Libertas hæc est; planè divinum quiddam præfulgens in Animâ tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem & malum, nec non inter vitam est mortem, sed & nihilominùs inter lucem & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi, & siqua sunt alia, quæ similiter circa Animi habitum sese è regione

Liberi Arbitrij vis.

respicere videantur, nihilominùs inter ipsa Censorius quidam Arbiter, is animæ oculus, diiudicat & discernit: sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Vnde

Vnde illud dictum sit?

& *Liberum* nominatur *Arbitrium*, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promorendum potis.

NOTA. *Quanam libertas ad meritū requiratur?*

Omne etiam quod feceris, bonum malumve, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur. Et, ut meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala, & non fecit; sed qui & potuit non facere bona & fecit: ita malo non caret merito tam is, qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit facere bona & non fecit. Vbi autem non est libertas, nec meritum.

Ratio à brutis non exigitur, quoniam ratione carent.

Propterea carentia ratione animalia, nihil merentur: quia sicut deliberatione; ita & libertate carent. Sensu aguntur feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim iudicium habent, quo se diiudicent, sive regant, sed ne instrumentum quidem iudicij, id est, rationem: inde est quod non iudicantur, quia non iudicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio quam non acceperunt? Hanc vim à naturâ solus homo non patitur, & ideo solus inter animantia liber.

An potentiæ sint instrumenta Substantiæ? Ludit voce *ratio* ingeniosè hic Bernardus: quod etiam *pro Quint.* fecerat Cicero dicens, *Vsque dum inveniretur quâ ratione (quomodo) ab usitatâ ratione (cōsuetudine) recederet.*

Et tamen interveniente peccato patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate, non à naturâ, ut ne sic quidem ingenita libertate privetur. Quod enim voluntarium, & liberum. Et quidem peccato factum est, *ut corpus, quod corrumpitur, aggravet animam*, sed amore, non mole. Nam quod surgere anima per se iam non potest, quæ per se cadere potuit: voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & iacens, amorem pariter iustitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas cum voluntaria sit excusare valeat voluntatem: nec voluntas cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens: unde sese rea voluntas, ubi semel peccator consenserit, nec excutere iam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis huius: *Domine*, inquit, *vim patior, responde pro me*, Sed rursus sciens, quod non iustè causaretur adversus Dominum, cum voluntas sua ipsius potius in causa foret, attende quid securus intulerit: *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim?* Premebatur iugo, non alio tamen, quam voluntariæ cuiusdam servitutis, & erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est, quæ se cum esset libera servam fecit peccati, peccato assentiendo: voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet voluntariè serviendo. Vide, quid dicas, ait aliquis mihi: Tune voluntarium dicis, quod iam necessarium constat esse? Verum quidem est, quod voluntas seipsam addixerit, sed non ipsa retinet, magis retinetur & nolens. Bene hoc saltem das, quia retinetur. Sed vigilanter retine voluntatem esse quam retineri fateris. Itaque voluntatem nolentem dicis? Nonne utique voluntas retinetur non nolens. voluntas enim volentis est, non nolentis. Quod si volens retinetur, ipsa se retinet. Quid ergo dicet, aut quid respondebit ei, cum ipsa fecerit? Quid fecit? Servam se fecit: vnde dicitur. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Propterea cum peccavit (peccavit autem cum peccato obedire decrevit) servam se fecit, sed fit libera, si non adhuc facit. Facit autem in eadem servitute se retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim est. Ergo quia volens servam seipsam fecit: non modo fecit, sed facit. Merito proinde quod sæpe memorandum est) quis respondebit illi cum ipsa fecerit, ipsa & facit? Sed non me, inquis, decredere facies necessitatē quā patior, quam in memetipso experior, contra quam

Sapientiæ. 9. 2.

Concupiscentia vehemens, minuit liberum, & auget (intendit) voluntarium.

Nō excusat à peccato voluntaria necessitas.

Esaiæ 38. c.

Ibid.

Non solùm homo peccat, quia vult; sed manet in peccato, quia vult: ei enim, qui à peccato vult egredi, Deus suam gratiam nō negat.

Voluntas cogi non potest.

Ioan. 8. d.

quam assiduè luctor, Vbinam quæso hanc necessitatem sentis? Nonne in voluntate? Non ergo parum firmiter vis [a] quòd & necessariò [b] vis. Multum vis, quod nolle nequeas, nec multum obluctans. Porrò ubi voluntas, & libertas. Quod tamen dico de naturali, non de spirituali, quâ libertate (ut dicit Apostolus) *Christus nos liberavit*. Nam de illâ idem ipse dicit, *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*. Ita Anima miro quodam & malo modo sub hac voluntaria quâdam ac male liberâ necessitate & ancilla tenetur & libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea quo libera, eòque ancilla quo rea, ac per hoc eo ancilla quo libera. Miser ego homo, quis me liberabit à calumnia huius pudendæ servitutis? Miser, sed liber. Liber, quia homo: miser, quia servus. Liber, quia similis Deo: miser, quia contrarius Deo. *O custos hominum quare posuisti me contrarium tibi?* Posuisti enim cum non prohibuisti. Alioquin ipse me posui, & factus sum mihi metipsi gravis. Illustrissimè quidem, ut hostis tuus, hostis sit & meus, & qui tibi repugnat, repugnet & mihi. Ego verò qui tibi, ego qui mihimet contrarius factus sum, atque in membris meis invenio quod contradicat, & menti meæ & legi tuæ. Quis me liberabit de manibus meis? *Non enim quod volo, hoc ago*, sed me non alio prohibente. Et quod odi, illud facio, sed me non alio compellente, Atque utinam prohibitio hæc, & hæc compulsio ita esset violenta, ut non esset voluntaria, forsitan enim sic possem excusari: aut certè ita esset voluntaria, ut non violenta, profectò enim sic possem corrigi. Nunc verò nusquam exitus misero patet, quem & voluntas (ut dixi) inexcusabilem, & incorrigibilem necessitas facit. [b] Quis me eripiet de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui.] Hæc omnia Mellifluus Bernardus. Consonat sibi *libell. de præcept. & disp.* quia Carnotenses Monachos, de Obedientiæ impossibilitate querimoniam moventes, *cap.* 12. *num.* 13. alloquitur, & solatur his verbis. [Ita-ne? Ergo nullus mandata perfectè exsequitur sui Magistri? Quam ob rem, putatis? Quia nolumus, aut quia non possumus? Sed, si volumus & non possumus [N. B.] securi sumus. Si possumus & nolumus, superbi sumus, &c.] Ecce Deus non præcipit impossibilia.

a] Ecce: quò firmior & intensior actus est voluntatis, eò minùs liber ipse est, ut priùs dicebamus

b] Iunge hæc verba, *necessariò vis*, cũ illis seqq. *Sub hac voluntariâ quâdam, ac male liberâ necessitate.*

Ad Galat. 4. d.

1. Corinth. 3. d.

Anima simul, & libera, & ancilla est.

Agit de animâ, quæ caret libertate à peccato.

Iob 7. d.

In homine sunt duæ leges contrariæ.

Ad Roman. 7. d.

Hominis miseria ob carnis & spiritûs leges inter se repugnantes.

Ecce homo, nec sine se, nec secum vivere potest.

Qui vult obedire & non potest, in conscientiâ securus est.

Hucusque S. Bernardus.

26 Volui ad longum sententiam & verba mei Bernardi producere, ut videat prudens Lector, temerè tantum à Iansenio Doctorem pro errore Lutheri & Calvini, quem suum & ipse fecit, adlegari. Considera itaque Iansenij verba; nam in sui Augustini (quem *Antiaugustinum* debuisset inscribere) *lib.* 6. *cap.* 17. sic infit.

Iansenij Avgustinvs *contra Augustini mentem totus est.*

[Iam verò videamus, quid Sanctus Bernardus, quem de gratiâ & libero arbitrio Sanctissimè sensisse, & in hâc materiâ ab Augustini, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ doctrinâ non recessisse constat, de arbitrij libertate docuerit. Quod eo studiosiùs præstandum est, quod Sanctus Bernardus inter præcipuos Auctores à plerisque recenseatur, qui distinguendo triplicem libertatem, à necessitate, à peccato, & à miseria, primamque docendo esse naturæ, alteram gratiæ, postremam gloriæ, veram naturalemque arbitrij libertatem, in solâ immunitate à necessitate collocaverit. Quapropter quemadmodum distinctionem illam à Sancto Bernardo traditam esse perspicuum est, ita nullum Auctorem ab Augustini temporibus hucusque magis apertè, disertè, accuratè & efficaciter Sancti Augustini doctrinam, quam supra demonstravimus [c] in omnibus ad unguem tradidisse certum est, & ita manifestum est, ut mihi nullo evidentiori exemplo ostendi posse videatur, quod valeat in indagandis & eruendis genuinis Auctorum quorumcumque sensibus præoccupata Sententia. [d] Fatemur igitur ex S. Bernardi sententia, necessitatem repugnare libertati, & istam esse ipsius naturæ, non gratiæ, non gloriæ libertatem. Hoc enim sæpius *in libro de Gratia & libero Arbitrio* docet. Sed qui hoc afferunt, attendere, imo vel oculos tantùm aperire debuissent, ut intelligerent quam necessitatem Bernardus intelligeret. Plurimis enim evidentissimisque argumentis ostendi potest, non aliam intellexisse necessitatem, quam eam quam S. August. definivit, quæ non est in nostrâ potestate, sed etiamsi nolumus efficit id quod potest, hoc est, necessitatem quæ voluntati repugnat essentialiter, neque aliud est nisi vis & violenta coactio.] Et tu (Sincere Lector) cùm hæc ultima Iansenij verba relegeris, redi ad Bernardi textum, & considera bene illas lineas, quæ cursivo charactere exhibentur, ubi Nota est in margine, & es procul dubio dicturus, aut cæcum illum fuisse, aut cæcos nos omnes putasse.

Eadem est Ecclesia Catholica, quæ Augustini & Bernardi sententia.

De triplici libertate.

In quânam Liberum Arbitrium constituatur?

c Debuit dicere, quã suprà ob[s]curavimus, & obnubilavimus.

d] Hoc in se ipso experiebatur: non enim clarissimè loquentem intelligit.

De quâ necessitate agat D. Bernardus?

An necessitatis nomine coactionem & violentiam intelligat.

PRVDENTIA.

Prima pars Prudentiæ est, inquit Palladius 1. titul. 1. *ipsam, cui præcepturus sit, æstimare personam; neque enim formator agricola, debet artibus & eloquentiâ Rhetores æmulari; quod à plerisque factum; qui dum disertè loquuntur rusticis, adsequuti sunt, ut intelligi illorum doctrina non potuerit*. Ergo ego, si prudens sim, personas, quibus sim præcepturus, & locum tempusque, in quo hæc ipsa præcepta laturus sim, æstimare debebo. Personæ quibuscum acturus sum, sunt Viri docti, qui Scholasticam Theologiam profitentur, & phalerata verborum lenocinia non curant, sed dictione concisâ & clarâ delectantur. Hic ipse de Prudentia Discursus in nostra de Non-Certitudine Dialexi collocatur, nempe hoc incerto tempore, quo incerti homines (non enim certi dici debent, qui sub nomine fictitio latent) ipsam Non-Certitudinem incertarum rationum impetu demoliri conantur. Vt ergo personis, loco, & tempori orationem attemperem inquiram, 27

Quænam futura sit prima Prudentis hominis consideratio?

An, & cur incerti homines dicendi sint, non pauci ex illis, qui scribunt contra Probabilitatem.

quiram, & expediam, *Quid Prudentia ipsa sit? an, & unde in suis decretis incertitudinem & inconstantiam habeat? An imprudentis Viri sit eligere sententiam minùs probabilem? An Prudentia præscribat, ut à maioris, minoris-ve Probabilitatis consideratione supersedentes, utiliorem & commodiorem sententiam eligamus?*

Quomodo se gerat Prudentia circa Opinionum delectum? An, & quomodo à Virtute Prudentia distinguatur.

Et incipiendo ab errore communi, diffinio cum S. Thomâ 1.2. *quæst.* 57. *art.* 2. *ad* 3. illam esse Virtutem: non tamen assentior Aristoteli, qui *lib.* 6. *Ethic.cap.* 13. sinistrè intellexit, quæ dexterè dixerat Socrates. Ait Aristoteles. *Quòd Socrates Virtutes, Prudentias putavit esse, erravit: quod autem eas non esse sine Prudentiâ, censuit præclarè.* Non assentior: quoniam Socrates asserendo Virtutes esse tales Prudentias, non erravit: qui autem diceret Virtutes non esse sine Prudentiâ, sicut qui diceret Rhetores non esse sine Rationali Positionem minimè doctrinalem assereret. Nam sicut *Musicus* est, qui circa numeros sonoros ratiocinatur, & *Arithmeticus*, qui ratiocinatur circa numeros ut sic: &c. Sic similiter, qui in muneribus dandis est prudens, *Liberalis* vocatur: & qui est prudens in sublevandis pauperum miseriis, est *Misericors*, qui Reipublicæ mun[illegible] confert dignioribus, est *Iustus* distributivè: qui sceleratos congruis suppliciis punit, est *iustus* vindicativè: qui miserias æquo animo tolerat, est *Fortis*: &c. Et omnes nil aliud prorsus faciunt, quàm circa differentes Virtutes exercere Prudentiam. Ergo sicut *Gladius* & *Ensis* sunt duæ voces, & una res; sic similiter *Prudentia* & *Virtus*; & tales in specie virtutes nihil aliud sunt, quam tales in specie Prudentiæ.

Quid sint Liberalitas, Misericordia, utraque Iustitia, Fortitudo, &c.

Quomodo Prudentia, & Virtus inter se distinguātur?

Hinc patet quid respondendum sit interrogantibus, *An Prudentia sit una simplex qualitas?* Quoniam asserentem sententiam tenuit olim Henricus apud Scotum *in* 3. *dist.* 36. *quæst.unic.* D.Thomas *in comment ad sext. Ethic.* & 1.2. *quæst.* 60. *art.* 1. *ad* 1. Caietanus, Medina, & cæteri Thomistæ *ibid.* quos Vasquez *disp.* 85. *cap* 2. Valentia *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 3 *punct.* 2. & alij Doctores sequuntur. Defendit negantem Scotus, docens tot esse Prudentias specie distinctas, quot sunt Virtutes Morales sic distinctæ. Ita Ochamus, Gabriel, Rubion Alma, Bassolius, Poncius, & omnes Scotistæ communiter. Et probant: nam, sicut ad factibilia requiruntur diversæ artes, sic diversæ Prudentiæ ad agibilia.

An Prudentia sit una simplex qualitas?

Aristoteles 6. Ethic. cap. ult. *Prudentia uni existenti omnes (Virtutes) inerunt.*

Ego à Socrate sum contra Aristotelem; eiusque sententiam] sic defendo in Scholâ Thomisticâ. Aio (1) Prudentiam simplicem qualitatem esse. Ajo (2) voces *Prudentia*, & *Virtus* esse synonymas, & obiectivè non differre. Ajo (3) omnes Virtutes Morales esse realiter unicam, & materialiter tantum distingui. Vt enim paulò antè dicebamus, Prudentia in hac materiâ est talis Virtus, & Prudentia in aliâ materiâ est Virtus talis, &c.

An omnes Virtutes Morales realiter loquendo sint unica?

Φρόνησις ἐστὶν ἁπασῶν ἀρετῶν Βασιλικωτέρα. Synesius.

In Scoti Gymnasio sic inquam. Virtutes Morales inter se, & à Voluntate Humanâ realiter distinguuntur. Singulæ sunt qualitates diversæ, & specie distinctæ. Omnes simul *Prudentia* nomine intelliguntur; & singulæ etiam *Prudentia* nominantur. Quia, sicut omnes simul constituunt unam Virtutem integram, sic etiam unam integram Prudentiam omnes simul. Et, sicut singulæ sunt speciales & partiales Virtutes, sic singulæ sunt speciales & partiales prudentiæ.

De integrâ, & partiali Virtute.

De integrâ & partiali Prudentiâ.

Et ipsa (simplex aut composita sit) bene definitur ab Aristotele apud Nicolaum Causinum lib. 10. pag. 599. dicente. Φρόνησις ἐστὶν ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς, κατὰ ἀγαθὰ ἀνθρώπινα, καὶ κατὰ πρακτική. *Prudentia est habitus secundum rectam rationem, actuum humanorum bonorum malorumque* practicus, *seu operativus.* Et meliùs, clariusque Scotus *in* 3. *dist.* 34. *quæst. unic. num.* 20. apud Poncium *pag.* 421. inquit enim. *Prudentia est habitus consiliativus, quia est habitus rectè syllogizandi practicè: & tale syllogizare est consiliari; Vnde habitus, quo quis est consiliativus, est Prudentia.*

Quid Prudentia sit?

An ipsa dialectice tur?

Quia autem Aristoteles *lib.* 6. *Ethic.cap.* 3. & iterum *lib.* 2. *de Anima text* 182. Prudentiam, asserit, in verum tendere, oportet distinguere inter *certitudinaliter sentire*, & *in verum tendere*. Et illud Mathematici, & hoc Ethici (seu hominis prudentis) est. Audito Aristotelem 1. *Ethic. cap.* 1. dicentem. Verum (certum) *non similiter in omnibus sermonibus quærendum est.* Quæ verba à D. Thomâ hoc scholio illustrantur. *Materia Moralis talis est, quod non est ei conveniens certitudo*, Veritatis, videlicet: nam ei convenit veritatis probabilitas, & certitudo bonitatis. Subdit Philosophus, *Oportere grossè & figuraliter veritatem ostendere*, nempè, ut interpretatur S.Thomas, *ostendere verisimiliter*; *& hoc est procedere ex propriis Principiis huius scientiæ* (nimirùm Ethicæ) *& sic manifestum est, quòd Materia Moralis est varia, & difformis non habens omnimodam certitudinem.* Et firmat hanc doctrinam D.Thomas 2. 2. *quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 1. dicens; *In humanis actibus inveniri aliquam Certitudinem, non quidem sicuti in demonstrativis, sed secundum quod convenit tali materiæ.* Et explicatiùs *in* 3. *dist.* 34. *quæst.* 1. *art.* 2. inquit enim. *Hominem de inventis per consilium iudicare probabiliter, quod fit per Gnomen, & Synesin, & ulterius ordinem huius Iudicij imponere inferioribus, quod fit per prudentiam, quæ præceptiva est. Sed quod homo certitudinaliter sentiat, de his, quæ agenda occurrunt, supra hominem esse.* Duabus impræsentiarùm vocibus utitur D.Thomas: eæ sunt γνώμη, & σύνεσις; & in utrâque ita intellectio reperitur, ut etiam voluntatem involuat. Est enim γνώμη, *sententia prudens; iudicium, quod de re format homo circumstantiis omnibus bene consideratis.* Thucydides *lib.* 2. γνώμην ἔχοντες οἱ μὴ μὴ ἐκπλεῖν. *indicantes non esse navigandum.* In voce autem σύνεσις dissentit à Platone Aristoteles, in orthographiâ, derivatione, & significatione. Est enim Aristotelis σύνεσις,

Quomodo sentire Veritatem, & in Veritatem tendere discriminentur?

Quid sit grossè & figuraliter veritatem ostendere?

Qualis sit certitudo Moralis.

Quid Gnoma sit?

Ab hac animi facultate, in quâ fortè excelluit, Synesius, Christianus Philosophus, nomen sortitus est. Θουκυδίδης Aristoteles *Ethic. lib.* 6. *cap.* 11.

consideratio, *quâ res inter se conferentur*, à verbo συνίημι, *committo*, *confero*. Luc. ἐπειδὴ τάχιστα συνῆκε τὸ κρεῖττον, *simul atque conferendo intellexit (cognovit, percepit) quod erat melius*. Plato autem, non à συνίημι, sed à ξυνίεμι significante συμπορεύεσθαι derivabat, ut ξύνεσις sit facultas animi, *quæ ξυνίεσι τῆς τέχνης*; *decernens, quid faciendum sit, & quid non*. Nos ergo, ne discipulum suo magistro opponamus, tres facultates collocemus in animo, σύνεσιν, γνώμην, & ξύνεσιν *collationem* (consultationem) *electionem* (placitum.) *determinationem* (decretum.) Ergo, ne casum à Thucydide positum alteremus. An navigandum sit? proponatur, Præcedit σύνεσις, & hinc pericula, & inde lucra confert, & sequitur γνώμη, prudens de navigatione iudicium, dicens, *Bonum est navigare:* & statim, quid faciendum sit decernit ξύνεσις, facultas præceptiva, quæ dicit, *Navigetur*.

Quid sit Synesis?

Plato *in Cratilo*.

Quid Xynesis?

Quomodo Prudentia à Synesi per gnomen ad Xynesin perveniat?

Cùm in Prudentiæ actibus sit interdum periculum, unde illud nascatur, inquiritur.

Vnde Proveniat in Prudentiæ actibus incertitudo?

PRIMA SENTENTIA asserit Prudentiam firmissimis fundamentis inniti, à quibus nancisceretur Certitudinem, nisi materiæ lubricitas interveniret: & ideò concludit omnem incertitudinem à Principiorum applicatione procedere. Ita D. Augustinus Redingus *tom.2. quæst.9. art.4. contr.1. pag.154. b.* inquit enim. *Prudentia dictamen dicit ordinem intrinsecum ad Principia Moralia per se nota. Hæc autem non sunt tantùm illa generalia omnis Moralis honestatis, transcendentaliter directiva Principia; sed cuiusvis specifica Virtutum Moralis honestatis ratio in abstracto & actu signato, & per se nota, tanquam bonum naturæ rationali per se expetibile. Quia verò talis in materiis individuis exercitè facienda Moralis specifica honestas variis est affecta circumstantiis mediante consiliatione* [a] *non nisi probabiliter per Eubuliam* [b] *expendendis. Ideircò, quævis honestas specifica in exercitio, quoad sui materialem cum actu quà individuo, & hisce circumstantiis vestito concretionem, regulariter nequit, nisi probabiliter iudicari per Gnomen & Synesin ex D. Thoma* in 3. dist.34. quæst. 1. art.2. *assertis, & supra relatis verbis*. Ecce Vir eruditus & doctus, certissima & securissima esse asserit Principia illa (generalia, specialia) quibus Prudentia Resolutiones suas succollat, & addit omnem incertitudinem provenire à materiâ, quæ fere est lubrica, & non semper patitur, ut bene illis Principiis universaliter attemperetur.

Certitudo illa generica per contractionem ad specificas, & individuales circumstantias periclitatur.

a] Consiliationem *vocat, quam S. Thomas* Synesim *nominabat.*

b] Εὐβουλία, bonum cõsilium, unde εὔβουλος, qui suggerit bona consilia. Hoc epitheto, Nicander *in Alex.* Plutonem, & Plutarchus *in Sympos. 7.* Bacchum afficit.

SECVNDA SENTENTIA viam oppositam init: & eam sequitur Mercorus, nam 1. *part. prax. opin. art.8.* asserit cum communi Sententiâ Certitudinem Moralem ad Iudicium prudentiale sufficere: & si interroges, Quid ipse intelligat. *Certitudinis Moralis* nomine. *Hanc porrò Certitudinem esse*, ait, *quando attentis particularibus, & propriis rationibus obiecti impossibile est rem aliter se habere, licèt secundum quasdam rationes communes non repugnet posse aliter se habere, & de facto aliquando, sed raro aliter se habeat*; *dicique* Certitudinem Moralem, *quòd attendatur penes mores hominum, usus, consuetudines, & ea quæ ut plurimum eveniunt*. Sed Redingus, si hæc verba ad mentem suam reformare iuberetur, diceret, *Hanc Moralem Certitudinem esse, quando attentis generalibus & communibus rationibus obiecti impossibile est rem aliter se habere, licèt secundum quasdam rationes speciales & particulares non repugnet posse aliter se habere, & de facto aliquando, sed raro aliter se habeat; dicique* Certitudinem Moralem, *quòd attendatur penes communes mores hominum, usus, consuetudines, & ea, quæ ut plurimum eveniunt*. Nec aliter philosophatur Vives, qui *lib.2. de Anim.* sic infit. *Ratio eorum, quæ aguntur in bono est Prudentia, &c. Est ars. Ars est collectio generalium formularum ad usum aliquem tendentium, quæ verò circumstantiis, seu negotiis variantur. Ea sunt enim περιστάσεις, hoc est, locis temporibus, personis, & eiusmodi circumspectionis sunt, seu Prudentiæ, quam multi Iudicium appellant.* Item *Solius hominis ingenium est & prudentia*.

Mercori opinio.

An Prudentiæ Principia talia sint, ut ab illis omnis incertitudo & defectio proveniat.

Quid sit Certitudo Moralis?

An Prudentia sit ars.

N. B. Ita est errori obnoxia Prudentia, ut loco miraculi habeatur Tiberius Dux & Cõsiliarius Attaxerxis, quod in Consiliis suis nunquã errauerit.

TERTIA SENTENTIA speculationem à Praxi distinguit, & posteà speculationem ab speculatione subdistinguit. Profectò ad speculationem pertinent Principia, quæ adsumuntur: eorumque usus & applicatio ad Praxim. Principia, tametsi ab obiecto omnia nominentur *Moralia*, non tamen omnia sunt moraliter certa, sunt enim plurima infallibilia, quæ inscribuntur æternæ Veritatis Catalogo. Talia sunt.

Prudentia distinguit speculationem à Praxi.

Duo Principiorum genera.

Bona sunt amplectenda & facienda.
Mala sunt fugienda & detestanda:
Deus est colendus.
Divinæ leges semper sunt observandæ, &c.

Principia infallibilia.

Hæc & similia, in tali sunt certitudinis gradu, ut nunquam esse falsa potuerint. At sunt alia regulariter vera: qualia sunt,

Leges humanæ sunt servandæ.
Depositum est reddendum.
Bonum est erogare eleemosynam.
Matres amant suos filios, &c.

Principia Moralia: hoc est, regulariter vera.

Sunt ita vera, ut probari non debeant; sic enim civiliter debet præsumi, & sentiri; nisi fortè persuadeatur contrarium: non enim repugnat ut aliquando & in aliquo particulari sint falsa. Quoniam, si hîc & nunc leges hominum contra Divinam sint, aut earum finis cesset contrariè, observandæ non sunt. Et tu ensem, apud te depositum, si ut aliquis temerè occidatur, petatur, debes non reddere: Et pauperi, qui tuâ clementiâ abutitur, debes eleemosynam non dare: Et tandem non obstante amoris materni virtute, fuerunt aliquæ in suos filios crudelissimæ matres. Ergo, ut habeamus vocabula, quibus uti possimus, Priora illa, quæ sunt infallibilia Principia, *Metethica*; & hæc posteriora, quæ sunt regulariter vera, *Ethica* nominentur.

An possint prudenter negari?

Principia aut Metethica, aut Ethica sunt.

Et

Vnde Incertitudo in Prudentiâ nascatur?

Et veniendo ad Quæstionem, *Non à Metethicis, sed ab Ethicis Principiis, & à Praxi (non enim semper Prudentum consilia exequutioni commendantur exactè) Incertitudinem provenire* dicendum est. Hæc est vera sententia, & iuxta illam poterimus philosophari.

28 Et quidem me bene explicare Prudentiam constat clarè ex Iacobi & Liæ concubitu: in quo, si imprudenter ille processisset, etiam peccati accusaretur. D. Augustinus Redingus *tom.2. quæst.9. art.4. num.14. pag.254. b.* appositissimè: inquit enim. *Ex hac verò sui ad specificam Honestatis Moralitatem concretione intentionaliter repræsentatâ provenit, quod talis actus, quà moralis formaliter spectatus, dicat intrinsecam cum moralibus specificam aliquam honestatem repræsentantibus Principiis commensurationem. Eiusmodi autem Commensuratio, licèt materialiter quoad sui cum istâ materiâ seu individuo actu concretionem (velut patuit in Iacobi Patriarchæ cum Liâ, tanquam putativâ uxore concubitu) sit falsa & mala: attamen formaliter, sub formalitate per rationem Principiis moralibus omninò certis regulatam, est secundum Ordinem resolutorium hoc ipso certa & infallibilis, quod secundum talem formalitatem in Principia non nisi certa, in genere moris omninò infallibilia, sit resolubilis. At super hâc ipsâ secundum ordinem resolutorium, omninò infallibili certitudine fundatur etiam practica in genere moris Certitudo.*

An Iacobus Liam cognoscendo peccaverit.

Ecce error non à Principiis universalibus, sed à circumstantiis oritur particularibus.

Certitudo Practica, quæ & quando sit?

Principia Moralia generalia iuxta quæ Patriarcha Iacobus Philosophabatur.

Principiis generalibus insistit innocentia Iacobi: cognovit, quam putabat esse uxorem suam; & hoc bene: est enim certissimum Principium, *Licitum est accedere ad propriam uxorem.* Est Metethicum, & incapax dubitationis. Est & aliud, *Inspicimus in Practicis, quod est verisimilius: & illud censemus esse verisimilius, quod plerumque fieri consuevit.* Est etiam Metethicum; & transibit in Ethicum, si illud *verisimilius* in *verum* convertatur. Et ex illo hoc debebat ratiocinium formare. *Soceri generos non decipiunt. Laban est meus socer, ego eius gener. Ergo me non decipit Laban.* Hæc consequentia talis erat, ut etsi falsa esse posset, non haberet cur dubitaret Iacob, nec eam posset in conscientiâ negare: se enim insinuat aliud adhuc Principium, conscientiam stringens, videlicet. *Beatus qui possidet.* Erat Laban in famæ & honoris possessione; nec poterat temerè perfidiæ & infidelitatis condemnari. Nec est cur negligentiam, Iacobi incrimineris, qui potuit candelam præferre, & quænam in lecto iacebat, examinare illum enim Acacius *verb. ignorantia, resol.80. pag.175. a.* doctissime excusat his verbis. *La ignorança del hecho se prueba con el exemplo de Iacobo, el qual no peccó conociendo a Lia, pensando que era Rachel, no obstante que pudo reconocer primero con una luz, si era, o no: pero no estaba obligado, pues moralmente hablando avia de dar credito a los que le dezian, que era Rachel, como lo prueba largamente Cordova libr.1. q. de ignorantia, quæst.11.* Nolo hîc examinare, an fuerint candelæ ex cera vel sevo illâ ætate: non volo quærere, an Iacobi tentorium ex ramis fuerit conformatum, & ideò ratione periculi non admitteret tædas: Acacij rationem admitto. Debuit Iacobus Labano & aliis credere: non enim habebat rationem, ob quam sinistrè de illorum fidelitate iudicaret. Erat in eodem casu adhuc tertium Principium: videlicet. *Vnusquisque ex suâ naturâ cæteros fingit:* vel ut ait Hispanus *De las hechas Salen las sospechas* quod *ad Rom.2.* S. Paulus hoc Scholio dilucidat *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Existimas autem hoc ô homo, omnis qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Vnde P. Gregorius Mastrillius *in serm. Quadrag. part.2. fer.4. post Dominic. IV. pag.523.* de Iudicio temerario disserens, sic exclamat *L'origine di questo vitio è prima la malitia propria.* Qualis quisque est, tales alios iudicat. *come la complessione malinconica ogni cosa converte in malinconia: secondo Doroteo, alla bocca amara ogni cosa pare amara: onde S. Giovani Chrisostomo sopra S. Matteo.* Sicut difficilè aliquem suspicatur malum, qui bonus est: sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse est malus.] Ergo, si ex suâ naturâ homines cæteros fingunt: Iacobus, siquidem erat probus fidelisque, connaturali suæ probitatis pondere rapiebatur, ut nihil mali suspicaretur de Labane. Et hæc erant generalia Principia: & Iacobi error prodiit à Labanis malitiâ, quæ erat ratio specialis, quæ poterat se aliter habere, quam putabat Iacobus, & aliter se habuit de facto. Hæc Labanis malitia, quæ erat ratio specialis, illud Principium, *Soceri non decipiunt generos*, quod erat regulariter verum, falsum reddit: & præstitit, ut illæsâ Prudentiâ Iacob deceptus fuerit: *nam caret eventu spes bona sæpe suo.* Et sola illa spes *bona* vocari potest, quæ prudens.

Genes. 29.

An Iacob habuerit obligationem accuratiùs examinandi an in lecto iaceret Rachel, & non alia?

Vnde suspiciones oriantur?

In alio sermone idem Mastrillius rogat, cur dives epulo unam solâ aquæ guttâ ab Abrahamo petierit? cur non integram hydriam? & respondet, hunc epulonem fuisse avarum, & ideò esse Abrahamû avarum iudicasse: & hanc ob rē id tantùm voluit petere, quod nullus avarus negaret.

Vnde prodierit eius error?

Bona spes quæ?

29 Recognoscis illud Principium, *Inspicimus in Practicis id, quod est verisimilius: & verisimilius esse censemus, quod plerumque fieri consuevit.* [a] Et infers. Prudentia igitur iubet, ut probabiliorem sententiam eligamus. Et ego nego consequentiam, nam confundit Opinionem & Placitum. Aliud est gubernare Mentem, & aliud Voluntatem. Mens, sicut & Visus, est necessaria potentia: & sicut, etiam voluntate imperante, non possunt oculi videre nigredinem in nive; sic nec intellectus videre certitudinem in Conclusione probabiliter suasâ. Non est homini liberum iudicare esse minùs verisimile, quod maiorum rationum efficaciâ suadetur, aut quod plerumque in Academiis à Viris eruditis defenditur, at est homini liberum eligere in praxi illam sententiam, quæ est minùs verisimilis, quæ minoris ponderis ratione fulta à paucioribus Viris Magnis defenditur, atque ideò dicitur minùs proba

a] Consonat Regulæ XLV. quæ legitur in iure Canonico.

Non est homini liberû iudicare esse certam aut probabilem propositionem, quam voluerit.

An quis tutâ conscientiâ ab eo lucrari possit, quem coegit ludere?

probabilis. Electio hæc (actus voluntatis ipsa est) non efficit, ut intellectus aliter iudicet, quàm indicabat (hoc est, non præstat, ut quæ minùs probabilis videbatur, videatur probabilior) nam potest & solet homo prudens eam sententiam eligere, quam cognoscit & fatetur esse minùs probabilem. Et tametsi hoc passim occurrat, dabo nihilominùs unum aut alterum exemplum, ut id persuadeam. Antonius Cotonius *in summ. verb. ludus, num.* 28. sic statuit. [*Qui cogit aliquem stare in ludo, potest ab illo lucrari in conscientiâ: licèt enim oppositum sit probabilius, quod docuit Comitolus* lib.3.quæst.9.num.2. *& alij: tamen hæc etiam sententia est probabilis, quam novissimè docuerunt etiam Trullench* in Dec. tom.2. lib.7. cap.17. dub.2. *& Diecastillus* de Iust.lib.2. tract.18. disp.5.dub.2.n.14.] Et eodem ratiocinatur modo *verb. sponsio, num.* 4. inquit enim. [*Si concurrentibus tribus ad cathedram aliquis spondeat cum unoquoque eorum trium seorsim, quod non adepturus sit illam, puto cum Sanchez* in Opusc. tom.1. lib.1. cap.8. dub.16. num.2. *validè id fieri, quia cum omnibus his tribus aubius est de futuro eventu, & sicut potest à quolibet lucrari, ita potest cum quolibet perdere.* [æ] *Non nego tamen contrarium esse probabilius, ut tenet Trullench* in Decalog. tom.2. lib.7. cap.27. dub.6. num.1. *& Diana* part.4. tract.4.res.186.*&* part.7. tract.9. res.62. *&c.*] Ecce Vir eruditus & prudens utrobique, & etiam frequenter alibi, eligit & suadet opinionem, quam cognoscit & fatetur esse minùs probabilem. Ergo ab electione non induipiscitur minùs probabilis Opinio, ut in probabiliorem convertatur. Pergis ulteriùs, & iterum scire desideras, quid tandem præstet minùs probabilis Opinionis electio? Præstat, ut per illam aliquid obtineatur, quod non posset per probabiliorem obtineri. Voluntas igitur ut bene S. Benedictus [*b*] nos monuit, non probabiliorem eligit, sed utiliorem. Attende.

De sponsionibus, quæ fieri solent Salmanticæ, cum aliqui ad Cathedram vacantem adspirant.

a] Hanc ego Quæstionem in nostrâ edisserto Combinatoriâ. pag.1019 decido, & demonstro à puto Theologo non potuisse resolvi, & ideo tam eos, qui severiorem, quàm eos, qui benigniorem opinionem sequuntur, ob ignorationem mathematum, quæ debent præsciri ad lucinari.

Cur minùs probabile prudentes aliquando eligunt?

b] *Quod utilius, ait* S.Pater (*nō autem, quod probabilius*) *iudicaverit, faciat* Genes.11.

Tunc in uno Monasterio (in uno etiam Ordine) omnia bene procedunt, quando in ipso est *omnis terra* (universa Communitas) *labij unius, & sermonum eorumdem.* Et, ut hoc obtineret S. Augustinus, duo media adhibuit, maximè necessaria: alterum, ut esset communis inter suos Religiosos omnium rerum possessio; alterum, ut nulla toleraretur dissidentium sententiarum contentio: quando enim una & eadem sententia omnium est, & communis omnium rerum possessio, necesse est pacem in Communitate servari. Huc respiciebat, ut dixi, S. Augustinus, quia in Primæ Regulæ initio sic inquit. *Residentibus nobis in Monasterio, omnibus placuit secundum Apostolicam traditionem, Unum sentire in Domino, & communiter possidere. Sicut scriptum est* (Sapient.1.) *Unum sentire in Domino. Et nemo quidem proprium sibi vendicet quidquam, sed fiat, sicut scriptum est in actibus Apostolorum,* (cap.2. & 4.) *Habentes omnia communia,* &c. Et postea omnes doctrinas peregrinas

Nulla posset pacificè gubernari Cōmunitas, si subditi non tenerētur obedire Prælato in materiâ minùs probabili.

An in Monasterio debeant omnes sentire eodem modo?

vult haberi suspectas. Siquis, ait, *ab aliquo doctrinam audierit præter quam in monasterio consequutus est ab eo, cui se credidit, hanc autem suscipiat, & eam non subtrahat Doctori* (superiori) *quia scriptum est* (Ephes.5.) *Omne quod manifestatur, lux est. Si enim bona fuerit, collaudanda est; si verò prava, reprobanda. De his autem fratribus, qui in unitate consistunt, siquis subitò adversus Præpositum altercatus fuerit, non solùm semel, sed secundò & tertiò, ut Evangelium.* (Matth. 18.) *docet, licet exorare,* &c. Prosunt; & huc pertinent aliqua, quæ in Regulâ Tertiâ leguntur: nempe Cap.1. *In unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima una & cor unum in Deo.* Cap. VI. *Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite; & honorate in vobis Deum invicem, cuius templa facti estis.* & Cap. XXXVII. *Lites, aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium,* &c. Videte quantâ curâ pacem & concordiam commendat. Et hanc frangunt Probabilioristæ. Vel attende. Præcipit Prælatus aliquid quod est minùs probabile. Sanè, si ante Prælati præceptum erat minùs probabile, non erit probabilius post præceptum: nec enim omnes Prælati docti sunt: &, si ille, de quo loquimur, dicatur doctus, non ideò suo suffragio reddet probabiliorem opinionem: tot enim hinc inde Scriptores Quæstiones decisæ probabiliter numerant, ut vix possit variare iudicium unius Doctoris superveniens authoritas. At in illâ Communitate sentire cum Prælato erit necessarium post præceptum: nam, si liceret prætextu Probabilioris Opinionis negare Superiori Obedientiam, cùm pleræque omnes, quæ in horum Doctorum sententiâ probabiliores iudicantur, minùs probabiles sint aliorum Scriptorum iudicio, *suscitarentur rixæ: detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes.* Quæ etsi satis essent malæ, si solæ, peiora inferunt; nam multorum ipsæ peccatorum sunt causæ. Quoniam, *dum contraria sibi invicem Abbas, Præpositusque* (aut quicumque senior) *sentiunt, & ipsorum necesse est, sub hac dissensione animas periclitari. Et hi, qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem.* Ita S. Benedictus in Sanctæ Regulæ Capite LXV. Ergo si officit perfectioni Monasticæ probabiliorem Opinionem eligendi necessitas, non est bona doctrina, quæ hanc ipsam necessitatem protrudit.

Quid Religiosus debeat facere, si audiat doctrinas ignotas in suo Monasterio:

An subsistere possit disciplina Monastica, si doctrina Probabilioristarū admittatur?

Semper subditus inveniret probabiliorem opinionem, ob quam superiori obedientiā negaret.

Doctrina, quæ pacem & sanctitatem impedit, non est bona.

Prudentiam postulare aut permittere, quod minus probabilis sententia aliquando eligatur, demonstrant Concertationes publicæ, publicâ authoritate toleratæ, de quibus fusè in nostrâ Combinatoriâ disputavimus. Quæstio ibi prima *sub num.*82. *pag.* 996. differit de Concertationibus Cosmopolitanis: sic Genuenses volui dicere, ut possem pronunciare liberiùs: interim, quia Antonius Cotonius *in summ. verb. Ludus.* eas Genuenses apertè nominat? illas etiam Genuenses nominabimus. 30

De concertationibus publicis.

Quales Genuenses sint?

Invitan

i] Felicissima est Civitas hæc, si centum habet munere Senatorio dignos. Cæterùm, si experientia demõstret, hoc nõ esse possibile, ad minorem deberent numerum fosses ipsæ reduci.

Invitantur omnes authoritate publicâ, ut opinionem eligant multis gradibus minùs probabilem: videlicet, ut relictâ illâ, quæ multis est vicibus probabilior, eligere velint contrariam. Casus est iste. [i] Genuæ denominantur centum, ex quibus per sortem leguntur quinque, qui senatoriâ dignitate fungantur, in civitatibus Italiæ Mercatores ludum aperiunt publicum, & expositâ magnâ pecuniæ vi, tueri volunt, fore neminem qui prædicat, qui futuri sint deligendi. Petrus ingreditur Concertationem, & vult denominare illos quinque. Habet unum modum veritatem attingendi, & 150.892.080. modos errandi. Ergo probabilius est illum fallendum esse, quam illum dicturum veritatem exactè. Sed quanto? Hæc propositio, *Petrus falletur*, est 150.892.080. vicibus probabilior istâ, *Petrus non falletur*. Et tamen, quia putant præmium condignum minùs probabilis Opinionis electioni præscribi, non solùm Petrus, sed etiam cum ipso alij multi ingrediuntur, & concertationem acceptant. Et esset æqualis utrimque contentio, si contra unum aureum à Petro positum, 150.892.080. aureos Adversarius opponeret, tunc enim timor & spes essent in æquilibrio. Cotonius à me *ibi. pag.* 1030. *b.* citatus. *Hinc Genuæ in frequentissimis sponsionibus, quæ fiunt super extractionem Senatorum, quia ex 11 agno numero singulis vicibus soli quinque extrahuntur, sponsores ad compensandam inæqualitatem sumunt à singulis sex vel septem cum periculo perdendi centum.* Ergo in ludo, in quo ex quinque capitibus sit spes & ex viginti pericula, petit æquitas ut 1. contra 20. (5. contra 100.) si ludere velis, exponas. Casus frequenter accidit, & in eo multa percipis, si volueris attendere. Ecce enim relictâ opinione, quæ est vigesies probabilior, alteram illæsâ Prudentiâ & Iustitiâ amplecteris, permittente Republicâ; & cur? Quia quantum in Probabilitate deficit, tantum abundat in Vtilitate. Prudentia igitur in probabilium opinionum delectu, non quæ sint probabiliores, sed quæ utiliores, investigat; &, si utiliores sint minùs probabiles, has sciens & volens eligit, relinquens illas, quas fatetur multis & multis vicibus esse probabiliores.

Permittit Iustitia & Prudentia, ut in ludo, aut concertatione minùs probabilem amplectaris sententiam, si periculi perdendi tantum, sperati æqualitate compensetur?

QVÆSTIO Incidens. An dialecticetur Iuris prudentia?

Quomodo Prudentia discurrat?

a] Ex Aristotelis verbis duo colligo: ALTERVM in eius sententiâ nõ ad Modum Darij, sed ad Modũ Dimæ

Diximus dialecticari & ratiocinari Prudentiam, quod ipsum firmat Aristoteles, qui *lib.7 Ethic.* cap.3. sic inquit. *Quando ex particulari & universali fit una ratiocinatio, necesse est animum in speculabilibus continuò enunciare, & in agibilibus statim agere* [a] P. Ioannes Poncius *in 3. dist.36. n.130.* per *enunciare* intelligit *Conclusioni assentiri*, & *eligere*, vel *intendere Conclusionem deductam* intelligit per verbum *agere*. Et, ut mentem Philosophi dilucidet, sic ait. [Si practicè proponatur hæc universalis, *Omne peccatum est fugiendum.* Et subsumatur. *Interficere hic & nunc talem hominem est peccatum*, necesse est ut voluntas fugiat interfectionem.] Dixerat paulò antè, [Iuxta hoc explicari authoritatem eius (Aristotelis) *in libro de motu animal.* ubi dicit. Si Maior practica ponatur ab Intellectu: nimirùm, *Omnis actus virtuosus est eliciendus.* Et Minor sumatur à sensu vel phantasiâ, nimirùm. *Virtuosa est hic & nunc datio eleemosyna tali pauperi proposito in particulari sensibus externis, & mediantibus illis percepto à sensu communi aut phantasiâ*, quod sequetur necessariò non solùm Conclusio in intellectu, *quid sit facienda talis eleemosyna*: sed etiam ipsa operatio conformis sequetur in voluntate, hoc est, datio eleemosynæ, si nihil impediat.] Et sic Prudentia universim sumpta dialecticatur.

qui Prudentiam ratiocinia formare: & Quæstionẽ de facto Quæstioni de Iure præponit: frustra enim quærerent Iudices, quâ pœnâ homicida puniendus sit, nisi plenè constiterit eum esse homicidã. ALTERVM sensisse Aristotelem, eum, qui assensus sit præmissis, ad conclusionis assensum necessitari. *Vide nostrum Tetrarchum.*

Legisti hæc omnia attentè. Et quia Iuris-prudentia, pars est Prudentiæ nobilissima, interrogas, *An iudices in tribunalibus dialecticentur?*

Respondeo omnem Actionem, Causamque in unico syllogismo consistere. Cuius Maior est Lex. Minor continet factum: & Sententia est Conclusio. Omnia hoc exemplo dilucido.

Syllogismus Iuridicus *Lex. Factum. Sententia.*

Homicidæ capite plectuntor.
Aurelius homicidij reus est.
Ergo Aurelius capite plectitor.

Hæc doctrina dabit lucem S. Augustini verbis, immo ab illis etiam lucem recipiet, si scholio opportuno illustrentur. Illa subscribo.

S. Augustinus *Rhetorica sua cap. 3.*

Quid in Quæstionibus Theseos & Hypotheseos nomine intelligatur?

Duo sunt primi, & quasi generales civilium modi Quæstionum, quorum alter Thesis, *alter* Hypothesis *vocatur à Græcis. Nos priori nomen nisi Græcum dare non possumus; nec posteriori quidem, quam quod videamur dedisse, dedimus: quippe controversiam dicimus, quod nomen tam in τῇ θέσει, quàm in τῇ ὑποθέσει potest cadere: in utroque enim Quæstio, hoc est, Controversia est. Porrò τῆς ὑποθέσεως significatio, & declaratur ex ipso composito nomine, & est aliquid, quod est ὑπὸ τῇ θέσει, id est, sub illo genere quasi species.*

Legis hæc S. Doctoris verba, & interrogas (1) An Latinus habeat voces, quæ Græcis θέσις, & ὑπόθεσις correspondeant? (2) An apud Iuristas à Thesi distinguatur Hypothesis? Et tandem (3) quomodo debeant Iudices in tribunalibus causas tam criminales, quàm civiles resolvere?

An sint in linguâ Latinâ vocabula illis correspondentia?

AD PRIMVM negativè respondere videtur Augustinus, & fortè suo tempore non fuerint ita in usu hæ duæ voces *Positio* & *Suppositio*, quas hodie asserimus esse valde communes. In Passeratij Calepino [*A Dialecticis & Rhetoribus* Positiones *appellantur, ipsa veluti fundamenta, quibus argumenta innituntur.* Quintilianus lib.2. cap.10. *Qui aliquando etiam argumenta ex ipsis Positionum vitiis ducimus,* &c.] Et hodie apud Latinos *Suppositio* legitur frequentiùs, quàm *Hypothesis*.

An inter Thesim & Hypothesim detur distinctio?

AD SECVNDVM negativè respondet Apollodorus, & eos carpit, qui oppositæ sententiæ adhærent. Vbi suprà Augustinus. *Nec desunt, qui hinc etiam Hermagoram criminentur, & Apollodorus in primis, qui negat, quidquam aliud esse* Hypothesim, *quàm* Thesim, *& nullius momenti esse discrimen personarum; quamquam utrumque hoc genus*

nus Quæstionis Hermagoras distinxisse videatur. Non minùs enim infinitam & interminatam esse Hypotheseos, *quàm* Theseos *Quæstionem. Nam,cum quæratur,* sit,nec ne,animadvertendum in Orestem? *Non personam esse,quæ faciat Quæstionem,sed factum,& nihil interesse, an ita quæratur,* sit,nec ne animadvertendum in Matricidam? *Quod, si ita est,nihil inter* Hypothesim, Thesimque *distaret.* At tu cum communi sententiâ Hypothesim à Thesi distingue. Sed quomodo?

Quomodo per Thesim & Hypothesim ad definitivam Sententiam perveniatur?

Ad Tertivm dic, Quæstionem,quæ circa Thesim versatur & examinatur,leges à Supremo Principe latas concernere: & illam, quæ in Hypothesi agitatur, factum & processum respicere. Controversia in causâ paulò ante positâ,circa Thesim erat, *An sint casus, in quibus leges non interdicant parricidium? &,si aliqui sint,An inter ipsos ponatur casus in quo mater adultera maritum, amasij manu occiderit?* Hypothesis supponit Orestem Agamemnonis & Clytemnestræ fuisse filium, cumque sibi ab Ægisto, qui patrem suum interfecerat, & matrem suam constupraverat, necem parari prævidisse; confugisse ad Strophium, & tandem post duodecim annos rediisse in patriam, matremque suam & adulterum interemisse. Et movet Quæstionem,quæ postulat, *An Orestes sententiâ ultimâ damnandus sit?* Cicero Thesim *propositum* & *consultationem* appellat, Hypothesim *causam*, & *controversiam*: & benè. Nam primo in Thesi casus universim proponitur, & consilium initur, ut sciatur, quæ sint leges de illo: & postea causa hoc est factum iterum in Hypothesi subponitur, ut cognoscatur, an verè reus illud crimen commisit. Et, si crimen plenè probetur, fuisse à reo perpetratum supponitur, & ex Thesi & Hypothesi suo pondere sententia definitiva egreditur. Consonat Ciceroni Augustinus,qui *loc.cit.* pronunciat, *distare hæc duo genera Quæstionum, quod in Thesi perspectio, sit alicuius rei* (nempè legis) *qualis sit: in Hypothesi contentio* (nempe, examinans, an crimen reus verè commiserit?) *& quantum interest inter perspectionem & contentionem, tantum inter Thesim & Hypothesim esse discriminis*, &c. *Tum, quod omnis Thesis de futuro est, Hypothesis rarò, quinimmò nunquam, nisi de præterito, aut eo, quod iam agatur, facit Quæstionem, Nemo enim* [a] *neque reus fieri potest, nisi fecerit aut fecisse dicatur, neque præmium aut aliquid huiusmodi petere, nisi iam meritus sit, aut meritum esse contendat.* Et quidem Thesis ad Legislatorem: & ad Senatorem Hypothesis. *lib.1. Rhetor. ad Theod.* Aristoteles. *Legislatoris iudicium, non de singulis, nec de præsentibus; sed de universalibus & de futuris est: Senator verò & Index, de præsentibus, iam determinatis, indicant.* Vt patet in illo syllogismo Iuridico;nam Legislator dicit. *Homicida capite plectuntor*, & hæc Maior, universalis, & de futuro est. Viso processu dicunt Indices. *Aurelius homicidij est reus.* Et hæc Minor est de re determinatâ, & quà homicidium concernit, de re præteritâ; & quà reatum, de præsenti. Et tunc ex Lege & Facto (ex Thesi & Hypothesi) Sententia contra reum per modum Conclusionis deducitur.

De Agamemnone, Clytemnestrâ, Oreste, & Ægisto.

De proposito & consultatione, nec non de causâ & controversiâ.

a] Sæpe occurrunt in Authoribus similemodi loquendi; & in ipsis dant negationes, non affirmant, sed fortiùs negant.

Ergo sunt tres Quæstiones in praxi:prima circa Thesim(seu legem) secunda circa 32
Hypothesim (seu factum) tertia circa sententiam, quæ ex Thesi & Hypothesi (lege & facto) deducitur. *Prima* consulit & interrogat, quæ leges circa illam materiam, de quâ tractatur, dentur? An hæ per non usum, contrariam consuetudinem, privilegium, aut dispensationem fuerint moderatæ, aut revocatæ. Et quod ponitur pro Thesi debet plenè constare; non enim lex incerta potest, ut certa sententia inferatur, adsumi. *Secunda* causam ipsam sive factum examinat: & ait Hypothesim debere plenè probari: non enim factum incertum potest, ut sententia certa inferatur, adsumi. Præmissis Thesi & Hypothesi ex ipsâ Hypothesi certâ, secura & certa sententia educitur. Audi iterum Augustinum. *Etiam illa differentia accidit, quod in Thesi quasi ignorantes quærimus: quid sit optimum factu, in Hypothesi quasi scientes, defendimus.* Primò enim in Thesi debemus discere, quid leges in tali casu statuant, & ideò quousque has didicerimus,quasi ignorantes quærimus, &c. Etiam quasi ignorantes transimus ad Hypothesim,an debeat admitti, vel non,hoc est, an crimen illud, de quo agitur, reverà fuerit ab Aurelio commissum?At illâ Hypothesi propter plenam informationem semel admissâ [b] in ipsâmet Hypothesi reperimus sententiam, & non quasi dubitantes, sed quasi scientes illam proferre esse optimum factu sine ullâ erroris suspicione defendimus.

Lex incerta in iudicio non servit.

De facto incerto sententia certa ferri nequit.

b] Aristoteles qui existimat Intellectum quoad exercitium à Præmissis necessitari, & debere Consequentiam inferre, hic analogiâ servatâ diceret, Iudices à Thesi & Hypothesi necessitari, & debere necessariò ad Sententiam procedere. Hoc autem non semper est verum.

Posuimus in Oreste exemplum, ut dilucidaremus illud ipsum, quod proposuerat Augustinus: hanc tu doctrinam cuicumque materiæ poteris accommodare.

PRÆCEPTVM.

ORitur à Præcipio,quod ex *præ*, & *capio* componitur. Porrò *Capere*,Græcè λαμβάνειν, Hisp. *tomar.* secundum suam 33
primariam & antiquissimam significationem *est manu accipere.* Virgilius *lib.3.Georg.*

— Cape sacra manu, cape robora Pastor.

Quid significet verbū Capio.

Hoc verbum Critici per similitudinem transtulerunt ad sensus:nam *capere oculis* est videre, *capere auribus* audire, *capere mente* intelligere, *capere consilio* eligere, *capere astu* decipere. Et hinc *oculis capti* dicuntur πεπηρωμένοι officio oculorum privati, & *mente capti*, ἀβέλτεροι amentes, fatui.

Acceptiones reales & intentionales.

Capere etiam moraliter sumitur à Iurisperitis, *lege ei à quo.* & *leg.23 ff. de usurp. & usucap.* & *leg. naturalis. § 1. ff. de præscrip. verb.* & in aliis, in quibus *capere* non ad actum realem, sed ad moralem seu civilem refertur. Vnde illa Vlpiani verba. *Non videtur quis capere, quod est restituturus*, æquivalent his, *Qui est restituturus, virtualiter nihil recepit; quoniam ita se habet ac si nihil omnino recepisset.*

Acceptiones Morales.

Homo virtualiter non accipit, qua restituturus, aut alteri daturus,accipit.

A *capio* fit *percipio*, in quo augetur prior significatio, nam *peramo* est plusquàm *amo*, & *perlego* est etiam plus quàm *lego.*

Quid sit Percipere?

lego. Alfenus *lib.6. tom.2. b 42. Cùm pilâ complures luderent, quidam ex his cùm pilam percipere conaretur, impulit; seruus cecidit, & crus fregit.* Etiam perceptio olim realiter sumebatur. Cicero 2. Offic. *Neque agricultura, neque frugum fructuumque reliquorum perceptio & conseruatio sine hominum operâ ulla esse potuisset.* Transfertur ad sensum percipio etiam ad mentem Ovid. *Fast.* 5.

Quid Perceptio?

Ad sensumne, an ad mentem pertineat?

Cùm mea dixisti, percipe verba Pater.

Vbi *percipe*, est audi, ausculta, & intellige. Cicero ad Treb. lib.7. *Sin tibi videbuntur quædam obscuriora, cogitare debes, nullam artem literis, sine interprete, & sine aliquâ exercitatione percipi posse.* Hic secundariam & metaphoricam significationem (quod in *intelligo* negaverant) Calepinus, Passeratius, & alij Grammatici admittunt: inquiunt enim. [Hæ significationes (nempè intentionales & sensuales) metaphoricæ videntur; nam propriè *percipere*, est recipere, siue colligere, ut *percipere fructus*, &c.]

De huius verbi metaphoricâ significatione.

Similiter à *capio* fit *præcipio*, & hoc in suâ reali & primariâ significatione est præoccupo, antecapio, antesumo.

Quid sit Præcipere?

Προλαμβάνω. Ovidius *Epist.* 16.

Ad possessa venis præceptaque gaudia seruus,
Spes tua lenta fuit, quod petis, alter habet.

Vocat *gaudia præcepta*, quæ priùs capta. Virgilius *Eclog.* 3.

Cogite oves pueri, si lac præceperit æstus,
Vt nuper, frustrà pressabimus ubera palmis.

Cicero 3. Tusc. *Hæc cogitantem, fore beatum, præsertim, si & antè præceptis bonis contentus esset, nec mortem, nec Deos expavescere.* Et hoc sensu verbum accipi testatur Alexander Scotus *in utriusque Iuris vocabulario*, dicens. [*Præcipere* aliquando est ante capere *leg. 2. de fund. instrum.* inde legatum per præceptionem, cùm testator uni hæredum ait, præcipito rem illam, id est, ante partem (partitionem) hæreditatis capito, ut notat Glossa, *Instit. de legat* § 1.] & *leg.25. D. libr.10. titul.2.* persuadent illa verba, *Si pecunia, quæ domi relicta non est, per præceptionem* (per præoccupationem) *relicta sit* (lego, *non sit*) *utrum universa à cohæredibus præstanda sit.* Et illud *non* debere addi, ostensto clarè; nam si relicta pecunia sit, non est dubium, quod omnia legata ab hæredibus præstanda sint, & solùm dubium habet locum in casu, quo pecunia prærepta ab aliis sit, in casu videlicet, quod hæredum usui & dispositioni relicta non sit. Et huc pertinet illud Virgilij.

Quid & Præceptio?

Textûs correctio.

An ad mentem pertineat Præceptio?

Exultatque animis, & spe iam præcipit hostem.

34 Transfertur Philosophicè ad mentem Cicero lib.2. de Offic. *Præcipiant oratione benignâ multitudinis animos, ad benevolentiam alliciant milites, blando sermone deliniant.* Quam ob rem nonnunquam

I. Caramuelis Dialexis.

ponitur pro prævidere. Cæsar. lib.3. de bell. Civil. *Præcipere victoriam animo* & Virgilius Æneid. lib.6.

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

Hanc ob rem Ethici, quia videbant voluntatem, quæ aliàs facere posset, quidquid vellet, legibus præcipi, præoccupari, & quodammodo prædeterminari *præcipio* pro iubeo acceperunt, & *præceptum* pro lege usurparunt. Alexander *in libr. cit.* [Differunt *Mandatum*, *Iussio*, & *Præceptum*, quod *Iussio* importat necessitatem, nec finitur morte iubentis, quia successor id facere tenetur. *Mandatum* verò importat liberam obsequendi libertatem, & finitur morte. Vnde *præceptum* non præcipitat mors præcipientis: *Mandatum* mandatore cadente cadit, ut *not. de Rescript. eam re. & cap. in his de verb. signif.* Quidam autem dicunt, quod tam *Præceptum*, quàm *Mandatum* finitur morte, si nominibus expressis scribantur. Secundum Ioannem Andream 13. quæst.1. quod præcipitur.] Sic etiam veteres. Plinius libr. 8. cap.24. *Hesiodus, qui princeps omnium, de agricultura præcepit*, id est, *iussit*. Ovidius lib.2. Trist. Eleg.1.

Quid sit Præceptũ?

Hic artem mundi præcipit ille trochi.

Et Virgilius

— Ipsi numerumque, modumque carinis
Præcipiant.

Seneca Epist. 95. *Ergo ista pars præceptiva submovenda est, quæ præcepta tradit.* Cicero 1. Offic. *Neque ulla officij præcepta firma & stabilia, coniuncta naturæ tradi possunt, nisi aut ab his, qui solam virtutem, aut ab his, qui maximè honestatem propter se dicant expetendam.* Etiam præceptio sumitur pro præcepto. Cicero Offic. *Itaque propria est præceptio Stoicorum.* Vnde *Præceptor*, qui præcepta imponit, docetve. Plautus Pseud. scen.7.act.4. *Quis (est) Pseudolus? Præceptor tuus, qui te fallacias eas docuit.*

An & quæ præcepta sint firma.

Præceptor quis.

Stando communi Theologorum sententiæ [Præceptum est iussio vel imperium faciendi aliquid, vel non faciendi; & sic est, duplex præceptum: Affirmatiuum, quod magis propriè dicitur *præceptum*, quia obligat pro semper: scilicet loco & tempore debito: sed non ad semper: id est, ad omne tempus: unde filius non tenetur semper ad honorandum patrem in omni tempore, quia hoc est impossibile; sed solùm, cùm oportunitas occurrit, & tempus requirit. Negatiuum autem Præceptum propriè dicitur prohibitio, quæ obligat pro semper, & ad semper: quia teneor semper & omni tempore non mœchari. Hoc notat Archidiaconus *in cap. si peccaverit. 2. quæstion 1.* Panormitanus *in cap novit de iur.* & Theologi *in 3. distinct. 37.*] Ita Tabiena *verb. præceptum. num.1.* Hæc doctrina est communis, & bona: nos autem, ut clariùs rem tradamus, paulò aliter loqui decrevimus.

Quid & quotuplex præceptum sit?

Vtri præcepti nomen propriùs conveniat; affirmativone, an negativo?

D 2 Porrò

Quis sit homo liber?

Porrò Tabiena nomen *præceptum* propriè Affirmativo convenire asseverat. Et ego, ut eum allucinari ostendam, utar hîc suâ dialecto, & sic inquam. Homo liber est, qui potest facere, quæ velit. Et lex, quia teste D. Thomâ 1. 2. *quæst* 90. *art*.1. dicitur à ligando, illum ligat. Et si rem bene intelligo, nemo ligatur, ut operetur, sed ut non operetur. Consonat Angelico Doctori Angelus, & *in summ.verb. lex.* Sic inquit. [Secundum Franciscum de Mairo in 2. sent. lex est ars honestè vivendi ligans hominem ad sui observantiam: aliter non esset lex, nisi ligaret.] Et Bassæus) *tom.2. florum.verb. lex.* [Alij volunt, quod lex secundum propriam nominis Etymologiam à ligando derivetur eo quod proprius effectus legis est ligare seu obligare subditos] Et D. Thomam *loc.cit.* Suarium *de legib. lib.*1. *cap.*1. *num.* 9. & Salas *de legib. disp.*1. *sect.*1. *quæst.*1. adducit. Et similia repetit *verb. lex.*1. *num.*4.

An lex à ligando dicatur?

Vnde PRÆCEPTVM derivetur?

Et *præceptum*, ut paulò antè vidimus, à *præ* & *capio* dicitur; ut qui ligatur legibus, antequàm operetur, sit captus. Ergo *lex* & *præceptum* voces sunt, quæ operationem potiùs inhibent, quàm important. His ergo præmissis sit.

An omnia præcepta, sint negativa, si sumantur formaliter?

CONCLVSIO I. *Omnia præcepta, formaliter sumpta, sunt interdicentia, aut, si sic volueris loqui, negativa.* CONCLVSIO II. *Alia actionem positivam inhibent, ut* Non occides: *hoc enim præcepto homicidium, quod est actio positiva, interdicitur. Alia omissionem inhibent, ut* Honora patrem tuum & matrem tuam, *hoc est, Patrem tuum, & matrem tuam honorare, ne omittas; &c.* CONCLVSIO III. *Si à materiâ, circa quam præcepta versantur, denominatio debeat sumi, præcepta, quæ positivam actionem inhibent*, Negativa *dicuntur: quæ autem omissionem* Positiva; *quia duæ negationes affirmant.* COROLLARIVM. *Ergo omnia præcepta formaliter sunt negativa: materialiter verò aut obiectivè, alia positiva, & alia negativa sunt.* Et in hoc ultimo revertimur ad modum loquendi communem.

Præcepti divisio obiectiva.

Quænam præcepta affirmativa, & quænam negativa sunt?

De prædicato Critico.

Quid illud sit?

Hæ Conclusiones sententiam communem non alterant: sed dant Scholasticos terminos, quibus admissis Morales Controversiæ ad magnam reducantur claritatem. Lege quæ *art.* 4. *in respons. ad* 1. *obiect.* §. *adnotato secundò*, de Critico prædicato dicuntur. Videlicet *non est interdicta*, quod in omni actione, aut omissione locum habet. Nam si omnia præcepta sunt formaliter interdicentia, hoc unicum prædicatum sufficiet in omni controversiâ morali.

PECCATVM.

35 *Nomina nonnulla explicãtur.*

AMαρτία, ας, ἡ vel ἁμαρτὴς, ἔδ. ἡ. à Græcis dicitur: olim à Latinis *Peccatus, ûs.* quâ voce ipsemet Cicero usus est. *Pecatum, ti.* maluerunt posteà dicere, & significationem ampliare; quod enim de adulterio dicebatur tantummodò, iam pro quâlibet culpâ usurpatur. Corneliùs Fronto sic Peccatum & Delictum distinguit, ut illud commissione, hoc verò omissione patretur: sed usus hanc ipsam differentiam non approbat. Malitia est duplex: Philosophica, & Theologica. Sunt mala Philosophicè, quæ contra Naturalem Decentiam, sunt mala Theologicè, quæ contra legem Divinam: quæ in Naturalem & Positivam dividitur. Ioannes Poncius *in 3. dist.* 37. *quæst. unic. pag.*5, 1. *b. num.*15. [Suarius ipse fatetur, quod aliqua sint mala antecedenter ad quamcumque iussionem seu voluntatem Dei, saltem incompletè. Ergo omnis malitia non debet desumi per ordinem ad iussionem Dei.] Et *incompletam* malitiam vocat, quam *Philosophicam* nos nominamus: illamque per ordinem ad decentiam naturalem exponimus.

Philosophicæ & Theologicæ malitiæ differentia.

Peccata sũt mala Theologicè.

An præscindendo à lege Divinâ intelligi possit peccatum?

Peccatum est Theologicè malum. Est enim, ut S. Ambrosius *lib. de Paradis. cap.*8. apud S. Thomam 1.2. *quæst.*109. *art.*4. definit. *Est prævaricatio legis Divinæ, & Cælestium inobedientia præceptorum.* Aliam huic similem definitionem Sanctus Doctor 1.2. *quæst.*7.*art* 6.& *quæst* 76.*art.*1. ex Augustino desumit, qui *lib.*22. *contra Faustum. cap* 17. peccatum esse asserit, *vel factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam* Et, si interroges, quid *legis æternæ* nomine intelligendum sit? respondet, *esse rationem, vel voluntatem Dei.* Sentit ergo Augustinus (inquit Suarius) de ratione peccati esse, quòd sit contra legem propriam alicuius superioris. Consonat sibi *lib. de peccat. merit. & remed cap.* 16. ait enim: *Neque peccatum erit, siquid erit, si non divinitùs iubeatur, ut non sit.* Et infra. *Quomodo dimittitur per Dei misericordiam, si peccatum non est: aut quomodo non vetatur per Dei Iustitiam, si peccatum est.* Hanc iussionem ut neget Poncius, sic inquit. [Lex Naturalis est propriè lex; & quidem lex Dei, qui est superior noster; atque ideò lex Superioris: sed ex hoc non sequitur; quòd debeat involvere aliquam iussionem particularem.] sequitur, inquam ego; quæ enim nil iubet, non est lex. De Naturali, de quâ nunc disputamus, *lib. de legib.* Cicero. *Est autem lex ratio summa, insita in naturâ; quæ iubet ea, quæ facienda sunt; prohibetque contraria.* Et universim loquens *Rom.*4. S.Paulus. *Vbi non est lex*, ait, *nec prævaricatio.*

N. B.

a] Locus apud Latinos secernit subiectum à Prædicato, nam in hac Propositione, *electus est dives*, vox *electus* subiectus, & altera prædicatur. Et Cõversio postulat ut dicamus, *Dives est electus.* At in linguâ Hispanica dicere, *Electo es rico*, & *Rico es el electo*, idem est, nã articulus *el*, ubicumque ponatur, subiectum affert: & in Conversione non, vocum ordo mutatur, sed articulus: illa enim convertitur in hanc, *Electo es el rico*, aut *El rico es electo.*

Hinc ad linguã Græcam, in quâ non locus, sed Articulus indigitat subiectum, & distinguit id à Prædicato.

Scotus *in* 4. *dist.*50. §. *Sic ergo intelligendo, num* 9. Adhæret Ambrosio & Augustino: inquit enim. *Quodcumque peccatum ideò est peccatum, quia est contra præceptum Divinum.* Omnes has definitiones P. Poncius obtorquere conatur: inquit enim. [Dico Deum de facto vetare & prohibere peccata omnia ob summam suam bonitatem, & fortasse etiam non posse ipsum non vetare illa: unde eo ipso quod vetatur aut prohibetur à Deo, colligi potest illud esse peccatum; & eo ipso quod non prohiberetur colligi posset, quod non esset peccatum, & hoc solum volunt verba Augustini, &c.] Et, ut vides, Poncius non

In S. Ioannis Evangelio, cap. 1. lego. *Deus erat Verbum.* Sed vter subjicitur terminus? Articulo caret Latinus, & ideò oculos ad locum cõverteret. At appositũ constat ex Textu Græco: ibi enim legimus Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Hispanicè. *Dios era el Verbo.* Vbi, ut cõspicis, *Verbum* est subjectum, & *Deus* est Prædicatũ.

non vult Scotum sequi, sed præire, & Scotum (immò Ambrosium, Augustinum, &c.) vel invitos ducere; &, si duci noluerint, importare. Invertit veriùs, quàm convertit propositiones; vt, quod definitum universi esse dicimus, sit prædicatum. Vt putat, Ambrosius voluit dicere. *Prævaricatio legis Divinæ est peccatum. Inobedientia cælestium præceptorum est peccatum.* Et voluit dicere Augustinus, *Quidquid vel fit, vel dicitur, vel concupiscitur contra legem æternam est peccatum.* Vnde Ambros. verba, quæ Scotus redderet Hispanicè dicens, *Peccado es una prevaricacion de la ley Divina, y una desobediencia de los preceptos Celestiales.* Et Augustini verba, quæ sit Scotus redderet, *Peccado es obra, palabra, o deseo contro la lei Eterna.* Sic vertisset Poncius. *Peccado es la prevaricacion de la ley Divina, y la desobediencia de los preceptos Celestiales.* nec non, *Peccado es la obra, la palabra, y el deseo contra la ley Eterna.* Quoniam in linguâ Hispanicâ, sicut in Græcâ [a] Articulus subjectum afficit. Hanc autem violentiam pati non vult Scotus, qui ideò in Peccati definitione posuit illud *ideò*, vt sciremus, se formalem rationem designare.

An in præceptis positis in prima Tabula possit Deus dispensare.

Notasti illa verba Poncij dicentis *Fortasse non posse ipsum* (Deum) *non vetare illa* (peccata) Ecce vult dubitare, an Deus Decalogum tulerit liberè? Et an in illo possit dispensare: tametsi utrumque de secundâ saltem Tabula asserat clarissimè S. Bernardus, quem passim Scotistæ sequuntur. At re meliùs inspectâ, non solum præcepta secundæ Tabulæ, sed illa ipsa positiva, quæ in Primâ leguntur, non esse necessaria opinatur: nam *in 3. dist. 37. quæst. unic. num. 218. pag. 578. a.* sic scribit [Non apparet ex terminis, quod sit tam malum non amare Deum, quin Deus posset dare licentiam non amandi se unquam: nec possunt ostendi ulla principia, ex quibus colligatur quod sit tam malum. Ergo non est dicendum, quod sit tam malum: & consequenter, amare Deum non erit strictissimè de Iure Naturæ.] Et mox, [Concludo mihi longè probabilius videri, quod illud primum, quod includitur in tertio præcepto, non sit strictissimè de Iure Naturæ: nec consequenter indispensabile: credo etiam Scotum in hoc magis inclinare, &c.] Porrò tertium Præceptum est, *Honora Deum die Sabbati.* Continet duo. Videlicet *Honora Deum,* & *die Sabbati.* Hoc vltimum non pertinere ad Legem Naturæ, certum est. Et Poncius, de illo primo, ut legebas, decidit.

An possit Deus non præcipere, ut se amemus?

An Deus possit dispensare in Decalogo.

Nulla essent peccata, si nulla essent leges?

Contra aliquos imprudentissimos, qui in legem causam peccatorum rejiciunt; quia, *si non esset lex, nec esset prævaricatio,* audiendus est Doctor Mellifluus, qui *tract. de præcept. & dispens. cap. 10. num. 22. pag. 77.* sic inquit [Hinc itaque, si dicitis, *legem Regulæ subintrasse, ut abundaret delictum,* verum dicitis. Cæterum, culpa hæc non est datæ legis, aut dantis legem; sed improvidè profitentis, & impiè prævaricantis. Mandatum quidem sanctum & justum: sed tu te noris esse carnalem, venundatum sub peccato. Verùm hoc ante prævidisse debueras: quo turris hujus Evangelicæ non priùs jaceres fundamenta, quàm sedens computares, si haberes sumptus ad perficiendum. Nunc autem quid restat, nisi ut aut correctus obedias Senioribus, aut confusus audias àb illusoribus. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?* Luc. 14.]

An ideò illa data legi, aut danti legem sint imputanda?

QVÆSTIO INCIDENS.

An dentur materialia peccata?

An dentur, & quid sit hæresis materialis?

DAntur hæreses materiales, & qui illas asserunt dicuntur materiales hæretici. Patet. Quia propositio à Deo revelata est de Fide, & illi contraria est hæretica. Et; qui ignorans hanc dicit, dicit propositionem verè hæreticam; sed, quia ignorantiâ excusatur, asserit propositionem materialiter hæreticam, & ipse est hæreticus materialis.

Hinc ad quæstionem, quæ fortè censebitur λογομαχία, sed si oculos aperire velimus, & rationes formales subtiliter considerare, non erit de voce, sed de re, transcamus.

Si darentur peccata materialia, quomodo committerentur?

An de essentiâ legis sit promulgatio?

Si Petrus rem sibi præceptam ignoraret, & ex ignorantiâ omitteret, peccaret materialiter, quia rem sibi verè præceptam non faceret, & non peccaret formaliter, quia eum ignorantia eximeret à peccato formali. At casus est impossibilis. Ergo non dantur peccata materialia. Probatur antecedens. Quia quod præcipitur, alicui præcipitur; &, ut præceptum sit actu existens, oportet ut actu cognoscatur, & ideò de essentiâ legis est, quod promolgetur; quæ enim non scitur, non est lex. Porrò totam rationem formalem legis in cognitione consistere, videtur posse demonstrari; quia positis cæteris, quæ ad legem & eius valorem requiruntur, si sola desit notitia, non datur lex: &, si per accidens desint omnia: quæ ad legem requiruntur, & sola notitia in intellectu humano ponatur, obligat lex. Ergo cognitio est sola & tota ratio obligandi. Cognovit hanc Veritatem Cicero: nam *lib. 1. de legib.* sic inquit. *Est autem lex ratio summa insita in natura: quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibètque contraria. Eadem ratio, cùm est in mente hominis, confirmata & confecta est lex.* Vnde D. Thomas *in 1. 2. quæst. 61. art. 1.* ait: *Rationis practicæ dictamen, legem esse.* Et hoc ipsum poterit clarissimo exemplo demonstrari, & dilucidari. Attende: & casum sequentem considera. Hodierna dies non est festiva sed jejunij, & tamen Petrus invincibiliter existimat eam non esse jejunij, sed festivam, & nec jejunat, nec missam audit. Quid de eo dicemus? Non audiendo missam, peccat. Et cur? quia non satisfacit legi, quam habet in capite. Et non jejunando non peccat. Et cur? Quia de jejunio non habet legem in capite. Ergo omnia, quæ scribuntur & dicuntur de legibus, sunt circumstantiæ civiliter aut canonicè requisitæ, ut lex formetur in capite, cæterùm si illa in capite sit, (undecumque, & quacumque eò venerit) lex est, & obli-

An obligent leges ut cognitæ?

An ratio totalis obligandi, sit cognitio?

Lex, quæ esse vera putatur, etsi non sit vera obligat?

Lex vera, si non putatur esse vera, non obligat.

gat eius conſcientiam, qui illam legem in in capite habet. Si interroges, an ſaltem materialiter peccaverit Petrus non jejunando? Reſpondeo negativè. Nam ſola lex præceptiva, quæ eſt in capite Petri, obligat Petrum. At Petrus nullam legem de jejunio habebat in ſuo capite; ergo nullam legem ſibi impoſitam Petrus non jejunando temeravit. Ergo non peccavit materialiter. At poſſet dici peccatum commiſiſſe hypotheticum, non quod fuit, ſed quod fuiſſet; nam poſuit omiſſionem jejunij, quæ non fuit peccatum, fuiſſet tamen peccatum, ſi in mente habuiſſet eam notitiam, quæ, ut dicebamus, ſola eſt ratio formalis, quæ legem quà legem conſtituit.

An, qui ignorat legem invincibiliter, illam violet?

An dentur peccata hypothetica, & quæ illa ſint?

NECESSITAS.

38 EXſint hinc Novatores (Lutherani, Calviniani, Ianſeniani) Deus enim neceſſaria non inhibet, nec impoſſibilia præcipit, ſed creaturæ impotentiæ ſuas leges clementiſſimè attemperat. Eſt vulgatum & inter prima Morum Theoremata collocatum illud, *Neceſſitas non habet legem*, hoc eſt, *Neceſſitas non ſubeſt legi*. Illúdque ex Platone 9. *de legib.* Chriſtiani Imperatores *leg. 2. ad leg. Rhod. de jact.* ſumpſerunt. [*Porrò Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere, quod non potes; & ad iuvat, ut poſſis.* ut inquit Auguſtinus, cuius ſcitiſſima quæ ſpiritusſanctus, olim ei privatim inſpiraverat, nuper Majeſtate & infallibilitate Divinâ in Tridentinâ Synodo honoravit, iuſſitque ab omnibus Chriſtianis admitti.]

An Deus iubeat impoſſibilia?

Verba Platonis, Cæſarea fecit Imperator: & Auguſtini verba Canonica Concilium Tridentinum reddidit.

Multa ſunt genera Neceſſitatum, aut Impoſſibilitatum; eorum enim, quæ ſunt neceſſaria, oppoſita ſunt impoſſibilia: & contrà: nam ſi Aurelio Romæ conſtituto neceſſarium ſit ignorare quid tunc loquatur Ferdinandus Pariſiis, hoc ſcire, erit illi impoſſibile: cui enim eſt neceſſarium eſſe, eidem eſt impoſſibile non eſſe. Cæterùm præcipuæ neceſſitates duæ ſunt; altera abſoluta, altera relativa. Abſolutâ obſtringitur cœcus ne videat; quamdiu enim viſivâ potentiâ deſtituitur, videre nequit. Relativâ autem Neceſſitate laborat, cui neceſſarium eſt aliquid facere, vel omittere, ut vitam conſervet. Hæc in legibus Divinis neceſſitas, licèt tantiſper culpam aliquando diminuat, eam non tollit; nam Deus eſt vitæ & mortis Dominus, & poteſt velle ut homo moriatur, quin inquirere hic poſſit, Cur ita fecerit? Hanc ob rem Martyres, quibus ſub pœnâ capitis fuit à Tyranno injunctum, ut adolerent Iovi: habuerunt negandi Deum Neceſſitatem relativam (debebant enim, adolère, aut mori: & tamen hac Neceſſitate non obſtante, debuerunt verum Deum colere, peccaſſéntque lethaliter, ſi adoleviſſent. Verùm enim verò, quia homines non ſunt vitæ & mortis Domini, & in tribunalibus Iudices cōvictos reos non niſi præter intentionem occidunt [N. B.] ideò leges Humanæ, nos remiſſiùs obligant, quàm Divinæ: rarus enim eſt caſus, in quo poſſit ſuperior dicere, *Volo, ut id facias; licèt ſi feceris, certiſſimè occidendus ſis.* Rarus eſt, inquam, quoniam extra militiam, non multos reperturus ſis: miles enim non ſolùm ſuam operam: viréſque, ſed & vitam locavit Principi; & ideò, qui non poteſt prodigi, poteſt impendi pro ſalute Reipublicæ. Sed inquiris ſtatim, An inter raros locum habeat, hæc lex, *Iubemus, ut prædonibus & graſſatoribus viarum panem petentibus nemo ſubminiſtrare audeat, etſi ſtatim debeat ab eis occidi?* Et quia ſub hoc verborum rigore non fuit lex pronunciata, poſtulas, *An tantâ debeat, ſeveritate, quanta hic ponebatur, intelligi; aut certè poſſit benignâ aliquâ interpretatione remitti?* Reſpondet *pro Milon.* Cicero, non eſſe tam rigidas Cæſarum leges, ut graſſatori cibos negare jubeant, etiam in caſu, quo ob negatos debeas ab illo occidi. *Non poteſtis*, ait, *PCC. hoc facinus* (hoc eſt, panem mortem minitanti præbere) *improbum indicare, quin ſimul indicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut veſtris ſententiis eſſe pereundum.* quò reſpexit Imperator *leg. 2. C. de his qui latron.* cùm dixit, *Exemplo* (ſcandalo dicere voluit) *grave eſt, ſic latrones requirere, ut innocentibus periculum fiat.* Fortiter debent Viri probi procedere: ſed Fortitudo eſt Virtus, & Virtus aſpernatur extrema. In medio conſiſtit fortitudo: & conſtantia inter timorem & audaciam conſiſtit, jubétque timere & audere, quando Prudentia dictat: qui enim nil timet non eſt fortis: nam, ut Dux Andriæ *in Comm. ad Plutarch. de Virtut. Mor. lib. 3.* ait. *Fortis dici non poteſt, niſi qui audet veretúrque quando, ubi, & quantum oportet: ut videlicet Ratio dictat, & præcipit.* quoniam teſte Platone *in Lach.* in Fortitudinis conceptu multi allucinantur: *nequaquam enim ego fortes appello bruta animantes; neque verò illud nomen cuiquam tribuo; quod metus penuria non reformidat res formidabiles.* Et quia res formidabilis eſt mors: niſi illam reformident homines, non ſunt fortes. Hinc pendet ſolutio Caſûs, quem propono.

Quæ ſint genera neceſſitatum?

De neceſſitate abſolutâ & relativâ?

Deus eſt mortis & vitæ Dominus.

Martyres debuerunt potiùs mori, quàm obedire Tyranno.

An homines ſint vitæ & mortis domini?

Quomodo res damnetur capite?

An milites poſſint expendi: an etiam prodigi?

N. B. Si non haberent Protectores, viatû graſſatores peterent. In illos animadvertere deberet Republica, nō autē in miſeros, qui mortis timore illis cedunt.

Marchio Sancti-Quiritij, D. Alexander Sacchetus, Dominus & Amicus meus obſervandiſſimus, in Caſtri-veteris hærebat oppido, quod circumſedebant, hac, illac, nebulonum manipuli. Et cur *in oppido* dixerim, ubi parietinæ pro muris, partim collapſæ funditùs, partimque ſemirutæ cadaver oppidi, quod fuerat olim, repræſentabant? Dilapſus per campos decrepitæ majeſtatis decor ſuclamabat,

> *Tempus edax rerum, túque invidioſa vetuſtas*
> *Dentibus annoſis omnia deſtruitis.*

39 Et D. Franciſcus de Quevedo, ſi Marchioni adfuiſſet, in Caſtro-veteri ſe putaret inveniſſe Xorayum, quem eloquentiſſimè deſcripſit, cum cecinit.

> *Son la torre de Xoráy*
> *Calavera de unos muros*

Caſus proponitur.

Quale ſit Caſtrum-vetus?

An dentur Arcium cadavera, & ſceleta?

En

En el eskeleto informe
De un y a castillo difunto.
Hoy la esconden guijarros,
Y ayer coronaron nublos:
Si dieron temor a armadas,
Precipitan as dan susto, &c.

Vide nostrā Rhithmicā pag. 615.

Latronum Dux Carolus Petrellus Castrum velut invadit.

Inermem & immunitum locum Carolus Petrellus, latronum Dux insolens & crudelis, aggreditur, & ejusdem satellites numeroso impetu è montibus vicinis egressi superveniunt. Pulsari campanas jubet Marchio, inflari tubam, ut sic accolæ congregentur. Nullus adfuit; quoniam solum Petrelli nomen universos perterruit. Displodunt in Palatij fenestras bombardas juvenes, & magno globorum nimbo pauculorum, qui apud Marchionem erant, tametsi non tetigerint corpora, animos postraverunt. Tunc Petrellus temeritati suæ confidens, Marchionē ad colloquium invitat, & illū ex speculā (nec enim ausus fuit ad fenestram prodire) audientem voce horribili sic alloquutus est. *Scito, Marchio, meis neminem unquam viribus restitisse. Si esse primus volueris, & meum furorem experiri, impunè non feceris, sed tuo damno vereri potentiores addisces. Contra te, tuósve, nil omninò molimur: aliò nos dirigit, & propellit cupiditas. sed quoniam hac transimus, & fame premimur, cœnam petimus, illámque tubam, quam contra nos inflari, ut accolæ cierentur, præcepisti. Præter hæc nihil aliud. Nisi feceris pœnas statim lues. Est apud me selectissima pubes, securissimis armis instructa; quæ nolit despici, & inimicos universos despiciat. Quæ nec Regem moratur, nec tuam moram patitur. Festina itaque; nec enim timere potest, quæ mortem non timet.* Plura dicturus erat, nisi inconcinno mulierum clamore & lachrymis fuisset interpellatus. Illæ vociferantur, sibi crines evellunt, facies obtundunt, & similes desperabundis, à Marchione solicitant, ut è periculo suos filios & maritos eripiat: ut concessis cibis pacet illam juventutem audacem, quæ rusticos, quos apprehendere potuit, ad necem usque in campo vicino tutuderat. Ingruunt tenebræ; horrori additur horror, & afflictis afflictio. Hæret Marchio, consilij impos: Petrello assentiri non audet, dissentire non potest: hinc timore perculsus, & inde pietate commotus, in domum rusticam distantem ab arce illos abire iubet, cœnámque & tubam se ad eos missurum pollicetur.

Quàm fuerit arrogans?

Prudentissimè decreverunt Romani, ne milites & Gubernatores secum uxores ducerent.

Hic est casus, prout accidit: quem non uno modo apprehenderunt Iudices; de quo prò & contrà eruditissimi Iuris-consulti perorarunt. A Marchione fuit Clarissimus D. Dominicus à Rubeis, in cuius ingeniosa eruditione Nemesim Charites exornarunt: & edito libello doctissimo eiusdem fuit innocentiam tutatus. Vide Certamen I. Editum Neapoli anno 1666. in quo eloquentiùs & uberiùs deducit, quæ ego gratiâ brevitatis perstringo.

D. Dominicus de Rubeis laudatus.

40 Fatetur sub initium esse huiusmodi homines pernitiosos Reipublicæ, & *Hostes publicos* à Constitutionibus regni *de Band. & Forind.* nominari. Esse ultimâ sententiâ condemnandos cum Grand. *de bello exsul.* ex *leg. aut facta. §. 10. ff. de pœn. statu.* Eorundem fautores & receptores pari pœnâ puniendos *ex l. 8. ff. de recept. leg. congruit. ff. de offic. Præf. leg. 1. C. de his, qui latron. leg. 3. §. non tantum, ff. de incend. ruin. naufr.* Consonans Ciceroni, qui *lib. 10. epist. 6.* hanc Civibus legem proponit. *Talem te esse oportet, qui primum te ab impiorum Civium societate seiungas.* quoniam, ut in Psalmo XVII. cecinit Propheta Rex, *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Vnde Adagium illud apud Hispanos prodiit: *Dime con quien andas, y direte quien eres.* Et quidem licèt omnes impij fugiendi sint à viro probo, imprimìs fugiendi aut etiam fugandi illi sunt, qui impij & inimici authoritate publicâ sunt declarati? quoniam 12. *de legib.* ait Plato: *Quem amicum sibi, seu hostem Civitas decreverit, eumdem sibi quisque existimare debet:* scelus enim perpetrare, & approbare, ut *lib. 6. rer. indic tit. 11. c. 2.* cum Cicerone *in Sallust.* scitè affirmat Ærodius, perinde est.

An grassatores verū sint hostes publici?

Eorum fautores eâdem pœnâ puniendi.

Corrumpunt bonos mores colloquia prava.

An perpetrare & approbare, civiliter æqui parentur?

Recurrit ad Platonem posteà, qui *lib. 12. de legib.* docet, quomodo Cæsareæ & Regiæ omnes, quæ contra latronum receptores latæ, veniant intelligendæ: *Qui exsulem, extorrémve,* inquit ille, *volens, sciénsve susceperit, capite luito.* non ergo, si invitus & nolens: nam ut doctè nos Aristoteles *lib. 3. ad Nicomach. cap. 1.* instruit, *Cùm virtus circa affectus actionésque versetur, cumque in spontaneis laudes & vituperationes, in invitis venia, interdum etiam misericordia existat, necessarium fortasse est iis, qui de virtute considerant, spontaneum & invitum definire* (inter voluntarium; & coactum discernere) *id quod etiam iis, qui leges sanciunt, ad præmia pœnásque instituendas, minimè inutile est.*

Scientia & voluntas ad peccatū requiritur.

In necessario & coactū, nec meritum, nec demeritum est.

41 Hinc ad casum veniendo. Marchio Petrellum paucis horis in domum vasalli recipit. Esto. An ultrò, & volens? An potiùs coactus & invitus? Si volens, *capite luito*, ut inquit Plato. Veruntamen, si nolens, Iudices, sic monente Aristotele, inter spontaneum & invitum, voluntarium, & involuntarium, liberum & coactum, dignantor debitâ prudentiâ distinguere: ut enim inobedientia spontanea, voluntaria, & libera, pœna & supplicio est digna, sic invita, involuntaria, & coacta veniam & misericordiam promerentur.

Veniam potius, quam pœnam meretur, coacta & invita inobedientia.

Auderem petere à Iudice vel constantissimo, quid ipse fecisset, si esset ad similes miserias adactus. Dedisset cœnam Petrello; quis de hoc dubitet? Sed quia *lib 1. de irâ, cap. 14.* inquit Seneca, *Neque enim æquus Iudex aliam de suâ, aliam de alienâ causa sententiam fert.* Ergo in hac prudens & probus Iudex causâ benignè pronunciare debet, *Vir enim probus & æquus est, qui non amplectitur Ius in partem deteriorem, sed potiùs ab acerbitate Iuris imminuit.* ait Aristoteles *lib. 5. ad Nicomach.*

Talem sententiam in causa alterius debet Iudex, qualem, si illa esset propria ferri vellet.

Vbique Arcium gubernatores juramen-

to

to obstringuntur: debéntque illas suo Principi manutenere & propugnare. An-ne non datur casus, in quo salvâ Iuris-iurati fide possint munimenta hosti tradere? Multa à fidelissimis Viris sine notâ traduntur, *quoniam ex duobus malis minus est eligendum.* Strictè obsidebatur Traiectum in Belgio ab Hollandis, & Herculeâ generositate à civibus, & militibus Regiis propugnabatur. Protrahitur obsidio: non solvitur à nostro exercitu; & tandem defectu munitionum civitas à Gubernatore traditur. Post paucos annos vidi etiam obsideri Bassæam, & tandem tradi Gallis, quia resistendo non erat, ut à nonnullis dicebatur. Traiectum hosti tradidit Marchio de Leyden, Bassæam Marcus de Limâ, & tamen ille à generositate laudatur, & ad sublimiora promovetur: hic verò plexus est capite. Sed, bone Deus, si similis fuit culpa, quomodo tam dissimilis sententia pronunciatur. Respondeo. Vterque Civitatem, in qua erat Gubernator, hosti tradidit. Limæus, quia voluit: & Leydenus, quia debuit: & Rex inter voluntarium & involuntarium, inter liberum & necessarium distinxit. Limæus, quia habens munitiones & milites, Bassæam prodegit, condemnatus est: Leydenus autem post tres obsidionis menses omni re necessariâ ad propugnandum cassus, faciebat ex necessitate virtutem, & discurrebat sic. Sive civitatem tradam, sive non tradam, habebit illam Batavus. Si tradam, quia trado: si non trado, quia careo pyrio pulvere, & ut eam capiat, impedire non valeo. Si per insultum civitate potiatur, sæviet in universos, comburet, spoliabit, occidet. Virgines opprimet militum insolentia, & mulieribus aliis non parcet. Si autem præmissis pactis Civitas detur hosti, cives manebunt domi securi, nullus periclitabitur: suas unusquisque retinebit divitias, filiasque suas habebit illibatas. Ergo, siquidem alterutrum faciendum est; præstat Civitatem sub congruis articulis tradi, quàm in insultu perdi, fœdari sanguine, inquinari rapinis, comburi, dirui, & incinerari.

An aliquâ de Arce Gubernator, illæso iuramento, possit eam hosti tradere?

Traiectum Marchio de Leyden tradit, Bassæam Marcus de Lima: ille honoratur & promovetur, iste plectitur capite. Sed cur?

E duobus malis minus est eligendum, sed quando? Quando alterum, & non utrumque vitari potest.

42 Idem Rex, qui Leydenum, qui urbem hostibus tradidit, non solùm capacem veniæ, sed gratiâ dignum esse voluit, & ad maiora munia ceu militem egregium promovit, modò in hoc tribunali per suos Indices Sacchetum iudicaturus est. Quæ ab invitis fiunt, veniam aut merentur, aut impetrant: & quæ ad maius malum evitandum admissa, adscribuntur virtuti, & à Prudentiâ commendantur. Et sanè, si provinciæ Irpinæ Præses, qui Caroli Petrelli uxorem filiosque, ut compesceret insolentem nebulonis audaciam, interceperat, demum prudenti maioris mali metu reddidit, & à nemine reprehensus est: à fortiori absolvendus est Marchio, qui semel tantùm cœnam, ut malo maiori imminenti obviam iret, eidem Carolo subministravit.

An uxor & filij Petre' prudenter retenti fuerint?

Fortunæ crimen (inquit Cicero pro Milone) *appellatur, cum quis casu non deditâ operâ peccat.* Et peccare casu dicendus est, qui invitus, qui metu perculsus, qui horrore perculsus. Metumque per coniecturas probari posse *ex leg. metus*, & *leg. metum*, & ex his, quæ Boërius *decis.* 101. Mascardus *concl.* 1056. & alij Doctores *ad C. de his quæ vi. met. caus.* adducunt & exponunt, colligitur.

Fortunæ crimen quale sit?

Consentit Ciceroni Vlpianus *libr.* 23. *§. excipitur. de ædil. edict.* aitque. *Capitalem fraudem admisisse dicemus dolo malo, & per nequitiam: cæterùm, siquis errore, siquis casu fecerit, cessabit edictum.* Nam ut *in leg. 3. ff. de serv. corrupt.* habetur. *Dolo malo adiecto, calliditatem notat Prætor eius, qui persuadet: cæterùm siquis sine dolo deteriorem fecerit, non tenetur.* Quod adhuc exponitur *leg. 5. ff. de serv. corrupt.* his verbis. *Doli verbum ad eum, qui recipit, referendum est, ut non alius teneatur, nisi qui dolo malo fecerit.* Considerandæ veniunt circumstantiæ adiacentes, nam Prætor ait, *In eum, qui ex incendio, ruinâ, naufragio, rate, nave expugnatâ quid rapuisset, recepisse dolo malo dicitur. Sed enim additum est*, dolo malo, *quia non omnis, qui recipit, statim etiam delinquit, sed qui dolo malo recipit.* Ita *leg. 1. & 3. §. 3. ff. de incend. ruin.*

43 *Non est capitalis culpa, quæ non dolo & fraude, sed necessitate committitur.*

Non omnia, quæ recipiuntur dolo malo recipi dicenda sunt.

Non est considerandum quid factum sit, sed quo illud animo patratum sit, unde Hadrianus, *in maleficiis*, ait, *voluntatem, & non exitum spectari debere:* quoniam.

Quidquid faciant homines intentio iudicat omnes.

Illa autem, quæ metu maioris mali fiunt, nec deditâ operâ, nec sceleratâ intentione, nec dolosè admittuntur. Et id me docet Vlpianus *leg. 16. §. 1. ff. de liber. caus.* expressè. *Si tamen vi, metu-ve compulsus fuit hic, qui distractus est, dicemus eum dolo carere.* Vnde prodiit Axioma, *Vis & metus à dolo excusant*, cuius Gothofredus *ibid.* meminit.

In humanis actibus animus est considerandus.

Quæ fiunt per vim & metum in criminibus non numerantur.

Absolvendus igitur erit Marchio, qui nec dolo, nec datâ operâ sed invitus & violentiâ coactus cibos dedit Petrello: id enim colligitur necessariò ex Farinacio *quæst.* 133. Caballo *resol. crim* 287. Menochio *de arbitr. cas.* 348. Baiardo *ad Clar. quæst.* 50. *num.* 46. Aponte *de pot. Proreg. tit. de provis. fier. sol. §. 3.* Thor *in comp. decis. verb. recept. tom.* 1. nec non ex textu leg. 1. C. *ad leg. Corneliam. de sicar.* leg. *vim pass.* leg. *uxor. §. siquis planè.* leg. *fœdissimam*, C. *de adult.* & tandem ex cap. *proposito.* cap. *revera.* 32. *quæst.* 5. cap. *raptor.* 27. *quæst.* 2. &c.

Conclusio, & Peroratio ad Iudices.

POSSESSIO.

44 Oritur à verbo *Possideo*, de quo varia apud Iurisconsultos reperio.

Sedeo notæ significationis verbum est. Græc. καθίζω, Hisp. *estar assentado.* Cicero 2. de Divinat. *Cùm virgo staret, & Cæcilia in sellâ sederet.* Martialis lib. 5. Epig.

Vno credis equo posse sedere duos.

Transfertur ad rationem & sensum. Vnde apud

Quid significet sedeo?

Sumitur intentionaliter.

apud Plautum Seruus, *Sine, iuxta aram sedeam, & dabo meliora consilia* Quintilianus. *Et sedens auribus pronunciatio.* Et iterum. *Vox clara pura auribus sedens*, &c. Seneca cap. 2. de consol. ad Mart. *In sedem suam animum reponere.*

Quid importet vox Sedes?

Vocem *Sedes* moraliter accepit Cicero contra Rullum dicens. *Capua in domicilio Superbiæ, atque in sedibus luxuriæ collocati*, &c. Seneca Epist. 46. *Parum mihi sedet iudicium,* hoc est, rationes utrimque verisimiles video, nullam certam, adeóque non habeo ubi pedem figam (firmem) nulla est assertio, cui tranquillo animo sine erroris formidine insidere possim. Et quia hoc Scholio Senecam illustravi verba illa Plauti, quæ iterum in Stich. & iterum in Capt. prolog. leguntur videlicet, *Si non ubi sedeas locus est, at est ubi ambules*, quæ in sensu Reali accepisse videtur, Ego in Philosophico usurpabo, & hac illustrabo paraphrasi. *In probabilium sententiarum Theatro, si non reperit ratio, ubi quiete sedeat, reperit, ubi ambulet, & hac illac ingeniose discurrat.*

An Intellectus inveius dubiis aut probabilibus sedere possit?

Ambulare mente quid sit?

An & cur SEDERE *pro* DOMINARI *ponatur?*

Et quia ille solus securè alicubi sedet, quin deturbari possit, & è sellâ detrudi, qui est dominus; ideò *Sedere* ponitur pro dominari, Plinius in Panegyr. *Cùm abunde expertus esset, quàm bene humeris tuis sederet imperium.* Cicero. de Orat. *In solio sedens domi.* Et de finib. *Sedere in solio ornatu Regali.* Et illa quæ ad Attic. lib. 2. Scripsit, videlicet. *Malo in tuâ sedeculâ sedere, quàm in istorum sellâ curuli*, sic intelligo, ut sedeculam in sensu reali acceperit, sellam verò curulem in Politico, ut sensus sit: *Malo tecum vitam privatam agere, quàm Senatoriam dignitatem obire.* Et hodie cum dicimus, *Sedente Innocentio. & imperante Ferdinando hac vel illa accedisse*, innuimus *civiliter sedere* esse imperare: & *imperare Ecclesiasticè* esse sedere, nam ut verè dicebat Constantinus, *Imperator est quidam in Civibus ἐπίσκοπος, superintendens; & in Ecclesiasticis quidam Imperator est Pontifex.*

SEDERE sumitur realiter & politicè.

Quid significet Pos.

Pos videtur deductum fuisse à *possum*, ut sit *potens* & exstare etiamnum in nominibus *compos, impos*, & in verbo *possideo*, ut sit Græc. *ῥύομαι*, Hispan. *posseo.*

An res corporea, & non incorporea possideantur?

Sub initium *possideri* dicebantur res corporeæ tantummodo. Plautus in Aul. *Multos annos est, cùm hanc domum possideo atque colo.* Vnde *possideri publicè*, erat possideri à Republicâ. Cicero 11. Philipp. *Itaque non assentior solùm, sed etiam gratias ago Q. Fusio, dixit enim severam, gravem, & Republ. dignam sententiam, (quæ) indicavit hostem Dolabellam, bona eius censuit publicè possidenda.* Budæus. Cicero 2. Offic. [a] *Quinquaginta annorum possessiones movere iniquum putabat.* Virgilius Eclog. 9.

Quid sit publicè possideri?

a] Ecce quinquaginta anni ad præscriptionem sufficiebant.

Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli.
Diceret, hac mea sunt, veteres migrate coloni.

I. Caramuelis Dialexis.

Cicero in Paradox. *Etenim, si isti callidi rerum existimatores, prata & areas magno Existimant, quod ei generi possessionum nemo nocere potest.* Et hinc collige homines mutari non mores, nam & hodie, qui deponunt spem recuperandi bona, quæ leges publicant, curant ut æstimatores ea taxent maximi, ut nemo illa velit emere, & emendo exspectationi suæ nocère possit.

De rerum Æstimatoribus.

An, & quando fundi æstimentur maximi?

45

Viderunt posteà Iurisperiti, etiam posse possideri incorporea (iura, privilegia, honores, servitutes, gravamina, &c.) & quia non habuerunt propriam vocem, quâ hanc moralitatum possessionem exponerent, & novam, non auderent fingere, veterem elocarunt, additâ particulâ, *quasi*, Suetonius in Tiber. cap. 10. *Loco & quasi possessione, quia longo tempore possederat secundum gradum.* Et hinc duo collige: alterum vocem *quasi possessio*, non fuisse à Legistis inventam, sed iam olim notam & usurpatam ab Historicis: alterum Criticos (Calepinum, Passeratium, &c.) illam minimè intellexisse: interpretantur enim *usum*, cùm *dominium, sed rei incorporeæ* significet: *leg. interd. de verb. signific.* nam esse in secundo Nobilium gradu, res erat absolutè incorporea, quæ manibus teneri non potest. Et hinc patet possessionem sic debere distribui.

An res incorporea possideantur?

An intelligant Critici quid sit Quasi-possessio?

Possessio { *Physica*; *Ethica* { *Ethico-physica*; *Ethico-Ethica.* } }

Possessionis per species subalternas divisio.

Possidere est rei habere dominium, & posse illâ uti prout voluerit, nisi aliter leges præscribant. Physicè non possunt possideri Moralia: Ergo omnis Possessio Physica, erit Physico-physica. Possideo ergo physicè avem, quam manu teneo; pecunias, quas in marsupio claudo; equum, quem custodio in stabulo, &c. Asseverant Iuristæ habere rem præ oculis ad possessionem realem sufficere. Azon. *in Summ. C de adquirend. & retinend. possess.* [Possidere naturaliter dicitur quis, cum est in re vel eius parte, vel saltem cùm est res in conspectu eius, ut ipsam videat, vel partem eius] At illa disiunctiva non placuit Ciceroni *pro Quint.* [Omnia inquit bona, possessa non esse constitui, quod bonorum possessio spectetur, non in aliquâ parte, sed in universis, quæ teneri ac possideri possunt.] Et hic obiter nota non differre *possidere* à *tenere.* Et agentes de Civili Possessione subiungunt, animum volentem, & legem foventem requirunt. Ioannes Andreas *in Regul. sine possessione lib. 6.* [*Possidere civiliter* dicitur quis, cùm nec est in re, nec res in possessione eius; sed possessionem solo animo habet, & rem de iure retinet, scilicet quod talis sit persona, in quam cadere possit huiusmodi possessio.] nam aliud est possidere, & aliud Iure, adeóque legitimè & iustè, possidere *de rest. spol. ad decimas libr. 6.* Porrò esse personas quæ sint incapaces possi-

Non possunt physicè possideri moralia.

An habere rem ob oculos ad realem possessionem sufficiat?

An totum possidere censendus sit, qui partem tenet?

De Possessione Civili.

An Monachi incapaces ad possidendū sint?

dendi, certum est: nam Monachi nihil habere proprij possunt. S. Benedictus *in Regul. cap.33.* & ut notat Bart. Brix. 24. *quæst.1. in princ. ex gloss.magn. in fin.* Laici sunt incapaces, ut decimas, nisi ex speciali privilegio possideant. Interim hanc limitationem frustra Iuristæ addunt nam animus & Ius ad legitimam possessionem sufficiunt: quoniam personæ, quæ ad possidendum sunt inhabiles, non à naturâ sed à Iure incapaces redduntur. Animum etiam requiri ad possessionem constat clare, quia invito nihil validè donatur aut adquiritur; & bona derelicta, ideò primi occupantis sunt, quia possessore carent; & ideò possessore carent, quia verus dominus non habere animum illas retinendi & conservandi præsumitur. *Inst. de re. di. §.hoc amplius circa fin. Possideo moraliter res,* cùm domum, quàm habeo Madriti; campum, quem apud Parisios habeo; equum, quem locavi Francisco. *Possideo autem moraliter moralitates*, cùm Senatoriam, aut Regiam dignitatem, Primatum, Abbatiam, &c. Quamobrem, cùm Proverb.3.35. dicatur *Gloriam sapientes possidebunt, stultorum exaltatio ignominia:* & cap.4.5. *Posside sapientiam & posside prudentiam*, &c. Collige etiam incorporalia possideri: Sapientiam, quia res spiritualis est, realiter: Gloriam, quia est quid morale, politicè moraliterque.

S. Benedictus in Regulæ cap 33

An Laici possint decimas possidere?

An ad possessionē animus requiratur?

Quaenam possideantur moraliter?

Quomodo Moralitates (dignitates, Officia, &c.) possideantur?

46 Et ut Possessio secundum suam latitudinem sumpta, quoad modum consideretur, dividitur in iustam & iniustam. Illa enim iustè quæ secundum iura possideo: illa autem iniustè, quæ facto & tyrannicè contra leges retineo. Hanc distinctionem Alexander *lib. cit.* sic exponit. [Possessionum alia est Iuris tantum, alia facti tantùm, alia facti & Iuris simul, &c. *ut not. de concess. prebend. cum nostris*, & *C.de adquirend. possess. leg.1.* Item Hugo de Porta, &c.] Alia multa possent de possessione universim sumptâ subiungi, sed hæc, si bene intelligantur, Dialexeos nostro argumento sufficiunt.

De Possessione iusta & iniusta.

Possessionis, in facti, iuris, & utriusque divisio.

Est addenda adhuc alia Possessionis divisio, quæ debet à peritis cognosci. Dico ergo Possessionem in Certam & Incertam dividi. Non est necessarium membra exponere; nam illorum notiones ex solis nominibus intelliguntur. Hac distinctione utitur Illustriss. D. Passerinus *tract.de pollut. Ecclesiar. disp.1. cap.20. num.20. pag.44. a* ibi enim contra suam doctrinam sic obiicit. [Fieri potest, ut etiam dubium sit de Possessione ipsâ: id est, num pro unâ, vel aliâ parte ipsum ius Possessionis stet, & Possessio nulla præcesserit. Ergo saltem tunc recurrendum est ad partem tutiorem, quam tunc sequamur.] Et ait [Respondeo concedendo omnia: nos enim loquimur in casu, in quo altera pars possideat, vel possessio aliqua dubium præcesserit pro quâ standum esse iam diximus. Quod, si neutra possideat, nec sit ulla possessio dubium præcedens, tunc sequi debemus partem tutiorem, & consequenter

De certâ & incerta Possessione.

An de Possessione ipsâ Dubiū moveri possit?

eam quæ minùs mala videatur. Si autem utraque pars contradictoria æquè mala videatur, & necesse sit alterutram eligere [*a*] neutra verè mala erit, licèt operans utramque malam putet: unde nec peccabit, licèt se peccare putet. Ita Sanchez *in Decalog.lib.1.cap 11.num.14.* Ioannes Sancius *in select. disp.41. num.27.* Merolla *in Theol. Moral. tom.1. disp.3. cap.2. dub.1. num.11.* Castropalaus *tom.1. de conscient. disp 1.punct.5.* Bresserus, Baldelli, & uterque Lugo apud Bardi *de conscient.discept.3. cap.6. num.3. & 5.*]

a] Est possibilis casus, in quo non peccet, qui peccare se putat.

CERTITVDO.

Est huius Libri nomen, DIALEXIS DE NON-CERTITVDINE, & meritò postulat Lector, ut voces singulæ dilucidentur. 47

Sanè Διάλεξις nomen est, unde Διαλεκτική & Διαλεκτικοὶ, & aliæ similes voces dimanant. Et est Διάλεξις, *Disputatio.* Vnde Facultas illa quæ disputare docet appellatur Διαλεκτική, & qui hanc scientiam profitentur Διαλεκτικοὶ Et omnes istæ dictiones ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, *à disputando* derivantur. Cicero 4. Academ. *Dialectica veri & falsi quasi disceptatrix Iudex.* Et in Topic. *Iudicandi enim vias diligenter persequuti eâ scientiâ, quam* Dialecticen. *appellant.* Et iterum 4. Acad. *Quid sit verum aut falsum Dialecticus indicabit* Et in Orat. *Disputandi ratio & loquendi Dialecticorum sit, Oratorum autem dicendi & orandi.*

Quid sit Dialexis?

Quid Dialectica?

Quam necessaria sit hac scientia ut veritas inveniatur?

Etsi inquiras, *Cur* de Non-certitudine, *& non* de Incertitudine *nostra hac Dialexis disserat?* respondebo, *Incertitudinem* à *Non-certitudine* toto cœlo differre multa enim non sunt certò vera, quæ tamen incerta non sunt. Quæ enim sunt certò falsa, non debent *incerta* vocari. Quam ob rem, tametsi sit vera hæc Propositio, *Omnia sunt licita, quorum interdictio est incerta*, Ego adsumo hanc, *Omnia sunt licita, quorum interdictio est non certa*, vel *quorum interdictio non est certa.* Et discrimen inter ipsas adsigno, Quia quando est certum, non dari præceptum; tunc non est incertum, an detur præceptum; & tamen illud dari est non certum, quia non est certum. Vnde conclusio sit, *Vbi cum est vera hac Propositio.* Certum est, dari præceptum validum *subditus tenetur obedire; & ubicumque non est vera non tenetur.* Sed dicis esse diversa Certitudinis genera, & in singulos gradus diversos, & ideò te rescire velle, de quâ nos Certitudine in Conclusione agamus? & Respondeo quamcumque præcepti Certitudinem libertati subditi præiudicare: nam quomodocumque illud certum sit, subditus obedire tenetur.

An & quomodo ab Incertitudine differat Non-certitudo?

Generalis Conclusio.

Quid CERTITVDINIS *nomine intelligendum sit?*

CAPVT



CAPUT II.

Iterum de Definitionibus.

Siste iterum, Amice Lector, nam & moneri iterum debes, severissimas frequenter Controversias; quæ sub initium graves visæ, exire in Quæstionem de nomine. Et quia Intellectus Humanus, dum universa explorat, & ex inferioribus, quæ accuratiùs perspectat, sublimiora rimatur, se neglexisse & non perspexisse videtur, de Notitiâ & Ignorantiâ, & vocibus, quæ illas concernunt, aliquid edisseramus.

48 *Parva non debent parvi fieri, si sint necessaria ad res magnas.*

NON sunt parva, sine quibus non possunt obtineri res magnæ: nam sicut, si non essent guttæ, Oceani non tumeret Immensitas: &, si non essent unitates, in calculum non venirent myriades: sic similiter, si non essent literæ, non articularentur dictiones: &, si nec istæ essent, non possent mentis suæ ideas homines aliis hominibus manifestare. Hinc Philosophi, hinc Theologi, immò & Iurisperiti, cùm res sublimes edisserere volunt, initium à verborum significatione desumunt. Apud Lalemandetum *in Appar. Isag. part.1. num. 4. pag. 6. a* dicebat 1. *Elench.* Aristoteles, *Qui vocabulorum significationes ignorant, facilè paralogizant.* quod summo periculo, immò etiam detrimento, frequenter Ecclesia, & Schola sunt expertæ. Nullum fuit in Orbe Christiano Concilium, in quo de sublimioribus actum fuerit mysteriis, quàm in Nicæno. Eius sunt Canones à Spiritusancto dictati, à Patribus unanimi consensu defensi, ab Imperatoribus, & Orthodoxis Principibus armorum virtute stabiliti, & per totum Orbem Christianum propagati. Et tamen illi omnes, quanti sunt, & de quantis rebus formabantur, ab unâ solâ literâ pependerunt. Inter Catholicos, Arrianosque, quanta inter lucem & tenebras, Deum & dæmonem, vitam & mortem intercedebat sententiarum distantia, & tamen de unâ solâ inter eos literâ (de uno ἰῶτα) tantummodò differebatur. Attende.

An Arriani & Catholici de unâ solâ literâ argumentis & armis disputaverint?

49 *Errorum occasio.*

Occœpit Arrius è Grammaticâ arietare Theologiam, & ex illis, male intellectis verbis, *Nam Pater maior me est.* Personas Divinas non esse æquales delirare. Hinc eius Adseclæ ab Orthodoxis secti, in alias Hæreses divisi & subdivisi: alij enim Verbum esse creaturam asserebant: & alij in Divinitate gradus comminiscebantur. Se opponunt schismati succrescenti Catholici: & quia οὐσία est *essentia*, seu *substantia*, & ὁμὸς, aut ὁμὸς *idem*, Divinum Verbum ὁμοούσιον, *coessentiale* & *consubstantiale* æterno Patri pronuntiarunt. Arriani obsistunt; Verbumque, quod ὁμοούσιον negant, esse ὁμοιούσιον, unicâ literulâ interpositâ, affirmant. Est autem ὅμοιος, non *idem*, sed *similis*. Vnde, si nihil aliud haberet Verbum Æternum, quàm esse Patri æterno, ὅμοιον: *simile*; in eâdem classe constitui deberet, quâ homo, quem creavit Deus ad imaginem & similitudinem suam: unde eidem Catholici præter similitudinem, concedimus æqualitatem & idemtitatem. Ecce ob unius solius literæ dissidium Articulum indubitatæ Fidei in propudiosam Hæresim Heterodoxi defigurant. Ergo hoc exemplo moniti, quoties de rebus arduis agitur, ne frustra contendamus in æquivoco, oportet priùs terminos (voces, quibus uti debemus) recognoscere, & veram earum significationem dilucidare. Ergo, si quæ voces, scitu necessariæ, in cap. præced. sunt omissæ, in hoc secundo edisserantur.

Æternum Verbum est ὁμοούσιον, non vero ὁμοιούσιον.

Sed interrogas, *An sufficiat, si ineatur inter differentes de terminorum acceptione concordia?* 50

Inter quos debeat esse de vocum significatione concordia.

Videretur, quod sic: quoniam, ut *lib.2. de doctr. Christ. cap.1.* & iterum *lib. de Princip. Dialect. cap.5.* nos docet Augustinus, *signum est quod se ipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit.* Vnde Scholastici hanc definitionem deduxerunt. *Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, in alius res nos facit cognitionem venire.* Ergo, si Claudius & Antonius inter se differant, sufficiet talem inter se de vocum acceptione inivisse concordiam, quâ se mutuò intelligant, etsi alij aliter & aliter voces accipiant. Demonstrat id Ioannis Trithemij Steganographia, in quâ literarum singularum potestas privatâ authoritate alteratur: & quia in hypothesi conveniunt, qui Clavi utuntur, se mutuò intelligunt, etsi non intelligantur ab aliis.

De Ciphris, & Steganographiâ.

Respondeo nihilominùs, doctrinæ Methodum postulare, ut voces accipiantur in significatione communi, quæ apud universos obtinuit. Tametsi enim sufficeret, quod opposita supponebat Opinio, si inter solos Claudium & Antonium mansura esset Controversiæ discussio; quia autem illa solet Veterum testimoniis dilucidari, & ad posteros etiam transmitti, aut necessarium erit diversas eiusdem vocis acceptiones distinguere, quod esset molestum & difficile: aut ita vocem accipere, ut in eius significatione universi conveniant: & quia id est facilius & utilius, hoc ab scriptoribus, omni nisu, curandum est. Quam ob rem, si hodie in Academiâ Scotista disputet cum Thomistâ, & Opinionem suam Patrum authoritatibus roborare conetur, eâ uti dialecto necessariò debebit, quæ fuit olim Patribus, nuper S. Thomæ & Scoto, & nunc est universis communis: aliàs enim male Patres produceret, & intelligi ab aliis non posset.

Cur voces in communi significatione debeant accipi?

Discrimen, quod inter glossam & paraglossā reperitur. Et hinc manent soluta argumenta contraria: oportet enim inter γλῶσσαν, & παραγλῶσσαν distinguere. Dicitur enim γλῶσσα (Hispan. *Lengua*) idioma communi populi consensu &, approbatione firmatum, quale Græcum, Latinum, aut Germanicum est: privata autem inter paucos concordia, non est γλῶσσα (*Lengua*) sed, si vocem concernat, est παραγλῶσσα (Hisp. *Gerigonza*) quali in Europâ utuntur vagi & miseri homines, qui vocantur *Ægyptij*: si autem concernat calamum, est παραχαρία, (Hisp. *Ciphra*) quali utuntur Principes, ne eorum secreta ad hostium possint pervenire notitiam. *Lengua. Gerigonza. Ciphra. Παραχαρία.*

Et cur Ego hanc Tibi primam Epistolam inscribere volui? Quia tuam eruditionem veneror; & animadversionibus doctè à te cogitatis delector. Vocum collegisti Centuriam, in quarum hodie Critici acceptione obluduntur, & fortè aliquæ ex istis, quas edissero, aliis adiungi poterunt, quas dilucidè expendi. Interim vive, vale, &c. *Hoc caput est desumptum ex literis ad Dominum N. Vicarium Clarissimū & Eruditissimum.*

TABVLA I.

De Carentia & Positionis definitione & divisione.

Carentia & Positio, de quibus nunc disserimus: bifariam possunt considerari: vel enim universim & abstractim sumuntur, vel ad Humanam cognitionem contrahuntur & determinantur. Porrò indeterminatæ Carentiam & Positionem Formæ, hæc Prior Tabula per classes & species distribuet, & conceptus rerum proponet abstractissimos, qui non semper à Doctoribus bene explicantur. Et debitâ servatâ Analogiâ Cognitionis Carentiam, Positionémque Tabula posterior proponet, & per gradus subalternos congruo decursu propagabit.

CARENTIA
- A *cum incapacitate.* Negatio.
- B *cum capacitate* Privatio.
  - C *Rei, quæ debet nō esse.*
  - D *Rei, quæ nec debet esse, nec non esse.*
  - E *Rei, quæ debet esse.* Defectus.
    - L Malum. *Materialiter & formaliter accipi solet. Materialiter sumptū, in Negativum & Positivum subdividitur: Illud in defectu & hoc in excessu consistit. Sumptum autem formaliter est dissonantia aut dissimilitudo actûs & legis: quæ prius non similitudinem importat: quæ enim similia sunt, non habent dissimilitudinem.*
      - M Non Peccatum *Non omnes Carentiæ, aut Positiones, quæ sunt malæ subjecto, censentur, aut vocantur peccata.*
        - O Naturale. *Et est aliquid, quod contra Naturæ leges adest, aut abest. Talis censetur cæcitas, quæ est absentia visûs, quem corpus sensibile postulat: talis est sextus digitus, quem Humani corporis pulchritudo non tolerat.*
        - P Artificiale. *Et est aliquid, quod contra Artis leges ponitur, aut non ponitur.*
        - Q Morale. *Et est, quod ponitur aut omittitur cōtra leges & regulas Morum* Et diuiditur in
          - R Philosophicum: *quod respicit honestatem humanam præcisam à præceptis divinis.*
          - S Theologicū: *quod opponitur legi Divinæ præceptivæ.*
            - T Pure materiale: *contra legem, sed non contra conscientiam.*
            - V Purè formale. *contra conscientiā, sed non contra legem.*
            - X Materiale & formale simul. *Et hoc contra legem & contra conscientiā simul est.*
      - N Peccatū. *Vide inferius an peccatum sit idem ac delictum? An sit idem ac prævaricatio?*

Licèt res simplex esse & non esse possit, non autem res simplex potest carere: nam duas dicit Carentia; nimirùm rem quæ caret, & rem quâ caret.

POSITIO
- F *cum capacitate*
- G *cum incapacitate* Ens rationis, *vel linguæ.*
  - H *Rei, quæ debet nō esse.* Excessus.
  - I *Rei, quæ nec debet esse, nec non esse.*
  - K *Rei, quæ debet esse.* Proprietas.

Sola Peccata formalia (qualia sub litt. V. & X. ponuntur) imputantur: materialia autem non imputantur. Et hoc ipsum *materialis peccati* nomen supponit legem, ante publicationem & convenientem notificationem legem esse, quod si negavero, dicam, aut non dari materialia peccata, aut peccata materialia, quæ vocant non materialem, sed hypotheticam malitiam habere: non quæ est, sed quæ esset, si obligatio legis cognosceretur.

TABVLA

TABVLA II.

EA, *quæ de Carentiâ & Positione universìm sunt dicta possunt ad quamcumque determinatam formam contrahi:* nam caloris carentia, v. gr. in Angelo est Negatio, in ligno Privatio: in igne Defectus: & caloris positio in igne esset Proprietas, in aquâ excessus, & in lapide Neutrum. Interim, quia de intellectûs actibus in hoc Syntagmate specialiter sumus disputaturi, nos manuducet præsens Tabula, quæ per subalternas divisionis & subdivisionis ambages ingeniosè decurrit.

CARENTIA COGNITIONIS

- *Cum incapacitate adæquata.*
  - nempe, *carentia cognitionis, quæ non potest esse.* — **A** Ignorantia invincibilis.
- *Cum capacitate adæquata.*
  - nempè, *carentia cognitionis, quæ debeat non esse.* — **B** Ignorantia prudens: multa enim utiliter ignorantur.
  - nempè, *carentia cognitionis, quæ nec debeat esse, nec non esse.* — **C** Nescientia. Et hæc ut ut realiter sit imperfecta, moralem imperfectionem non importat.
  - nempè, *carentia cognitionis, quæ debeat esse.* — **D** Ignorantia vincibilis. Et semper æquiparatur scientiæ.
- *Cum capacitate inadæquata, & incapacitate inadæquata.*
- *Cum capacitate inadæquata, & incapacitate inadæquata.*
  - Quando intellectus, nec omninò est capax, nec omninò incapax, ut obiectũ cognoscat, agitur, hinc inde rationibus grauibus, partìm ex cognitione, & partìm ex carentiâ cognitionis subortis. — **K** OPINIO PROBABILIS. Vbi aliquis, si convenientem diligentiam adhibeat, potest Veritatem rescire, non datur opinio Probabilis.

Agimus hic de Cognitionis Positione & Carentiâ respectu Intellectûs Humani: nec enim volumus examinare, an possit Angelo, aut Lapidi infundi rationalis cognitio? nec, quid alterutri faceret, si infunderetur. Ergo ad Hominem converte oculos, & categoriam præsentem contemplare.

POSITIO COGNITIONIS

- *Cum capacitate adæquata.*
  - nempè, *cognitionis, quæ debebat esse.* — **E** Rerum Notitia Requisita.
  - nempè, *positio cognitionis, quæ nec debebat esse, nec non esse.* — **F** Eruditio, si hoc nomine cognitionem intelligere velis, quæ nec officit, nec est necessaria.
  - nempè, *positio cognitionis, quæ debebat nõ esse.* — **G** Opinio improbabilis. Erronea. Et hæc in materiâ morũ semper est perniciosa.
- *Cum incapacitate adæquata.*
  - nempè, *positio cognitionis, quæ non potest esse.* — **H** Notitia impossibilis. Hæc nulli intellectui inesse potest.

Homo est Animal intellectuale; & quia rationalis est, multas discursu Veritates adsequitur: & quia finitâ luce præditus, positivis ab originariâ labe, & prava institutione abortis tenebris obnubilatur, ut aliqua cognoscat impotens est: nonnulla aliquando rimatur: pauca clarè cognoscit; & ideò inter notitiæ caliginem & splendorem fluctuans, errat, nescit, ignorat, opinatur, & scit.



TABVLA III.

Cognitionis Gradus dilucidantur.

ANIMA, afferente Aristotele, sub initium (quando à Deo creatur, & corpori Humano infunditur) est velut tabula rasa, in quâ nihil scriptum est. A purâ illâ Ignoratiâ; quæ est sibi ingenita, ad Evidentem & Indubitatam Notitiam, cujus splendore aliquando suffunditur, interjacet magna distantia, ad quam non nisi per gradus opportunos adscenditur. Illos propono.

GRADVS.	COGNITIONIS MEDIA.	COGNITIONIS PERFECTIO.	CONSCIENTIÆ SECVRITAS.
SEPTIMVS. Est supremus, nam ad majorem certitudinem adscendi non potest.	*Discurritur, Ex præmissis certis & indubitatis.*	G Conclusio scientifica & & demonstrativa.	*Rarissimæ sunt in Rebus Moralibus Demonstrationes, & ideò minori certitudine sumus contenti.*
SEXTVS. Et moraliter supremo æquivalet.	*Ex præmissis ferè certis, & ferè indubitatis.*	F Conclusio moraliter certa.	*Moraliter certa ita se habet ac si esset realiter certa: & ideò ad conscientiæ sufficit securitatem.*
QVINTVS.	*Ex præmissis clarioribus, & certioribus.*	E Opinio probabilior.	*In omni Opinione Probabili, est incertitudo veritatis, & certitudo honestatis, & hanc ob rem, eos damnamus, qui de actûs honestate asserunt Probabilitatem aut Probabilioritatem sufficere: qui enim sine honestatis certitudine procederet, malè omninò procederet.*
QVARTVS.	*Ex præmissis æquè claris, & æquè certis.*	D Opinio æquè probabilis.	
TERTIVS.	*Ex præmissis minùs claris, & minùs certis.*	C Opinio minùs Probabilis.	
SECVNDVS. Et moraliter non differt à Primo.	*Ex præmissis levibus, obscuris, & incertis.*	B Dubium Positivum.	*Rationes leves non sunt Regulæ morum; ergo ita se habent, ac si essent nullæ.*
PRIMVS.	*Ex nullis fundamentis omninò.*	A Dubium Negativum.	*Consistit in profundissima ignorantia, quando nec pro, nec contrà, rationes vel leves occurrunt.*

Oportet in omni controversiâ Dubium à Probabilitate distinguere. Sententia Dubia, quæ levibus fundamentis insistit, *Opinio Improbabilis* dicitur; &, si illam ex ignorantiâ vincibili veram judices, vocabitur *Conscientia erronea*; quæ te propellet in liberam necessitatem peccandi.

ARTICVLVS I.

Exponitur Tabula Prima.

54. TAmetsi Formalitatum Distributio, quam Tabula Prima exhibuit videretur sufficere, ut earumdem conexio & fluxus cognoscatur, placet lineas subsequentes subjungere, ut singula dulcidentur clariùs. Attende.

De Carentiâ & Positione. Subjectum, vel caret formâ, vel non caret; hoc est, vel non habet, vel habet: illud prius pertinet ad Carentiam, & ad Positionem hoc posterius. De hac statim agemus: nunc de illâ breviter disseramus. [Et nota hìc obiter nos sicut de formis, sic etiam de quibuscumque rebus, quæ habentur aut non habentur, posse philosophari: nam Prædicamentum *Habere* latè patet: & latissimè, si Peripateticorum opinioni adhæreamus. *Quid formæ nomine intelligatur?*

***

ARTI

Ad Liter. A, et B.

De rerum Carentiá & Positione.

55 *Quid sit Carentia: & quotuplex?*

CArentia est abstractissimus modus absentiæ. Cùm autem subiectum caret formâ, vel caret formâ, cuius ex naturâ suâ est capax; vel formâ, cuius ex naturâ suâ est incapax: in subiectis enim, tametsi non detur capacitas accidentaria, datur interdum incapacitas accidentalis: nam licèt Animali universim sumpto non repugnet Irrationalitas, hæc repugnat (Homini) hoc est, Animali per rationalitatem contracto. Et licèt non repugnet ferro esse frigido, tamen ex hypothesi, quòd ignitum sit, quamdiu ignitum sit, tamdiu frigidum esse non potest. Quam ob rem poterit vocari *Hypothetica*, hæc incapacitas accidentalis. De hac agemus inferiùs, modò de capacitate & incapacitate internis & absolutis disseramus.

Privationis & Negationis differentia.

Entis divisio.

Subiectum itaque caret, vel formâ, cuius est capax; vel formâ, cuius est incapax. Si primum Carentia vocatur *Privatio*: si secundum *Negatio*. Stephanus Spinula (contra quem inferiùs disputaturi amice sumus: est enim doctissimus & ingeniosissimus) *in Physica disp.* 1. *sect. ult. num.* 5. [*Non-Ens* dividitur in Negativum, & Privativum: seu in Privationem & Negationem. *Negatio* absolutè est ipsum non esse rei. *Privatio* verò, licèt sit ipsum non esse rei, connotat tamen aptitudinem in subiecto ad habendam formam, quam negat. Ex. gr. negatio hinnibilitatis in homine est vera & propria negatio; quia scilicet in homine non solùm non est hinnibilitas, sed neque aptitudo ad habendam hinnibilitatem; è contra verò cæcitas in homine est privatio, quia licèt in tali homine non sit visus, est tamen aptitudo ad visum. Et hinc fit, quòd de subiectis ineptis ad aliquam formam, neque potest prædicari forma, neque privatio formæ. Ex. gr. quia cæcitas est privatio visûs, de Angelo non potest prædicari neque cæcitas, neque visus; de Angelo enim neque potest dici quòd sit videns, neque quod sit cæcus. Vnde oppositio privata non est contradictoria, nisi respectu subiecti capacis, respectu cuius tantùm alterutrum debet convenire (aut forma, aut negatio) respectu cuius non datur medium; secùs respectu subiecti incapacis. Sic homo necessariò aut est cæcus, aut videns, & alterutrum ex his debet ipsi convenire; neque potest se habere modo medio inter formam & privationem. Et hinc patet, quomodo differat Negatio à Privatione scilicèt tantùm respectu aptitudinis, quam ad formam connotat in subiecto Privatio: Negatio enim nullam aptitudinem supponit. Et ideò inter contradictoria negativa, formam scilicèt & negationem formæ nullum potest dari medium, & alterutrum necessariò cuilibet debet convenire. Sic Videns & Non-videns, quæ sunt contradictoria negativa cuicumque rei disiunctivè conveniunt.] Sed hæc ultima verba mentem excitant, ut Negationis conceptum recognoscamus accuratiùs.

Cognovit, & innuit Spinula non bene esse dispositam Carentiarum Categoriam.

An inter formam & privationem detur medium?

An inter formam & negationem.

56 *Negatio bifariam potest sumi.*

Privatio semper est carentia in subiecto apto: at Negatio sumitur duobus modis: nimirùm præcisivè, & negativè: vel enim nec dicit subiectum esse aptum, nec esse non aptum, sed ab utroque præscinditur; vel dicit subiectum non esse aptum: primo modo est idem ac Carentia: secundo modo contrahit Carentiam & opponitur Privationi. Et hîc obiter nota, Veteres defectu Verborum, verum Privationis & Negationis conceptum minimè cognovisse, aut expressisse; nam *capacitatis* vocabulo, interdum meram non repugnantiam, & interdum debitum intellexerunt. Hinc diversi loquendi modi oriuntur: nam, si interroges, qualis esset carentia Gratiæ in homine, quem in purâ naturâ crearet Deus? sub distinctione respondebo: nam, si Privatio dicat meram capacitatem, illa carentia erat Privatio: si autem Privatio dicit debitum, illa carentia non erat Privatio, sed Negatio: quia Gratia est forma, quæ potest infundi homini, sed non debetur. Audi Scotum, qui *in* 2. *dist.* 34. *quæst.* 1. *num.* 11. sic statuit. [Nihil plus entitatis est in Privatione, quàm in solâ Negatione; quia in cæcitate non est plus entitatis, quàm in non videre, sed solùm dicit non videre in illo, quod natum est suscipere visionem; & non videre, dicit hoc absolutè: ideò differt à Negatione in solo connotato; quia ex hoc, quod affirmatio convenit tali susceptivo, necessariò concipitur ut disconveniens. Ista est sententia Anselmi 5. *cap. de Conceptu Virginali* & 16. *de casu Diaboli*, qui dicit, quod Iniustitia non nisi solam Negationem dicit.] Ecce Scotus non solùm capacitatem in Privatione, sed convenientiam seu debitum requirit, & Carentiam disconvenientem esse Privationem asseverat. Hoc ipsum suadet Anselmi, quam adducit, authoritas. Nam, cuicumque Angelo (etiam Dæmoni) infundi potest gratia, sed non debet. At Anselmus, & ex eo Scotus, carentiam gratiæ in Dæmone, esse Negationem affirmant; ergo *Negationis* nomine absentiam formæ indebitæ intelligunt: & *Privationis* nomine absentiam formæ debitæ. At nos, ut procedamus clariùs debitum à capacitate distinguimus; & in capacis formæ carentiam *Negationem* dicimus: & formæ capacis (debita aut indebita sit) carentiam *Privationem* vocamus.

N. B.

Negatio, vel est Præcisiva, vel Negativa.

An gratiæ carentia in homine in statu puræ naturæ creato, esset Privatio aut Negatio?

Quo Anselmus modo, & Scotus loquantur?

Quid iniustitia sit?

Vera doctrina de Negationis & Privationis distinctione.

Ad Liter. A, B, C, D, E.

De Negatione, Privatione, & Defectu.

57 *Privatio triplex.*

PRivatio est carentia formæ in subiecto capaci. (Iam id dixi.) Et est triplex: nam, vel illa forma deberet in subiecto

esse,

Defectuosa, & Neutra.

Vel etiam Disconveniens, Conveniens, & Neutra.

Qualis in homine sit Privatio gratiæ?

esse, vel deberet non esse, vel neutrum. Si sit Privatio formæ debitæ, vocatur *Defectus*: & aliæ duæ Privationes non habent specialia vocabula: sed nos (nam ita loqui volumus, ut intelligamur; &, quæ solemus mente, labio etiam & calamo debemus distinguere) in Defectuosam, Debitam, & Neutram, seu in Disconvenientem, Convenientem, & Neutram, ipsammet Privationem dispescemus. Exemplis species singulas dilucidemus. Carentia visûs in animali est Privatio defectuosa & disconveniens (defectus) quoniam visus, non solùm potest inesse animali, sed debet. Charitatis carentia (pone cum Thomistis realiter à Gratiâ Charitatem distingui) in homine Gratiâ Divinâ prædito, esset carentia formæ debitæ, ac propterea Defectuosa Privatio. In homine culpâ mortali infecto esset carentia formæ, cuius, tametsi homo secundum se consideratus, capax sit, tamen quamdiu gravi peccato inficitur, debet illâ carere: unde, quia Gratia est forma peccatori impœnitenti disconveniens, eius tunc Privatio erit conveniens. Denique in homine, quem in naturæ puræ statu Deus produceret, carentia Gratiæ esset Privatio neutra: quoniam nec esset debita, nec disconveniens.

An detur in voluntate pura omissio?

Quomodo actus primus ab actu secundo in purâ omissione distinguatur?

Hæc admittere debemus necessariò vocabula, ut loquamur distinctè: quoniam eorum defectu multa confusè à scriptoribus, aut saltem minùs clarè traduntur. Hoc morbo laborabant olim viri docti Salmanticæ, qui cùm, *Dari omissiones puras in voluntate*, traderent, cuidam argumento difficili, quod obiiciebatur frequentissime, defectu verborum non videbantur convenienter aut sufficienter respondere. Erat hoc argumentum. [In omni causâ debet actus primus ab actu secundo distingui. Sed, si daretur pura omissio libera (de hac enim agitur) actus primus voluntatis à secundo non distingueretur: Ergo non datur pura omissio libera: Probatur minor. Quia voluntas in actu primo, est voluntas sine actu: & voluntas in actu secundo, quando iste in purâ omissione consistit, est voluntas sine actu. Ergo in tali casu actus secundus non distinguitur ab actu primo.] Respondebat Reverendissimus D. Angelus Manrique vir doctissimus & acutissimus, esse differentiam inter actum primum, secundumque, quòd voluntas ex carentiâ in privationem transiret: sciebat sanè, quid diceret, sed carebat vocabulis, & loquebatur malè: nam voluntas in actu primo etiam habet privationem actûs: ergo ex hoc capite non reperitur differentia; quia utrobique privatio est. Ergo respondere debuisset, in purâ omissione voluntatem per transitum ab actu primo ad actum secundum mutari: quia, transit ex privatione ad defectum, voluntas enim in actu primo habet privationem actûs; nam caret actu, quem potest habere: at eadem in actu secundo habet defectum actûs nam caret actu, quem debet habere. Et hæc dicta sint stando in eorum opinione, qui docent, *preceptum non impleri* ad puram omissionem requiri.

An ad puram omissionem requiratur præceptum?
An consiliū aut aliqua incumbentia sufficiat?

An pura omissio in solo peccato reperiatur?

Quid sit causa libera?

Actus primus est duplex proximus & remotus.

Proximus, non in actûs secundi carentiâ, sed in præcisione consistit.

P. Borgiæ Laudatus.

An actus primus Divinæ voluntatis in merâ præcisione consistat?

Hanc enim opinionem Excellentissimi Doctores sub annum 1630. propugnabant Salmanticæ. Ex his nonnulli latiùs accipiebant vocabulum, & *præcepti* nomine, non solùm consilium, sed incumbentiam qualemcumque intelligebant: cum enim, qui habebat consuetudinem, verbi gratiâ, eundi quotidie ad forum, si semel purè omittat, liberè omisisse affirmabant. Sed ego aliter rem expedio. Aio potentiam liberam esse, quæ positis omnibus ad operandum prærequisitis potest operari, & potest non operari. Addo inter prærequisita, debere cognitionem sufficientem supponi; quam ob rem voluntas hominis dormientis non erit in actu primo proximo (de hoc enim agimus) sed in remoto. Subiungo voluntatem, quando per puram omissionem exercetur, transire ex præcisione ad privationem, non autem ex carentiâ ad privationem, aut ex privatione ad defectum. Non quidem *ex carentiâ* quia positâ cognitione competenti (hæc enim semper debet supponi) omnis carentia actûs est libera, atque adeò est exercitium & actus secundus voluntatis. Non *in defectum*, quia etiam in actibus bonis, aut etiam indifferentibus potest admitti pura omissio: quod primus, quem audiverim, docuit & defendit Salmanticæ D. Borgias, Benedictinus, Doctor celeber, cuius curiosè cogitata, & ingeniosè expensa interdum cito & laudo, & ubi occasio postulat, etiam expendo. Sanè actum primum proximum, debere ad meram præcisionem reduci, demonstrat Divina libertas, quæ antequam haberet hunc actum, quem de facto habet, non habuit carentiam aut privationem illius. Hæc de libero arbitrio prælibasse sufficiat; nec enim ipsas res, sed voces modò exponendas suscipio.

Ad Lit. F, G.

De Entibus rationis, & linguæ.

58

Positio formæ duplex.

An, & quomodo fiant Entia rationis? quomodo entia linguæ?

Sicut de Carentiâ, sic etiam de Positione poterimus philosophari: vel enim ponenda est forma in subiecto capaci, aut incapaci. Si in hoc, positio non poterit esse physica & realis, ergo vel erit mentalis, vel vocalis: Si mentalis (& hanc ego iudico impossibilem esse) fiet Ens rationis, cuius esse sit in intellectu tantùm, & in rebus non possit existere. Si vocalis (& hanc esse possibilem censeo, nec aliam argumentis probari eorum, qui Entia rationis conantur in Scholas protrudere) fiet Ens linguæ, cuius esse sit dici. Id impræsentiarùm adnotare sufficiat; qui enim de Ente linguæ velit uberrimam disputationem legere, ad Metalogicam nostram recurrat.

Ad

Ad Liter. H, I, K.

De excessu, Accidente communi, & Proprietate.

59 *Quid sit passio aut proprietas?* QVando forma ponitur in subiecto capaci, considerandum est, An illa ibi debeat esse, an non esse? An verò nec debeat esse, nec non esse. Si primum tunc illa forma nominanda est *Proprietas*: ut Risibilitas; quæ in homine necessariò esse debet. Si secundum vocabitur *Excessus*, *Quid Excessus?* sicut sextus digitus, qui in manu esse non debet: aut maior calor, quam humanum postulat temperamentum, qui licèt esse possit in homine, in homine debet non esse. Si tertium, vocabitur *Forma communis*, *Quid Forma communis.* sicut Albedo, quæ quidem esse in homine potest, at verò nec debet esse, nec non esse.

Ad Lit. L, M, N.

De Malo & Peccato.

60 *Quid sit Malum?* ESse in subiecto formam, quæ deceret non esse: vel abesse formam, quæ deberet adesse; Malum est: nam Malum in defectu aut excessu consistit: & ideò *An formaliter sit negatiuum?* solet in negatiuum & positiuum ab aliquibus dividi. Ab aliquibus, inquam: multi enim in ipso excessu asserunt malitiam esse negativam: sed de hoc alibi disputabo.

Est duplex. Malum igitur, prout Defectum & Excessum complectitur, duplex est: nam in Peccatum & Non peccatum subdividitur.

61 *Quid sit Peccatus?* Reperitur, ut superiùs te monui, *Peccatus, ûs, vi*, quartæ declinationis, quæ vox, licèt non sit in usu modò, ante Imperatores fuit, significabatque Adulterium; & à verbo *Pelliceo* deducebatur, quod notat Agellius *lib 13. cap.19.* Illa fuit usus *An adulterium?* Cicero quartâ in verrem. *Nemo ita vivebat, ut nulla eius vita summa turpitudinis esset expers: nemo ita in manifesto peccatu tenebatur, ut cum impudens fuisset in facto, tum impudentior videretur, si negaret.* Fron- *Peccati, & Delicti distinctio.* to in vocum diff. *Peccatum* & *Delictum* distinguit, quod in actione illud, hoc in omissione consistat; delinquit enim, qui debitum actum derelinquit: Sed hanc distinctionem nec Schola, nec usus communis admittit;peccatum enim in commissionem & omissionem vulgò dividit.

Peccati, & Praevaricationis differentia. Quæris, *An omne Peccatum sit Prævaricatio?* Si dicamus cum veteribus Ethnicis, qui Decalogi non habuerunt notitiam, dari peccata ante omnem legem, debebimus Peccatum à Prævaricatione distinguere; nam hæc est legis violatio: at verò, si omne peccatum, ut docet Augustinus, sit factum dictum aut concupitum contra legem Divinam, coincidunt *peccatum*, & *prævaricatio*. Peccatum à Prævaricatione distingui debere docuit Glossa, *ad Rom. 5.13.* (apud P. Philippum de Sanctissimâ Trinitate *to.2. disp.5. de pecc. dub.2. pag.365.*) ibi enim *Peccatum* vocat *Iniquitatem*, & sic ait: *Apostolus non ait, ubi non est lex, non est iniquitas* (seu inæqualitas) *An omne peccatum sit contra legem?* *sed non est prævaricatio: omnis enim Legem præteriens est iniquus, sed non è contra: nam qui legem non acceperunt*, Iniqui *dici possunt*, Prævaricatores *autem dici non possunt*. At *An sine prævaricatione esse possit iniquitas?* ego contra, nego illos vocari posse *iniquos*. Nam iniquitas est inæqualitas;& inæqualitas esse non potest, ubi non est lex; quæ actibus mensuram præscribat. Has autem voces non distingui docet Ambrosius *libri de Paradiso cap.8.* dicens, *Quid est peccatum, nisi Divinæ legis prævaricatio, & cælestium inobedientia mandatorum.*

Ad Liter. O, P, Q.

De Naturali, Artificiali, & Morali Peccaminositate.

PEccatum universim sumptum est actus contra legem; & dividitur in Naturale, Artificiale, & Morale: primum est contra Naturæ leges, secundum contra regulas artis, tertium contra præcepta Morum. Peccatum Morale subdividitur in Philosophicum & Theologicum: illud militat contra Decentiæ & Honestatis leges: istud contra legem Divinam. Peccat causa Physica contra Naturæ leges, quando non agit aut producit, quod rei natura postulat: sic Pater in legem humanæ generationis peccat, quando filium cæcum aut defectuosum generat; humanæ enim generationis leges postulant, ut Pater integra & rectè disposita organa in filio producat. Peccat Artifex, cum contra Artis præscriptas regulas operatur: erraret enim Grammaticus, si *Hoc est corpus meus* diceret: Arithmeticus, si 5. esse radicem numeri 26. assereret: Geometra, si pronunciaret tres trianguli angulos non esse æquales duobus rectis. Et tandem Homo peccaret contra regulas bonorum morum, si aut faceret, quæ illæ inhibent;aut omitteret, quæ illæ præcipiunt. 62 *Peccatum triplex Naturale & Artificiale, & Morale.*

Ad Lit. R, S.

De Peccato Philosophico & Theologico.

PEccatum humanum ab hominis peccato distinguitur: sicut enim non omnes actus voluntatis sunt voluntarij, sic nec omnes actus hominis sunt humani, sed illi tantùm, qui plenâ deliberatione fiunt. Porrò Peccatum, nisi sit voluntarium & humanum, Morale esse non poterit: & Morale, ut dicebamus, duplex est, Philosophicum Theologicumque: illud contra Decentiæ & Humanæ Honestatis leges militat: istud contra legem Divinam Vide Theologiæ Fundamentalis 63 *Peccatum humanum est duplex: Philosophicum, Theologicumque.*

tom.1. num.541. Ibi enim dico: *Omne peccatum (Theologicum intellige, quoniam etiam dantur Peccata Philosophica) ἀνομία, inobedientia est.* Consonat P. Antonius ab Oudenhoven (quem cito *numer.* 567. cuius verba sunt hæc. *Etsi verò implicet hominem cum usu liberi arbitrij creari, quin etiam præfixam habeat legem naturalem; si tamen per impossibile Deus non præcepisset ea, quæ sunt Legis Naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis legis, licèt sciret quis se agere contra naturalem Honestatem.* Ecce aliud est agere contra Deum, & aliud contra naturalem Honestatem: actus, qui contra legem Dei sunt *Peccata Theologica* dicuntur; qui autem contra Honestatis leges, *Philosophica* solent vocari.

Præscindendo à lege Divinâ nõ possunt Theologica peccata intelligi.

Ad Liter. T, V, X.

De Peccato materiali & formali.

64 *Peccati & culpæ differentia.*

QVæris, *An omnia peccata sint culpæ? An omnis sit culpabilis, qui peccat? An omnia peccata imputentur?*

Quid peccaminositas sit?

Respondeo peccaminositatem esse dissimilitudinem inter legem & actum: nam homicidium & lex illa *Non occides*, sunt dissimilia. Addo, verum & actuale peccatum non nisi contra veram & actualem legem committi. Porrò lex debet ferri, & intimari sufficienter; nam ad legis essentiam pertinet publicatio. Lex nondum lata, aut nondum intimata, non est vera & actualis lex. Quam ob rem illa, quam invincibiliter ignoro, mihi non est sufficienter intimata, nec respectu mei est vera & actualis lex. Et quæ non est, violari nequit. Sed de hoc iam diximus *num... & num.697.* accuratiùs dicemus.

An publicatio sit de essentiâ legis?

Quid sit Culpa?

Si peccata materialia admittantur, *Culpæ* nomine, non materiale, sed formale venit intelligendum: & solus, qui formale committit, est culpabilis. Non autem omnis Culpa, sed gravis sola, *Crimen* dicitur, & omne crimen imputatur; adeoque omni querelâ, accusatione, & damnatione dignum est. *leg.2. de crim. expil. hæredit.*

Quid Crimen?

An Culpa & Peccatū convertantur?

Hinc patet omnem culpam esse peccatum, at non omne peccatum esse culpam, sed tantùm illud, quod est culpabile, quod imputabile; quod est formale, & post sufficientem notitiam legis liberâ voluntate commissum. Hinc lex Apostolo scribenti Romanis cap.5.13. *Vsque ad legem* (Moysaicam) *peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset*, ac si diceret: [Legis Tabulæ datæ fuerant Moysi in monte Sinai, non ut nova lex, sed ut legis naturalis explicatio: & quidem ante hanc legem datam in monte Sinai, peccata erant in mundo, toties enim erant peccata materialia, aut hypothetica, ut nos loquimur, quoties naturalia præcepta violabantur: at non imputabantur interdum hæc præcepta, nec enim omnia cognoscebantur, aut intelligebantur antequàm esset Moysis lex, quæ illa exponeret & intimaret.] Agit sane de aliquibus peccatis tantùm; qui enim legem Dei cognoscebant, ex malitiâ ante Moysem peccabant, culpæ rei erant & fuerunt severe puniti.

Dantur peccata, quæ non imputantur.

An ante Moysem fuerit lex?

ARTICVLVS II.

De mente & labio D. Thomæ.

HÆc omnia ingenio & menti, stylo & labio Angelici Doctoris correspondent, quod demonstrabo breviter, aliquos eius locos claros & manifestos producendo. 65

Sanctus igitur Doctor 1. 2. *quæst. 21. art.1.* Sic inquit. [*Respondeo dicendum, quòd malum in plus est quam peccatum* (latiùs patet) sicut & bonum est in plus quàm *rectum; qualibet enim privatio boni in quocumque, constituit rationem mali. Sed peccatum propriè consistit in actu, qui agitur propter finem aliquem, cùm non habeat debitum ordinem ad finem illum. Debitus autem ordo ad finem, secundum aliquam regulam mensuratur; quæ quidem Regula in his, quæ secundum naturam agunt, est ipsa virtus naturæ, quæ inclinat in talem finem, Quando ergo actus procedit à virtute naturali secundum naturalem inclinationem in finem, tunc servatur rectitudo in actu: quia medium non exit ab extremis scilicet actus ab ordine activi principij ad finem. Quando autem à rectitudine tali actus aliquis recedit, tunc incidit ratio peccati. In his verò quæ aguntur per voluntatem, Regula proxima est ratio humana, Regula autem suprema, est lex æterna.*] [Nam lex æterna præcipit non committi homicidium: & Ratio humana, quia dictat observandam esse legem Dei, infert statim debere non committi homicidium, nam illud lex æterna prohibet.] *Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis & legis æternæ, tunc actus est rectus: quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Manifestum, est autem ex præmissis, quod omnis actus voluntarius est malus, per hoc quod recedit ab ordine rationis & legis æternæ, & omnis actus bonus concordat rationi & legi æternæ. Vnde sequitur, quod actus humanus ex hoc quod est bonus vel malus, habeat rationem rectitudinis vel peccati.* Et in responsione ad primum admittit naturalia peccata, inquit enim, *quod monstra dicuntur esse peccata in quantum producta sunt ex peccato in actu naturæ existente.* Et in responsione ad secundum affirmat, *quòd duplex est finis, scilicet ultimus & propinquus. In peccato autem Natura deficit quidem actus à fine ultimo, qui est perfectio generati, non autem deficit à quocumque fine proximo: operatur enim natura aliquid formando.* [Et consideratis causis, quæ concurrunt nihil

Malum latiùs patet quàm Peccatum.

Quid sit peccatum?

Peccatum Naturale.

Peccatum Morale.

Lex æterna præcipit, & ratio naturalis intimat.

66

Monstra sūt peccata naturalia.

Finis ultimus & propinquus.

hil tunc connaturalius potest formari, quàm illud, quod de facto formatur. Pono exemplum. Quando fœtus in ventre materno moritur, tunc mors est quidem actus (nam in communi sententiâ est generatio cadaveris) qui deficit à fine ultimo, qui erat nativitas; natura enim fœtum format, ut nascatur; non autem deficit à fine proximo, nam qualitates intemperatæ, quæ fœtum illum afficiunt, corpus illud ad formam cadaveris, ut ad finem proximum, ordinant.] *Similiter in peccato voluntatis semper est defectus ab ultimo fine intento: quia nullus actus voluntatis malus est ordinabilis ad beatitudinem, quæ est ultimus finis: licet non deficiat ab aliquo fine proximo, quem voluntas intendit, & consequitur. Vnde etiam, cùm ipsa intentio huius finis ordinetur ad finem ultimum, in ipsa intentione huiusmodi finis potest inveniri ratio rectitudinis & peccati.*

Fœtûs mors, contra ultimum finem, non autem contra proximum.

Finis operis, & operantis.

67 Opere pretium adhuc erit manifestè ostendere iuxta S. Thomæ doctrinam Peccatum latiùs patere Culpâ: & dari aliqua, quæ verè Peccata sint, hoc est vera Peccata sint, & tamen Culpæ non sint: quia sunt peccata, (materialia videlicet, aut hypothetica) quæ agentibus non imputantur. Docet hoc est probat D. Thomas articulo sequenti his verbis.

An peccatū latiùs pateat, quàm culpa?

Respondeo dicendum quod sicut malum est in plus, (latiùs pateat) *quàm peccatum, ita peccatum est in plus* (latiùs pateat) *quàm culpa, Ex hoc enim dicitur actus culpabilis vel laudabilis, quod imputatur agenti: nihil enim est aliud laudari, vel culpari, quàm imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actus. Tunc enim imputatur agenti actus, quando est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui actûs. Hoc autem est in omnibus actibus voluntariis, quia per voluntatem homo dominium sui actûs habet, ut ex supradictis patet. Vnde relinquitur, quod bonum vel malum in solis actibus voluntariis* (liberis) *constituit rationem laudis, vel culpæ: in quibus idem est malum, peccatum, & culpa.* Si quæras *An in actibus naturalibus sit culpa?* In responsione ad primum ait. *Quod actus naturales non sunt in potestate naturalis agentis, cùm natura sit determinata ad unum. Et ideò licèt in actibus naturalibus sit peccatum, non tamen est ibi culpa.* Si quæras, *An dentur peccata artificialia?* & *An eodem debeas de illis modo, quo de moralibus philosophari?* in responsione ad secundum dari peccata artificialia, supponit, & ait, *quod ratio aliter se habeat in artificialibus, & aliter in moralibus. In artificialibus enim ratio ordinatur ad finem particularem, quod est aliquid per rationem excogitatum.* At hic finis particularis in suo genere est universalis & communis: nam Ars Horologiaria, v.gr. seu bracteas cudat, seu axes præparet, seu rotas tornet, & elimet, eò omnia dirigit, ut Horologium formet, quod horas exactè distinguat.] *In moralibus autem* (ratio) *ordinatur ad finem communem totius humanæ vitæ: finis autem particularis ordinatur ad finem communem. Cùm enim peccatum sit per derivationem ab ordine ad finem, ut dictum est, in actu Artis, contingit dupliciter esse peccatum. Vno modo per derivationem à fine particulari intento ab artifice: & hoc peccatum erit proprium arti. Puta si artifex intendens facere bonum opus, faciat malum: vel intendens malum faciat bonum.* [Non enim exactè percallet Grammaticæ Artis Regulas ex. gr. qui, vel volens congruè loqui, solœcismos committit; aut volens solœcismum committere, congruè loquitur.] *Alio modo per derivationem à fine communi humanæ vitæ: & hoc modo dicitur peccare, etiamsi intendat facere malum opus, & faciat per hoc ut alius decipiatur. Sed hoc peccatum non est proprium artificis, in quantum Artifex, sed in quantum homo est. Vnde ex primo peccato culpatur Artifex in quantum Artifex: sed ex secundo culpatur homo in quantum homo.* Nam illud prius peccatum mores non tangit, sed intra terminos Artis se continet: hoc autem est extra Artis Regulas, & concernit Decalogum.] *Sed in moralibus ubi attenditur ordo rationis ad finem communem humanæ vitæ, semper peccatum & malum attenditur per derivationem ab ab ordine rationis ad finem communem humanæ vitæ. Et ideò culpatur ex tali peccato homo & in quantum est homo, & in quantum moralis est. Vnde Philosophus dicit in 6. Ethic. quod in arte volens peccans est eligibilior, circa prudentiam autem minùs: sicut & in virtutibus moralibus, quarum prudentia est directiva.*

1.2.quæst.21. art.2. Peccatum latiùs patet, quàm culpa.

Imputari, nihil est aliud, quàm laudari, aut culpari.

quæst.1. art. 1. & 2.

An peccata naturalia sint culpa?

Peccatorum Moralium & Artificialium differentia.

Artic. 1.

Peccatum artificiale duplex.

68

Peccat ut artifex, & ut homo cur?

Cap. 5. tit. fin. tom. 5.

ARTICVLVS III.

Iterum de vero sensu D. Thomæ.

69 ERVDITISSIMVS Dominus Stephanus Spinula Congregationis Somaschæ, cuius libri cum acceptione & utilitate leguntur: in Opusculo de liberâ & prudente electione in Moralibus, *disp. 1, sect. 5. pag. 49.* sic ait.

Opinio Spinulæ.

70 [Doctrina huius Articuli, (agit de quodlibeto illo 8. centies à Iansenistis obiecto, in quo de præbendis disserit S. Thomas.) Si ad literam sumatur, multiplici ex capite falsa est. *Primò*, quidem, quomodo verum esse potest, peccare eum, qui contra legem Dei licèt secundum conscientiam operetur, cum hoc sit contra omnes Doctores? &c. *Secundò*, quomodo potest esse verum, quod qui habet certitudinem de eo, quod eligit, quod licitum sit, & non habet conscientiam de contrario, sed tamen ex contrarietate opinionum inducitur in aliquam dubitationem (quæ profectò tantum levis potest esse, aliàs stare non posset cum certitudine) quomodo inquam verum esse potest, quod iste sic eligendo peccet?] Hæc ille.

Obiectiones contra S. Thomam.

An dubitatio gravis cum certitudine esse possit?

Et contrà Ego doctrinam huius Articuli, si ad literam & in rigore scholastico sumatur, veram esse pronuncio; & tunc tantum

An textus D. Thomæ ad literā sumptus sit verus?

tantummodo argui erroris & falsitatis posse; & quando voces præcipuæ propriâ significatione exspolientur, & induant significationes Iansenianas: at tunc Iansenij erit hæc, & non Angelici Doctoris authoritas. *Ad primum* dico Spinulam *Peccatum* & *Culpam* (quas esse voces diversas iam superiùs exposuimus) confundere: omnes enim Doctores negant culpandum illum esse, qui violat legem Dei, si dictamen suæ conscientiæ sequatur: at omnes dicunt facere eum peccatum: nimirùm, peccatum materiale, (aut ut ego loquor, hypotheticum) non formale, peccatum quidem, quia de facto violat legem Dei; materiale autem, quia purè materialiter eam violat: &, si materialia peccata non admittas, cum dices facere peccatum hypotheticum, quia violat assertum, quod esset lex, si fuisset sufficienter intimatum. Et in casu omnes dicunt, non committere formale; quia istud peccatum, & ista violatio, nec cognita, nec volita, illi non imputatur. *Ad secundum* dico fuisse valde festinum Spinulam, cùm legit contextum D. Thomæ: non condemnat enim S. Doctor illum, qui habet certitudinem de eo, quod eligit; sed illum, qui habet certitudinem de eo quod reprobat (*aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem,* videlicet de contrario ait S. Doctor.) Stat igitur ad mentem S. Thomæ non requiri, ut qui bene operatur, habeat certitudinem de eo quod facit, requiri nihilominùs, ut qui male operatur habeat certitudinem de contrario; & quin hanc habeat, eum peccare non posse. Stat etiam Angelici Doctoris contextum, si ad literam sumatur, verum esse. Illum breviter ad Paraphrasin sequentem reducamus.

An peccet qui ex ignorantiâ invincibili Dei legem temeret.

An omnia peccata imputentur?

71 RESpondeo dicendum, *quòd Peccatum latius pateat, quàm Culpa; omnis enim Culpa Peccatum, at non omne Peccatum est Culpa;* quoniam Culpæ *vocabulo illud tantùm peccatum intelligimus, quod imputatur: unde probabilissimè Theologi Peccatum in materiale & formale dividunt: nam materiale reperitur cum violatur ipsa legis materia, etsi ignoretur interdictio: Formale, cùm aliquis liberè elicit actum, quem scit esse contra legem. Ergo agendo de Peccato, à materiali & formali præciso; aio hominem in illud duobus modis incurrere: uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis occidit, fornicatur, furatur: alio modo faciendo contra conscientiam. Sanè operatur aliquis contra legem tantùm, ut cum rem alienam capit, quam putat sincerè esse suam: contra conscientiam tantùm, ut si conscientia dictet, quòd levare festucam de terrâ sit peccatum mortale, & tamen illam elevet; contra conscientiam & legem simul, si sciens & volens perpetret id, quod est contra legem. Sed quid est delinquere contra conscientiam? Ex conscientiâ quis incurrit in peccatum, quando habet certitudinem de contrario: sive etiam habeat opinionem cum aliquali (hoc est levi) dubitatione: sententia enim contra quam non sunt rationes fortes & graves (vocetur aut non vocetur opinio) est aut certitudo, aut certitudini æquipollens. Illud autem quod agitur contrà legem semper est malum; nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam (semper est malum, inquam, non formaliter, sed materialiter) similiter, quod est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem: malum inquam, non materialiter sed tantum formaliter. Quod autem nec est contra conscientiam, nec contra legem, non potest esse peccatum.* 72 *Dicendum igitur est, quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem; etsi utraque sit aut videatur probabilis; oportet alteram veram esse, alteram falsam. Et his præmissis, ille qui facit contra opiniones Magistrorum, utpotè habendo plures præbendas, aut facit contra veram opinionem; & sic, cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato (materiali, nimirùm) quamvis non faciat contra conscientiam: sic enim contra legem Dei facit, & quoddam peccatum materiale committit. Aut illa opinio non est vera, sed contraria, quam ipse sequitur, nempè, quòd liceat habere plures præbendas: & tunc distinguendum est; quia aut ille habet conscientiam & dictamen de opposito, & sic iterum peccat contra conscientiam, quamvis non contra legem, & hoc quod tunc committit est purè formale peccatum. Aut non habet conscientiam de contrario sed certitudinem, & tamen illa non obstante in aliquam dubitationem inducitur (dubitationem, inquam, natam ex rationibus levibus: si enim illæ essent graves, non possent cum certitudine componi: nam sententia, contra quam militant rationes graves, non est certa & secura, sed merè probabilis) si manendo in istâ certitudine, licèt ingruat aliqua dubitatio suborta ex contrarietate opinionum, plures præbendas habeat, se temerè committit periculo, ac ideò certissimè peccat, utpotè; qui maioris facit bonum temporale, quàm propriam salutem. Et tandem, si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur; (puta, si sciat, utramque esse securam, est enim secura in conscientiâ quæcumque opinio, si verè probabilis sit) si facit quod nec est contra legem, nec contra eius conscientiam, nulli se committit discrimini, nec peccat.* Hic est verus verborum Angelici Doctoris sensus: &, ut video expeditus & facilis, & communi Doctorum Resolutioni correspondens, nec est, cur Adversarij iterum hunc textum contra usum legitimum Probabilitatum adlegent.

An omne peccatum sit culpa?

Peccatum triplex est materiale formale & mixtum.

Peccare contra conscientiam quid?

Quid sit sententia certa?

Impossibile est duas contradictorias esse simul veras.

An, & qualiter dubitare queat, qui certitudinem & evidentiam habet?

N. B. Tametsi dari peccata materialia non admittam, debui illa dari in huius Articuli expositione supponere, quoniã verba Angelici Doctoris interpretor, qui materialia peccata passim admittit.

ARTICVLVS IV.

Non posse priùs Angelicum Doctorem contra usum Probabilitatum trahi, quàm obtorto collo Iansenij hæreses habere & docere cogatur.

VIDIMUS, quàm clarè fluat Quodlibeti contextus, si vox *peccatum* 73
in sensu congruo desumatur: & vidimus

nihil

nihil inde contra communem usum Probabilitatum resultare. At volunt aliqui me vim inferre textui, & doctrinam Articuli, si ad literam sumatur, contra Probabilitatum usum esse: & ego me paucis expedio. Sic inquam.

An peccatum & culpa convertantur?

Vel nomen *Peccati* latiùs patet, quàm culpa, vel cum culpâ convertitur. Si primum; loquemur cum Patribus, loquemur cum Præceptore Angelico, eiusque verba iuxta Thomisticam dialectum interpretabimur: nam temerarium est, quòd in S. Thomæ contextu coincidant *Peccatum* & *Culpa*, quandoquidem S. Doctor hanc ipsam coincidentiam negat, & illud latiùs extensiusque patere affirmat. Conantur nihilominùs aliqui volentem nolentem

74 D. Thomam contra communem opinionem armare; iubentque ut nomine *Peccati* Culpam (hoc est, *formale Peccatum*) intelligat. Et ego tunc, duo Corollaria deduco. Sit PRIMVM. *Ergo Angelicus Doctor Opinionum Probabilium benignitatem non admittit, sed peccati mortalis accusat eum, qui violat legem Dei, intuitu sententiæ probabilis.* Ecce iam triumphant Adversarij, sed illos adhuc moror, iubeoque, ut aliam consequentiam exspectent. Sit ergo SECVNDVM COROLLARIVM. *Ergo Angelicus Doctor sensit & propugnavit in illo Quodlibeto omnes hæreses, quas in Iansenio nuper Innocentius X. condemnavit.* Et hinc sub nascitur TERTIVM COROLLARIVM: videlicet. *Ergo Adversarij non possunt D. Thomam contra Probabilitatum usum allegare, quin illum priùs obtorto collo in absonos sensus inducant, & contra proprium Lexicon reclamantem & invitum exponant: & deinde illi omnem hæresim Iansenianam adfingant.* Has consequentias breviter demonstrabo.

Si Peccati nomine intelligatur culpa magna inconvenientia suboriuntur.

An Doctrina Iansenij sit Thomistica?

75 Illa verba. *Quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam*, (quia cætera, vel sunt illis æquipollentia, vel similia, vel ab ipsis dependent) intelligenda sunt de malitia & peccato formali? *Ergo ignorantia invincibilis non excusat:* patet, quia quando lex violatur per ignorantiam invincibilem illud quod agitur, est contra legem: & tamen quod agitur contra legem, semper est malum & peccatum formaliter. Ergò quod committitur ex ignorantiâ invincibili, est semper malum & peccatum formaliter. TVNC SIC. Ignorantia invincibilis non excusat? *Ergo homines non volentes, aut nolentes peccant:* patet; quia nihil volitum, quin præcognitum; at ille qui ignorat invincibiliter obligationem, non vult illam violare: ergo, si peccat, peccat non volens: &, si præcessit bona intentio, etiam nolens. TVNC ITERVM. Ignorantia Invincibilis non excusat? *Peccat igitur homo in his, quæ necessariò facit. Ergo homini impossibilia præcipiuntur: Ergo ad demerendum non requiritur in homine libertas à necessitate.* SECVNDA consequentia nascitur ex primâ, & ex secundâ tertia: singulas inferri bene ostendo. Illa enim homo invincibiliter ignorat, quæ non potest scire: ergo, si debet facere, quæ invincibiliter ignorat, iubetur scire, quæ non potest scire. Ergo, 76
si tenetur satisfacere obligationi, quam se habere nec scit, nec potest scire, tenebitur ad impossibile. *Ergo non datur Homini gratia, quâ id possibile fiat:* patet; si enim illa de facto daretur, illud non esset de facto impossibile. *Ergo Christus non est mortuus pro omnibus:* patet hæc consequentia; quia Christus suum sanctissimum profudit sanguinem, ut nos auxiliis & gratiis supernaturalibus elevaret, & redderet gloriæ æternæ consortes: at Homo, qui necessariò peccat, & necessariò condemnatur, non habet sufficientia ut salvetur: Ergo Christus non est mortuus pro illo.

Hæresis I. *An invincibilis ignorantia à culpâ excuset?*

Hæresis II. *An homines nolentes peccent?*

Hæresis III. *An iubeat Deus impossibilia?*

Hæresis IV. *An liberum hominis arbitrium sit libertas à coactione, an etiam à necessitate?*

Hæresis V. *An dentur auxilia sufficientia?*

Hæresis VI. *An Christus sit mortuus pro omnibus?*

Hæc omnia D. Thomæ imponuntur, 77 Resolutio.
hæc omnia sensisse & supposuisse cogitur: ut adversari communi sententiæ, quæ Probabilitatum usum commendat & laudat, asseratur. Sunt hæc omnia necessariò connexa. Ergo, qui hanc Assertionem; *Ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis*. Sancti Thomæ testimoniis adfirmant; Primò, videntur esse Ianseniani, & omnes Iansenij hæreses post condemnationem tueri, & subdole volunt illas sub larvâ in animos incautos instillare. Secundò imponunt D. Thomæ quòd habuerit omnes illas hæreses, quas in Iansenio condemnavit Ecclesia. Tertiò Angelici Doctoris literam intelligere nolunt: asserunt enim ad mentem D.Thomæ *Malum, Peccatum*, & *Culpam* converti, cùm tamen Angelicus Doctor clarissimis verbis affirmet, *Malum* latiùs patere, quàm *Peccatum*: & *Peccatum*, quàm *Culpam*.

An latiùs pateat malum quàm Peccatum, & peccatū quàm Culpa?

ARTICVLVS V.

Exponitur secunda Tabula.

HVCVSQVE Carentiam, Positionemque, universim sumptas considera- 78
vimus: & quia illas concernebant hæ voces, *Negatio, Privatio, Defectus, Excessus, Proprietas, Malum, Peccatum Culpa, Crimen, Prævaricatio*, &c. illas, quâ licuit, diligentiâ exposuimus. Modò autem secundis diligentiâ & studio iterum Carentiam, Positionemque, sed ad cognitionem contractas contemplabimur: & quia illas concernunt istæ voces, *Nescientia; Ignorantia Prudens; Invincibilis; & Vincibilis: Opinio Probabilis, & Improbabilis: Certitudo:* &c. easdem breviter dilucidabimus.

Præcedentiū & sequentium connexio.

AD LITER. A.

De Ignorantiâ invincibili.

SVbiectum omnis cognitionis incapax, 79
non est substantia intellectualis: nam hæc intelligere (adeoque & cognoscere) potest:

De subiecto intellectionis incapaci.

potest: sunt autem lapides, quibus, aut cognitio infundi nequit: aut, si infundatur, non præstabit, ut illi cognoscant objectum. At nos non de lapidibus, & inanimatis substantiis, sed de Humano Intellectu disputamus. Sed quomodo Intellectus Humanus vocari incapax poterit? RESPONDEO, PRIMO, verba Ludovici Cælij Rodigini *lect. antiquar. libr. 3 cap. 1. de Intellectu agente & possibili* [a] adducendo: scribit enim. [Quædam sunt, inquit Augustinus, supra intellectum humanum quædam iuxta quædam infra. Siquidem cognoscit Deum Anima supra se, Angelos iuxta se, at verò se in se, quidquid cœli continetur ambitu, infra se. Igitur ad ea percipienda, quæ sunt supra ipsam, indigere videtur omninò anima irradiatione ab ipsâ luce Veritatis Primæ, quæ dicitur *Mens*, vel *Intelligentia*, quam prodit Augustinus idem, nullâ interpositâ natura, formari ab ipsa Veritate. Proinde respectu Veritatis summæ, & eorum respectu intelligibilium, quæ humanum excedunt intellectum, est Intellectus agens Deus, & huiusmodi illuminatio est gratiæ infusio ad Divina contemplanda. Ad ea verò pernoscenda, quæ propè nos sunt, ut sunt Angelicæ Essentiæ, indiget item Anima revelatione Angelicâ, sive instructione. Quâ in re dicitur item Angelus intellectus agens. Ad eorum verò perceptionem, quæ intra animam sunt, ut est ipsa anima, & potentiæ ipsius, habitus scientiæ ac virtutes, non indiget Anima lumine extrinseco, sed innato, &c.] Et addo hæc Augustini & Rodigini verba probabiliter defendi posse. Cæterùm, quia omnia sunt difficilia & obscura, quæ de cognitione Humana & Angelica à Philosophis edisseruntur, Agentis & Patientis Intellectûs distinctionem & differentiam Aristoteli & Peripateticis relinquens, RESPONDEO SECUNDO, non repugnare Intellectui Humano rerum passivam cognitionem: at sæpe activam repugnare. Sed qualem Ego differentiam inter passivam & activam Cognitionem constituo? Qualem inter Auditionem & Visionem t[?] perio. Sicut enim, quæ in sæculis & provinciis distantibus facta, audio, non video: sic de supernaturalibus mysteriis, quæ terminos rationis superant, ea cognosco, quæ mihi Deus revelare dignatur: At quoniam Intellectus Humanus suo naturali lumini derelictus, nunquam eò ratiocinando perveniret, ut Deum esse trinum & unum persuaderet, aut Verbum æternum carnem sumpsisse demonstraret: ideò vel oculatissima Mens, ut naturali discursu obiecta supernaturalia adsequatur, cœca est. Interim intra sui obiecti sphæram non ita Mens Humana cæcutit. Multarum rerum naturalium cognitionem activè (proprio Marte, discurrendo, & considerando,) obtinet, & adsequitur: quantum ingenij vivacitas, & adhibitus labor permittunt. Consultò illud *multarum* posui: sunt enim aliquæ naturales Veritates, ad quarum cognitionem,

a] Quem passivum possibilem dicunt, putarem passibilem, ut agenti Intellectui opponatur appellari debere.

Obiecta cognoscibilia, aut sunt supra mentem humanam, aut iuxta illam, aut infra. Et singula diverso modo cognoscuntur.

An & quando Deus, quando Angeli vices gerant Intellectûs agentis?

An Intellectus Agentis & Patientis sit necessaria admittenda distinctio?

Quo homo modo ad cognitionem rerum supernaturalium perveniat?

An proprio ille Marte

quidquid faciat, Mens, Humana, ratiocinando non perveniet. Et hæ ipsæ Veritates dividi debent in duas classes; aliæ enim supponunt incapacitatem absolutam: aliæ ab impedimento involuntario provenientem, quam *Respectivam* appellamus. Ad prius genus pertinent Quæstiones hæ, *Parne, an impar stellarum sit numerus? An fixa coruscent luce propriâ? Quot homines in Mundo sint?* & ad posterius hæ, *An nunc Magnus Turca stet? An flammas nunc Vesuvius emittat?* puta, si homini Madriti in Hispaniâ existenti proponantur. Sanè illas tres priores Quæstiones, non sunt Systematis Supernaturalis, & tamen ita ab Humanæ cognitionis terminis semoventur, ut quantocumque ingenio polleas, nunquam ad veram, certamque illarum decisionem pervenies. Ergo, ut illas Humanum Ingenium ratiocinando decidat, absolutè & adæquatè incapax est. *Absolutè*, nam hæc incapacitas ab ipsâmet Humani Ingenij tenuitate, & non ab aliquâ extrinsecâ suppositione provenit. *Adæquatè*, nullam enim habeo præmissam, quâ possim uti, ut ad securam Quæstionis decisionem perveniam. Et adæquatam in suo Iuris utriusque Vocabulario Alexander Scotus expendit & dilucidat, dicens. [Ignorantia est, cùm de facto, vel de iure nihil scio, nec aliquid suspicor, secundum Azor. *in Sum. C. de iur. & fact. ignor.*] Et nota non omninò rem ignorare, qui se rem ignorare suspicatur, si eum perducere possit ad Veritatis notitiam hæc suspicio. Tamen duæ aliæ posteriores Quæstiones, non absolutam in me, sed respectivam incapacitatem supponunt. Si enim sim nunc Madriti, quomodo scire potero, an Turca sedeat? Et quomodo, an flammas eructet Vesuvius? & tamen illud cognoscerem, si Constantinopoli apud Turcam hærerem; & hoc, si residerem Neapoli: & neutrum scire possum, quia sum Madriti. Ergo hæc ignorantia & notitiæ incapacitas non ab intellectûs aut sensuum imperfectione, sed ab impedimento interposito (nimiâ locorum distantiâ) provenit. Hæc ergo incapacitas est respectiva.

Hæc notitiæ carentia cum incapacitate 80
coniuncta *Invincibilis Ignorantia* vocatur, & homini imputari non potest. *Non tibi deputatur ad culpam*, ait Augustinus, *quod invitus ignoras: sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Et ita illi hæc placuerunt verba, ut *lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19.* & *de nat. & grat. cap. 67.* & *1. Retract. cap. 9.* aut aliis etiam in locis reposuerit. Cæterùm, quia incapacitas, ut dicebamus, duplex est, Absoluta & Respectiva, sic etiam Ignorantia invincibilis erit duplex; Absoluta similiter, & Respectiva. Absoluta est purè naturalis, quia nihil habet liberum, sic nec habet, quod vituperio dignum sit. Sic nemo vitio vertet, me numerum Stellarum nescire: non enim Naturæ Humanæ media concessit Deus, ut earum numerum possit cognoscere: nec ipse mihi iussit, aut iubere potuit, ut supra mentis

possit adsequi omnes veritates naturales?

Harum sunt duæ classes.

An mysteria fidei humanitùs cognosci possint?

De cognitionis impossibilitate respectivâ.

De Ignorantiâ invincibili. Quid illa sit?

An sit digna vituperio vel laude?

mentis vires intelligam, aut operer supra voluntatis virtutem. Respectiva incapacitas, ab impedimento dependet: quod, si non sit liberum, Ignorantiam invincibilem reddet. Non fuit mihi liberum nasci Madriti: ergo, quamdiu mihi non sit liberum abesse Constantinopoli, aut Neapoli, mihi non erit liberum scire, an Turca sedeat? &, An igneos vortices Vesuvius evomat? Ergo, quamdiu impedimentum sit involuntarium, Ignorantia ab illo proveniens, invincibilis erit,

An, & quo illa interdum modo vincibilis in invincibilem transire queat?

81 Impedimentum voluntarium, quod Ignorantiam vincibilem reddit, transire in involuntarium potest, adeoque Ignorantiam vincibilem reddere in invincibilem. Nam etsi ego potuerim ire Neapolim aut Constantinopolim, & liberè Madriti manserim, hîc & nunc mihi nec est liberum esse Neapoli, nec esse Constantinopoli: ergo hîc & nunc, An Turca sedeat? &, An Vesuvius ardeat? invincibiliter ignoro: nec enim hîc & nunc, habeo media, modúmve, ut Madriti existens ad alterutrius certam cognitionem perveniam.

Non habet ignorantiam invincibilē, qui habet magistrum, quem interroget.

Hinc patet hominem inductum habere sæpe impedimentum (videlicet, doctrinæ carentiam) ut veritatem adsequatur. Interim, quia ad Veritatis cognitionem, ad quam non potest ratiocinando, potest interrogando pervenire, non dicitur Insuperabili præpediri ignorantiâ: qui enim non vult interrogare, non vult Veritatem rescire. Audi S. Augustinum *Epist.* 105. *ad Sixtum, post med.* dicentem: *Ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.* Ecce accuratè & clarè insuperabilem ignorantiam à superabili distinguit: & hanc esse peccatum dicit, illam verò non esse peccatum, sed pœnam peccati, esse pronuntiat. At hæc ipsa vincibilis & superabilis Ignorantia, in invincibilem & insuperabilem transire potest; immò, & solet: nam, si heri Petrus nesciebat, an ad restitutionem teneretur? & tamen interrogare doctos noluit, heri laborabat ignorantiâ voluntariâ & vincibili: interim hodie, si neminem habeat, quem consulat, hodie, etsi velit, non potest veritatem addiscere, ergo habet hodie ignorantiam invincibilem & involuntariam.

An, & quando sit ignominiosū interrogare?

82 Petis, *Quid dicendum de Petro sit, qui rem ignorabat, & tametsi haberet, quos consuleret, non tamen habebat, quos posset sine ignominiâ consulere?* Casum esse possibilem constat *ex Auth. de sanct. Episc. §. damus*, ubi dicitur, *quòd ignominiosum est Episcopo, si quærat ab aliis doceri, cum ipse alios docere debeat.* Videretur Petrus laborare ignorantia invincibili: quoniam rem ignorat, & non habet quos consulat: idem est enim nullos habere, ac nullos habere, quos consulere decenter possit. Sed respondeo, non debuisse Petrum dignitatem aut officium admittere, cuius obligationes nec scit, nec addiscere potest: ergo ignorantiâ voluntariâ laborat, quá careret in praxi, si officium illud minimè suscepisset. Et nota obiter, verba illa *ex auth.* sumpta, non esse universaliter vera: nam Episcopus habet in suo Consistorio Senatores & Assessores, quorum prudentiâ & consilio dirigatur; nec est ipsi ignominiosum, sed gloriosum veriùs, viros doctos & probos consuluisse, antequam graviores controversias decidat. Cæterùm in rebus manifestis & claris, & quæ passim sciuntur, fatebor ignominiosum fore Episcopo interrogare; puta, si ab aliquo doceri velit, an in Consecrationis formâ dicendum esset *Corpus meus* & non *Corpus meum?* Nam hæc, & aliæ similes ignorantiæ, essent in Episcopo nimiæ: &, qui illis præpediretur, deberet non acceptare dignitatem. Quid si iam acceptaverit, & consecratus sit? In dubiis debet interrogare: tum, quia nemo est clam imperitus, & ignorantis Episcopi est nota omnibus insufficientia: tum etiam, quia præstat eum interrogando pudore suffundi, quàm errare.

An qui sine ignominiâ interrogare nequit, censendus sit carere magistro?

An ignorantiâ invincibili laboret, qui operatur deceptus?

Et quid, si interroges, & decipiaris? Ignorantia erit involuntaria; nec enim vis ab alio decipi, nec illum tibi mentiri suspicaris. Hanc S. Bernardus viam confidenter inivit, cum enim Wilhelmum, qui erat Abbatis N. Monachus, in suum Cœnobium suscepisset, ut rem scivit, ad suum Prælatum remisit, & in literis ait, *simul coram Deo, & vestrâ sanctitate, teste etiam ipso venerabili fratre Vuilhelmo, nos excusamus, quod ignorantes vestrum esse professum recepimus. Si culpa est, quòd ita à nobis receptus est, ipsius, non nostra est.*

Ad Liter. B.

De sobriâ & prudente Ignorantiâ.

NOn plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, admonemur à Paulo: multa enim vtiliter ignorantur. Libros aliquos prudentissimè interdicit Respublica, quia suggerunt perniciosas notitias, quibus haustis homines propellantur in vitia. In infantis manum nemo prudens pugionem ponet: nam ille dum vsum nescit, se fortè, aut alium pugione abutens vulnerabit. Atheologi, in controversiarum materiâ infantibus similes sunt: & libri Hæreticorum sunt arma, quæ cum periculo vibret, qui vsum nesciat. Ergo ignorare præstat, quæ non sine labore & periculo rescire possumus. Libri lascivi, sicut sine Authoris vtilitate scribi, sic sine aliorum profectu legi solent. Sine damno ignorantur ingeniosæ nequitiæ; & materia lubrica, quò magis ornetur conceptibus, & verborum phaleris condecoretur, Lectores efficaciùs adliciet. Sicut Concupiscentia, sic & Iracundia ignorantiâ frænatur: nam, qui injuriam recepit, quamdiu id ignorat, tranquillus est; & tamen fureret, si sibi illatam ignominiam resciret.

Cur libri interdicantur?

Sæpe utiliùs res ignoramus, quàm scimus.

An

An in lege Naturæ Ignorantia invincibilis possibilis sit?

83. *De naturali, Philosophicâ & Theologicâ, lege.*

SI agamus de Lege Naturæ Philosophicâ, auderem dicere hominem mediocri ingenio præditum illius generales notiones longo tempore ignorare non posse. Et quidem ipsæ non supponunt necessariò notitiam Dei, qui invincibiliter ignoraret Deum esse, adhuc cognosceret, ingratitudinem esse malam, mendaciúmque contra societatem humanam militare. Si autem agamus de Theologicâ lege, maior est difficultas; quoniam ingredimur Quæstionem facti. Nam, si liberè tulit Deus Decalogum; aut saltem illum necessariò latum liberè hominibus notificavit, unde scire homo poterit, an illum tulerit, notificáritve, nisi hoc ipsum Legislator revelet?

Si Deus suæ omnipotentiæ digito cordibus nostris legem suam inscribit, de his divinitùs revelatis Principiis nulla potest ignorantia reperiri invincibilis. Gerson. *lib. de vita spirit. lect. 4. coroll.* 1. asserit, *Concordem esse sententiam nullam in his, quæ legis Divinæ sunt cadere ignorantiam invincibilem.* Legis Divinæ sunt, quæ scire debemus, At legem scire non debemus, nisi fuerit sufficienter intimata, nam aliàs non est lex. Legem autem omnibus hominibus divinitus revelari monet dicens: *non cadere ignorantiã invincibilẽ, quoniam facienti quod in se est, Deus semper adsistit, paratus illustrare mentem, quantum oportebit ad salutem, & erroris evitationem.* Consonat sibi *part. 2. lib. de reg. Moral.* inquit enim: *Non quilibet tenetur scire de quolibet peccato mortali, An sit tale? licet expediat,* &c. Et mox. *Nemo vtens ratione dici ab ignorantia Principiorum Moralium excusatur: fortè enim morulam ad considerandum opponere fas habet.* Nota illud *Principiorum.* Ergo à fortiori Conclusionum dabitur ignorantia invincibilis.

An in Iure naturali Theologico detur ignorantia invincibilis?

Eiusdem Iuris naturalis distinctio.

Hanc generalium Principiorum & Conclusionum distinctionem admisere Veteres, & Iuniores admittunt. Albertus Magnus *in 3. dist. 22. art. 16. sub med.* ait. [Iuris ignorantia est duplex: Quia quoddam est universale, quod omnibus proponitur ad sciendum; & quoddam est particulare, quod non scitur, nisi per studium. Et puto, quòd prima est crassa & supina non excusans: secunda autem excusat, vel à tanto, vel à toto, si est casus multum difficilis.] Ecce duas Quæstiones proponit & decidit Albertus: alteram Philosophicã, alteram verò Theologicam. Prima examinat, *An ignorantia Iuris Divini aut Humani possibilis sit?* secunda autem, *An excuset à peccato, si detur?* Considerat Iuris Naturalis generalia Principia: humanæ mentis veracitatem, & illuminationes Divinas, & existimat non reperiri illorum ignorantiam invincibilem, adeoque omnem ignorantiam circa illa (generalia Principia) esse crassam, supinam & non excusare à peccato. Sed quid si per impossibile invincibilis ignorantia daretur? à peccato excusaret. Transit ad particulares Conclusiones, quæ labore & studio inferuntur: & circa illas ignorantiam insuperabilem posse reperiri concedit. Quid, si esset crassa? non excusaret à peccato. Ergo, concors sententia est, Ignorantiam invincibilem, si detur, & ubicumque detur, excusare à peccato. An verò hic detur, aut possibilis sit? est Quæstio Scholastica & speculativa, quæ mores non tangit.

An ignorãtia invincibilis semper excuset?

Alensis *part. 2. quæst. 112. membr. 7.* & *quæst. 153. membr. 7. ad 2.* paulò aliter rem distinguit. [Est iterum (ait) Ignorantia Iuris Divini & Canonici: & hæc excusat simplices quoad quædam, quæ non sunt necessaria ad salutem essentialiter. E contrario verò est ignorantia, quæ non excusat quoad Deum: utpote ignorantia supina, sive affectata: scilicet, ignorantia eorum ad quæ tenetur homo: & est ignorantia negligentiæ.] Ecce non quæcumque notitiæ carentia est peccaminosa: primò enim involuntaria, excusatur: quia est similis negationi, quæ est in intellectu, in quo sub illis circumstantiis esse non potest. Sed neque nobis ignorantia voluntaria, quæ similis privationi est, & in subjecto capaci reperitur, incriminari debet: sunt enim plurima quæ scire non teneor. Ergo, ut ignorantia sit culpabilis debet esse notitiæ defectus, carentia scientiæ, quam habere, quis debet. Cognitio Canonici Iuris (nam de illo agit Alensis) paucis præcepta est: quam ob rem Christiani, qui non sunt Iudices, nec Advocati in Consistoriis Ecclesiasticis, si sciant quinque Ecclesiæ Præcepta, non est cur ad omnium Canonum cognitionem anhelent: nam pleroque omnes poterunt sine culpâ ignorare. Carnotenses enim Religiosi in quæstione suppari à sancto Bernardo hoc responso dimissi sunt. *Prætermitto & aliqua, quæ de Canonibus requiritis: cùm, quoniam talia nostra non refert, qui Monachi sumus: tum, quia in libris ipsi facilè, reperire potestis, si quærere non gravemini.* Ita sanctus Doctor *tract. de precept. & disp. c. 19.* [& habetur *tom. 4. pag. 83. b. n. 56.*

Ignorantia est triplex: alia enim dicit notitiæ negationem, alia privationem, alia defectum.

An Ius Canonicũ scire teneantur Religiosi?

Idem Alensis *ibid. ad* 2. sibi objicit Augustinum *in quæstionib. vet. & nov. Testam.* dicentem, *Ille ignorans poterit excusari à pœna, qui quod disceret, non invênit.* Et respondet, [Dicendum quod illa authoritas Augustini intelligenda est de illis, qui habent ignorantiam illorum, quæ necesse est cognosci per disciplinam: & tales excusantur, non solum à pœnâ, sed etiam à culpâ.] Et tu ex Augustini verbis hoc argumentum forma. Ille excusari à culpa & pœnâ debet, qui nec rem sciebat, nec habebat, à quo veritatem addisceret. Non ergo à culpâ & pœnâ eximi debet, qui tametsi rem nesciat, habet à quo possit Veritatem addiscere.

Quando ignorantia excusat?

Addi Gratianus poterit, qui 1. *quæst. 4. c. Turbatur.* ait [Ignorantia Iuris naturalis in omnibus adultis damnabilis est.] Et Glossa Marginalis. [Ignorantia Iuris Civilis

vilis, seu Canonici neminem excusat.] Rationem exhibet Glossa *ibid.* dicens. [Et hoc intellige, cùm Ius tale est, quod aliquis de facto per se ipsum scire potuit vel per alios.] Ecce Ius Naturale cum Civili, aut Canonico componit, tametsi illud universos concernat, & hæc liberè ignorare nescimus. Dominicus Sot. *in 4. dist.* 18. *quæst.*1.*art.*1.*ad* 5. [Glossatores (ait) quoties in Ius Divinum se se immergunt, quia illud non callent, non possunt non multis erroribus intincti inde emergere.] At ego hîc Glossatorem video bene de Iure Naturali discurrere: male de Civili, & Canonico. Profectò hæc propositio est vera, *Ignorantia Iuris Naturalis in omnibus adultis damnabilis est: videlicet, cùm Ius tale est, quod aliquis de facto per se ipsum, aut per alios rescire potuit.* Vnde Sanctus Thomas *lib.*3.*Ethic cap.*5.*lect.*11. *in fin.* ait: *Difficilia Iuris non tenentur omnes scire; quia nec possent.* Hæc autem propositio est falsa, *Ignorantia Iuris Civilis aut Canonici neminem excusat: si Ius tale est, quod aliquis de facto per se ipsum, aut per alios scire illud possit.* nam Glossator unde peccatum proveniret, non cognovit: quoniam Religiosi, v. gr. Iuri Canonico studere non tenentur, & Civili studere non possunt: Ergo etiam clarissima utriusque Iuris Theoremata ignorare sine crimine possunt.

Quanti facienda sit Iuris Civilis, aut etiã Canonici Glossa, cùm quæstiones Iuris Divini, aut Naturalis enucleare præsumit

An Iuri studere possint Monachi?

Varias diversorum sententias Scriptorum legisti, & meam interrogas. Et respondeo, *Ius Divinum seu Naturale ab aliquibus & aliquamdiu invincibiliter posse nesciri.* & addo, *Ignorantiam invincibilem, ubicumque illa detur, excusare à peccato.* nam, ut puto, rem totam complexus dilucidavit Aristoteles, qui *loco cit.* sic inquit: *Eos quoque puniunt, qui aliquid eorum ignorant, quæ ad leges pertinent: quæ quidem sciri debeant, & difficilia non sint.* Ecce Aristoteles non condemnat Ignorantiam voluntariam, & superabilem quæ privatio scientiæ sit: sed incriminatur cognitionis defectum: videlicet illarum rerum ignoratiam, quas possumus scire & debemus.

Aristoteles lib. 3. Ethic cap. 5. ante med.

An Ignorantias invincibiles & Opiniones sub illud tempus probabiles Augustinus habuerit probabiles circa Ius Naturale & Divinum?

86 QVi dicunt insuperabilem ignorantiam in Iure Naturæ non excusare à peccato, ad duas classes debent necessariò reduci: quoniam vel dicunt illam in Iure naturali non dari: vel dari quidem, sed non excusare à peccato. Illud prius est error Philosophicus: hoc posterius est error Theologicus, assertus ab Hæreticis & ab Ecclesiâ damnatus. Gerson. *lib. de vit.spiritual. lect.* 2. *post med.* [Sequitur statim ex his, quod apud facientem illud, quod in se est, nulla est ignorãtia invincibilis neque Iuris, neque Facti in lege Divinâ, vel (si sit) agens ex tali ignorantiâ nunquam peccat. Primam partem (nempe, non dari talem ignorantiam) tenuerunt Doctores excellentes, ut Guillelmus Parisiensis, &c. contra quos sunt validæ rationes, &c. Pro parte alterâ sunt alij, ut Guillelmus Antisiodorensis, qui talem ignorantiam præsertim facti, ac Iuris humani dicunt posse contingere: (si contingat, excusare à peccato, &c.]

Præmittitur generalis doctrina.

Portò Theologicam Naturæ legem ignorari invincibiliter posse, nisi reveletur divinitus, mihi indubitatum est. Et positâ Decalogi revelatione & intimatione, adhuc manent consequentiæ nonnullæ, quas inferri aut non inferri nescias, nisi alterâ revelatione illumineris. Ponam Augustinum ob oculos: nam, si ille, cùm tantus Doctor fuerit, multa in lege Naturali & Divinâ invincibiliter ignoraverit, alios homines passim similibus laborare ignorantiis prudenter negari non poterit.

De lege Divinâ. An naturaliter ignorari possit?

*Libri ipse primi de sermone Domini in monte, cap.*16. *post med.* rogatur, An vxor à marito suo dimissa, committat peccatum mechiæ, si alteri nubat, priore adhuc marito vivente? quod est, quærere, An dimissio, aut libellus repudij dissolvat præcedens matrimonium? Hæc est quæstio, quæ ad legem Naturalem spectat: & ex hoc præcepto.

An committat adulterium uxor à marito dimissa?

Non mœchaberis, nisi aliquid aliud addideris, dissolvi non potest. Sed quod resolvit Augustinus? *Si dimittatur à viro*, ait, *cum quo esse cupiebat, mœchatur quidem, qui eam duxerit secundum Domini sententiam: sed utrùm & ipsa tali crimine teneatur, incertum est.* Et tamen hæc duo meo judicio opponuntur: quoniam, si per impossibile alterum esset incertum, utrumque esset incertum: & quia alterum certum est: utrumque certum est. Et posteà proponit Quæstionem, *An ex mariti conscientia & consensu possit vxor alteri commisceri?* & subjungit, *quamquam nonnullæ causæ possint existere, ubi & vxor mariti consensu pro ipso marito hoc facere debeat, sicut Antiochiæ factum esse perhibetur.* Puta, si maritus captivus sit, aut de capite periclitetur, & possit à captivitate aut morte eripi, si vxor illius, qui eum detinet, concupiscentiæ condescendat. Et relato casu Antiocheno, reverà miserabili, concludit, *Nil hîc in alteram partem disputo* (decido:) *liceat cuique æstimare, quod velit.* Ergo duo asserit: alterum, se nescire quid debeat fieri: alterum, liberum esse, ut quis adhæreat opinioni, cui velit. Ergo ad securitatem conscientiæ, non requiritur scientia, aut cognitio; sed sufficit mera ignorantia: ut enim faciam licitè actionem A, exempli gratiâ; non est necessarium, ut non esse interdictam certò aut probabiliter cognoscam, sed requiritur, & sufficit, ut non sciam, seu non cognoscam evidenter, illam esse interdictam. Ergo Augustinus huius Dialexeos doctrinam magno testimonio confirmat.

87 *An uxor, ut maritum à morte, aut captivitate eripiat, possit adulterium committere?*

Quid requiratur, ut quis eligat Opinionem, quam velit?

Has ipsas Ignorantias sæpe fatetur Sanctus Doctor; & audiri poterit *Epist.* 65.
88 in quâ alloquitur Paulinum dicens: *Sæpe nos quippè conturbat, & difficile est, non aliquid, quod magis faciendum erat, omittere: dum illud mutare volumus, in quo prius permanere statueramus.* Ecce magno consilio & maturâ deliberatione Augustinus operandi normam elegerat, quam posteà re meliùs inspectâ mutavit. Ergo, cùm contraria esse vera non possint, aut invincibili ignorantiâ laborabat priùs; aut posteà, cùm opinionem mutavit. Homo enim, sicut in electione primâ errare potest; sic etiam, quando consilium mutat potest allucinari. Et huc pertinet illa Sancti Doctoris vox. *Hìc non falli difficile est.* Ergo audiendi non sunt siqui dixerint, *In Naturali lege invincibiliter falli impossibile est.* Debemus igitur dubitare, nam hoc humanæ tenuitatis est: at tunc juvat alios consulere; unde Augustinus, *Hinc oro participem me facias cogitationum tuarum; quid in talibus, vel facere soleas, vel faciendum esse reperias.*

In materiis gravissimis sæpe mutavit Augustinus sententiam.

N. B. Et hic profectò liber totus Retractationum addi posset; totus enim ostendit Augustinum, etsi Virum doctissimũ, interdũ Veritatem nescire.

Ad Lit. C, & D.

De Nescientiâ & Ignorantiâ vincibili.

89 ALiud est, vt iam iterum diximus, *rem ignorare*, & aliud *nescire*: nam ignorare dicimur, quæ debebamus scire, nescire verò, quæ scire nullo iure tenemur: vnde Scolastici tametsi Christo non sint ausi accensere ignorantiam, multarum rerum nescientiam sine scrupulo adtribuunt: non enim in nescientiâ vitium quale in ignorantiâ reperiunt, quoniam nescientia latius patet. Hanc vocum differentiam etiam cognoscunt & dilucidant Iurisperiti. Alexander Scot. *in vocabulario utriusque Iuris. verb. ignorare, pag.* 310. *a.* sic inquit. [*Ignorare*, propriè est nescire, quod aliquis debet scire. *Nescire* autem est communius, quam ignorare. Vnde, propriè omnis, qui ignorat, nescit: sed non è contrà, *vt not. ff. de jur. & fact. ign. super rubr.*

Quo Nescientia modo ab Ignorantiâ distinguatur?

Quæ sit apud Iurisconsultos harũ vocum acceptio?

Vt has voces accuratiùs dilucidet, pergit, & ait. [In hac materiâ quatuor (vocabula) sunt, quæ videntur idem, sunt tamen diversa: scilicet *Ignorantia*, *Nescientia*, *Error*, *& Titubatio.* Primum sumitur in malâ parte, quia scilicet debet scire, & ignorat; unde dicitur, *Qui ignorat, ignorabitur, de Renunc. cap. nisi cum pridem. Nescire* autem in bona & malâ parte; nam omnis ignorans nescit; sed non convertitur, vt dictum est. *Error* autem est, cum aliud est, quàm credam. Quod autem aliud sit errare, quàm ignorare, patet: dicit, lex, *si potest possessio adquiri ignoranti, ergo & erranti, ff. de adquir. possess. leg. si me in vacuam*, §. 1. *Titubatio* verò est cùm hinc in se diversa vel contraria scire videor, nec alicui eorum magis animũ applico, *c. de cond. indeb. l. fin*]

Quid importent Ignorantia, Nescientia, Error, Et Titubatio.

Cùm adest veritatis cognoscendæ obligatio, supponitur in subjecto capacitas; 90
non enim, ut scias rem præcipit Deus, quã scire nón potes. Tunc, si rem nescias, hæc tua ignorantia, quia voluntaria, vincibilis & culpabilis est: Audi Bernardum, qui *tract. de gradibus Humil. cap.* 6. [*pag.* 88. *tom.* 4.] sic inquit: *Frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter ignorant vel infirmantur. Putas primo homini profuit, licèt ipse non libenter peccavit, quod se per vxorem, tanquam per carnis infirmitatem defendit? Aut primi Martyris lapidatores, quoniam aures suas continuerunt, per ignorantiam excusabiles erunt?*

De Ignorãtia, quæ est, notitia defectum.

Genes. 4.

Act. 7. 8.

An & cur Ignorantia etiam Invincibilis aliquando nominetur Peccatum?

91 MVltum interest ad Quæstionum intelligentiam, vera terminorum acceptio: nam, si Authores vno sensu loquuntur, & alio illos ego accipio, nunquam illos intelligam. Proderit, ne fortè legendo Veteres allucinemur, audire Sanctum Agustinum, qui *Enchirid. cap.* 20. *&* 21. & *Epist.* 105. *ad Sixtum aliquantò post medium*, ait. [Per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis: sive, qui novit, sive qui ignorat; sive, qui judicat, sive qui non judicat. Quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.] Vbi, ut vides, inexcusabilis est omnis ignorans: nam qui sponte ignorat, non excusatur à culpâ: & qui ignorat invitus, non excusatur à pœnâ: [nempe ab ipsâ ignorantia, quæ est pœna peccati: quoniam de pœnâ, quæ actui interdicto à præcepto præscribitur, hic sanctissimus Doctor non agit.] Et probatur Assertio; nam ob actualia peccata in aliquibus, & ob originale in omnibus multas Deus ignorantias permittit. Licèt peccatum verè & propriè non sit, quia est ctus peccati est, *peccatum* aliquando vocatur: quod dilucidè exponit S. Augustinus, qui *lib.* 3. *de liber. arbitr. cap.* 1. sic inquit. [Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideò dicuntur *peccata*, quia de peccato illo liberæ voluntatis primi hominis originem ducunt, &c. Nam sicut *linguam* dicimus, non solùm membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est, formam, tenorémque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: sic non solùm *peccatum* illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, &c. Sed etiam, quod iam de hujus supplicio consequatur, necesse est. Consonant Augustino universi Catholici; nec enim oppositum Catholicè diceretur. Audi P. Francisc. Amicum *tom.* 3. *disp.* 25. *sect.* 5.

Quàm necessaria sit vera terminorum acceptio.

Ignorantia in alio est peccatum, in alijsque pœna peccati.

Voces Lingua, & Peccatum dilucidantur.

sect. 5. *pag.* 284. *b. num.* 122. dicentem, [Ignorantiæ vulnus ita accipit recta fides, ut nullâ ratione imputetur ad culpam, ignorantia, quæ antecedit nostram voluntatem, & per ipsam tolli non potest, seu in potestate nostrâ non est illam excutere: siquidem ignorantia hæc, quæ antecedit omnem actum volendi, etiam indirectum, invincibilis dicitur seu inseparabilis à voluntate humanâ, non modò tollit indifferentiam libertatis ad agendum, sed rationem etiam voluntarij: quia quod ex ignorantiâ antecedente fit, non est volitum: neque in se, cùm non sit cognitum; neque in causâ, quæ est ipsa ignorantia; quam minimè volumus, cùm minimè illam cognoscimus.]

Ignorantia, quæ peccati originalis pœna est, quamdiu involuntaria, non imputatur.

Sicut ignorantia, sic etiam Concupiscentia *peccatum* ab antiquis dicitur, Causæ nomine ad effectum translato, quod definivit & dilucidavit synodus Tridentina *Sess.* V. *sub fin.* his verbis. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

An, & cur concupiscentia nominetur peccatum?

Ad Liter. E.

De Requisitâ Notitiâ.

92 SCientia, ut cum Innocentio & Abbate *in cap. cùm in cunctis, num. . de elect.* Statuunt communiter Iurisperiti, triplex est: videlicet, Eminens, Mediocris, sufficiens. Illa dicitur *Eminens*, per quam quis scit difficillimas Quæstiones in promptu (Hisp. *de repente*) sine librorum evolutione explicare & decidere. Appellatur *Mediocris*, quæ obscuras & difficiles ad libros recurrendo resolvit. Et est illa *sufficiens*, quæ est legitima secundum officij & ministerij qualitatem. Vide Alexandrum Scotum *in Vocabul. Iuridico, verb. Scientia.* Petrus Lorca sufficientem habere scientiam putat, qui habet apud se Virum doctum, cuius regatur & procedat iudicio. Et ego, ut sincerè loquar, non omninò ignorantem eum reputo, qui se ignorantem esse scit, & ideò Vicarium aut Consiliarium adsciscit, qui se illuminet: nam experientia docet, homines ignorantes, suam etiam ignorantiam nescire, & nolle aliorum iudicio gubernari. Pace ergo Lorcæ dixero, hominem ignorantem sub spe, quòd posset alius prudentiâ & scientiâ uti, non posse admoveri regimini: nam dignitates personalem sufficientiam requirunt, & aliena ac extrinseca est semper fallax & periculosa.

De scientia in sufficientem Mediocrem & Eminentem divisione.

Qualis in Episcopo aut senatore requiratur?

Mysteriis erat plena Iudicis Areopagitæ statua, quam noster Illustrissimus Angelus Manrique variis conceptibus dilucidavit. Senem cœcum, habentem apud se plurimos libros exprimebat. Et admirabundus inquiris. Si cœcus, cur tot libros habet? Et, si necessarij libri sunt, erunt & necessarij oculi, ut illi legantur. Sed respondet Manrique, opus esse huic Senatori libris, non oculis: quia debet scientiam eminentem habere, quæ requirit multos libros, quos legerit, ut sine novâ librorum revisione aut lectione possit causas difficiles & arduas decidere. Ecce in suis antiqui Græci Senatoribus eminentem Scientiam requirebant: utinam nostri sint mediocri præditi; & non socij mente discurrant, & dicantur scientiam sufficientem habere.

Statua Iudicem repræsentans, in Areopago ercta breviter dilucidatur.

Iterum Ad Literam E.

De Certitudine.

SI ponatur Cognitio in subiecto adæquatè capaci; & hæc ipsa sit necessaria; erit certa & indubitata: quod sic ostendo. 93

Res, quæ adquatè cognoscitur, cognoscitur clare, & ut est in se.

Quæ requiruntur, ut cognitio sit certa?

Sed certitudo est clara quædam cognitio rei ut est in se.

Ergo res, quæ adequatè cognscitur, certò cognoscitur.

Et casum aliquem in particulari proponendo, hæc lex, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. debet cognosci: ideò enim leges feruntur, & publicantur, ut ab universis cognoscantur. Et hæc ipsa, quia Philosophica, & Theologica est, quà Philosophica ab ipsomet lumine rationis in humanis cordibus coruscante intimatur, nec indiget extrinsecâ publicatione: cæterùm quà Theologica, nam ad quæstionem facti pertinet, fuit semper Dei iussu per legitimos Ministros publicata, & prodigiis firmata.

Hæc inquam lex debet cognosci. At ponimus in intellectu capacitatem adæquatam ut eam ipse cognoscat. Ergo ipsa necessariò & clarè cognoscetur. Ergo certò & infallibiliter cognoscetur. Vel attende. Omnis lex est obligatoria; tam enim possibile est, ut detur lex, quæ non sit obligatoria, quàm quòd detur lex, quæ non sit lex. Obligatio sequitur certitudinem; ut enim lex certò obliget, debet certò existere: nec enim unquam lex dubia obligationem certam infert. Et convertendo oculos ad Tabulam, sub Literam E. sic lego.

An, & qualiter certa sit hæc propositio, Diligendus est Deus.

Positio cognitionis: cum capacitate adæquatâ (ex parte intellectûs se tenente) nempe, *Positio Cognitionis, quæ debet esse.* Et hæc est *Certitudo.*

Porrò, si hæc cognitio non sit certa, objectum suum clarè & adæquatè non pertinget: ergo defectus consistet vel in ipso intellectu, vel in obiecto, vel in aliquâ circumstantiâ aut impedimento adhærente. Non primum: quia intellectus ponitur adæquatâ capacitate præditus. Non secundum

N. B. Oportet semper præceptum Philosophicum à Theologico distinguere, hoc

enim à lege Divinâ non dependet.

dum: quia hæc veritas, *Deus est amandus*, Ne quidem partialiter superat vires intellectus humani: nam lumine naturali innotescit. Non tertium; quia nulla accessit circumstantia, quæ aut Deum non esse amandum suadeat, aut obligationem Deum amandi obtegat vel obnubilet. Ergo hæc Positio, *Deus est amandus*, est certa. Ab omni ergo præcepto Divino præscindendo naturaliter innotescit Philosophica Deum amandi obligatio. Ergo de similibus aliis pariformiter philosophaberis.

An Dubio, & Probabilitate, & omni humano discursu prior sit Certitudo?

94 *An scientiæ & artes ex dubitatione nascantur?*

VIdentur priùs homines dubitare, & per dubitationem ad examen adduci, & per examen scientiam adsequi. Eccles. 34. *Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Consonat Aristoteles *libr. 1. Metaph. Maj. Cap. 1.* dicens. *Ars tum existit & comparatur, cùm ex multis experientiæ notionibus una, quæ ad omne genus accommodetur, rebus similibus nascitur perceptio.* Et clariùs *lib. 2. de demonstr. cap. 18.* his verbis. *Ex ipsâ experientia proficiscuntur omnis Artis & Scientiæ Principia: Artis quidem, si ad eas res pertineant, quæ oriuntur & occidunt: Scientiæ autem, si ad ea, quæ eadem semper sine ullâ mutatione permanent.* Ergo ignorantia præcedit, sequitur dubitatio, consulitur posteà experientia, & ab hac Scientiæ & Artes nascuntur.

Quomodo Scientia & Ars inter se distinguantur?

Scientiam ignorantia præcedit.

Respondeo tamen primò, *Res particulares, quæ hodie sciuntur, priùs fuerunt ignoratæ, quàm scitæ.* Scimus enim hodie, quo modo fiunt luminarium eclipses: quod nescivêrunt prisci. Qui videntes illa deliquium pati, primò admirati sunt: posteà desiderarunt causam scire: posteà ab experientiâ ducti tempora & loca connotarunt, & hinc tandem ad veram causæ notitiam pervenerunt.

De Eclipsiū causâ quomodo innotuerit?

Respondeo secundò, *Si nihil esset certum, nihil esset verum, nihil falsum, nihil dubium, & nihil probabile.* Si dubitas, contra argumenteris. Sed quia Andabatarum more exorbitabis, sequentes assertiones propono.

Proponuntur, exponunturque quinque Propositionum gradus.

I. *Propositio vera est, quæ enunciat rem ut est in se.*

II. *Propositio falsa, quæ enunciat rem aliter quàm est in se.*

III. *Propositio incerta illa est, quam nescimus, an rem enunciet, ut est in se; an verò aliter, quàm est in se.*

IV. *Propositio dubia* (sumptâ voce in significatione scholasticâ) *est incerta, quæ ratione nullâ vel solâ levi probatur: & tamen nec certò vera, nec certò falsæ opponitur.*

V. *Propositio probabilis est, incerta, quæ gravi ratione fulcitur, & tamen nec certò vera, quæ nec certò falsa contradicit.*

Si prima ex his Positio non esset certa, non essent in mundo Propositiones veræ. Si non esset certa secunda, nullæ essent propositiones falsæ. Et, si non esset certa tertia, nullæ essent Positiones incertæ. Et, si non esset indubitata quarta, non reperirentur Enunciationes dubiæ. Et tandem, si quinta non esset omni probabiliori certior, non essent Opiniones probabiles.

AD LITER. F.

De Eruditione.

SVnt multæ in scholâ scientiæ, quas sæpe sine aliquâ gravi utilitate scias, & sine conscientiæ damno vel periculo nescias. Qui has didicerit, *eruditus* vocatur; stando enim communi vocis acceptioni, nil aliud hoc nomine significatur. S. Bernardus *serm 9. in Cantic. num. 7.* sic inquit. [Vnde & ubera tibi intumuerunt facta in ubertate lactis meliora vino Scientiæ sæcularis, quæ quidem inebriat, sed curiositate, non charitate: implens, non nutriens; inflans, non ædificans, ingurgitans, non confortans.] Et *serm. 23. num. 16.* [sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: sic sapientia, multos quos docet quid sit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud est multas divitias scire, aliud & possidere: nec notitia divitem facit sed possessio. Sic prorsus aliud est nosse Deum, & aliud timere; nec cognitio sapientem, sed timor facit, qui & afficit, &c. Times Dei Iustitiam, times Potentiam; & sapit tibi iustus & potens Deus, quia timor sapor est. Porrò sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut divitiæ divitem. Quid ergo prior locus? Tantum præparat ad Sapientiam. Illic præpararis, ut hic initieris. Præparatio, rerum cognitio est. Verum hanc facillimè sequitur elationis tumor, si non reprimat timor, ut meritò dicatur, *Initium sapientiæ Timor Domini*, qui se pesti insipientiæ primus opposuit.] Et iterum *serm. 36. num. 2.* [habetur *tom. 3. pag. 62. a.*] idem Mellifluus Doctor. [Videar forsitan nimius in suggillatione scientiæ & quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia literarum. Absit non ignoro quantum Ecclesiæ profuerint, & prosint literati sui, sive ad refellendos qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos. Denique legi. d *Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, ut non fungaris mihi sacerdotio.* Legi e *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad Iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Sed & scio ubi Legerim, *Scientia inflat.* & rursum, *qui apponit scientiam apponit & dolorem.* g. Vides quia differentia est Scientiarum, quando alia inflans, alia *contristans* est? Tibi verò velim scire, quænam harum videatur utilior seu magis necessaria ad salutem, illane quæ tumet, an quæ dolet? Sed non dubito quin dolentem tu-

95 *Quid apud Authorem Eruditionis nomine intelligatur?*

N. B. Scio ab aliis hanc vocem aliter & aliter accipi: quo illam ego nomine intelligam, jam vides: ergo omnis tollitur æquivocatio.

Rom. 1. c.

Non damnanda scientia aut literarum studia.

d Osee 4. b.
e Dan. 12. b.

f 1. Cor 8.
g Eccl. 1. d.
Discrimen scientia alia inflans alia contristans.
h Luc. 11. b.
i Iacob. 4. b.
k Rom. 12.

menti

menti præferas: quia sanitatem quam tumor simulat, dolor postulat. Qui autem postulat, propinquat saluti, quoniam qui petit accipit. *h* Denique qui sanat contritos corde, execratur inflatos, dicente Sapientia quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et Apostolus aiebat: Dico *autem per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem.* Non prohibet sapere, sed plus sapere quàm oportet. Quid est autem *Sapere ad sobrietatem?* Vigilantissimè observare, quid scire magis, priúsve oporteat. Tempus enim breve est. Est autem quod in se est, omnis scientia bona, quæ tamen veritate subnixa sit: Sed tu qui cum timore & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire priùs ampliúsque curato, quæ senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum medicinæ portionem diffiniunt eligere in sumendis cibis quid prius, quid posterius, & quemadmodum quidque sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creavit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum & ordinem non observes, reddis plane non bonos.

Optima discendi regula Prius necessaria saluti discere.

An sint aliqua, quæ ignorare debeamus?

Ad Liter. G.

De Errore, seu Opinione Improbabili.

96 *Quomodo error ab ignorantiâ distinguatur?*

Errorem distinximus ab Ignorantia, quod in carentiâ hæc, & ille in notitiæ positione consistat. Ignorare dicitur, qui nescit, quæ scire deberet; at errare, qui aliqua aliter cognoscit, quàm sunt; aliter, quàm nosse deberet Hanc differentiam exponit Glossa. *ff. de iur. & fact. ignor.* Vide 38. *dist. quamvis.* 22. *quæst.* 2. *in quib. in fin.* & Ioannem Andream *in Clem.* 1. *de Iudic. verb. certa scientia* Vnde scitè Augustinus, *Melius est nescire, quàm errare; melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.* [Habetur apud Iosephum Langium in Polyanthæâ] ubi, ut conspicis, errorem *scientiam temerariam* appellat; qui enim errat, se errare nescit: &, si voluntarius est error, quod falsum est, verum esse audaciâ temerariâ supponit.

Errones ab errando dicuntur, & hoc nomen Planetis accensetur, quod errent; unde *Stellæ erraticæ* vocari solent. Quo Sanctus Ambrosius sensu agens de Galli cantu cecinit.

Cur, & quæ stella Planetæ à Græcis, Errones à Latinis dicantur?

Hoc excitatus Lucifer
Solvit Polum caligine:
Hoc omnis Erronum cohors [non *Errorum*]
Viam nocendi deserit.

Et quidem *errare* Planetæ à Virgilio lib. 1. Georg. dicuntur.

Hoc metuens cæli menses & sydera serva.
Frigida Saturni sese quò stella receptet.
Quos ignis cæli Cylenius erret in orbes.

At Planetarum Errores errore carent; nam leges naturæ sequuntur. Ipsis similes sunt falsæ Hypotheses, quæ licèt erroneæ ut Assertiones sint, in Hypotheses sine errore admittuntur, serviunt enim, ut innotescat Veritas, quæ in examen vocata.

An, & ad quid Hypotheses falsæ sint utiles?

Ad Liter. H.

De Notitiâ Impossibili.

Si exigitur, ut ponatur cognitio in intellectu incapaci; in quo illa non potest esse, res impossibilis exigitur, & tyrannicè mecum ageret, qui me scire præciperet, quæ scire non possum. 97

Non possunt impossibilia præcipi.

Si non exigitur talis cognitio, & tamen postulatur, ut bonitatem amem, aut malitiam detester, quas non cognosco, res etiam impossibilis postulatur, nihil enim volitum, quin præcognitum.

Si in obiecto, quod cognosco & diligo, aliqua est circumstantia incognita, hæc à voluntate non tangitur, D. Thomas 1. 2. *quæst.* 6 *artic.* 8. clarissimè. *Ignorantia antecedenter se habens ad voluntatem, causat involuntarium simpliciter.*

Nihil volitum, quin præcognitum.

Circumstantia quæ à voluntate non tangitur, homini non imputatur, Ergone omnis, quæ à voluntate tangitur, imputabitur? Minimè: debet enim non solùm tangi, sed liberè tangi: quoniam non imputabuntur voluntatis actus, nisi sint voluntarij: hoc est, ita eliciti, ut potuerint non elici.

His positis discurro sic. [Incognita obiecti circumstantia à voluntate non tangitur. Quæ à voluntate non tangitur, non imputatur. Ergo, quæ non cognoscitur, non imputatur] Firmat discursum hunc Christus *Ioann.* 9. 41. dicens. Εἰ τυφλοὶ ἦτε, οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν, νῦν δὲ λέγετε, ὅτι βλέπομεν, ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis; Quia videmus. Igitur peccatum vestrum manet.* Et posteà 15. 22. Εἰ μὴ ἦλθον καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον, νῦν δὲ πρόφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν. *Si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quæ colligit & dilucidat S. Thomas 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 3. his verbis. *Ignorantia, quæ est causa actûs, quia causat involuntarium, de se habet, quòd excuset à peccato; eo quòd voluntarium est de ratione peccati.*

Nec actiones, nec actûs circumstantia, quæ ab intellectu non percipitur, aut percepta non admittitur liberè à voluntate, poterit agenti imputari.

***

Ad Literam K.

De Opinione Probabili.

98 *Quid sit probabiliter opinari*

NEc est pura ignorantia, nec est pura notitia: nec cum omnimodâ sciendi capacitate, nec cum omnimodâ incapacitate reperitur. Non dicitur habere cognitionem probabilem, qui rem ignorat penitùs; non, qui medullitùs ipsam percallet: nam in suo conceptu Probabilitas ignorantiam & notitiam intexit. Non autem hæc ignorantiæ & notitiæ commixtio ad Probabilitatem sufficit: sed adhuc debet considerari subiectum, cuius dispositio ad Probabilitatis conceptum essentialem spectat. Subiectum enim (Intellectus Humanus) vel totaliter est notitiæ capax, vel totaliter incapax: vel partim capax, & partim incapax est.

Opinio probabilis dicitur comparatione ad subiectum.

Mens totaliter capax, ut ad Veritatis cognitionem perveniat, non dicitur Probabilem habere notitiam: nam ultrò ignorat, quæ cognosceret, si laborem & diligentiam adhiberet. Habet ergo ignorantiam vincibilem & voluntariam, quæ cùm culpabilis sit, Probabilitatis honestatem excludit. Sed dicito. Quid homo taliter constitutus debebit facere? Casum hunc proponit Scotus *in* 3. *sent. dist.*25. *quæst.*1. E, inquirit enim. *Quid facturus Mercator sit, quando hinc aliqui in scientiâ periti contractum, de quo quæritur, approbant: & inde aliqui reprobant? An in tali casu possit alteros sequi?* Et, si possit, *Cur hos potius, quàm illos?* Et respondet, [*a*] *Tutius est non procedere sic, nec sic: sed exspectare quousque Veritas pateat aliunde.* Ergo, quamdiu affulget spes, ut veritas cognoscatur, non est insuperabilis illa ignorantia, quam Probabilitas ipsa requirit. Huc respiciebat Guerricus Abbas Serm. 3. de Epiph. num. 1. [Et habetur in Operib. S.Bern. *tom.*5. *pag* 16. *a*] dicens. [Iustus quisque ac sanctus in Ecclesiâ Dei ita se illuminatum gaudeat, ut adhuc se non minimâ ex parte tenebrosum videat & doleat: & ideò necessariò cùm illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quantò namque ampliùs lucerna eius illuminata fuerit, tantò veriùs ex lucernâ ipsâ tenebras suas deprehendet. Nec statim contrarium putaveris, quod in Evangelio Veritas *Matth.*8. ait: *Lucerna corporis tui, oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Non enim, quia ex oculo sinceræ intentionis totum opus nostrum lucidum fit, ideò consequens est, ut statim omnes tenebræ ignorantiarum nostrarum illuminatæ sint. Is nempe modus est adhuc illuminationis nostræ, ut in lumen Veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, & scire quid desit sibi. Inde est, quod & apud Sapientes huius Mundi, qui magis sobriè disputarunt de scientiâ, primum numerarunt gradum scientiæ, *scire, quod nescias.*] Multum enim scit, qui se id scire, & illud se nescire cognoscit.]

a] Hic Scotus rigorem loquendi ô observat, vocat enim *tutum*, quod unicè tutum non est. non enim tutò contractum init, qui an sit licitus nescit nam potest illum distesse, quousque viros doctos inveniat.

Mens totaliter incapax, ut ad Veritatis cognitionem perveniat, est cœca: & de rebus, quas ignorat omninò, habere nequit opinionem Probabilem. Non autem eas omninò ignorat, quas se ignorare cognoscit. Non erat insipiens omninò, qui dicebat, *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus: & non potui, ut viderem.* Se circumdari malis sciebat, at illa videre non poterat, nam invisa audimus cum dolore aliquando: quæ enim unus sensus non percipit, alius attingit. Inter præcipua mala quæ circumambiunt hominem, peccata sunt. Et hoc sciebat, qui nihilominus exclamabat dicens, *Delicta quis intelliget? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Ecce delicta intelligit, & non intelligit. Cognoscit se habere aliqua ignota: & inter sibi propria in numerum venire aliena.

De intellectu incapaci totaliter. Psalm.39. Psalm.18.

99 *Cur intellectus humanus, cœcus, aliquando dicatur?*

Dicebam, Intellectum Humanum, ubi totali incapacitate præpeditur, cœcum esse: addebamque esse multas Veritates in Mundo, respectu quarum totali ipse ignorantiâ laboret. Et quia Intellectum esse cœcum dixi; & Evangelicus Cœcus nos oculatissimos reddit, orabo vos, ut Marcum audire velitis, qui *cap.*8.22. sic inquit. Ἔρχεται εἰς Βηθσαϊδὰν: καὶ φέρουσιν αὐτῷ τυφλὸν, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν, ἵνα αὐτοῦ ἅψηται, καὶ ἐπιλαβόμενος τῆς χειρὸς τοῦ τυφλοῦ ἐξήγαγεν αὐτὸν ἔξω τῆς κώμης, καὶ πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ ἐπηρώτα αὐτὸν εἴ τι βλέπει. Καὶ ἀναβλέψας ἔλεγε. Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους ὡς δένδρα περιπατοῦντας, εἶτα πάλιν ἐπέθηκε τὰς χεῖρας ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι. καὶ ἀποκατεστάθη, καὶ ἐνέβλεψε τηλαυγῶς ἅπαντας. *Venit in Bethsaidam: & ferunt ei Cæcum; & invocabant eum, ut illum tangeret. Et adsumens manum Cæci aduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius, imponens manus ei, interrogabat eum, siquid videret. Et suspiciens ait. Video homines sicut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & fecit ipsum videre: & restitutus est, & adspexit perlucidè omnes.*

Tres status in cæco miraculosè curato considerantur.

Ecce in tribus statibus possumus considerare Cœcum. Erat enim omninò Cœcus antequam contactum manûs illuminatricis sentisceret: erat semicœcus, cùm tactus: erat & Lynx, cum illuminatus divinitùs. 100

Hinc Humani Intellectûs tres status rimor, & expendo: alij enim Homines sub densas mediæ noctis tenebras periclitantur: alij meridie puro perfruuntur: & alij inter noctem & diem vacillantes, quia crepusculinam superaverunt, & nondum horizontem attigerunt, fluctuant inter lucem & tenebras, & ita illas confundunt, ut discernere nesciant, an ipsi tenebrosis splendoribus, an veriùs coruscâ suffundantur caligine.

Tres etiam mens humana in suâ cæcitate status habet.

Sanè inculti & indociles homines & omninò ignorantes, cultu & magisterio destituti, dum speculari subtiliora volebant.

Ibant

Ibant obscuri solâ sub nocte per umbras
Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.

Alia mentes sunt cœca, alia cœcutiunt.

Illis autem, qui ingenium colunt, & naturam contemplando proficiunt.

Quale per incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in sylvis, ubi cœlum condidit umbrâ
Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colores.

Et hi inter lucem & tenebras medij, nec tam densâ offunduntur caligine, ut nihil omninò videant: nec tanta luce condecorantur, ut nihil ignorent: ambulant, & si non possunt cespitant: & Guerricum se alloquentem libentissimè auscultant. [Omnes vos, inquit, lucis filij estis, & filij Dei. Non sumus noctis, neque tenebrarum. *Nox enim præcessit, dies autem appropinquavit.* Et, *si fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Verumtamen, si, quoniam non sumus tenebræ, nec filij tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarum, nos ipsos seducimus, & tenebras mortis, quæ illuminari non mereantur, nobis inducimus. Quid enim ait lux Mundi, quæ in iudicium venit in hunc Mundum, ut qui non vident, videant: &, qui vident, cœci fiant, &c. Video quantulumcumque, *quoniam tu illuminas lucernam meam ô Domine:* sed, quia parum est, quod video, *Deus meus, illumina tenebras meas.* Videmus, ut multum per speculum, & in ænigmate: sed multum longè est hoc ipsum à claritate verâ, claràque veritate, quæ videbitur in facie.]

Rom. 13.d. Eph. 5.b.

Omnis humana mens plurimum noctis habet.

Psalm. 17.

ARTICVLVS VI.

De Ignorantiæ & Nescientiæ; nec non de violationis simplicis, & violationis temerariæ & audacis distinctione.

An nescientiam an etiam ignorantiam Christus habeat?

101 NEscire latiùs patet, quàm *Ignorare:* id iam exposui: necessaria enim & non necessaria nescimus, sed sola necessaria ignoramus. Vnde Dominus noster Iesus-Christus, tametsi quà Deus sit ipsa Sapientia infinita, quà homo finita & finitè cognoscit. Sed tamen licèt nonnullà etiamnum nesciat, nihil ignorat: nullà enim necessariâ notitiâ destituitur; sed omnia, quæ ad Redemptoris & Iudicis statum spectant aut conducunt, percallet. Et hinc Theologi, tametsi animæ Christi Nescientiam rerum aliquarum adtribuant, nunquam sunt ausi vel minimam accensere Ignorantiam.

An nesciri, an etiam ignorari, quæ non sunt necessaria, dicantur?

Non est eadem Vincibilis, & Culpabilis Nescientia: at verò omnis Vincibilis Ignorantia est Culpabilis. Quam ob rem, si rigorem loquendi observare velimus, Petrus non est dicendus ignorare Persicam linguam, sed nescire: quia ipsi non est huius linguæ cognitio necessaria. Si illam addiscere potuerit, & noluerit: erit Petro vincibilis & voluntaria hæc nescientia, & siquidem non est ignorantia, non poterit ignorantia voluntaria vocari. Sic loqui, si rigorem servare vellemus, deberemus: cæterùm, quia Theologi hanc ipsam distinctionem tantummodo, cùm agunt de Christi scientiâ observant, & cùm de actibus Humanis, minimè curant, hîc nos liberè Nescientiam & Ignorantiam confundemus, quoniam puris hominibus, qui multa nesciunt, sine scrupulo ignorantiam accensere poterimus. Ergo de Cognitione & Ignorantiâ disseramus.

De cognitione necessariâ.

De medij & præcepti necessitate.

Cognitio necessaria est duplex: alia enim à necessitate medij, & alia à necessitate præcepti denominatur. Quæ medij necessitate requiruntur, talia sunt, ut non consequêris finem, nisi illa adhibeas, etsi invincibili ignorátiâ labores. *Pono exemplum.* Sub mediam noctem, quia altæ tenebræ colores auferunt, artificialis lux requiritur necessitate medij, ut musæum hoc illuminetur. Pone Ioannem id ipsum ignorare; pone putare huius libri apertione illud illuminandum esse. Porrò aperiat, aut non aperiat librum hunc, nisi lucem accendat, musæum hoc non illuminabit. *Addo aliud exemplum.* Est moribundus Petrus, & sola medicina A. potest eum recurare. Iuxta Artis regulas ei præscribit Hippocrates medicinam B. Non accusabitur temeritatis Medicus, sed tamen iuxta Artis leges ægrotum studiosè & officiosè occidet.

Exemplum ponitur in Medicinâ.

De cognitione præceptâ.

Cognitio necessaria necessitate præcepti illa est, quæ præcepta. Et est duplex: alia enim præcipiuntur directè, alia indirectè: aliud enim præceptum est, *Hoc credas*, & aliud diversum, *Hoc facias:* primum enim intellectum immediatè & directè concernit: secundum verò externam operationem respicit, quæ cognitionem postulat, ut de facto ponatur. Sanè esse leges credendi & sciendi, & etiam alias operandi certum est. Agemus de illis alibi, nunc de his breviter disseramus.

An, & quando ignorantia sit diversum peccatum?

Porrò in cognoscendi legibus cognitio præcipitur ut finis, & ipsamet ignorantia est peccatum diversum ab effectu ignorantiæ. Ita Vasquez *in* 1.2. *disput.* 126. *cap.* 3. Diana *part.* 2. *tract.* 4. *resol.* 1‑5. In operandi legibus cognitio non præcipitur ut finis, sed ut medium, & ideò ignorantia non est diversum peccatum ab ignorantiæ effectu. Ita Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 141. §. *Quæres.* & *part.* 4. *tract.* 4. *resol* 57.

De ignorantiâ iuris, & facti.

Cognitio iterum est duplex: Iuris & Facti: & Ius est Morale, Pœnale, & Mixtum. Cognitioni æquè multiplex respondet Ignorantia. Ignorat enim Ius, qui ignorat v. gr. carnium esum die Veneris inhiberi ab Ecclesiâ. Ignorat Factum, qui scit quidem carnes die Veneris esse interdictas, ignorat tamen hanc diem esse Veneris. Sanè potest superior aliquid sub culpâ, sub pœnâ, & sub utrâque præcipere: & potest primum & secundum præceptum ignorare subditus: & potest in tertio alteram ignorare partem, puta, si

De varietate præceptorum.

si sciat culpam, & nesciat pœnam: aut è contrà.

102

An omnis crassa & vincibilis legis ignorantia sit culpabilis?

His præmissis aliquas Conclusiones subiungamus. Sit PRIMA. *Non omnis ignorantia voluntaria & vincibilis, etsi legis obligatoriæ sit, est culpabilis.* Demonstratur: nam, si dubitatur, an hæc dies sit ieiunij? & tamen tu (sit, non sit) ieiunare decreveris, non teneberis veritatem inquirere: quamobrem illam voluntariè, non autem culpabiliter ignorabis. Hinc habet Responsionem & Resolutionem hic Casus.

Petrus administraverat bona Ecclesiæ B. exhibuerat rationes, & literas quas *liberatorias* vocant, obtinuit. Modò omnia recogitat, & dubitat, an mille aureos Ecclesiæ restituere teneatur. An tenebitur computus recognoscere, & rationes iterum examinare? An tutâ poterit conscientiâ velle veritatem nescire, & caput suum non obtundere molesto numerorum examine?

N. B. Multi in hoc errant, quod putent per donationem posse restitutionem fieri, cùm tamen oppositũ certum, ut existimo, sit.

Respondeo Petrum, si non vult solvere, nisi debeat, bonam voluntatem habere, sed vi huius voluntatis habere obligationem inquirendi, & veritatem indagandi. Vnde, si ignavus sit, & convenientem diligentiam adhibere noluerit, eadem ignorantia, sicut vincibilis, sic etiam erit culpabilis & condemnabilis. Cæterùm, si Petrus velit Ecclesiæ B. mille aureos consignare secretò (debeat, non debeat) hoc est, illos si forte debet, solvere: &, si non debet, dare; priores poterit non recognoscere supputationes, & veritatem voluntariò ignorare: & tunc hæc ipsa ignorantia vincibilis erit, & non culpabilis. [Consultò illud *secretò* posui; non enim puto donationem & solutionem coïncidere: adeoque, cùm restitutio sit solutio, non possunt mihi donari (nam donatio gratitudinis obligationem inducit) quæ solvi ex iustitiâ debentur.]

An, & quãdo, qui ignorantiam invincibilem habet, eius debeat differre?

SECVNDA. *Qui nescit, an rem debeat approbare aut reiicere, si non est periculum in morâ, & tamen speret se posse cum tempore veritatem cognoscere, debet rem differre, & non se exponere errandi voluntario periculo, &, si festinet, peccabit, nec poterit ignorantiâ excusari.* Casu in specie propono.

Sedet pro tribunali Ferdinandus: agitur de valore matrimonij inter Lucium & Clorida. Testes non sunt bene examinati, & ideò ex illorum depositione neutrum potest concludi. Et tamen Ferdinandus debet iuxta allegata & probata ius dicere. Quale autem profert? Illud-ne esse nullum definiet? At fortè est validum. Illud definiet esse validum? At forte est nullum. Quid ergo faciet?

N. B. Hodie in tribunalibus, ubi omnia sunt obscura, & tamen adhuc est spes veritatis inveniendæ, per

Respondeo (1) Ferdinandum in casu invincibili laborare ignorantiâ: non enim aliam notitiam habere potest, quàm probatam à testibus; & hanc non esse sufficientem supponebat Hypothesis.

Respondeo (2) hanc ignorantiam invincibilem, inculpabilem esse: non enim est Ferdinando voluntaria, nec nobis imputari possunt, quæ ignoramus inviti.

hæc verba *Non liquet* profertur interloquutoria resolutio.

Respondeo (3) hanc eamdem invincibilem, & inculpabilem ignorantiam non excusare à peccato, si Ferdinandus uti illâ præsumat, & vi illius audeat ad sententiam procedere. Et demonstratur: quoniam non est periculum in morâ, adeoque Ferdinandus habet tempus, ut iterum testes examinet, & veritatem discat. Ergo tametsi ignorantia hodierna non sit Ferdinando voluntaria, est voluntaria nihilominùs Sententiæ & Ignorantiæ coniunctio: nam, si sententiam differat, & perinde veritatem cognoscat, Ius poterit sine ignorantiâ dicere. Stat ergo Ignorantiam invincibilem & inculpabilem non excusare à peccato, si rem possis differre, & antequam illam facias, veritatem addiscere.

103

Quando excuset ignorantia invincibilis?

TERTIA. *Vt ignorantia excuset, duo necessariò requiruntur: alterum, quòd invincibilis sit; alterum, quòd sit constans. Et vocabitur constans, quando opus non possit ita differri, ut postea sine ignorantiâ fiat.* Et hoc ultimum duobus modis potest contingere: nam, vel nulla est spes sciendi, quod ignoratur: vel opus non potest differri.

An possit Pontifex in matrimonio rato dispensare?

Primum est frequentissimum, & in Iure Divino præcipue: multæ enim sunt quæstiones, in quibus ita veritas ignoratur, ut nulla nos maneat illam inveniendi spes. Pono exemplum. Quæritur, *An possit Pontifex in Matrimonio rato dispensare?* Respondeo (1) veritatem nesciri. Respondeo (2) duas esse in hac Quæstione Illustrium Scriptorum sententias; utramque securis fundamentis inniti, & censeri probabilem: & Humani ingenij tenuitate consideratâ, nullam assero manere spem Theologos veritatem per ratiocinia adsequendi. Respondeo (3) tunc tantùm veritatem esse cognoscendam, cùm definiatur in aliquo Generali Concilio.

De absolutione moribundi.

Secundum etiam frequenter accidit. Nam, si sit moribundus, verb. gratiâ, sensibus destitutus, & nullo signo externo dolorem internum ostendat, & postulet absolutionem: & ego, *An eum absolvere debeam, aut non debeam?* ignorem; non possum examen differre, & doctos consulere die crastinâ; nam est periculum in morâ, & debere statim resolutionem sumere, & quid sim facturus illicò determinare.

Quid præcipiant leges, quæ ausum temerarium interdicunt

Quarta. *Potest Legislator præcipere, nequis talem rem sciens & volens faciat. Si lex concipiatur his verbis, affectata ignorantia (cùm quis videlicet vult legem positivè nescire) neminem excusabit. At probabiliter teneri potest, eam legem à crassâ & supinâ (cùm quis ex negligentiâ legem nescit) ignorantiâ laborantibus, & ab invitis & gravi metu inductis non violari.* Et ostenditur: non enim illi *scientium*, nec isti *volentium* nomine intelliguntur. Si legis verba sint, *Ne quis ausu temerario rem talem faciat*, qui nesciens aut invitus illam fecerit, non dicetur ausu temerario procedere. Bonacina *de Cens. disp. 4. sect. 12. n. 1.*

De Dei præceptis.

Porrò Decalogum, nec talibus verbis esse latum, nec tali sensu debere exponi, certum

certum est. Et ideò dicimus ignorantiam vincibilem non excusare in illius transgressione.

De praeceptis Humanis.

Ignorantiam vincibilem, modò non sit crassa & affectata, excusare à legis humanæ transgressione, docent Sanchez *in Summ. tom.1.lib.1.cap.17.n.10.* Bonacina *in Decal. disp.2.quæst.8.punct.7. num.21.* & alij: quia non putant posse hominem strictiùs obligare conscientias. Sed contra stat Palaus *tom.1.tract.2.disp.1.punct.16.* Et has duas oppositas opiniones conatur conciliare Merolla *tom.1.disp.1. cap.2. dub.10. num.167.* Tu Palaum sequere, qui est à sententiâ communi.

104 *An excuset à pœnâ ignorantia vincibilis?*

Interim à pœnâ excusare ignorantiam vincibilem, quæ non sit affectata, putant esse probabile Pater de Lugo, & alij, quos sequitur Diana *part.9. tract.6. resolut.12. §.Vnde ex his,* & *part.11.tract.4 resol.4.* Et *pœnæ* nomine censuras intelligunt Sanchez *de matr.tom.3 lib.9.disp.32. num 31.* Diana *part.3. tract.5. resol. 3.* & *part.5. tract 9. resol.16.* & *ibid. tract.14. resol.24. in fin.* At ego inter legem moralem & pœnalem nullam differentiam reperio. *Ergo debet examinari. Primò*, quibus nam verbis lex ipsa præferatur: nam nisi vincibiliter ignorantes excipiat, illi comprehenduntur. Considera leges sequentes. (1) *Nemo rem talem faciat.* (2) *Nemo sciens illam faciat.* (3) *Nemo sciens & volens illam faciat.* (4) *Nemo illam præsumat facere.* (5) *Nemo illam audeat facere.* (6) *Nemo illam facere ausu temerario præsumat.* PRIMA est communis, & ab illius transgressione sola invincibilis ignorantia excusat. IN SECVNDAM ignorantes non peccant: nec IN TERTIAM coacti & inviti. A CÆTERIS excusat etiam crassa & affectata ignorantia; qui enim de facto rem non scit, etsi crassè rem nesciat, non videtur audere, aut ausu temerario præsumere. ET DEBET *examinari secundo*, An crimen, (quibuscunque verbis interdicatur) tale sit, ut in conceptu suo notitiam claram & expressam requirat; nam *Hæresis*, præter errorem dicit contumaciam; &, quia in ignorantiâ vincibili, immò etiam in affectatâ, contumacia reperiri non potest, Hæresis cum vincibili aut etiam affectatâ ignorantiâ non incurritur. *Contemptus* etiam includit cognitionem: aliud est enim non obedire, & aliud nolle obedire, hoc est, positivè velle non obedire. S.Bernardus *de præcept. c.12. num.29.* appositissimè. *Si ex contemptu*, ait, *sciens & deliberans sponte in verba prorumpero, & rupero silentij legem, prævaricatorem me constituo; & criminaliter.* Ergo, sine cognitione & deliberatione non reperitur contemptus.

Quanta notitia requiratur ad hæresim?

Cur sine ignorantiâ invincibili esse nequeat Opinio Probabilis?

Quinta. *In omni Opinione Probabili reperitur Ignorantia invincibilis cum opere necessariò connexa.* Et ostenditur. Non enim dicitur habere Opinionem probabilem, qui posset scire Veritatem, si vellet: quoniam ille, qui sponte veritatem ignorat, nescit veritatem, quia vult; unde cùm ipsamet ignorantia ipsi sit voluntaria & libera, ipsi etiam omnes effectus, qui ab illâ proveniunt, imputantur. Rem uno aut altero exemplo dilucido.

105 *Ponitur exemplum in materiâ ieiunij.*

In profesto Assumptionis dubitas, an ieiunare tenearis? Domesticos consulis: & quatuor probi & prudentes asserunt; & alij quatuor æquè probi & prudentes negant. Quid dicemus: Probabiliter-ne controversiam decidi, & alterutrum esse probabile, & tutâ conscientiâ practicabile? Videretur, quod sic: nam quatuor Authores ad conscientiæ securitatem sufficiunt: & tu impræsentiarùm hinc, inde (asserentes, negantes) habes quatuor. Sed non, quia Resolutio postulat profundius examen.

An in illâ admittantur opiniones probabiles?

Admitto in materiâ Ieiunij, sicut in cæteris, habere locum & excusare à peccato opiniones probabiles: nam, ut Antonius Cotonius *in Summ. Diana verb.Ignorantia, n.5.* doctè ait, *Certum est non peccare mortaliter transgredientem præceptum Ecclesiasticum bonâ fide, ex causa insufficiente, existimata sufficiente, ut docet Caietanus* in Summ. verb.Ieiunium, cap.3. *Diana* part.4.tract.4. resol.35. *& alij.* Nego autem bonâ fide procedere, qui sponte veritatem ignorat.

Quales diligentiæ debeant fieri, ut scias, an sit ieiunandi præceptum?

Quam ob rem, si non habeas alios à quibus certò possis veritatem cognoscere, nec sit in loco Calendarium, ex quo possit dubium omne deponi, dicam te in casu laborare ignorantia invincibili; &, quia æquali huc illuc te testimonia propellunt, posse alterutram sententiam eligere sine suspicione peccati. Cæterùm, si adsit in pago Parochus, qui id scire ex officio tenetur, hunc adhuc teneberis consulere, & eius decisioni obedire. Si absit Parochus, quærendum Calendarium est. *An-ne in casu teneberis mittere aliò tabellarios, & Epistolas scribere?* Audi Acacium, qui agens de Religiosorum ignorãtiis *tom.2. resp.81.pag.176. n.1.* à sic inquit. *Respeto de las difficultades, que cada dia se levantan sobre la guarda de los preceptos de las Reglas Monasticas, en orden a las quales unos dizen una cosa y otros la contraria, no se puede negar, sino que en los simples Religiosos puede haver ignorancia invincible, poniendo para vencerla el remedio necessario, que es preguntar a los mas doctos, que tienen en su compañia, y a los Prelados.* [N.B.] *Porque no estan obligados para vencerla, ir a otra parte a pedir consejo, y para este effecto escribir cartas, como lo prueba largamente Cordova lib.2.q0.quæst.1.*

An sufficiat consulere Viros doctos, qui sint suo oppido aut monasterio habitantes: an verò debeat aliò ire, ut Doctores inveniat, aut Epistolas ad illos scribere?

Nec contrà militant Monachi Carnotenses, qui S.Bernardum, Abbatem Claræ vallensem consuluerunt. Primò, quia non tenebantur id facere: Secundò, quia tenebantur id non facere; eos enim Mellens Doctor reprehendit, quòd sibi scripserunt sine licentiâ proprij Abbatis. Cæterùm, si omni humanâ & prudente diligentiâ adhibita nondum certitudinem sis adsequutus, quia potiùs his quaternis, quam illis quaternis non teneris subscribere, stabis huius nostræ Dialexeos Resolutione; & quia præcepti non datur, nec dari potest certitudo, facere poteris, quod velis.

Aliud exemplũ in Matrimonio.

Pono aliud exemplum. Isidorus & Clarâ desiderant matrimonio coniungi: sed amici submurmurant esse cognatos. Tu

(sive Episcopus, sive Parochus sis) rem invincibiliter ignoras: non sufficit ad certitudinem admurmuratio. Ergo-ne illorum matrimonium poteris celebrare? Posses, si nulla exstaret via detegendi & cognoscendi veritatem. At Ecclesia sanctissimâ providentiâ disposuit, ut tres diebus solemnibus publicationes fierent, iussitque, ut qui aliquod impedimentum sciat, revelare teneatur, Ergo, si festinares, & sine publicationibus ad matrimoium proc deres, etsi tunc invincibilem habere ignorantiam censereris, non excusareris à peccato, nam illa non erat constans, poterat enim matrimonij celebratio differri, & interim ad veritatis, de quâ dubitabatur, cognitionem veniri.

ARTICVLVS VII.

Exponitur Tabula Tertia.

106 *De scala intelligibili per quam humanus intellectus ascendit.*

Ponit ob oculos Philosophicam scalam, & exponit, quomodo à meris tenebris & purâ ignorantiâ, quæ in Dubio Negativo invenitur, ad summam claritatem, quæ in scientificâ cognitione coruscat, per gradus Intellectus extollitur. Illos breviter dilucidamus.

Ad Liter. A.

De Dubio Negativo, seu extremâ Ignorantiâ.

Non de subiecto, sed de prædicato dubium est.

NVllum est subiectum; quod omninò ignoretur: nam cognoscitur semper aliqua ratio superior, de cuius contractione disputatur. Ergo dubia circa prædicata excitantur, videlicet, *An, aliquod vivens sit sensibile? An aliquod animal sit rationale? An talis actio sit interdicta, & an talis præcepta?*

Quid dubium negatiuum qui positiuum sit?

Quando propositam Controversiam consideras, ut determines, An subiecto prædicatum conveniat? nullam rationem suadentem aut dissuadentem habes, Dubio Negativo, & Purâ Ignorantiâ præpediris.

Ad Liter. B.

De Dubio Positivo.

In quo ipsa differant?

SI leves aliquæ hinc inde rationes occurrant, Veritas à longè adlucescit, & Dubium vocatur Positivum.

Neutrum est morum Regula.

Et hic obiter nota Dubium, negatiuum aut positiuum illud sit, non esse morum Regulam, tam enim temerè operatur, qui nullâ ratione ductus operari præsumit, quàm qui levi.

Iterum Ad Liter. A, B.

De Dubio, Subdubio, & Superdubio.

An detur superdubium?

PRæter positivum & negativum Dubium, quæ iam exposui, & à rationum aut imperfectione aut defectu proveniunt, voluit Deus, ut homines humiliaremur, lumen lumini opponere, ut etiam in meridie mero adlucinaremur splendorum dissidio: & tunc *superdubitare* dicamur; cùm videlicet, rationes ex unâ parte adductæ (si seorsim perspectentur) ita videntur fortes, ut sufficiens non occurrat responsio: cùm etiam aliæ pro alterâ parte oppositæ (si seorsim similiter considerentur) æquè sint insolubiles, & satisfactionis incapaces. *Quid illud sit?*

Illustratur exemplo.

Tale prodigium accidit in Physicis ubi agitur de compositione Continui, in quâ omnes quæstione feliciter argumentantur, nemo bene respondet; tale in Moralibus, ubi plena informatio alteri plenæ opponitur: tale in Geometricis, dum quæritur, An circulus quadrabilis sit? nam pro alterutrâ parte fortissimæ rationes occurrunt, quas nemo sufficienter enervet.

Ad Liter. C, D, E.

De Probabilitate.

Quid sit propositio probabilis? An altera esse possit probabilis altera improbabilis sit?

SI fortes & graves rationes (generales, aut particulares) superveniant. Probabilem cognitionem deducent; tunc enim est Assertio Probabilis, cùm forti ratione fulcitur: & etiam validâ obiectione oppugnatur. Illa duo verba, *fulcitur & oppugnatur* subnota; & *Infer Primò*, non esse opinionem probabilem, quæ aut fortiter probari, aut fortiter oppugnari non potest. *Infer Secundò*, repugnare ut altera pars contradictionis sit probabilis, & altera sit improbabilis; nam ratio, quæ fortiter impugnat, alteram fortiter armat, & probabilem reddit.

Vocantur interdum Opiniones *Magis, Minus* aut *aquè Probabiles*, denominatione ex pondere rationum desumptâ: si enim hinc inde æquales censeantur probationes, *aquè Probabiles* Opiniones emergent; si autem sint fundamenta inæqualia, *Probabilior* dicetur, quæ solidiori insistat; & altera *Minus Probabilis*. Sic vulgus Theologicum loquitur, at nobis rem meliùs considerantibus non dari tales gradus videtur. Sed de hoc uberiùs alibi disputamus. *An magis & minus recipiat Probabilitas?*

Dubium debet à Probabilitate distingui.

Et hìc obiter nota multos Theologos non loqui purè, & scholasticè, sed vocem *Dubij* cum voce *Probabilitatis* confundere, & ideò debent cautè legi, ne in absonos & ab eis non intentos, sensus & opiniones inducantur.

Ad Literam F, G.

De Certitudine.

107 *An formido & incertitudo distinguantur?*

IN omni certitudine reperitur formido, maior minor; semper aliqua: est enim inter Incertitudinem & formidinem tam necessaria & interna connexio, ut possimus asserere, esse duo nomina eiusdem realitatis aut formalitatis: nam, qui cum formidine alicui positioni assentitur, ait, *Hæc Positio, cui assentiri dicor aliter se habere potest, & forsitan aliter se habet*, & qui eamdem ut incertam admittit, idem ait; Ergo Formido & Incertitudo coïncidunt.

Non assentitur, qui opinatur, sed ponit, aut supponit tantummodo.

Non scripti *assentior*, sed *assentiri dicor*; nam Probabiles sententias, non affirmamus sed ponimus, aut etiam supponimus, & ideò illas Græcè *theses* aut *hypotheses*, Latinè *positiones* aut *suppositiones* vocamus. Sed de hoc uberiùs noster Telarchus disputabit.

Certitudo omnem formidinē excludit.

Sicut Incertitudini, sic etiam Formidini opponitur Certitudo; & hæc, tametsi in paucis reperitur, interdum reperitur, & in Moralibus præcipuè: tametsi enim de plerisque notionibus particularibus disputetur, generales & universales infallibiles sunt.

ARTICVLVS VIII.

De Temerario Iudicio. *An, & quando peccatum sit, ex Præmissis Dubiis Probabilem, aut ex Probabilibus certam Consequentiam inferre?*

108 *Quomodo Iudicium prudens & temerarium distinguantur?*

ASSENSUS prudens sobriusque, in eo Conclusionem certitudinis gradu collocat, quam præmissæ requirunt: & hanc ob rem, ex fundamentis levibus illatam *esse positive Dubiam* asseret: deductam verò ex gravibus *esse Probabilem*: & collatione facta cum Oppositæ fundamentis *minùs, magis*, aut *æquè Probabilem* esse definiet.

Quid sit temerarium iudicium?

Latissimè autem patet iudicandi temeritas: quoniam *Iudex temerarius* vocatur, qui vel ex fundamentis levibus gravem aut certam, aut ex certis & manifestis dubiam Conclusionem deducit. Et hîc obiter nota, illa Christi Domini verba, *Ne iudicetis, & non iudicabimini*, non interdicere omnia Iudicia, sed temeraria tantùm, & hęc tam publicè, quam privatim; Deus enim

An omnia iudicia interdicantur?

Tribunalia instituit, & Iustitiam administrari in Republicâ præcipit: adeoque vult, ut præficiantur populo Iudices, qui ex Iure controversias decidant. Non iubet Deus, ut in privato Oeconomiæ regimine simus stupidi, & ubi latentia mala per indicia se produnt, illis non occurramus, nec ponamus remedium: nam sumus rationales, & ideò, quoties ratione utimur, Deo servimus; peccamus autem, cùm abutimur, & hanc ob rem, sicut peccaret Iudex, qui reū levibus indiciis pressum, plenè convictum diceret, & ultimâ sententiâ plecteret: &, qui reum, convictum informatione plenâ, esse innocentem pronuntiaret, & in formâ liberari præciperet: sic etiam, qui privatim in iudicando Dialecticas Prudentiæ leges violet, Iudicij Temerarij accusabitur.

Quid sit Iustitia?

Et hic obiter nota, Iustitiæ Definitionē inter transcendentalia Iuris prædicata recenseri debere; nisi enim singulas circumstantias permeet, sententia lata à Iudice esse iusta non potest. Iustitia, ut communiter definitur, est *quæ dat unicuique quod suum est.* Et hæc lex antequam rebus externis modum ponat, debet ipsosmet actus Intellectus discutere. Iudiciū omne clauditur syllogismo. Alteram Præmissam dat Ius, alteram Factum: & hæ modum imponunt Conclusioni, quem temerè excedendo aut deficiendo violes. Si sint certæ Præmissæ, & tu inferas, *Ergo dubium, aut probabile est*, &c. Iustitiæ detrahis; non enim Conclusioni concedis, quod suum est: nam certitudinis modum, quem à Præmissis recipit, tu iniustè aufers, & incertitudinem temerè & violenter inducis. Si autem Præmissæ sint incertæ, & tu inferas: *Ergo certum est*, &c. Iustitiam excedendo temeras, quoniam Conclusioni concedis certitudinem, quæ sua non est; quam non solùm non postulat, sed postulat ne sibi adscribatur.

An in omni prudenti Iudicio (privato, publico) syllogismus formetur?

109 *De temerario iudicio. An illud semper sit peccatum?*

Interrogas, *An omne Iudicium temerariū peccatum sit?* Sanè, si de Philosophico peccato disseramus, omne temerarium Iudiciū esse rationis abusum, adeoque malum, & peccatum; indubitatum est. Cæterùm, si agamus de Theologico, cùm nunquam rationis abusus, bonus sit, qui dari indifferentes actus negare velit, omne temerarium Iudicium esse Theologicum peccatum statuit. At nos, qui actus indifferentes (qui nec boni, nec mali) passim admittimus, non omne Iudicium temerarium esse peccatum contra Deum pronunciamus: Eum enim, qui pertinaciter diceret, *impares nunc esse comprehendi sydera*, non Theologicæ, sed Philosophicæ temeritatis condemnarem. Doctores, ut temerarium Iudicium Theologici peccati condemnent, quatuor necessariò requirunt, (1) ut proximo noceat (2) ut deliberatum sit (3) ut incerta indicia tantùm habeat (4) & sine formidine pronunciet. Ita Tannerus *in 2.2. disp. 4. q. 3. dub. 2. n. 39.* Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 4. n. 3.* Diana *par. 3. tract. 5. resol. 31. post med.* & ex eo Colonius *in Summ. verb. Iudicium, num. 1.*

An dentur actus indifferentes?

De stellarū numero.

An in rebus ambiguis in bonam partem inclinari possimus?

Prima circumstantia est certissima: nam, qui temerè ad favorem amici, sine damno proprio aut alieno iudicet, à Theologis cōdemnari non solet. Omnia in bonā partem interpretantur Viri pij; &, si res bifariam fieri, videlicet male & bene, potuit, ubi nō agitur de damno tertij, iudica bene fuisse factam, & nullius indignationem aut iustā censuram incurres. Cluniacenses videbantur contra Regulam vivere, & tamen non solùm eos non condemnat Bernardus, sed nec patitur, ut ab aliis damnetur: Vnde & hæc, quæ adversari Regulæ videntur, piè interpretatur; subesse enim causam & necessitatem supponit, cui omnes constitutiones suas prudēter subiicit S. Benedictus.

Quales fuerint Monachorũ Cluniacensium mores tẽpore D Bernardi?

Et hoc universim est verum: nam *in apologia de vita & morib. Religiosorum, cap.6.* [Et habetur *tom.4.pag.35.b. num.15.*] sic proponit, & resolvit quæstionem. *At, inquiunt, quomodo Regulam tenent, qui pelliceis induuntur, sani carnibus, seu carnium pinguedine vescuntur, tria vel quatuor pulmentaria una die*, quod Regula cap. 39. prohibet) *admittunt, opus manuum* (quod cap.48. iubet) *non faciunt: multa denique pro libito suo, vel mutant, vel augent, vel minuunt?* Rectè. Non possunt hæc negari: sed attendite in Regulã Dei, cui utique nõ dissonat Institutio S.Benedict. *tract.de præcept. & dispens. cap 4.* [Et habetur *tom.4. pag.74 b num.5.*] ut non solùm posse, sed & interdum debere Patrum statuta mutari, clare ostenderet, dixerat, *Porro inventa atque instituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret, sed quod ita magis expediret, nec planè ad aliud, quàm ad lucrum & custodiam Charitatis. Quamdiu ergo Charitati militant immobiliter fixa sunt, mutarique omninò, ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensâ possunt. At si è contrario contraria forte aliquando Charitati visa fuerint, his dumtaxat, quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est. Nonne iustissimum esse liquet, ut quæ pro Charitate inventa fuerunt, pro Charitate quoque, ubi expedire videtur vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur. Tenent ergo fixam firmámque immobilitatem, etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus Charitati deserviant.* Nota illud *visa fuerint*; nam certa ab incertis distinguit Sanctus Doctor, aliud enim est *esse contra Charitatem*, & aliud *contraria videri*. Vbi & quando lex, quæ sub initium erat sanctissima, mutatis circumstantiis, certò & indubitatè opponitur Charitati, debet non servari, nec tunc erit exspectandum Superiorum iudicium: verùm enim verò, ubi opponi videtur (ubi probabiliter est contraria) non vult Mellifluus Doctor eius observantiam à privati Monachi iudicio & resolutione pendere, sed exspectari eorum præceptum postulat, quibus hoc posse videre & examinare datum, & providere creditum est.

Cur leges Monasticæ sint institutæ. An & quando mutari possint?

An cessante fine legis contrariè, cesset lex?

Vter (Abbas, an subditus) decernere debeat, an cesset?

110 *An in iudiciis temerariis actus indeliberati subrepant?*

Secunda postulat, vt actus deliberatus sit: nam in omni omninò actu voluntario deliberatio requiritur, sine quâ, sicut nec notitia sufficiens, sic nec libertas conveniens esse solet. Nescio, an in hoc genere frequenter actus indeliberati subrepant; nam tametsi, vbi proponitur bonum delectabile, appetitus, nisi à ratione frænetur, rapitur, non ita ratio, ut ex incertis certum judicium inferat, propelletur; nam ratio sibi derelicta rationabiliter, & non irrationabiliter operatur: & judicij temeritas, non tam ex ignorantiâ, quam ex malitiâ exordium sumit; nam, qui odio habent Petrum, omnes ipsius actiones etsi sanctissimas, in fines sinistros obtorquent: & sunt aliqui, qui maledicentiæ diligenter student, & tunc se putant doctè loqui, dùm in aliorum actibus, qui à cæteris honesti judicantur, deordinationem aliquam comminiscuntur.

Tertia & quarta circumstantia bene connexæ sunt; &, ut iudicium temerarium, ob oculos ponant, sufficiunt: nam, qui ex incertis iudiciis certam resolutionem educit, temerarius est Iudex. Interim, alij sunt temeritatis casus, quos videntur Scriptores omittere: nam stando opinioni communi, quæ in Probabilitate gradus (hoc est, magis, & minus) admittit, qui plus aut minus certitudinis conclusioni concedit, quàm Præmissæ postulant, procedit imprudenter, & temere. Quam ob rem temerarium erit ex Dubiis Probabilia, ex minùs Probabilibus, æque Probabilia, ex æquè Probabilibus, Probabiliora, & ex Probabilioribus Certa & Indubitata, aut è contrà deducere: nam sicut peccatum erit ex indiciis dubiis Petro actionem propudiosam affingere: sic similiter peccatum erit, Ioannem postulatum de crimine, post purgationem plenam, adhuc reum judicare.

An, qui ex probabilibus præmissis probabilem conclusionẽ deducit possit errare?

Non omne Iudicium temerarium esse mortiferam culpam supponis, & rescire desideras, *Vnde in hoc genere malitiæ gravitas desumatur?* 111

Quid requiratur, ut iudicium temerarium, mortiferum peccatum sit?

Prima circumstantia, ut temeritas damnum inferat proximo, postulabat: ergo, ubi damnum grave non inferat, non erit temeritas mortaliter peccaminosa. At, quia aliqua peccata mortalia sine dedecore committuntur à milite, & aliqua cum ignominiâ magnâ coniuncta sunt, quæ non inficiuntur peccato, opportet hic peccatum ab infamiâ distinguere: quoniam, si Petrus militem habere secum meretricem temerè indicaret, non peccaret mortaliter; quia hoc, tametsi mortale peccatum sit, inter hos homines ignominiam non infert: si autem Ioannes eumdem esse spurium, aut ex parentibus infamibus natum temerè judicaret, peccaret proculdubio mortaliter, quia tametsi natalitia vilia sine peccato incurrantur, conferunt secum ignominiam, quâ alienum militem no debet alterius maculare temeritas. Hoc Vltimum docet Escobar *de puris. & nobilit. part. 1. quæst.8 §.2.num.33.* Sed Lessius *lib.2.c.29. dub.2.num.14.* Ioannem venialiter tantummodò peccare affirmat: & Acacius *ubi infra* Navarrum *in Manual. cap.18. num 9.* Rodriguez *in summ.tom.1.cap.187. concl.3.* Remigium *tract.2. cap.8. §.8.num.5.* Muchadum *tom.1.lib.2.part.3.tract.24. docum. 12.* pro Lessij sententia producit. Diana autem *part.5. tract.5. resolut. 68.* quia potiùs Authores numerat quàm rationes ponderat, utrumque judicat esse probabile. Sed tu allatam rationem perpende, & ab Escobare non abeas: illam enim Acacius *tom.2. verb. Iuizio temerario, resolut. 151. pag.3 o.b.num.9.* certam vocat, & Iudicij temerarij malitiam ex damno illato metitur: inquit enim: *Nuestro Dicho le tengo per cierto, si se juzgare de persona de calidad: esto digo porque ay algunas personas en la Republica de tam baxa calidad, que les importa n uy poco sêr, o no sêr destos*, &c.

Non omnia peccata militibus infamiam inferunt.

Infamia sine peccato incurri potest.

Homunciones interdũ viles non habent honorem, quem perdant.

Confirmase

An mortale peccatum sit iudicare temerè aliquem esse stultum, detritum, &c.

Confirmase. Juzgar de uno temerariamente, que es tonto o loco, es pecado mortal: porque esto es de gran estimacion entre los hombres; luego lo mismo será juzgar de uno, que es descendiente de Moros, &c. porque esto es de muy gran estimacion en los ojos de los hombres. Et quid, si non esset? Ideò hoc iudicium est peccatum, quia nocet proximo; &, si non noceret, peccatum non esset. Quod bene dilucidat idem Author his verbis. *Esto tiene verdad muy en particular el dia de oy en España, donde se estima grandemente el sér uno limpio: que donde no se estimasse, ni fuesse esprecio, no seria peccado mortal, como no se estima en otras partes del mundo* Ita ille, & Ledesmam *in Summ. part. tract 8. disp. 5.* Medinam *etiam in Summ.* Alcozer *ibid. cap. 20.* Villalobos *2. part tract. 14 diff. 18. num. 6.* Lessium *lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 5.* Reginaldum *libr. 2. num. 21.* Azorium *3. part. lib. 13. cap. 12. dub. 4.* Filliucium *tom. 2. tract. 40. cap. 3. num. 63.* & alios pro suâ sententiâ adducit.

Qua in una provinciâ sunt ignominiosa, sine dedecore tolerantur in aliâ.

Mortalis culpa sine deliberatione non committitur.

Secunda deliberationem exigebat circumstantia. Ergo temeraria Iudicia, quæ sine plenâ advertentiâ & libertate admissa, non erunt peccata mortalia.

De iudicio temerario, si non verbo exprimatur, sed actu purè interno fiat.

Tertia & quarta circumstantia non videntur esse bene consideratæ: & ideo aliqua hîc breuiter dicturus sum. Sit Assertio Primâ. *Qui in materia gravi, & ex levibus indiciis contra proximum consequentiam certam & indubitatam inducit, peccat mortaliter.* Est omnium, & à nemine negari potest. Nec hîc est necessarium ad distinctionem materiæ leviter & graviter ignominiosæ recurrere: nemo enim in iudicio, immò nec in calumniâ admittit peccatum mortale, si materia sit levis. Hanc assertionem docet & probat Acacius *ubi supra, pag 341. a. num. 10.* & citat S. Thomam *2. 2. quæst. 60. art.* . Probatur breviter Conclusio: Secunda. *Qui in eâdem materiâ, ex levibus indiciis probabilem consequentiam deducit, peccat mortaliter:* nam indicia levia, moraliter & virtualiter sumpta sunt nulla, & nullam possunt consequentiam inferre. Cùm ergo Probabilia sint vera virtualiter, idem erit ex nullis fundamentis certam consequentiam inferre, ac ex levibus inferre probabilem. Ergo, quando illud sine mortali fieri nequit, neque hoc poterit. Tertia, *Qui in eadem materiâ, actu purè interno, verum & certum iudicat, quod ex fundamentis probabilibus intulit, temerè iudicat: cùm autem possint & soleant probabilia pro veris ab intellectu adsumi, non videtur gravem iniuriam inferre nec peccare mortaliter.* Et ostenditur, quia probabilia & certa in morum genere non distinguuntur: unde, nisi illa leges externæ discernant, coïncidunt: & tamen externæ leges in actibus purè internis locum non habent.

An probabilia possint sumi pro veru?

112 *De specificatione iudiciorum.*

Si interroges, *An-ne omnia Iudicia temeraria sint eiusdem infima speciei?* Respondent communiter Theologi affirmativè. Ita Sancius *disp. 5. num. 10.* Diana *par. 1. tract. 7. resolut. 28. & 51. in fin.* & *part. 3. tract. 4. resol. 67. §. In resol.* & *ibid. resol. 68.* & *part. 5. tract. 14. resol. 58. §. Quæro tertiò.* & *part. 11. tract. 8. res. 34.* & alij. Et stando huic doctrinæ, qui temerè iudicavit semel Ioannem esse furem, & semel esse periurum, satisfaciet in confessione dicens, *Bis temerè in gravi materia iudicavi.*

De specificatione contumeliarum.

Et, si adhuc inquiras, *An idem de detractionibus dicendum sit?* Porrò omnes detractiones, & contumelias esse eiusdem infimæ speciei cum Fagundez *part. 2. lib. 3. cap. 5. num. 3.* docent multi Theologi; & eorum doctrinam tam latè amplectitur Granadus *in 3. part. controvers. 7. tract. 9. disp. . sect. 3. num. 20.* ut inter contumelias aut detractiones contra Charitatem & contra Iustitiam evomitas nullam differentiam reperiat. Tu interim *Primò*, quidquid Granadus dicat, inter veri, sed secreti criminis publicationem, & falsi adfictionem specificam differentiam statue: certum est enim Petrum peccare contra Iustitiam, si secretum sibi sub secreto commissum revelet: at verò eundem, si dicat, quæ fieri clam vidit, peccare contra Iustitiam etiam (nam de peccato contra Charitatem nemo dubitat) incertum est: & aliud est proximo contra Iustitiam, & aliud contra Charitatem nocere. *Secundò*, quæ mala ex tuâ detractione sequantur considera: an ille, quem dedecoras, nihil præter famam, an etiam bona, aut fortè vitam amittet. Quæ omnia frequenter contumelias & detractiones comitantur, & à prudentibus debent perpendi.

An aliter peccet, qui falsum crimen imponit, & aliter, qui secretum revelat.

Quænam in detractione debeant considerari?

ARTICVLVS IX.

De Dictamine Erroneo. *An illi possit, debeat-ve consentire voluntas?* Exponitur D. Thomæ sententia.

TRIPLEX est, ut vidimus, Humani Intellectûs dictamen: Certum, Erroneum, & Probabile. Nullam in Certo difficultatem invenimus. De Probabili uberrimè toto hoc libro sumus disputaturi. Ergo superest, ut de Erroneo impræsentiarum disseramus. Ignorantiâ illud & temeritate succollatur: de quibus paulò antè egimus, straturi videlicet viam, ut Erroneam Conscientiam medullitùs cognosceremus. 113

Quæ sit conscientia erronea?

S. Thoma *1. 2. quæst. 19 art. 5. & 6.* interrogat, *An Voluntas, quæ Erroneæ Conscientiæ subscribit, sit mala?* & dubium decidit his verbis.

An sit mala?

Respondeo dicendum, quòd cùm conscientia sit quodammodo dictamen rationis: est enim quædam applicatio scientiæ ad actum, ut in primo dictum est, idem est quærere, Vtrùm Voluntas discordans à ratione errante. Sit mala? *quod quærere*, Vtrum conscientia errans obliget? *Circa quod aliqui distinxerunt tria genera actuum: quidam enim sunt boni ex genere, quidam sunt in-*

pag. 1. q. 79. art. 3.

Quid sit ignorantia? Actus est triplex, bonus malus indifferens. Quid sit cõscientia erronea?

differentes, quidam sunt mali ex genere. Dicunt ergo quod si ratio vel conscientia dicat aliquid esse faciendum, quod sit [illegible]um ex suo genere: non est ibi error: Sim[illegible], si dicat aliquid non esse faciendum, quod est malum ex suo genere: eadem enim ratione præcipiuntur bona, quæ prohibentur mala. Sed, si ratio, vel conscientia dicat alicui, quod illa, quæ sunt secundum se mala, homo teneatur facere ex præcepto, vel quod illa quæ sunt secundum se bona, sint prohibita, erit ratio vel conscientia errans. Et similiter, si ratio vel conscientia dicat alicui, quod id quod est secundum se indifferens, ut levare festucam de terrâ, sit prohibitum vel præceptum: erit ratio vel conscientia errans. Dicunt ergo, quod ratio vel conscientia errans circa indifferentia sive præcipiendo sive prohibendo obligat: ita quod voluntas discordans à tali ratione errante, erit mala & peccatum. Sed ratio vel conscientia errans præcipiendo ea, quæ sunt per se mala, vel prohibendo ea, quæ sunt per se bona, & necessaria ad salutem non obligat: unde in talibus voluntas discordans à ratione vel conscientia errante, non est mala. Hanc distinctionem, admittunt & tuentur Iansenistæ, qui negant ignorantiam invincibilem excusare à peccato. Eam autem non esse admittendam certum est: quoniam leges non te obligant ut sunt in se, aut ut sunt in intellectu Principis; sed ut sunt in tuo: unde si ignorentur, non obligant: &, si, quæ revera morales sunt, prudenter censeantur esse merè pœnales, ad pœnam ipsæ obligant, non ad culpam: quoniam, ut habet Ethicum Protheorema, *Quidquid agunt homines, intentio (prudens) judicat omnes.* Vnde scitè Doctor Angelicus illud discrimen rejicit, & progreditur dicens: *Sed hoc irrationaliter dicitur, in indifferentibus enim voluntas discordans à ratione vel conscientia errante est mala aliquo modo propter objectum à quo bonitas vel malitia voluntatis dependet: non autem propter objectum secundum sui naturam, sed secundùm quod per accidens à ratione apprehenditur, ut bonum vel malum ad faciendum, vel ad vitandum. Et quia obiectum voluntatis est id quod proponitur à ratione, ut dictum est, ex quo aliquid proponitur à ratione, ut malum voluntas dum in illud fertur accipit rationem mali: hoc autem contingit non solùm in indifferentibus, sed etiam in per se bonis vel malis.* Hæc doctrina est pulcherrima, & summe necessaria: nam doctissimè poteris cum S. Thomâ dicere, duas in humanis actibus esse moralitates intrinsecam, extrinsecámque: illam ipsummet præceptum respicere, & hanc cognitionem præcepti: & essentialem illam & hanc accidentalem judicari. Poteris addere Theologiam humanorum actuum moralitatem & imputabilitatem non à lege secundum se (intrinsecâ, & essentiali) sed à legis cognitione (extrinsecâ & accidentali) desumi. *Non enim solùm* (ut *ibid.* Sanctus Doctor affirmat) *id quod est indifferens potest accipere rationem boni vel mali per accidens: sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem*

An obliget sub culpâ gravi? Error in materiâ indifferent. Error in bonâ vel malâ materiâ.

Nota id bene.

Vnde sumatur bonitas vel malitia humanorum actuum.

q.8.art.1. An malitia objecti materialis sit imputabilis

N. B. Hic peccata materialia,

mali: vel illud quod est malum rationem boni propter apprehensionem rationis. Pergit ulterius & hanc doctrinam exemplo opportuno dilucidat. *Quoniam abstinere à fornicatione, bonum quoddam est, tamen in hoc bonum non fertur voluntas, nisi secundum quod à ratione proponitur. Si ergo proponatur, ut malum à ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali. Vnde voluntas erit mala; quia vult malum, non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens, propter apprehensionem rationis. Et similiter credere in Christum est per se bonum & necessarium ad salutem: sed voluntas non fertur in hoc, nisi secundum quod à ratione proponitur. Vnde, si à ratione proponatur, ut malum, voluntas feretur in hoc ut malum, non quia illud sit malum secundum se, sed quia est malum per accidens propter apprehensionem rationis. Et ideò Philosophus dicit* in 7. Ethic. *quod per se loquendo incontinens est, qui non sequitur rationem rectam: per accidens autem qui non sequitur rationem falsam. Vnde dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans à ratione sive rectâ sive errante, semper est mala.*

& violationes legum materiales, quæ nõ imputentur S. Thom. evidenter admittit.

An credere in Christũ possit esse per accidẽ malum?

Lib.7. Ethi. c.1. & lib.5. cap. 9. ante med tom.5.

Exposuit Doctor Angelicus ut vidisti, quando & cur mala voluntas mala sit, quæ à dictamine erroneo dissentit: at articulo immediatè sequenti examinat an, quando, & cur sit voluntas bona, quæ dictamini erroneo subscribit. Eum audiamus.

114 *Respondeo dicendum, quod sicut præmissa quæstio eadem est cum quæstione, quâ quæritur,* Vtrùm conscientia liget? *ita ista quæstio eadem est cum illa qua quæritur,* Vtrùm conscientia erronea excuset? *Hæc autem quæstio dependet ab eo, quod supra de ignorantia dictum est, dictum est enim supra, quòd ignorantia quandoque causat involuntarium, quandoque autem non. Et quia bonum & malum morale consistit in actu, in quantum est voluntarius, ut ex præmissis patet: manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium, & tollit rationem boni & mali moralis: non autem illa, quæ involuntarium non causat. Dictum est etiam supra, quòd ignorantia, quæ est aliquo modo volita sive directè sive indirectè, non causat involuntarium. Et dico ignorantiam directè voluntariam, in quam actus voluntatis fertur. Indirectè autem propter negligentiam ex eo, quod aliquis non vult illud scire, quod scire tenetur, ut supra dictum est. Si igitur ratio vel conscientia erret errore voluntario vel directè, vel propter negligentiam, quia error est circa id quod quis scire tenetur; tunc talis error rationis vel conscientiæ non excusat, quin voluntas concordans rationi vel conscientiæ sic erranti, sit mala. Si autem sit error, qui causat involuntarium proveniens ex ignorantia alicuius circumstantiæ absque omni negligentia tunc talis error rationis vel conscientiæ excusat, ut voluntas concordans rationi erranti non sit mala. Puta, si ratio errans dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala: eo quod error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur. Si autem ratio erret ut*

1.2.q.19.artic.2.

q.6.art.8. An semper ignorantia excuset?

art.2. huius quæst.19.

q.7.art 8. Ignorantia duplex voluntaria & involuntaria.

Quæ sit ignorantia culpabilis.

An ignorãtia invincibilis in Decalogo excuset?

N. B. *In bene gubernatâ Republicâ adulterij maliciam nemo invincibiliter ignorare potest.*

hoc

hoc quod credat aliquam mulierem submissam, esse suam uxorem, & eâ petente debitum velit eam cognoscere: excusatur voluntas eius, ut non sit mala: quia error iste ex ignorantiâ circumstantiæ provenit, quæ excusat & involuntarium causat.

115 *An semper adulterium malum sit?*

Dices. Ergo ad mentem Angelici Doctoris censendum est, ignorantiam invincibilem excusare in legibus humanis, non autem in lege naturali & divina: hoc enim significare videntur illa verba, *Puta si ratio errans dicat*, &c.

Cur ignorantia in adulterio non excuset?

Respondeo D.Thomam in adulterio accusare ignorantiam: non quòd existimet invincibilem non excusare à culpâ; sed quod putet ignorantiam in materiâ tam clarâ, videlicet apud Christianos, non posse esse invincibilem. Si enim invincibilis sit, excusat in omni materiâ: quidquid obganniant cum Lutheranis & Calvinistis Iansениani.

Puto iam de mente D.Thomæ dubium non remanere: sunt enim clara & liquida testimonia, quæ dedi: modò igitur aliquas Resolutiones, à S. Thomæ doctrinâ suborientes, ut omnis tollatur æquivocatio, subscribamus.

Resolutiones.

116 *Quid peccatum sit?*

I. *Peccatum Theologicum est factum dictum, aut cogitatum contra legem Divinam.* Ergo à lege Divinâ præscindendo nullum contra Deum esse potest peccatum. Et stando doctrinæ communi, quam judicó probabilissimam, est duplex: Materiale & Formale.

Materialis & Formalis communis, & à doctis pronunciata distinctio.

II. *Homicidium, quo innocens occiditur, revera est contra legem Divinam, non tamen erit imputabile nisi fiat cum malitiâ & malo animo:* quando ergo fortè judex, iuxta allegata, & probata servato ordine Iuris, innocentem condemnat; homicidium committit, quod est purè materiale peccatum: homicidium inquam, quod non est culpa, nec peccatum formale: est enim homicidium necessarium, quod Iudici non imputabitur.

De conscientia errante.

III. *Conscientiam invincibiliter errantem homo tenetur sequi.* Si illa dictet mendacium esse dicendum, & Franciscus mentiatur, eius in tali casu actus erit peccatum materiale; at verò non erit culpa, nec peccatum formale. Si illa eadem conscientia dictet eleemosynam esse malum: & tamen tu eleemosynam dederis; feceris actum meterialiter bonum, qui sit malus & peccaminosus formaliter.

An ignorantia invincibilis malitiã materialem & objectivam auferat.

IV. *Ignorantia invincibilis stando D. Thomæ, & communi Theologorum doctrinæ, quæ dari peccata materialia supponit tollit peccatum formale, non autem materiale:* nam mentiri ex ignorantiâ invincibili, est malum materialiter, sed non formaliter; nec enim ignorantia aut necessitas potest facere, ut mendacium sit bonum materialiter. Vt hoc altiùs intelligas, hunc casum propono. Iubet Superior tuus, ut carmen Heroicum componas in laudem Angelorum Reginæ. Sanè Heroicum pedibus sex componitur; at tu, quia invincibiliter putas illud componi quatuor; sic concinis *Laudetur Sanctissima Virgo.* Et Petrus, an, & quomodo peccaveris? rogat. Sed ego antequam respondeam, volo rem, quam fecisti, ab ipsâ actione, quâ illam fecisti distinguere. Illa est objectum & materia circa quam tui actus: hæc est ratio formalis, quæ ex parte liberi arbitrij se tenet. Aio igitur carmen illud Tetrametrum, quod cecinisti, esse Heroïcum: peccans; defectuosum, & malum: & addo non esse veram Propositionem; *Hic versus*, laudetur sanctissima Virgo, *si factus fuisset ex malitia haberet tantùm quatuor pedes, & esset defectuosus: & quia factus est ex ignorantia, est bonu, & habet pedex sex:* quia materialis eius integritas non dependet à malitiâ aut ignorantiâ operantis: erit enim peccans & defectuosus, seu ex ignorantiâ, seu ex malitiâ fuerit conditus. Ignorantia ergo malitiam materialem non aufert? aufert tamen formalem, non enim est iste error imputabilis illi, qui fecit quod scivit: & ut bene sciret, fecit, quod potuit: Eodem modo de peccatis, quæ sunt contra leges Divinas Humanásque poterimus philosophari.

N. B. Tota hæc D.Thom. & Doctorum Magistrorũ doctrina, legis notitiam de legis essentiâ non esse: & sicut Metricæ, sic Morales leges posse ex insuperabili ignorantiâ violari. Cæterùm, si cognitio ad legis Moralis conceptũ essentialem pertineat, nõ dantur peccata materialia.

An ignorantia semper excuset à peccato formali?

Mendacium enim, si ex ignorantiâ invincibili committatur, non erit imputabile; ac propterea non erit peccatum formale: at non obstante ignorantiâ invincibili, erit actus linguæ, menti dissonans; & octavo Decalogi præcepto dissimilis; ac propterea materialiter deformis peccaminosus malúsque.

Quo sensu qui negarũt, possint Catholicè intelligi & exponi.

[Et hic obiter disces, quo sensu aliqui Veteres dixerunt ignorantiam insuperabilem non excusare à peccato; debent enim, ut Catholicè scripsisse dicantur, de materiali intelligi; est enim hæreticum dicere, ignorantiam insuperabilem non excusare à culpâ, seu peccato formali.]

Debuit hæc Peccati materialis & formalis distinctio accuratè explicari.

ARTIC. X.

Adhuc de Dictamine erroneo. *An illi possit, debeátve consentire Voluntas?* Exponitur sententia Scoti, eáque doctrina D. Thomæ firmatur.

MAGNVM est Dictaminis imperium. Illi debemus obedire, non solùm quando invincibiliter, sed etiam quando vincibiliter errat: hac tamen differentiâ servatâ: quod Dictamini obsistere semper sit malum: & adhærere etiam censeatur malum, quando voluntarius est error.

Scot. *in Repert. Paris. dist.* 39. *quæst. unic.* §. *ad tertiam.* eamdem quæstionem proponit; nam interrogat, *An omnis conscientia liget?* &, ut scitè, quod solet procedat, materiam indifferentem ab obligatoria secernit, & sic inquit. *Dico, quod potest esse conscientia de lege Divina, vel de actu indifferente;* 117

Quomodo obliget circa res indifferentes?

Quid sit ignorantia? Actus est triplex, bonus malus indifferens. Quid sit cõscientia errone[a]?

differentes, quidam sunt mali ex genere. Dicunt ergo quod si ratio vel conscientia dicat aliquid esse faciendum, quod sit [illegible]um ex suo genere: non est ibi error: Si[illegible], si dicat aliquid non esse faciendum, quod est malum ex suo genere: eadem enim ratione præcipiuntur bona, quæ prohibentur mala. Sed, si ratio, vel conscientia dicat alicui, quod illa, quæ sunt secundum se mala, homo teneatur facere ex præcepto, vel quod illa quæ sunt secundum se bona, sint prohibita, erit ratio vel conscientia errans. Et similiter, si ratio vel conscientia dicat alicui, quod id quod est secundum se indifferens, ut levare festucam de terrâ, sit prohibitum vel præceptum: erit ratio vel conscientia errans. Dicunt ergo, quod ratio vel conscientia errans circa indifferentia sive præcipiendo sive prohibendo obligat: ita quod voluntas discordans à tali ratione errante, erit mala & peccatum. Sed ratio vel conscientia errans præcipiendo ea, quæ sunt per se mala, vel prohibendo ea, quæ sunt per se bona, & necessaria ad salutem non obligat: unde in talibus voluntas discordans à ratione vel conscientia errante, non est mala. Hanc distinctionem, admittunt & tuentur Iansenistæ, qui negant ignorantiam invincibilem excusare à peccato.

An obliget sub culpâ gravi? Error in materiâ indifferent. Error in bonâ vel malâ materiâ.

Nota id bene.

Eam autem non esse admittendam certum est: quoniam leges non te obligant ut sunt in se, aut ut sunt in intellectu Principis; sed ut sunt in tuo: unde si ignorentur, non obligant: &, si, quæ revera morales sunt, prudenter censeantur esse merè pœnales, ad pœnam ipsæ obligant, non ad culpam: quoniam, ut habet Ethicum Protheorema, *Quidquid agunt homines, intentio* (prudens) *judicat omnes.* Unde scitè Doctor Angelicus illud discrimen rejicit, & progreditur dicens: *Sed hoc irrationaliter dicitur, in indifferentibus enim voluntas discordans à ratione vel conscientia errante est mala aliquo modo propter objectum à quo bonitas vel malitia voluntatis dependet: non autem propter objectum secundum sui naturam, sed secundùm quod per accidens à ratione apprehenditur, ut bonum vel malum ad faciendum, vel ad vitandum. Et quia obiectum voluntatis est id quod proponitur à ratione, ut dictum est, ex quo aliquid proponitur à ratione, ut malum voluntas dum in illud fertur accipit rationem mali: hoc autem contingit non solùm in indifferentibus, sed etiam in per se bonis vel malis.* Hæc doctrina est pulcherrima, & summe necessaria: nam doctissimè poteris cum S. Thomâ dicere, duas in humanis actibus esse moralitates intrinsecam, extrinsecámque: illam ipsummet præceptum respicere, & hanc cognitionem præcepti: & essentialem illam & hanc accidentalem judicari. Poteris addere Theologiam humanorum actuum moralitatem & imputabilitatem non à lege secundum se (intrinsecâ, & essentiali) sed à legis cognitione (extrinsecâ & accidentali) desumi. *Non enim solùm* (ut *ibid.* Sanctus Doctor affirmat) *id quod est indifferens potest accipere rationem boni vel mali per accidens: sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem mali: vel illud quod est malum rationem boni propter apprehensionem rationis.* Pergit ulterius & hanc doctrinam exemplo opportuno dilucidat. *Quoniam abstinere à fornicatione, bonum quoddam est, tamen in hoc bonum non fertur voluntas, nisi secundum quod à ratione proponitur. Si ergo proponatur, ut malum à ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali. Unde voluntas erit mala; quia vult malum, non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens, propter apprehensionem rationis. Et similiter credere in Christum est per se bonum & necessarium ad salutem: sed voluntas non fertur in hoc, nisi secundum quod à ratione proponitur. Unde, si à ratione proponatur, ut malum, voluntas feretur in hoc ut malum, non quia illud sit malum secundum se, sed quia est malum per accidens propter apprehensionem rationis. Et ideò Philosophus dicit* in 7. Ethic. *quod per se loquendo incontinens est, qui non sequitur rationem rectam: per accidens autem qui non sequitur rationem falsam. Unde dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans à ratione sive rectâ sive errante, semper est mala.*

Unde sumatur bonitas vel malitia humanorum actuum.

q. 8. art. 1. An malitia objecti materialis sit imputabilis.

N. B. Hic peccata materialia, & violationes legum materiales, quæ nõ imputentur S. Thom. evidenter admittit.

An credere in Christũ possit esse per accidẽs malum?

Lib. 7. Ethi. c. 1. & lib. 5. cap. 9. ante med tom. 5.

Exposuit Doctor Angelicus ut vidisti, quando & cur mala voluntas mala sit, quæ à dictamine erroneo dissentit: at articulo immediatè sequenti examinat an, quando, & cur sit voluntas bona, quæ dictamini erroneo subscribit. Eum audiamus.

114 *1. 2. q. 19. artic. 6.*

Respondeo dicendum, quod sicut præmissa quæstio eadem est cum quæstione, quâ quæritur, Utrùm conscientia ligat? *ita ista quæstio eadem est cum illa qua quæritur,* Utrùm conscientia erronea excuset? *Hæc autem quæstio dependet ex eo, quod supra de ignorantia dictum est, dictum est enim supra, quòd ignorantia quandoque causat involuntarium, quandoque autem non. Et quia bonum & malum morale consistit in actu, in quantum est voluntarius, ut ex præmissis patet: manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium, & tollit rationem boni & mali moralis: non autem illa, quæ involuntarium non causat. Dictum est etiam supra, quòd ignorantia, quæ est aliquo modo volita sive directè sive indirectè, non causat involuntarium. Et dico ignorantiam directè voluntariam, in quam actus voluntatis fertur. Indirectè autem propter negligentiam ex eo, quod aliquis non vult illud scire, quod scire tenetur, ut supra dictum est. Si igitur ratio vel conscientia erret errore voluntario vel directè, vel propter negligentiam, quia error est circa id quod quis scire tenetur; tunc talis error rationis vel conscientiæ non excusat, quin voluntas concordans rationi vel conscientiæ sic erranti, sit mala. Si autem sit error, qui causat involuntarium proveniens ex ignorantia alicuius circumstantiæ absque omni negligentia tunc talis error rationis vel conscientiæ excusat, ut voluntas concordans rationi erranti non sit mala. Puta, si ratio errans dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala: eo quod error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur. Si autem ratio erret ut* hoc

q. 6. art. 8. An semper ignorantia excuset?

art. 2. huius quæst. 19.

q. 7. art. 8. Ignorantia duplex voluntaria & involuntaria.

Quæ sit ignorantia culpabilis.

An ignorãtia invincibilis in Decalogo excuset?

N. B. *In bene gubernatâ Republicâ adulterij meritam nemo invincibiliter ignorare potest.*

hoc quod credat aliquam mulierem submissam, esse suam uxorem, & eâ petente debitum velit eam cognoscere: excusatur voluntas eius, ut non sit mala: quia error iste ex ignorantiâ circumstantiæ provenit, quæ excusat & involuntariam causat.

115 *An semper adulterium malum sit?*

Dices. Ergo ad mentem Angelici Doctoris censendum est, ignorantiam invincibilem excusare in legibus humanis, non autem in lege naturali & divina: hoc enim significare videntur illa verba, *Puta si ratio errans dicat*, &c.

Cur ignorantia in adulterio non excuset?

Respondeo D. Thomam in adulterio accusare ignorantiam: non quod existimet invincibilem non excusare à culpâ; sed quod putet ignorantiam in materiâ tam clarâ, videlicet apud Christianos, non posse esse invincibilem. Si enim invincibilis sit, excusat in omni materiâ: quidquid obganniant cum Lutheranis & Calvinistis Iansениani.

Puto iam de mente D. Thomæ dubium non remanere: sunt enim clara & liquida testimonia, quæ dedi: modò igitur aliquas Resolutiones, à S. Thomæ doctrinâ suborientes, ut omnis tollatur æquivocatio, subscribamus.

Resolutiones.

116 *Quid peccatum sit?*

I. *Peccatum Theologicum est factum dictum, aut cogitatum contra legem Divinam.* Ergo à lege Divinâ præscindendo nullum contra Deum esse potest peccatum. Et stando doctrinæ communi, quam judico probabilissimam, est duplex: Materiale & Formale.

Materialis & Formalis communis, & à doctis pronunciata distinctio.

II. *Homicidium, quo innocens occiditur, revera est contra legem Divinam, non tamen erit imputabile nisi fiat cum malitiâ & malo animo:* quando ergo forte judex, iuxta allegata, & probata servato ordine Iuris, innocentem condemnat; homicidium committit, quod est pure materiale peccatum: homicidium inquam, quod non est culpa, nec peccatum formale: est enim homicidium necessarium, quod Iudici non imputabitur.

De conscientia errante.

III. *Conscientiam invincibiliter errantem homo tenetur sequi.* Si illa dictet mendacium esse dicendum, & Franciscus mentiatur, eius in tali casu actus erit peccatum materiale; at verò non erit culpa, nec peccatum formale. Si illa eadem conscientia dictet eleemosynam esse malum: & tamen tu eleemosynam dederis; feceris actum meterialiter bonum, qui sit malus & peccaminosus formaliter.

An ignorantia invincibilis malitiâ materialem & objectivam auferat.

IV. *Ignorantia invincibilis stando D. Thomæ, & communi Theologorum doctrinâ, quæ dari peccata materialia supponit tollit peccatum formale, non autem materiale:* nam mentiri ex ignorantiâ invincibili, est malum materialiter, sed non formaliter; nec enim ignorantia aut necessitas potest facere, ut mendacium sit bonum materialiter. Vt hoc altiùs intelligas, hunc casum propono. Iubet Superior tuus, ut carmen Heroicum componas in laudem Angelorum Reginæ: Sanè Heroicum pedibus sex componitur; at tu, quia invincibiliter putas illud componi quatuor; sic concinis *Laudetur Sanctissima Virgo.* Et Petrus, an, & quomodo peccaveris? rogat. Sed ego antequam respondeam, volo rem, quam fecisti, ab ipsâ actione, quiâ illam fecisti distinguere. Illa est objectum & materia circa quam tui actus: hæc est ratio formalis, quæ ex parte liberi arbitrij se tenet. Aio igitur carmen illud Tetrametrum, quod cecinisti, esse Heroïcum: peccans; defectuosum, & malum: & addo non esse veram Propositionem; *Hic versus*, laudetur sanctissima Virgo, *si factus fuisset ex malitia haberet tantùm quatuor pedes, & esset defectuosus: & quia factus est ex ignorantia, est bonus, & habet pedes sex:* quia materialis eius integritas non dependet à malitiâ aut ignorantiâ operantis: erit enim peccans & defectuosus, seu ex ignorantiâ, seu ex malitiâ fuerit conditus. Ignorantia ergo malitiam materialem non aufert? aufert tamen formalem, non enim est iste error imputabilis illi, qui fecit quod scivit: & ut bene sciret, fecit, quod potuit: Eodem modo de peccatis, quæ sunt contra leges Divinas Humanásque poterimus philosophari. Mendacium enim, si ex ignorantiâ invincibili committatur, non erit imputabile; ac propterea non erit peccatum formale: at non obstante ignorantiâ invincibili, erit actus linguæ, menti dissonans; & octavo Decalogi præcepto dissimilis: ac propterea materialiter deformis peccaminosus malúsque. [Et hic obiter disces, quo sensu aliqui Veteres dixerunt ignorantiam insuperabilem non excusare à peccato; debent enim, ut Catholice scripsisse dicantur, de materiali intelligi; est enim hæreticum dicere, ignorantiam insuperabilem non excusare à culpâ, seu peccato formali.]

N. B. Tota hæc D.Thom. & Doctorum Magistroru doctrina, legis notitiam de legis essentiâ non esse: & sicut Metricæ, sic Morales leges posse ex insuperabili ignorantiâ violari, Cæteùm, si cognitio ad legis Moralis conceptũ essentialem pertineat, nõ dantur peccata materialia.

An ignorantia semper excuset à peccato formali?

Quo sensu qui negarũt, possint Catholicè intelligi & exponi.

Debuit hac Peccati materialis & formalis distinctio accuratè explicari.

ARTIC. X.

Adhuc de Dictamine erroneo. *An illi possit, debeatve consentire Voluntas?* Exponitur sententia Scoti, eáque doctrina D. Thomæ firmatur.

MAGNUM est Dictaminis imperium. Illi debemus obedire, non solùm quando invincibiliter, sed etiam quando vincibiliter errat: hac tamen differentiâ servatâ: quod Dictamini obsistere semper sit malum: & adhærere etiam censeatur malum, quando voluntarius est error.

Scot. *in Repert. Parif. dist. 39. quæst. unic. §. ad tertiam.* eamdem quæstionem proponit; nam interrogat, *An omnis conscientia liget?* &, ut scitè, quod solet procedat, materiam indifferentem ab obligatoria secernit, & sic inquit. *Dico, quòd potest esse conscientia de lege Divina, vel de actu indifferente;* 117

Quomodo obliget circa res indifferentes?

indifferente; vel potest esse conscientia erronea de actu contra legem Divinam. Primò modo ligat, cùm conscientia est conformis legi Divinæ, duplici vinculo. Secundò modò ligat; quia, qui habet conscientiam de actu indifferente, credens quod sit de necessitate salutis, faciens contrarium contemnit salutem. & faciendo actum, in se non peccat, cùm sit ex se indifferens: ligatur igitur ad faciendum. Si est conscientia erronea adhuc ligat; sed non tenetur ad faciendum illud, nec eius contrarium, sed ad deponendum errorem; quia sive faciat, sive non faciat, stante conscientiâ peccat mortaliter: quia nullus per peccatum suum potest se absoluere à lege Divinâ, quia illa est ignorantia dispositionis, non negationis; ideo non excusat, sed accusat; &, si adimplet, facit contra conscientiam. Ideò, quamquam lex Dei necessitet ipsum ad contrarium, ipse facit sibi tamen legem contrarium legi Divinæ. Quomodo igitur deponetur? Dico, quod si est de præcepto negativo, ut. Non occides. *Statim absque omni morâ peccat, si est de præcepto affirmativo, peccat, si non adimplet pro tempore, pro quo tenetur: tamen potest stare per aliquod tempus, posito aliquo casu, etsi non peccet.* Relego illa verba. *Si est conscientia erronea adhuc ligat, sed non tenetur ad faciendum illud, nec eius contrarium, sed ad deponendum errorem: quia sive faciat, sive non faciat, stante conscientia peccat mortaliter.* Porrò, si non tenetur, quomodo peccat? nam, si peccat, tenetur. Ego autem sic discurro. Clodius Gentilis est, & vincibiliter ignorat religionem Christianam. Instat Iovis solemnitas; & conscientia erronea, quam habet, dictat illi expresse & realiter, ut thus adoleat, & conscientia vera, quam virtualiter habet, nam sponte illâ caret, dictat implicitè & virtualiter, ne adolet. Quid dicemus? Respondeo. Hæc conscientia erronea ligat: & tenetur homo ad faciendum illud (adolendum) & eius contrarium (non adolendum) quia, sive faciat, sive non faciat, stante conscientiâ, peccat mortaliter (nam, si faciat, operatur contra conscientiam, quam deberet habere: &, si omittat, procedit contra conscientiam, quam nunc habet.) Ergo-ne, hinc sequetur hominem esse in necessitate peccandi? minimè. Nam inter operari, & omittere cum conscientiâ erroneâ, datur medium, quod est *errorem deponere*, & ad hoc Clodius sub mortali tenetur.

Quomodo circa bona?

Quomodo circa mala?

Qui ex conscientiâ vincibiliter erroneâ rem malam, obligatoriã esse putat, seu faciat, seu omittat, peccat.

An homo necessariò peccet.

Inter facere, & non facere datur medium, hoc est conscientiam erroneam deponere.

Idem Subtilis Doctor *in 4. dist. 5. quæst. unic. §. Quid sit præsumptio.* Examinans, *Quid Baptismi Minister debeat facere, quando falsò sibi persuadet, infantem ipsismet aquis baptismi interimendum?* Sic inquit. *Si ille stante illâ conscientiâ erroneâ quòd baptizando acceleret mortem, baptizet peccat mortaliter; quia secundum conscientiam facit homicidium. Quid ergo? Necesse est, si nullus alius adsit, qui possit baptizare, dimittere istam conscientiam: quia in casu illo nullum est aliud remedium vitandi peccatum mortale.* Ecce Minister ille, sive infantem baptizet, sive non, operabitur contra dictamen (contra illud, quod habet, si baptizet: & contra illud, quod habere deberet, si non baptizet) Ergo alterutrum faciat, peccabit. Nec hinc inferri liceat, Ministrum in casu necessariò peccaturum; quia inter *baptizare*, & *non baptizare* medium non datur: male enim proponuntur extrema inter quæ voluntas versatur, non enim illa sunt *baptizare* & *non baptizare*, ut in Obiectione supponitur; nam hæc medium non habent: sed sunt *baptizare cum conscientiâ erroneâ*, & *omittere baptismum ex conscientiâ erroneâ*; & hæc non opponuntur ex diametro; nam in medio interest, *deponere illam conscientiam erroneam*, quod tunc ille Minister, & facere poterat, & tenebatur.

An baptizans possit infans cui ab ipso mortem accelerabit?

Quid faciet Parochus si facere & omittere putet esse peccatum?

Est inter extrema medium deponere conscientiam erroneam.

Similiter *in 4. dist. 30. quæst. 1. §. Dico ergo.* quærit, *Quid agere debeat coniux, cùm credit alteri quam suo coniungi (uxor marito, aut maritus uxori) dicenti se non consensisse in matrimonium?* Et, ut propositum casum resoluat, sic infit. *Si non potest tollere conscientiam, quam habet in verbo privato alterius coniugis, stante illâ conscientiâ peccat mortaliter reddendo debitum quia fornicatur: non reddendo autem, & multo magis recedendo exponit se periculo peccati mortalis: quia fortè iste mentitur, & probabilius est, quod nunc mentiatur, quam quod mentitus fuerit in principali contractu.*

An coniux possit, aut debeat alteri coniugi credere, si dicat se non habuisse consensum

Hæc Scotus [de exemplis statim agemus: non enim satis clarè resoluta videntur: nunc de doctrinâ disseramus.] Sanè quando Franciscus habet conscientiam erroneam liberam & vincibilem, quæ dictat esse peccatum *non occidere Petrum*: peccabit mortaliter occidendo; quia impinget in præceptum Divinum; & peccabit mortaliter non occidendo, quia impinget in conscientiam propriam. Videtur tibi difficilis doctrina hæc, nam præiudicare videtur humanæ libertati; & sic instas. Peccabit Franciscus, si occidat: peccabit, si non occidat: Ergo necessariò peccabit. Ergo peccat interdum homo in his, quæ necessariò facit, quod Ecclesia in Wicleffo, Luthero, Calvino, Bayo, & tandem in Iansenio condemnat. Negat consequentiam Scotus; & ex doctrina iterum iterumque præmissâ nego & ego: quia licet stante illâ erroneâ conscientiâ sit peccandi necessitas, illa conscientia erronea, adeóque ipsa peccandi necessitas, quæ ex illâ nascitur, Francisco est libera; potest enim inquirendo reperire veritatem, & hâc inventâ conscientiam erroneam deponere. 118

Conscientia erronea præstat, ut ex duobus contradictoriis alterutrum homo faciat, & peccet.

In hoc casu nulla est peccandi necessitas: & cur?

Hanc doctrinam certissimam tuentur sententiarij communiter: ita habent Gratianus Brixiensis *in 2. dist. 39. §. Tertia ratio.* Ioannes Major *ibid. quæst. unica.* Gugliel. à Rubione *ibid. q. 1.* Petrus ab Aquila, aliàs Scotellus *ibid. q. 1. & in 4. dist. 30. q. 1.* Nicolaus de Nisse *tract. 2. part. 2. port. 3 q. 10.* Nicolaus de Orbellis *in 2. dist. 39. q. 2.* & *in 4. dist. 5. q. 4.* & *dist. 30. q. 1. §. 4.* Petrus Tartaretus *in 2. dist. 39. § Sed hic quæritur,* & *in 4. dist. 5 q. 1.* & *dist. 30. q. unic. §. Dices pono casum.* Angelus Vulp. *to. 2. par. 2. disp. 71.* Anton. And. in *2. dist. 39. §. Ad q. 3. dico* &

Authores pro Scotisticâ, quæ est communis doctrina.

& *in* 4. *dist.*30. *quæst.* 1. Frater Astet *in Summ. Astensi part.*1.*lib.*2.*tit.*3 *art.*2. Nicolaus Auxim. *in Summa quæ dicitur* Supplementum *verb. Cum scientia.* Fr.Angelus *in Summ.Angelicâ verb.Conscientiâ.* Villalobos *tract.*1. *de conscientiâ diff.*2. & 23. *num* 5. Corduba *lib.*4. *quæst.*4. Rodriquez *in Summâ verb.Conscientia erronea.* Leucietus & Hichæus *in Comment.*& Cavellius *in Scholiis.* Progrediamur.

In omni dubio & opinione datur ignorantia: & hæc est voluntaria, aut non voluntaria.

119 In omni opinione, & in omni opinione falsâ,quam iudicat quis esse certam & indubitatam,est ignorantia, est conscientia erronea:quæ vel est vincibilis, vel invincibilis;si vincibilis, erit libera & secundũ ea,quæ hucusque diximus iudicanda:si autem sit invincibilis,non erit libera,& pendebit ab his,quæ iam subscribimus.

Conscientia erronea obligat.

Corduba *ubi supra.* Sic inquit. *Conscientia erronea invincibilis dictans obligatoriè id, quod est malum vel contra legem, obligat ad conformandum se ei eo modo,quo dictat.* Nota illud *eo modo quo dictat.* quam ob rem, si dictat esse certum, quod die Ieiunij teneris comedere carnes, debebis illas comedere: si dictet hoc esse probabile, poteris illas quidem comedere, sed non teneberis.

Vincibilis & invincibilis ignorantia discrimen.

Id non bene percipitur in actibus, qui contra illas fiunt, sed in actibus, qui secundum ipsas fiunt.

Villalobos *loc.cit.n.*1. indiget expositione:ait enim *Respondeo, que la conciencia erronea o errante*, (nimirum, quando dictat, quod sit certum rem aliquam debere fieri) *obliga de suerte,que hazer contra ella es pecado.* Et posteà *Lo dicho es verdad, quando interviene ignorancia invincible.* Et etiam est verum,quando est vincibilis,non enim bene est assequutus; aut saltem non bene hîc dilucidat exponitque discrimen ignorantiæ vincibilis & invincibilis Villalobos; illud enim non percipitur, quando aliquis operatur contra Conscientiam,sed quãdo operatur secundum oonscientiam.Pono exemplum. Petrus & Paulus iudicant se debere comedere carnes die Veneris; & uterque fallitur. Ergo uterque habet conscientiam erroneam.Pone ergo Petrum habere ignorantiam invincibilem.Paulum vincibilem. Si uterque abstineat à carnibus uterque operabitur contra conscientiam, & uterque peccabit. Ergo in omissione,quæ contra conscientiam est, discrimen non bene adsignat Villalobos. Quid, si uterque carnes comedat? Peccabit Paulus, & non Petrus:ergo hîc debet poni discrimen.In aliis locis loquitur bene Villalobos;ergo hic ex inadvertentiâ potiùs, quàm ex alluciatione exorbitavit.

Quomodo obliget conscientia erronea involuntaria?

An possit Deus habitum erroris infunderet?

Pulchrè Guilliel.à Rubione. *Sed quid,si talis conscientia erronea non esset in potestate eius.Sed à Deo ipsi infusa? Ad hoc videtur dicendum; quod, si talem conscientiam Deus alicui infunderet, quam ipse per se deponere non posset,Deo impediente,quod talis eligendo seu agendo vel omittendo secundum talem conscientiam,nullam contraheret culpam; sed potiùs è converso committendo vel omittendo aliquid contra ipsam.* Posse Deum habitum erroris infundere,quod plurimi negãt, supponit. Sed cur nos huc propellit, quando quotidie habeamus ignorantias invincibiles, quas, etsi velimus, & conemur, non possumus ullo modo deponere?

An Cavellus Scotum intelligat?

120 Hugo Cavellus *Schol.*3.*in dist.*39.*Report.* Sic rem expedit. *Si* (conscientia erronea) *dictat aliquid faciendum, quod* (reverà) *est malum. Doctor tenet non esse sequendam: quod verissimum est, quando occurrit aliqua ratio contra; sed, si admittatur conscientiam hoc ita dictare, quod nihil in contrarium occurrat, sequenda est.* Non assequitur Scoti mentem; non enim ita resoluit Scotus:&, si sic resolueret,non bene resolveret. Scotus enim agit de conscientiâ erroneâ vincibili & invincibili: non autem de conscientiâ erroneâ rem certò esse faciendam, & rem probabiliter esse faciendã dictante. Porrò,si error sit invincibilis, & aliqua ratio (nempè gravis, quia ratio levis virtualiter loquendo est nihil) occurrat,tunc erit conscientia probabilis, & licitè poteris facere alterutrum Cæterum, si conscientia erronea sit vincibilis, occurrat ratio contrà, aut non, non excusat;quia veritatem teneris inquirere, quam te posse invenire supponimus:aliàs ille error non esset vincibilis,sed invincibilis.

Non excusat ignorantia vincibilis.

Error vel negationis, vel dispositionis est.

Qui legem Dei violat ex conscientiâ erroneâ invincibili actum honestũ facit.

Nihil est peccatum, nisi scienter fiat.

An dentur peccata hypothetica?

Profectò Scoti mens patet ex literâ illumque sicut Ego exponit Angelus Vulpes *tom.*2 *part.*2.*disp.*71. *art.*5. notat enim Scotum inter errorem negationis & errorem dispositionis distinxisse,& sic ait. *Imprimis Scotus in eâ fundamentalem sternit distinctionem de duplici conscientiâ erroneâ; invincibili & vincibili.* Et paulò post. *Prima obligat, tam negativè, ne contra eam operemur, quam positive ut eam sequamur. licèt enim obliget ad id quod reverà peccatum* (materialiter) *est, si scienter fiat, tamen propter invincibilem ignorantiam abest esse peccatum, ut potiùs sit opus honestum.* Et iuxta hanc doctrinam ex illo articulo eruit hanc Conclusionem: *Dicimus primò conscientiam erroneam ex errore invincibili ligare & obligare positivè, ut eam sequamur.* [Et hîc obiter nota illud, *si scienter fiat*, ut videas hunc Authorem peccata hypothethetica admittere, tametsi hoc nomine nunquam, utatur.]

An rustici & Idiotæ suis Parochis credere debeant?

An sit difficile certò scire,an Petrus, v. gr. laboret ignorantiâ invincibili?

Tartaretus *in* 3. *dist* 25. *quæst.*1. quærit, *An homines rustici & ignorantes debeant credere Parocho, etiam quando iste illos decipit?* Et quidem hæc quæstio in Germaniâ locum frequentissimum habet: multi enim idiotæ ab hæreticis Parochis seducuntur. Vt resoluat hanc Quæstionem, sic ait. *Si vetula habeat conscientiam erroneam per ignorantiam invincibilem, quod tenetur credere Curato suo, tunc bene excusatur: sed, si possit scire veritatem per Doctores, habendo conscientiam erroneam, & credendo Curato suo, peccat mortaliter: imò debet deponere illam conscientiam erroneam, quam habet de illâ propositione:* Respondet doctè, quoniam conditionatè: quàm enim certum est materialem hæresim non imputari, tam est difficile absolute iudicare hîc & nunc, sitne hæresis hominis huius culpabilis

sive formalis, an verò inculpabilis & materialis.

N O T A.

TRes authoritates Scoti produxi; & in singulis habeo aliquid, quod debeam notare. Fortè non digredior à lineâ: quod, si digrediar, erit Lectoribus vtilis ista digressio.

Vera Carētia divisio. IN primâ authoritate ignorantiam negationis ab Ignorantiâ dispositionis distinguit, & me monet non sufficere divisionem carentiæ quæ traditur in scholâ communiter, sed debere iuxta meam doctrinam statui in Physicâ, ut per analogiam ad Ethicam transire possit. Ego igitur Carentiam sic divido.

Quid sit carentia?

Carentia { *Negatio.* { *Debita.* / *Neutralis.* ; *Privatio.* { *Defectus.*

Quid sit negatio? *Quid privatio?* *Quid defectus?* *An elementa substantialibus formis distinguantur?* *Privatio debita: privatio formæ debitæ: & privatio neutra.* *Omissio auditionis missæ est privatio.*

Carentia est nomen generale, & omni formæ absentiæ convenit: & in Negationem & Privationem dispescitur. Negatio est carentia formæ in subiecto incapaci, ut carentia visionis in lapide: hic enim videre non potest. Privatio est carentia formæ in subjecto capaci; vt carentia caloris in aquâ: aqua enim caloris capax est. Hucusque Peripatetici progressi sunt: & dum negationes ad Ethicam transferunt, vocibus abutuntur. Oportet igitur eorundem temperare doctrinam, & Privationem in debitam, Defectuosam, & Neutram subdividere. Defectus seu Privatio defectuosa est privatio formæ subiecto debitæ; videlicet, formæ, quæ debet inesse subiecto; ut in sententiâ Aristotelis, qui elementa formis substantialibus constituit & distinguit, frigiditas aquę respectu est forma debita: nam forma substantialis aquæ frigiditatem postulat, & ideò frigiditas est aquæ debita, & eius in aquâ privatio, defectus est. Privatio caloris in aqua est privatio debita: quia aqua debet non habere calorem. Inter privationem debitam, & privationem formæ debitæ interest privatio neutra: nempè formæ, quæ nec debet inesse, nec abesse; vt lux, quam nec aqua postulat, nec respuit.

Hanc doctrinam transferendo ad Moralia, dicam omissionem auditionis missæ, tempore interdicti esse privationem debitam, die festo esse privationem formæ debitæ, adeóque esse defectum: & tandem die feriali esse neutram, tunc enim nec audire, nec non audire missam debes.

123 *An ignorātia invincibilis sit negatio? & an vincibilis privatio. De ignorātiâ dispositionis.* Hinc ad Ignorantiam veniens, ne multum abeam à Scoto, sic discurro. Invincibilis ignorantia, ut Scotus notavit, Negatio scientiæ est: quia manentibus circumstantiis vt sunt, convenit necessariò subjecto. Ignorantia vincibilis, est de rebus, quas potest homo scire: ergo est scientiæ privatio. At ex rebus, quas potest homo scire, alias debet scire, alias debet nescire; & alias liberè poterit scire & nescire. Si primum, ignorantia est defectus: quam nescio cur Scotus *dispositionis ignorantiam* appellat: Si secundum, ignorantia erit debita: Si tertium, neutra. Et hanc Theologi ponunt in Christo quà homine multorum obiectorum respectu, & *nescientiam* appellant. Porrò Decalogi & aliarum legum, quibus obligatur, cognitio, est mihi debita. Cæterùm, ubi cognosco meam fragilitatem, & prævideo Geomantiæ notitiam, verbi gratiâ, fore mihi nocivam etsi legendi libros interdictos obtenuerim licentiam, non potero Geomantices libros legere, nec hanc inertiam (nec enim Geomantiæ meretur Artis nomen) potero doceri aut addiscere. Ergo in casu, Geomantiæ cognitio erit mihi nociva, & eius ignorantia erit debita. Et denique, Logarithmorum cognitio, quos nec scire nec ignorare debeo, erit neutra. Sanè Christianus scire debet Decalogum, & obligationes sui officij: debet ignorare omnia illa, quorum cognitio esset causa peccandi: unde, sicut datur Ignorantia vincibilis & invincibilis, sic etiam Cognitio vincibilis & invincibilis: nam nocivas notitias aliquando vel nolentes adquirimus, & aliquando voluntariò & spoute. Vnde Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris.* & ad Rom. 12. *Non plus sapere, quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem.* At ludere chely, aut cantare potest aliquis scire aut nescire sine detrimento conscientiæ.

Quid nescitia sit & an attribui Christo queat? *Notitia etiā in vincibilem & invincibilem dividitur.*

IN secundâ authoritate Scoti agitur de Baptismo. Et quidem miror Viro subtili Præterintentionalis Theologiæ Fundamenta ibi non occurrisse, & ideò unum aut alterum proponam, ut à Scotò suppositus casus diludetur. Sit 124

An possit baptizari infans si ex baptismo citius sit moriturus? PRIMVS. Est æger infans; & ipsi reverà, etsi baptizetur, non accelerabitur mors; at Petrus putat ex conscientiâ erroneâ mortem illi accelerandam, & non est alius, qui ipsum baptizare tunc possit. Stante hâc conscientiâ erroneâ, peccabit Petrus mortaliter, si illum baptizet; quia aget contra conscientiam: peccabit mortaliter, si non baptizet, quia aget contra Charitatis præceptum. Quid ergo faciet, vt evitet mortale? *Debet dimittere istam conscientiam erroneam*, ait Scotus, *quia in casu illo nullum est aliud remedium vitandi peccatum mortale.* At ego dico stante illâ conscientiâ debere adhuc Petrum, moribundum infantem baptizare. Et, ut hoc persuadeam, casum strictioribus circumstantiis exorno. Sic, inquam. Sit æger infans: & sit reverà certum, quòd, si baptizetur, citiùs sit moriturus: hoc Petrus evidenter cognoscat, iam hæc conscientia erit non erronea, sed certa, & quam Petrus, etsi velit, non possit deponere; ubi enim adest evidentia, non adest opinandi libertas; nam, scitè docet Aristoteles, apprehendimus res, ut volumus; non autem, ut volumus, iudicamus: nam paginam nigram exaratam albis Characteribus apprehendo, cum volo: at verò hanc, cui literas præsentes inscribo, quam esse albam video; esse nigram, etsi velim, iudicare non

Quid dicendum, si conscientia sit erronea? *Quid si certa & evidens?* *An res apprehendere, an de illis possimus, ut libet, iudicare?*

non valeo. Pronuncio igitur Petrum, non obstante evidentiâ de mortis acceleratione, debere infantem baptizare. An licitè infantem occidet? Minimè. Quid ergo? Iuxta Præterintentionalis Theologiæ Fundamenta ponet unam causam (absolutionem) quæ habeat duo effectus (baptizare, & mortem infanti accelerare) intendendo videlicet primum effectum (baptizare) à secundo autem (à mortis acceleratione) præscindendo, aut etiam positivè dissentiendo. Conclusio (quidquid de probatione sit, quæ sub his terminis non ita ab universis ponitur, non enim omnium est adire Corinthum) est communis, & habetur ab Anton. Cotonio *in summâ Dianæ, verb: Baptismus, n.49.* ubi sic lego. *Certum* (est) *puero proximè morituro baptismum ministrari posse ex cuius administratione cognoscatur mortē accelerandum esse puero. Tum, quia mors, non per se, sed per accidens* (dicerem ego, præterintentionem) *contingeret: tum, quia tam leve detrimentum pro salute æternâ contemnendum est.* Et Vasquez, Coninch, Laymanum & Palaum adlegat. Nota illud *certum*, non enim vult doctrinam hanc esse probabilem, sed certam. Considera duas rationes, quibus suam Resolutionem probat: quarum prima solidissima est, secunda debilis: nec enim directè, & ex intentione aliquem licet occidere, vt illum ad æternam beatitudinem transmittam, *non enim, vt eveniant bona, facienda sunt mala.*

Discursus Præterintentionalis.

Quam sit certa hæc doctrina?

125 SECVNDVS. infans moribundus iacebat: non suppetebat aqua: & quia erat in morâ periculum, Petrus illum in puteum projecit, verba ritè pronuncians. An mansit infans validè baptizatus? an licitè? Cotonius *loc. cit.* breviter, ut solet & solidè. *Validum esse baptismum infantis, qui in puteum projiceretur, affirmant communiter Doctores. An verò liceat illum projicere, dum aliter baptizari nequeat* (hoc enim supponi in casu debet, nam si aliter potest baptizari, cessat quæstio: quam ob rem, si aliqua ex illis omnibus rebus, quas proponit Sotus *in 4. dist.1.q.3. art.8.* possit fieri, casus tollitur) *& iam iam moriturus sit, dubitatur hinc inde. Ita Diana* part.10.tract.16.resol.20.

An validus baptismus sit quando infans in puteum aut in fluviū projicitur.

Dubito autem, An sit communis Doctorum opinio, vt vult Cotonius, quæ validum esse hunc baptismum affirmat: nam esse illum invalidum & ministrum peccare mortaliter, tum Sacramentum invalidè administrando, tum hominem occidendo, docent Suarez *tom.3. quæst.68. artic.11. in comment.* Sylvester *verb. Baptismus 4. §.10.* Sotus *in 4. dist.3. quæst. vnic. artic.8.* Ledesma *in summ. verb. Baptismus, diff.7.* Henriquez *lib. de Sacr. in gen. cap.9. num.14.* Et Authores contrariæ sententiæ: nempè Villalobos *1. part. tract.5. de baptis. difficult. 4.* & Acacius *tom. 1. de verb. Baptismo, resolut.85. num.3.* & alij tantùm iudicant baptismum esse probabiliter validum; vnde iubent, vt infans, si supervivat, iterum sub conditione, *si fortè non sit baptizatus*, baptizetur.

Authores asserentes hunc baptismum invalidum, & illicitum esse.

An talis baptismus tantummodo probabilis sit?

I. Caramuel Dialexis.

Interim Conradus 2. *part. Respons. q.70.* & alij qui dicunt posse in casu infantem projici in fluvium licitè & validè: à fortiori resolvent contra Scotum in primo casu baptizandum esse, etsi aqua acceleratura illi mortem sit. 116

Conradi Opinio.

Cæterùm tametsi Conradi sententia non omninò displiceat, ratio non placet, inquit enim: *Minima acceleratio non censetur homicidium, quia minimum pro nihilo reputatur.* Et tamen certum est peccare mortaliter, qui moribundum sciens & volens uno minuto temporis, antequam esset moriturus, occideret. Ergo ad Theologiam Præterintentionalem recurrendum est: nam minister adhibet unam causam (projectionem in puteum, vel in fluvium) quæ duos effectus habet (baptizare, & occidere) adhibet inquam illam in ordine ad primum effectum (baptizare) à secundo (occidere) præscindens, aut etiam reverà dissentiens. Hunc casum proposui, & resolvi *in Theologia Præterintentionali à num.2091.* Locum recognosce, & plures ibi Authores, & rationes reperies.

An bene probetur?

An occidere moribundū peccatum sit?

Discursus præterintentionalis.

TERTIVS. Alsoria moribunda, cùm esset gravida, & nullam supervivendi spem haberet; infantem ne sine baptismo moreretur, excidi iussit. Ille fuit baptizatus, illa citiùs obiit. Quæritur, an peccaverit? 117

An infans possit adhuc parente vivâ excidi?

Si illa esset condemnata capite, & esset spes, ut proles viva excideretur & baptizaretur, posse iuridice hoc genere mortis condemnari propter æternam prolis salutem judico. Ita Escobar *in Theolog. Morali, tract.7. exam.2. cap.4. num.13.* Suario & Coninch. subscribens. Et in hoc casu non esset exspectandus reæ consensus; nam potest puniri etiam invita. Maior difficultas est, si non esset rea. Casum sic Antonius Cotonius *in summ. verb. Baptismus, num.37.* resolvit. [Nota hic, quòd Præpositus *ibid.* quamvis doceat non licere, matrem vivam exscindere, ut proles baptizetur; quia non licet directè aliquem occidere, vt bono spirituali eiusdem, vel alterius consulatur; posse tamen putat existentem in vtero modo supradicto baptizari, si non esset spes probabilis, quod vivus nasci possit, & possit nihilominùs aqua ad illum abluendum pertingere: esto ex hoc prævideatur secutura mors matris, quæ in hoc tenetur consentire, quia tenemur cum nostræ vitæ discrimine succurrere saluti proximi, quando moraliter certum est, nos posse, & eum aliàs periturum. Sed hunc casum raró evenire posse notat Diana *part. 5. tract.3. res.11. §. Non desinam.*] Hinc patet, quo sensu anno 1650. Pragæ P. Ludovicus Connæus Franciscanus Hibernus hanc Thesim in publica disputatione defēderit: videlicet. *Non est improbabile licere aliquando matrem vita privare, ut baptizetur infans.* Vide meam Metalogicam, *num.1634.* Duo interim hic ponebat Præpositus, quæ non videntur cohærere. Vt baptizetur in ventre, postulat vt aqua eò

Si mater esset capite damnata posset.

Et quid, si illa non esset capite damnata?

An hic matrem præceptū Charitatis obstringat?

An baptizari in ventre possit, etsi nō possit vivus nasci

pertingere possit, & quod sit spes probabilis, quod nasci possit vivus. Sanè, si aqua realiter infantem pertinere non possit, cessat quæstio: nam ipse & non mater abluendus est. Si aqua infantem pertingat, quæstio est, an possit baptizari nondum natus? Cæterùm ex suppositione, quòd possit, illa probabilitas, quod vivus possit nasci, gratis postulatur: nam, si semel validè est baptizatus, manebit baptizatus, etsi non possit vivus nasci.

128 *An coniugi dicenti aut iuranti se non habuisse intentionem contrahēdi matrimonium credendum sit?*

IN tertiâ authoritate ego scrupuli locum non reperio: sed moneo, ut petitionem debiti à redditione distinguamus. Primò conjux alteri conjugi seriò se non habuisse intentionem dicenti, potest credere & decredere: quia sicut non est evidens, quòd veritatem dicat; ita nec est evidens, quòd mentiatur: &, si fortè juramentum accedat, erit ratio prudentiùs credendi. Ergo stando credendi libertati, poterit reddere debitum, quia asserenti aut etiam juranti se non habuisse intentionem contrahendi matrimonium non credit: & potest licitè non reddere, quia credit. Sed quid, si non iam probabiliter, aut probabilius, sed etiam certò sciat illam mentiri? In casu debere reddere debitum asserit Scotus, ut vidisti: nego ego? &, ut puto, evidenter demonstro, quia illa suo iure cedit. Attende.

An teneatur ad restitutionem qui invasorem occidit.

Qui occidit invasorem excidendo limites inculpatæ tutelæ, peccat mortaliter. Sed non tenetur ad restitutionem. Si excessus in hoc consistat, quod potuerit, & noluerit fugere, conclusionem admittit expresse. Malder. *tract. 3. cap. 3. quæst. 6.* & Acacius *tom. 2. verb. Homicidio, resol. 46. n. 11.* quia, licet peccaverit contra Charitatem, non peccavit contra justitiam, & cur non contra Iustitiam? quia cessisse suo iure Invasor censendus est: qui non potuit cedere iure, ne occideretur; at potuit iure, ne fieret aliqua restitutio, si occideretur.

129 *An qui provocantem?*

Qui provocatus ad duellum sine moderamine inculpatæ tutelæ provocantem occidit non tenetur ad restitutionem. Ratio est eadem? quia provocans cessit suo jure, quo potuit: & licet non potuerit concedere licentiam, ut occideretur, concessit ne fieret restitutio. Ita Doctores.

An adultera à marito accusari aut occidi queat, si adulterium commisit ex licentia mariti?

Maritus, qui concessit vxori, ut mœchum illa admitteret, eamdem accusare non potest: quoniam quatenus potuit iure cessit. Et quidem non potuit cedere ita iure, ut uxor sine peccato esset adultera, at cedere iure aut illam occidendi, aut illam accusandi, potuit.

Coniux cedere non potest iure reddendi debitum.

Conjux potest cedere iure petendi debitum (excipio casum, in quo petere reddere sit: non enim potest cedere iure reddendi.) Hanc ob rem potest Deo vovere illud ius, vel in perpetuum, vel ad tempus.

Illi qui seriò dicit rem non esse suam, non debet fieri restitutio.

Conjux, qui alteri coniugi seriò dicit se nō habuisse intentionē contrahendi matrimonium, hoc ipso cedit iure petendi debitum. Patet: quia, qui perdidit catenam auream, & inventori volenti illam restituere, dicit non esse suam, cedit iure, ut sibi restituatur: ergo etiam coniux, qui dicit sibi non deberi solvi debitum, cedit jure: & quidē dicit sibi nō deberi, qui dicit matrimonium fuisse invalidum: & hoc asserit, qui se non habuisse intentionem contrahendi asseverat. *Ergo in casu, positâ certa cognitione mendacij, alter conjux poterit debitum reddere, sed non tenebitur.*



CAPVT III.

De aliquibus Certitudinis & Probabilitatis divisionib. & distinctionibus, quæ debent à Scholasticis non ignorari.

Occurrunt passim in argumentorum solutionibus syncategoremata, quæ propositiones in duos aut plures sensus dividunt; & tametsi uno & eodem modo loquantur Scriptores interdum, quia aliter & aliter adverbia accipiunt in opinione non conveniunt. Et hanc ob rem hoc caput Tertium adhuc addere debui, in quo Distinctiones aliquæ dilucidantur.

SCRIPSERE de Terminorum Distinctionibus eruditi Doctores; & nos monuerunt, sub uno & eodem adverbiorum cortice, latere nucleos differentes interdum. Nos quidem communem loquendi normam, à doctis receptam, sequi & tradere desideramus, at quia sæpe non conveniunt Authores, & interdum non bene loquuntur, ab illis exsumus, vt loquamur castigatiùs & clariùs. Cæterùm, quia multa apud Veteres & Iuniores inveniuntur, quæ à nobis omissa viderentur, placuit periodos subsequentes adjungere, ut nihil desit, quod possit dignum scitu censeri. Ergo adhuc ulteriùs pergamus. 130 *Ratio scribendi. Cur hoc caput addatur? Cur adhuc sequentia adjungantur?*



ARTIC. I.

De Certitudine & Probabilitate quoad Philosophiam & quoad Veritatem.

INEPTA videtur hæc Divisio: si quis enim aliquam Propositionem juxta Philosophiam esse veram, & tamen juxta Veritatem esse falsam affirmet, *Philosophiæ* nomine necessariò intelliget doctrinam falsam; repugnat enim, ut aliqua propositio, secundum rei Veritatem sit falsa, & tamen iuxta veram Philosophiam sit vera. 131 *Philosophia, quæ veritati opponitur, non est vera.*

Ergo

Veritas est duplex: quoad se, & quoad nos.

Ergo *Philosophia* nomen contrahendum est, & determinandum ad talem videlicet Philosophiam: Platonicam, Aristotelicam, &c. Quod ipsum adhuc indiget expositione: nam quando v. gr. quis dicit, hanc Propositionem *Mundus fuit ab æterno*, esse veram secundum Philosophiam Peripateticam, & falsam secundum Philosophiam Academicam: non vult dicere unam & eamdem Propositionem, quæ in una scholâ vera est, esse in alterâ falsam: hoc enim omninò repugnat: sed illam, quæ in una scholâ vera creditur, in altera falsitatis damnari. Ergo dicendum est Veritatem quoad se, & quoad nos posse considerari: Propositio enim dicitur vera quoad se, si rem enunciet ut est in se: & dicitur vera quoad Aristotelem, si rem enunciet, ut legitur in Aristotele. Et, ut distinctiùs procedamus, siquidem diversæ sunt Philosophiæ, aliquid in particulari de præcipuis dicamus.

Sunt diversæ Philosophiæ.

132 DE PLATONICA.

Platonica celeberrima fuit, & à loco, in quo tradebatur, dicta fuit *Academica*, & discipulos nobilissimos habuit; quibus tradebat Dogmata, quæ requirunt examen.

An Deus sit corporeus?

Porrò ista Propositio, *Deus est corporeus*, stando Fidei Orthodoxæ, & doctrinæ Christianæ, falsa est; est enim Deus reverà incorporeus & immaterialis, ut Ratio evincit, & sacra Scriptura nos docet. Eadem Propositio stando Veritati est similiter falsa. Standò veræ Philosophiæ, etiam est falsa: Philosophia enim, quæ Rationi, & Sacræ Scripturæ contradicit, non est Vera. Cæterùm hæc eadem Assertio stando Philosophiæ Platonicæ, quæ in Platonis libris legitur, est vera: hoc est, est verum illam traditam fuisse à Platone. Et idem dicito de his Positionibus.

Quid importet dicere, Hæc propositio est vera secundum Philosophiā Platonis?

An Mundus sit magnum quoddam animal? Ac eius anima sit Deus?

Deus est Anima Mundi. Hanc sumpsit ex Academiis Virgilius, qui *Æneid. lib. 6.* cecinit.

> *Principio cœlum ac terras camposque liquentes*
> *Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque Astra*
> *Spiritus intus alit; totamque infusa per artus*
> *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Quid Archeus sit?

Hanc aliqui doctrinam correxerunt, dicentes, Mundum quidem Magnum esse Animal, & eius animam, quam *Archeum* vocant, non esse Deum, sed formam aliquam à Deo productam.

De Angelis.

Sunt alij Dij minores à summo Deo producti. Multi Veteres Patres fuerunt Platonici; & *Deorum minorum* nomine intellexerunt Angelos, ut Platonem ab errore excusarent.

An sint simul producti?

Deorum minorum alij sunt seniores, alij iuniores At omnes Angelos simul esse creatos confitemur.

An anima ante corpora fuerint?

Anima corpori præexistit, & ob priora in eo crimina incarceratur. Consonant Pythagorici, quos hodie multi Ethnici Orientales sequuntur.

Uxores, an debeant esse communes?

Uxores in Republicâ debent esse communes. Turbaret pacem publicam fœminarum communio: iterùm pacificè vivunt Anabaptistæ, quorum errorem Campanella saltem ad Milites derivare conatur.

An omne mendacium sit malum?

Non est malum officiosum mendacium: & ideò illo licitè utemur. Posse hominem rebus malis bene uti certum est; at non sunt facienda mala, ut veniant bona. Ergo tu inter *facere*, & *permittere*, quod Plato non fecit distingue.

De anno magno.

Post decem annorum millia, rerum absolvetur periodus, & omnes Astrorum motus, & sublunares generationes, sicut ab initio, redibunt. Platonis ævo balbutiebat Astronomia; & ideò, ut puto, myriadem (numerum determinatum pro indeterminato) posuit. Ego autem circa hanc propositionem tria esse certissima iudico. *Primum*, magnum annum esse, quo expleto omnium syderum motus iterum sint redituri, determinato horarum & minutorum numero contineri. Hunc ad annorum myriadem non coarctari, sed fore infinito simillimum. Eumdem humanitùs cognosci non posse: nec enim hodie sciunt Astronomi, An adhuc alij sint in Cœlis motus ignorati: nec in eorum, quos cognoscunt, mensurâ & determinatione conveniunt: nec sperant se olim ad præcisionem desideratam perventuros. *Secundùm*, miracula non pendere à naturâ: & ideò illa, quæ in statione Solis & Lunæ orante Iosue, in horologio Acharij, in Solari Eclipsi, quæ in passione Domini nostri Iesu Christi, & in aliis miraculis cœlitùs acciderunt, non esse connaturaliter reversura. *Tertium*, in Sublunaribus multas causas necessarias fuisse à Causis liberis (Deo, Angelis, & Hominibus) alteratas, & illarum effectus cum Anno magno non debere redire.

Quid ille sit? Quantus sit?

An humanitùs possit determinari?

133 *An miracula cum magno anno redire debeant?*

An naturales effectus à causis liberis alterati?

An Universalia & Particularia realiter distinguantur?

Naturæ Universales à Singularitatibus, & Genera à suis differentiis realiter distinguuntur, Huc pertinet Platonica doctrina de Ideis, quam multi incriminantur, multi excusant ad mentem Divinam recurrendo; & tamen rarus illam videtur intelligere. Profectò dari Universalia à parte rei, si agamus de rerum Materialium systemate, summâ facilitate defenditur. Et monet nos Comptonus in Logicâ, ut ita loquamur de rationis ratiocinatæ distinctione, ac si esset realis: sicde Universalibus, ac si Conceptus superiores à differentiis, quibus contrahuntur, realiter distinguerentur. Nec ab hac doctrinâ nimiùm abesse videtur D. Thomas apud quem Materia prima, non est aliud (si rem bene perpendas) quàm Ens materiale, quod dividitur in substantiam & Accidens. Sed de hoc nostra Physica disserit ex professo.

Quæ sint Ideæ Platonis?

Quæ sint Ideæ Platonicæ?

Quid sit Materia prima?

An anima sit vera forma corporis?

Anima est forma corpori humano adsistens non informans, Placuit olim multis Christianis hæc doctrina, & ideò, ut ab hoc errore emacularentur scholæ, oppositum Ecclesia definivit.

De chao. An sit à Deo productum?

Mundus in tempore conditus est ex chao, seu materiâ, quæ fuerat ab æterno. Placuit Veteribus Christianis asserere, Mundum deductum

deductum fuisse ex chao, sed ipsum chaos dixerunt cum Mundo divinitùs fuisse productum. Sanctus Ioannes Evangelista hunc Platonicorum errorem, à sui ævi suscitatum & receptum Hæreticis ob oculos ponere, & damnare videtur, libri enim Præscript. capite 9. sic inquit. *Idem Apostolus* (Ioannes) *cum improbat elementis servientes, & aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, & ita matrem Elementorum Deam faciens, potest ei servire, quam Deo comparat.*

De Hermogenis hæresi. An fuerit à S. Ioanne Evangelistâ condemnata?

Hæ, & aliæ similes Propositiones *Placita Platonis* nominantur, quia placuerunt Platoni; & in Platonicâ Philosophiâ sunt certæ & indubitatæ: hoc est, est certum & indubitatum; eas esse Platonis, & ab Academicis Ethnicis, qui eius doctrinam propugnabant, fuisse olim accuratè defensas.

Cur Philosophorum Dogmata, dicantur Placita?

Eodem prorsus modo discurrendum est de Aristotelis Philosophiâ: nam hæc Propositio, *Mundus fuit ab æterno.* Stando rei Veritati falsa est: quoniam in principio creavit Deus cœlum & Terram, ut Moyses in primâ Genesis lineâ testatur. Hæc autem eadem Propositio stando Veræ Philosophiæ etiam est falsa: quæ enim Sacræ Paginæ opponitur, non est Vera Philosophia. Et Deum ab æterno Mundum non potuisse producere, à nobis in Physicâ clarissimè demonstratum est. His tamen non obstantibus stando Philosophiæ Aristotelææ, vera est; certum est enim, hanc tradi ab Aristotele in Physicâ, & hanc à severis Peripateticis defensam fuisse, & etiamnum propugnari in Peripatu. Huic sunt similes aliæ Propositiones, quæ sunt Aristotelææ Doctrinæ characteres. Proponamus præcipuas.

An Mundus fuerit ab æterno. *Gen. 1. 1.* *An potuerit ab æterno produci?* 134

Deus est primus Motor. Circumagit ipse supremam Sphæram. Inferiores enim movent Intelligentiæ. Hæc, si sobriè exponatur, vera est: undè verè & Christianè dicimus,

An primus Motor sit Deus?

Nos Elementa movent, Elementa reguntur ab Astris,

Astra Deo parent, ultima Causa Deus,

Interim Primum Mobile cieri à Deo, & alias sphæras ab Intelligentiis (Angelis) circumvolui, nec debet dici physicè, nec potest ratione demonstrari. Physica enim Cœlestis postulat, ut motus syderum sint naturales, & à naturalibus causis proveniant: at motus ab Aristotele admissi essent violenti; nec ostendere ille rationem poterit, ob quam hæc in Cœlis sit violentia adstruenda. Ergo aliter debuit philosophari. Aliqui, ut Aristotelem excusent eum, ut Deus supremæ sphæræ, & cæterarum Intelligentiæ formæ informantes sint, voluisse asserunt: sed hæc ipsa excusatio atrociorem continet accusationem; nam, ut ipsum ab uno errore expiet, in alium maiorem præcipitat.

An cœli, si ab Angelis, aut ab aliis causis extrinsecis moverentur, motum naturalem haberent? *An Deus, & Angeli sint cœlorũ formæ?* 135

Primus Motor est Orienti affixus. In sublunari Mundo non existit. Ergo Deus non est immensus.

An Deus Aristotelicus immensus sit?

Sed peterem ab Aristotele, quid *Orientis* nomine intelligere velit: nam Cosmographiam ignorare videtur: nullus enim est punctus, qui non sit oriens, & occidens sub diverso respectu; nam Italia, quæ orientalis est respectu Hispaniæ, est occidentalis respectu Siciliæ. Hanc ergo Positionem, aut non intellexit Aristoteles, aut non examinavit. Et quidem illud prius potiùs concedet Genebrardus, nam *in Chronico ad ann. Vrbis* 426. *pag.* 264. Sic inquit. *Ante hunc* (Aristotelem) *insignis Geographiæ inscitia, quæ posteà expeditionum Alexandri in ultimam Asiam beneficio emendata est*, &c. *Ipse* (Aristoteles) *in Meteorologicis, & alibi de terrarum, regionibus, locis, fluviis, &c. loquitur, ut cæcus de coloribus.* Vide nostram Mathesim. *tom.* 1. *pag.* 413. *b.*

Quid Oriens sit? *An Aristoteles sciverit Cosmographiam?*

Primus Motor agitur fato & inevitabili necessitate. Et quomodo, si Deus non est Agens liberum, homines liberos producere potuit. An-ne liberum arbitrium in imperfectione consistit, & necessitas est pura perfectio?

An Deus sit agens liberum?

Futurorum contingentium non datur determinata veritas. Illa non potest cognoscere Deus. Prima est falsa: quia, si hodie horâ B. pluit, ab æterno fuit verum dicere, tali die horâ B. pluet. Secunda non infertur ex primâ: licèt enim prior esset vera, adhuc secunda esset falsa: quia omnia, quæ nobis sunt futura, sunt Deo præsentia, & ideò divinitùs ignorari non possunt.

An futura sint cognoscibilia? *An omnia sint præsentia Deo?*

Mundus iste visibilis constat omni materiâ possibili. Ergo (1) *non potuit esse maior: quia non habuit Deus plus materiæ, ex quâ Mundum formaret. Ergo* (2) *non potuit esse minor: quia cùm Deus sit agens necessarium, totam debuit materiam, quam habebat, in Mundi formatione expendere.* Nego omnia: Ergo Aristoteles demonstrare tenebitur tales esse istas suas Assertiones, ut ex oppositis Propositionibus duæ sequantur contradictoriæ simul veræ. Pone Mundum esse duplo maiorem, pone esse duplo minorem, quæ inde absurda & impossibilia Aristoteles inferet?

An hic Mũdus omnem materiam complectatur? *Quid sit τὸ esse impossibilem?*

Ex nihilo nihil fit. Fuit ante Aristotelem hæc Assertio in scholis communis. *Ergo* (1) *est impossibilis creatio. Ergo* (2) *est impossibilis adnihilatio.* Videtur fuisse admissa à Platone, qui ideò materiam æternam esse voluit, ut haberet Deus, unde produceret Mundum in tempore. Et Aristoteles, ne per plura faceret quæ per pauciora posset, non materiam solùm, sed & Mundum ipsum jussit fuisse ab æterno. Hanc erroneam Philosophi Assertionem, tam veram voluit esse Averroës, ut sui ævi ignorantiam deplorans, tantam esse asserat apud nonnullos, *ut ex nihilo aliquid fieri posse*, ausi fuerint asserere. Ipse sanè *in* 3. *Physic.* apud Langium, ut vires consuetudinis prædicet, ait, *Quidam homines in tantum assueti sunt comedere venenum, ut venenum fuerit illis cibus.* Et posteà, *Quidam per consuetudinem audiendi falsa, negant Principia per se nota, ut* Ex nihilo nihil fit, *&c.* Ergo quid faciendum est Averroës? Hoc

136 *De Creatione & Annihilatione.* *Torquet Mahometanos Philosophos Peripateticα hac Assertio; nam Mahometus mundum habuisse initium & ex nihilo fuisse factum fatetur.*

Hoc tuus Principium Aristoteles asserit: hoc tuus Mahometus negat. Vter alteri debet præiudicare? Hic labor, hoc opus est. Et quando huc venitur varij sunt & inconstantes Agareni.

136 *De accidentu essentiâ.* *Accidens sine subiecto esse non potest.* Auderem dicere Aristotelem non cognovisse Accidentia, sed *Accidentium* nomine Modos intellexisse: nam etiam nos dicimus Modum (sessionem, distantiam, &c.) sine subiecto non posse conservari divinitùs. *An illam cognoverit Aristoteles?* Ergo ad mentem Aristotelis debemus dicere, in Mundo non esse accidentia: & addere, Ens universim sumptum dividi in substantiam & Modum.

An accidentium illo nomine intellexerit modos? *Duo corpora non possunt esse in eodem loco, Vnum corpus non potest esse in duobus locis.* Hanc doctrinam, quidquid sit de corporum rarefactione & condensatione, quas aliqui per penetrationem & repetitionem explicant, *De corporum penetratione & replicatione.* si sine distinctione admittatur, Eucharistiæ Sacramentum proscribit.

137 *An animæ ad Aristotelis mentē sint mortales?* *Animæ Humanæ sunt mortales.* Hanc expresse in Aristotele non legimus: at illa necessariò infertur ex eiusdem doctrinâ: sic enim arguo. [Mundus fuit ab æterno. Ergo præcesserunt hominum generationes infinitæ. Quid ergo factum fuit de infinitorum hominum Animabus. Perieruntne, an persistunt? *An detur infinitum actu?* si persisterent, essent infinitæ actu; & tamen infinitum actu esse possibile, constanter negat Aristoteles. Perierunt igitur. Ergo Animæ hominum mortales sunt.]

Peripatus in sectas diversas dividitur. Et hæc sunt Aristotelis præcipua Placita, quæ olim defendebantur à ratione, nam Ethnici nullam certam notitiam habuerunt de revelationibus Divinis, quibus intellectus humanus illustratur. Hæc ipsa hodie à Theologiâ reformantur, aut saltem alterantur; nam Peripatetici Religionis ratione in sectas hodie dividuntur: alij enim Ethnici, alij Mahometani, alij Hæretici, & alij Catholici sunt.

138 *Secta Ethnica.* Peripatus Gentilis severè tuetur Aristotelis Dogmata; caret enim luce, ut errores sui Magistri percipiat.

Secta Mahometana. Peripatus Mahometanus, sicut in multis ex Alcorano Aristotelicam Philosophiam effinxit, & erroribus nonnullis expunctis, novos addidit. Sic etiam in non paucis obtorto Mahometum collo ad Aristotelis doctrinam propulit. Hinc Averroës, inter Hispanienses Agarenos doctissimus, *Averroës qualis?* Commentariis Aristotelem dilucidavit; & tanto apud Africanos applausu, ut *Commentatoris*, fuerit cognomentum promeritus: & tamen, ut intellectum in obsequium sui Mahometi captivet, negat Aristoteli (1) *Mundum fuisse ab aeterno.* *Commentator quis?* Sed quomodo habere initium potuit, si nihil ex nihilo fit. *Quæ in Aristotele improbet?* (2) *Animalia omnia præter hominem esse irrationalia.* Nam in Alcorano pleraque omnia loquuntur, & Mahometi oratione suffulta, non pauca illorum æternam sunt promerita felicitatem. *An animantes, quas irrationales dicimus, rationem habeant?* (3) *Intelligentias esse septem*, nam *Intelligentiarum* nomine intelligit Mahometos Angelos, quos ait plurimos esse, & terrestrium animalium speciebus Analogos. (4) *Easdem impassibiles esse:* *Quot, & Quales sint Angeli?* Nam summam Pseudopropheta beatitudinem in sordibus lascivis constituit: nec felices Angelos crederet, si non possent cum fœminis libidinari. (5) *Animas hominum esse mortales.* *An animæ sint mortales?* Hanc Propositionem non legimus in Aristotele: sed ex eius doctrinâ necessariò deducitur. Illam negat Mahometus, qui vult post mortem homines, si improbi, in inferno in æternum comburi: &, si probi, ad paradisum duci, ut comessentur, & carnis indulgeant voluptatibus *De inferno & paradiso.* (6) *Singulos homines propriis & numero distinctis intellectibus præditos esse.* Hic Averroës abundavit suo sensu: contradicit enim Aristoteli, & non assentitur Mahometo: & tam obscurè & parce loquitur, ut aliter & aliter à Peripateticis exponatur, & intelligatur. *An unicus Intellectus insit universis hominibus?* Putant nonnulli eum unum numero Intellectum in omnibus posuisse hominibus. Sed quid, si ingenioso & erudito Viro, in hac Quæstione placuit esse Platonico? Et quid, si Vniversalia à parte rei, quæ in systemate Materiali, ut morem Aristoteli gereret, negare voluit, *An, & ubi Averroës admiserit Vniversalia à parte rei?* admisit in Immateriali? Ego faciliùs contrà, illa in Corporeo propugnarem, & in Spirituali reiicerem. Et hic obiter nota, ea, quæ *num.* 2.3.4. & 5. ponuntur, Aristotelææ doctrinæ non correctiones, sed perversiones esse; *An potiùs corrumpat, quàm corrigat Aristotelis Resolutiones?* nam, quæ lumine rationis illustratus Philosophus bene resolverat, Averroës, ut attemperentur Alcorano Mahometi, ingeniosè corrumpit. Denique de Divinarum Personarum Trinitate, de quâ ne cogitavit quidem Aristoteles, *Quid senserit de Trinitate?* contra Christianos disputat; & quia destituitur Fidei luce, esse impossibilem asserit.

Secta Hæretica. Peripatus Hæreticus procedit motu omninò contrario: nam Averroës ex Alcorano (quod est apud Mahometanos Sacra Pagina) Aristotelicam doctrinam reformare conatur; & Hæretici ex Aristotelis Philosophiâ in Evangelium fuerunt ausi.

Porrò Deum esse unicum demonstrat Aristoteles. 139 *Deus est unus.* Et ex hac veritate Sabellius nomen Trinitatis admittens, rem ipsam negat: *An trinus?* asse-Divinas Paternitatis, Filiationis, & Spirationis relationes, esse quasdam extrinsecas denominationes, à creaturis desumptas. *Quid Divinæ Relationes sint?* Deus enim, quia creavit homines vocatur *Pater*, unde Virgilius

O Pater, ô hominum, Divumque aeterna Potestas.

Quo illas modo explicent Sabelliani? Et iterum, quia homines adoptavit, concessitque ut hæreditario iure pervenirent ad gloriam, iterum cognominatur *Pater.* Quia natus est ex Deiparâ dicitur *Filius.* Et tandem, quia gratias & prærogativas manu liberali impertitur, *Spiritussancti* nomine significatur. Et hoc non est Trinitatem explicare, sed tollere: *A sint personæ quales?* & tamen multis sub illud tempus hæc Opinatio placuit. Alio modo Trinitatem reiiciunt Arrius, Macedonius, & alij: qui tametsi Patrem, Filium, & Spiritumsanctum venerentur, duas Personas posteriores Patre minores

minores esse, & productas in tempore, asseverant.

An habeat subiectum substantia? An illud habeat Accidens?

Dicebat cum Aristotele Nestorius, *Idem est, quod est, & cuius est*: nam, si de accidente (albedine, v.gr.) differamus, non est idem quod est, ac cuius est; at substantia est sui ipsius, & non alterius. Hæc Aristotelis doctrina inter subsistentiam & Naturam nullam distinctionem cognoscit: Et, quia est supra Naturæ lumen hæc distinctio, Philosophos Ethnicos latuit. Hac Peripateticorum doctrinâ, quæ naturam à subsistentiâ non distinguit, erat imbutus Nestorius; & quia Evangelicam propositionem, *Verbum caro factum est*, cum Aristotele aliter conciliare non poterat, in Christo duas personas constituit (Divinam, Humanam) moraliter inter se unitas, eo nimirùm modo, quo plures Senatores unicum Concilium constituunt: & unicum Concilium plures Patres.

An in Christo sint plures personæ?

140 Adhuc admissa distinctione inter Naturam & Hypostasim, & Divinitatis Humanitatisque in unitate Personæ coniunctione, indocte in Christo poni duas naturas visum est Eutycheti: & quia Elementorum formæ, quando in eâdem materiâ uniuntur, non permanent discretæ & distinctæ, sed asserente Aristotele commiscentur, & in tertiam formam, diversam ab utraque, convertuntur & transeunt: naturas esse formas totales cum Christianis Peripateticis asserebat Eutyches: addebatque Divinam, Humanamque ita in Christo uniri, ut commisceantur & confundantur: & tandem in tertiam convertantur, quæ sit ab utrâque (Divinitate & Humanitate) diversa.

An plures naturæ? De Elementorum conversione

An in Christo naturæ commisceantur, & confundantur?

An Agens agat in dissimile?

Omne Agens intendit adsimilare sibi Passum. Est Aristotelеum Theorema; quod alij reponunt dicentes, *Nemo dat, quod non habet*: nam causa esse debet similis suo effectui: quò respiciebat Virgilius, cùm cecinit.

Virgilius Eglog. 1.

Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos.

Qua etiam Iacobus Falco, cùm addidit.

Nulla columbino de semine nascitur ales
Prædatrix: taurum nulla creavit ovis.

An Baptismus ab Hæretico collatus sit validus?

Et hinc S. Cyprianus male intulit Hæreticos non posse aliquos validè baptizare: qui enim carebant fide, aliis fidem impertiri non poterant. Male, inquam, intulit; quia bene potest quis validè baptizari, quin recipiat fidem, ut patet in Iudæo adulto, qui in Germaniâ Augustanam Confessionem docetur, & posteà à Lutherano baptizatur; hic enim vult esse Christianus, & tamen, quia actu in fidem delinquit, illam non recipit, tametsi baptizetur validè. Præterea, etsi fides in baptismo necessariò infunderetur, & nullus esset baptismus validus sine infusione fidei, nihilominus infantes validè baptizarentur ab Hæretico, & quam hic non habet, reciperent fidem, quia Minister in Sacramentorum collatione non est causa principalis, sed instrumentalis.

141

De accidentium subiecto: an illo carere possint?

Accidentia sine subiecto esse non possunt, asserente Aristotele; & tanti illum multi Lutherani faciunt, ut panem in Eucharistia relinquant, nec careant accidentia subjecto: & alij adhærentes Calvino, totum transsubstantiationis mysterium transferant ad metaphoram, ne cogantur asserere, quæ ab Aristotele non didicerunt.

An Animæ sint ex traduce?

Hominum animas, non creari (non enim cognovit creationem) *sed generari, asseruit Aristoteles*: & ideò Lutherani, ne censeantur in Peripatu milites transfugæ, illas divinitùs creari negant: sed aut à materiâ educi, aut per traducem à parentibus ad filios transfundi asseverant. Sed quomodo? Multæ sunt in hac Quæstione Theologorum Lutheranorum Opiniones. Quindecim minimùm recenset, & impugnat Ioannes Zeisoldus in libro, qui inscribitur, *Tradux non Tradux: id est: Traductio formarum, quæ in naturali generatione vulgò statuitur, semetipsam evertens.* Illud, si ad manus veniat, lege; continet enim ingeniosas doctrinas.

142

Doctrina Orthodoxa.

Peripatus Catholicus Aristotelem sequitur, quantum evidentes rationes, & Articuli, divinitùs revelati, permittunt. Non enim est Catholicorum animus ex Aristotele Evangelium & Theologiam formare; sed ex Revelationibus Divinis, quæ in Sacrâ Scripturâ & Conciliorum Definitionibus habentur, reformare & corrigere Peripateticam Philosophiam.

Catholicorum votum.

Catholici Peripatûs in Thomisticũ, Scotisticũ, & Nominalem subdivisio.

Subdividitur Philosophia Peripatetica Catholica (seu Peripatetica iuxta Orthodoxæ Fidei dogmata) in Thomisticam, Scotisticam, & Nominalem: vel aliter, in Realem, & expressivam: nam Thomistæ formas reales multiplicant, Scotistæ fere formalitatibus contenti sunt: & Nominales, qui Ochamum sequuntur, ad expressiones, & externa connotata recurrunt.

De distinctione & claritate procurandâ in verbis.

Hinc patet eum, qui dicit, *Propositionem A. distinguo. Illam esse veram secundum Philosophiam concedo, secundum Veritatem nego.* debere adhuc distinctiùs loqui: nam, cum multæ sint Philosophiæ, est necessarium scire, de quâ loquatur. Quæ enim negantur ab unâ, conceduntur ab aliâ: ut videbamus.

Petis, an dentur Propositiones certæ, aut etiam probabiles secundum talem Philosophiam? 143

Dantur Assertiones, quæ probabiliter de fide sint?

Respondeo affirmativè: &, ut rem clariùs dilucidare videam, nonnullas Positiones adduco. Prima. *Multa sunt de Fide probabiliter.* Patet: quia verba Sacræ Scripturæ, & Conciliorum Definitiones eo sensu, quo dictatæ sunt à Spiritusancto, sunt de Fide. At eosdem sæpe locos Patres & Doctores aliter & aliter interpretantur: ergo tunc singulæ congruæ interpretationes probabiliter erunt de Fide. Secunda, *Multa sunt de Iure probabiliter.* Et ostenditur: quia sæpe circa unîus Pontificij, aut Cæsarei textûs intelligentiam sunt diversæ Classicorum Iuristarum Expositiones: Ergo tunc singulæ erunt ad mentem Pontificis, aut Imperatoris probabiliter Tertia. *Multa Placita sunt probabiliter Aristotelica.* Et probatur: nam Averroës, S.Tho

Etiam, quæ probabiliter de Iure sint.

Etiam, quæ Aristotelis.

S. Thomas, Scotus, Ochamus tam ingeniosè, etiam quando inter se differunt, Aristotelem explicant, ut nemo ab illo dissentire videatur. Ergo veram Aristotelis doctrinam singulos in suis Scholis tradere, probabiliter dicere possumus. QVARTA. *De verâ S. Thomæ, Scoti, &c. mente variæ sunt opiniones probabiles.* Ostenditur: quoniam sæpe inter se differunt Thomistæ, sæpe Scotistæ: & quando Viri docti & illustres dividuntur in sententias oppositas, constituunt Opiniones probabiles. Vt videas D. Thomæ Discipulos non illum uno & eodem modo intelligere & interpretari, producam P. Franciscum Macedo. *de clavib. Petri. lib.4. cap.5. pag.353. a.* dicentem. (Hanc Augustini sententiam sequitur meo iudicio S. Thomas *quæst.82.* non uti cum intellexit Caietanus & Ferrariensis, sed uti accipiunt Sotus & Medina, &c.] Ecce Thomistæ insignes aliter & aliter Angelicum Doctorem intelligunt. Nec maior est inter Scotistas concordia: P. Ioannes Poncius priores Scotum non intellexisse existimat; & à iunioribus acriter impugnatur. Et licèt inter Catholicos magna sint Opinionum divortia, maiora sunt inter Hæreticos; quoniam in rebus ad salutem necessarij quæ ad Orthodoxam Fidem pertinent, Catholici universi conveniunt: & tamen in his ipsis ita dividuntur & subdividuntur Heterodoxi, ut Lutheranam solam Hæresim aliqui in septuaginta sectas substantialiter diversas subdividi debere contendant: & in tot Calvinianam, ut certus numerus definiri non possit.

In ipsis S. Thomæ & Scoti Scholis dātur schismata, & sententiæ probabiles.

Quàm multa sint in singulis Hæresibus Opiniones contraria?

144 Et quia de Probabilibus Opinionibus disserebamus, interrogas, *An in Hæreticorum Sectis inveniantur Opiniones probabiles?* Non quæro (attende bene) an ipsæ Hæreses sint Opiniones Probabiles, quæ tuta possint conscientiâ eligi coram Deo: sunt enim erroneæ, & sæpiùs ab Ecclesiâ damnatæ. Sed quæro, An Hæretici ad sacrilegam sui Magistri mentem, iam certò, & iam merè probabiliter philosophentur.

An apud heterodoxos dentur opiniones probabiles?

Respondeo primò, Mahometanos omnem Religionem, quæ habet librum à Deo (quo charactere suam, Christianam, & Iudaicam significant) existimare Deo gratam esse, & eius asseclas, æternam beatitudinem adsequi posse: unde Abas, Persarum Rex, licèt suos universis præponeret, Christianos (Petro della Valle asserente) nec à Dei gratiâ, nec ab æternâ beatitudine arcebat.

De diversis Religionibus Mahometanorum opinatio.

Respondeo secundò, plerosque nostri ævi Hæreticos, hæreses non aliter concipere, quàm nos Opiniones probabiles: & ideò ita de Lutheri & Calvini doctrinis loqui solent, sicut nos de Dominicanâ & Franciscanâ.

An Hæretici salvari possint?

145 Respondeo tertiò, nullam in mundo Religionem esse purè probabilem: non enim Catholica purè probabilis censeri potest; quoniam est certò vera: nec aliqua ex Acatholicis probabilium censu adnumerari potest; nam omnes Acatholicæ sunt certò falsæ. Fides Catholica est, asserente Athanasio, *quam, nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit:* sed, ut in ipso symboli initio dicebatur, *absque dubio in æternum peribit.* Nam, ut can. Alienus, ait S. Cyprianus, *Habere non potest Deum, Patrem; qui Ecclesiam non habet matrem.* Vnde *in cap. Firmiter, de Summ. Trinit.* Innocentius III. *Vna est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur.* Quod dilucidat *cap. Firmissimè de hæreticis* his verbis. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hæreticum vel schismaticum, cum diabolo & angelis eius æterni ignis incendio mancipandum, nisi ante finem vitæ Catholicæ fuerit incorporatus & redintegratus Ecclesiæ.* Consonat *cap. Quicumque 24. quæst. 1.* inquit enim. *Quicumque ab unitate Fidei, vel societate Petri Apostoli, quolibet modo semetipsos segregant; tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possunt regni cælestis ingredi.* Quod autem fiet de illis? *Angeli colligent de regno Dei omnia scandala; & eos, qui faciunt iniquitatem; & separabant malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Matth. 13. Vide Franciscum Sylvium *Variar. Resol. part. 2. verb. Hæretici*

An detur aliqua Religio probabilis?

Nemo extra Ecclesiam & Fidem Catholicam salvari potest.

Illi, cui Ecclesia non fuerit mater, Deus non erit pater.

Hæc tamen Veritas non obest, quin circa mentem Lutheri, Calvini, &c. possint dari opiniones probabiles: nam v. gr. in quæstione, quæ interrogat, *An Christi humanitas ubique sit?* in duas oppositas sectas subdividuntur Lutherani, & utraque Martini Lutheri testimoniis invatur. 146

An Christus sit ubique?

ARTIC. II.

De Certitudine & Probabilitate quoad Philosophiam & quoad Theologiam: seu quoad Rationem & Fidem, vel Revelationem.

NON coincidat cum præcedenti hæc Certitudinis aut Probabilitatis distinctio: nam Veritas latissimè patet, & Revelatio ad Dei verba restringitur; unde tametsi fieri nequit, ut aliquid iuxta veram Philosophiam verum sit, & tamen non innitatur Veritati, potest nihilominùs fieri, ut aliqua assertio Rationi consentanea sit, & tamen nulla sit Revelatio, cui insistat: & fieri similiter potest, ut nulla sit Ratio quæ aliam positionem falsitatis convincat, & tamen illa Divinæ Revelationi opponatur. 147

Non semper dantur Revelationes, quibus singula Falsitates opponantur.

An detur peccatum originale?

His præmissis, Vniversitatem Parisiensem iam ante multos annos hanc meritò condemnavisse distinctionem: nec voluisse permittere, ut aliqua Propositio vera secundum Fidem, & falsa secundum Philosophiam diceretur, respondeo. Et, ut bene decrevisse illam videas, duas aut tres Quæstiones proponam, ut ex illarum resolutione intelligere possis, quo in hoc

An distinctio, qua propositionem, quam secundum Fidem concedis, negat secundū Philosophiā sit condemnata?

hoc genere modo debeas loqui, & philosophari.

An hac Positio, Deus est trinus, secundum Philosophiã vera sit? Superat naturales humanæ mentis vires Trinitatis cognitio.

QVÆRO PRIMO. Quid inter Philosophiam & Theologiam (hoc est, inter Rationem & Revelationem) distinguendo, de hac Assertione, *Deus est trinus in personis*, dicendum sit?

Respondeo primò, hanc Veritatem non esse naturaliter cognoscibilem: quod generali & speciali argumento persuadeo. Generali, quia hæc Positio est de Fide; & *Fides est rerum non apparentium argumentum.* Speciali, quia *nemo novit Patrem nisi Filius; neque Filium quis novit nisi Pater, & cui voluerit Deus revelare*, unde Petro Christus, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Et addo ita hanc Assertionem lumen rationis superare, ut sine Revelatione, ne quidem suspicaretur aliquis esse veram. Quod, si aliqui Ethnici, aut asseruisse, aut insinuasse Trinitatem dicantur, hanc notitiam à Prophetis hausisse censendi sunt.

Hebræor. 11.2.
Mat.11.27.
Mat.16.17.

An, & unde Ethnici habuerint Trinitatis notitiam?

Respondeo secundò hanc eandem Propositionem, *Deus est trinus*, quæ secundum Philosophiam est ignota, quia non potest à Ratione probari, esse certam secundum Theologiam, quia esse revelatam certum est.

An Nõ verum à Falso distinguatur?

Petes, An possimus dicere, eamdem Propositionem esse falsam secundum rationem, aut Philosophiam? Vt respondeam, doceri velim, An esse falsam, & non esse notam, sit idem? An Veritas & Falsitas contradictorie opponantur? An inter Veritatem & Falsitatem medium reperire possimus? Aristoteles propositiones de futuro contingente, nec veras, nec falsas esse asseruit: at erravit omninò: nam veritatem aut falsitatem habent, & determinatè & distinctè cognoscuntur à Deo. Ergo *esse falsam*, & *non esse veram* idem est. Ergo dicendum est hanc Propositionem, *Deus est trinus*. Secundum meram Philosophiam nec falsam, nec veram, sed ignotam appellari debere.

De panis substantiâ. An post consecrationem remaneat?

QVÆRO SECVNDO, Quid dicatur de istâ Propositione, *In hac hostiâ consecratâ, sub accidentibus panis non est substantia panis?*

Respondeo primò, quòd secundum Aristotelis philosophiam, ab omni correctione præscindendo, sit falsa: statuit enim Aristoteles esse impossibile ut accidentia sint sine subiecto.

An ratio suspicari possit Accidentia sub iecto carere posse?

Respondeo secundò, quod secundum puram Philosophiam & nudum lumen rationis sit ignota: nulla enim ratio naturalis datur, quæ suadeat accidentia posse existere sine subiecto. Quòd, si tua mens divinitùs illuminaretur, & essentiam Accidentium cognosceret, & sciret illa posse existere sine subiecto, adhuc non perciperet huius hostiæ consecratæ Accidentia sine subiecto existere, nisi aliter illuminaretur.

Differentia, quæ est inter hostiam cõsecratam & non consecratam non cadit sub sensum.

Respondeo tertiò, hanc Propositionem, *In hostiâ ritè consecratâ non est substantia panis.* Esse de fide. Si autem ob oculos ponantur duæ, altera consecrata, & altera non consecrata, nec humana ratio, nec oculus, nec alius quicumque sensus, poterit differentiam percipere.

Qualis ex unâ Propositione Fidei, & alterâ certâ, Consequentia inferatur?

Respondeo quartò, Catholicos cùm hostiam adoramus sic discurrere.

In hac hostiâ, si est consecrata, non est panis substantia. Est de fide.

Sed est consecrata. Est certa moraliter: quia aliàs publicè non exponeretur: nec occurrit ratio, ob quam non fuisse consecratam suspicemur.

Ergo in hac hostiâ non est panis substantia. Est inter Fidem Rationemque certitudinis mediæ: cuius generis illa est, quam D. Thomas in Sanctorum canonizatione admittit.

QVÆRO TERTIO, similiter inter puram Philosophiam, & Theologiam (hoc est, inter Rationem & Revelationem) distinguendo, quid de hac Propositione, *Non datur peccatum originale*, quæ Pelagij fuit dogma, dicendum sit?

Illustres & infames familiæ apud Ethnicos.

Respondeo primò, non posse dici stando puræ Philosophiæ, & nudæ Rationi esse certò falsam: nam ignorare non possumus fuisse etiam olim ante Christum & extra Iudæum populum, nimirùm apud homines, qui nihil de Revelationibus Divinis sciebant, familias illustres & infames: & illustres censeri, quæ à Viro virtutibus prædito procedebant: infames verò, quæ ab homine aliquo scelerato. Hinc statim, sub ipsum Mundi initium, genus humanum in Filios Dei & Filios hominum dispesci vidimus: quorum priores honoris gratiâ dicebantur, quòd à Setho, qui Deo serviebat, provenirent: posteriores, ignominiæ causâ, quia negabant Deum, & humana tantùm concernebant, nomen illud sortiti sunt. Apud Græcos & Romanos etiam in Ethnicismo fuit nobilium & ignobilium familiarum distinctio: aliæ enim erant Senatoriæ, aliæ Equestres, aliæ Plebeiæ, aliæ Libertinæ, aliæ Serviles, aliæ Infames. Addo homines, quia Deum per propriam speciem non cognoscimus, per alienam, congruam tamen, nobis repræsentare. Cogitamus igitur eum esse similem Regi prudentissimo, sanctissimo, & potentissimo; & Regis huiusmodi omnes Deo in gradu infinito perfectiones & prærogativas accensemus, imperfectionibus sublatis. Et hanc viam concipiendi Deum docuit nos frequentissimè Christus in Sancti Evangelij parabolis. Tunc sic.

Filij Dei, & Filij hominum, qui?

Familiæ Senatoriæ, Equestres, Plebeiæ, &c.

Quomodo homines cõcipiant Deum?

Reges & Principes prudentissimi & integerrimi tulerunt leges de peccato originali Politico. 148

An, & quomodo peccatum originale Theologicum naturaliter probari possit?

Sed Deum concipere debemus ut Regem sapientissimum & sanctissimum.

Ergo Deus tulit legem de peccato originali Theologico.

Consequentia est bona, sed non evidens & necessaria, sed tantùm probabilis, quia ab exemplo desumitur. Ergo stando puræ Philosophiæ, seu nudæ Rationi, hæc Positio, *Datur peccatum originale Theologicum*, posita de Adami notitia esset probabilis. Verùm, quia hæc ipsa notitia sine revelatio

revelatione haberi nequit, quidquid de peccato originali Theologico dicimus, non verum aut falsum, sed ignotum esset, si nulla nos illuminaret revelatio.

Qualis sit Theologicè sumpta?

Respondeo secundò, eamdem Propositionem secundum Theologiam, & stando Divinæ Revelationi non esse iam probabilem, sed certam: quia expressè definita fuit ab Ecclesiâ.

ARTICVLVS III.

De Certitudine & Probabilitate Practicâ & speculativâ. Agitur curiosè de materiâ parvâ in re venereâ: an speculativè admitti possit, & practicè negari debeat?

149 *An, quæ sunt licita speculativè, sint etiam licita practicè?*

SVNT multa probabilia, aut etiam certa speculativè, (inquiunt nonnulli Viri docti) quæ in praxi non possunt admitti. Sed cur? An-ne est alia fortassis bonitas, aut ratio, aut probabilitas, aut certitudo, quam in actu possibili; & alia, quam in existente cogitamus? Porrò, si licet hominem sub talibus aut talibus circumstantiis occidere; hic & nunc, si eædem circumstantiæ concurrant, etiam erit licitum illum occidere. Nec enim est dicenda existentia actum bonum possibilem, posse reddere malum. Ergo, si actus, qui in statu possibilitatis consideratus, erat bonus, nunc actu existens malus est, non habet ab existentiâ malitiam, sed ab aliâ circumstantiâ, quæ non fuit in statu possibilitatis considerata. Quam ob rem actus speculativè fuit bonus, practicè verò malus; quia casus sunt diversi, & alterum concernit praxis, & alterum speculatio. Et, ut id clare videas, unum Dubium ponamus. *Petis*, An fœminam suam cognoscere sit peccatum? Respondeo negativè Et meam responsionem esse veram dico, speculative & practicè. *Instas*, & ais: esse quidem veram speculativè, non autem practicè, quia hîc & nunc Petrus cognoscens suam uxorem peccavit mortaliter. Et hoc probas; quia iste Petrus Castitatem Deo voverat, & petendo debitum prævaricatus est. Ergo illa positio, quæ erat vera speculativè, est falsa in praxi. *Contra instantiam* me oppono, & assero Casum mutari, nam in praxi ponitur circumstantia, (nempe, violatio voti) quæ in speculatione non proponebatur. Et hanc ob rem hos duos casus distinguamus dicentes, *Qui uxorem suam cognoscit nisi alia circumstantia interdicta concurrat, non peccat. Qui vovit Castitatem, & tamen debitum petendo uxorem suam cognoscit, peccat.* Vtraque est vera, & id tam speculativè, quàm practicè. Sit ergo nostra.

Quando actus qui speculativè bonus erat, in praxi est malus, circumstantiæ mutantur.

Coniugatus, si castitatem voverat, non potest petere.

150 *Certa & indubitata Resolutio.*

Conclusio. *Omnis propositio certa, probabilis, aut dubia speculativè, est etiam certa, probabilis, aut dubia practicè.* Et est mihi tam certa, ut ne quidem formidinis aut probabilitatis vel minimam suspicionem admittam: unde colligo Dianam non penetrasse istam difficultatem: nam *par. 2. tract. 13. resol. 5. & 12.* nec non *part. 6. tr. 6. resol. 2.* An. sit hæc Conclusio probabilis, aliis indicandum relinquit. Subscribo Ioanni Sancio *in select. disp. 54. n. 11. & disp. 64. num. 63.* contra Thomam Sanchez *de matrimon. lib. 7. disp. 7.* qui certè laborat æquivoco.

De Durani, Cujacij, Conelli, Fabri, & aliorum sententiis.

Petis, An Durani, Cujacij, Conelli, Fabri, & aliorum, qui in Iure extra chorum tripudiant, sententiæ sint probabiles? &, an in praxi amplecti illas possimus?

An sint speculativè probabiles?

Respondeo esse, qui illas vocent *Speculative probabiles*: sed hi male loquuntur: nam *singulares* deberent dici, non *speculativè probabiles.* Porrò, si sunt speculativè, etiam erunt probabiles practicè: & ideò necessarium esset, singulas in specie proponere, ut de singularum probabilitate resolveretur. Interim non est bona Consequentia. *Hac est opinio in Iure Cæsareo probabilis. Ergo probabile est, quod iuxta illam possint Indices hic & nunc pronunciare.* Nam, etsi verum sit antecedens, fallit consequentia in aliquibus casibus. Si enim Tribunal Ecclesiasticum sit, non sequitur leges Cæsareas. Sed neque illas Hungaria, & aliæ provinciæ cognoscunt. Præterea, si in hoc Tribunali sit lex, Iudicibus ipsis præcipiens, ut sententias communiores sequantur, etsi Fabri sententiæ v. gr. à ratione essent probabiliores, adhuc non possent in praxi admitti, quia singulares sunt, non communiores.

An possit Index iuxta probabilem sententiam iudicare?

151 *In hac quæstione duæ confunduntur aliæ, quæ debent necessariò secerni.*

Dices: Ergo saltem nunc habemus opinionem, quæ fortè esset speculativè probabilior, esse improbabilem practicè. Et te duas Quæstiones & probabilitates diversas confundere assevero. Aliud enim est quærere, *An hæc legis interpretatio sit ad mentem Iustiniani?* Et aliud, *An iudices hanc legis interpretationem sequi possint?* Et harum Quæstionum dissolutio ex diversis capitibus petenda est. Pone in Castellâ v. gr. esse legem, ut Iudices Imperatorem secundum Acursij interpretationem sequantur. Pone etiam Imperatoris verba probabiliùs aut certiùs à Fabro, quàm ab Acursio exponi, An ideò Iudices in pronunciando poterunt ab Acursio discedere, & adhærere Fabro? Minimè. Ergone Probabilitas ad conscientiæ securitatem non sufficit? Distinguo consequens: *Nam, si usus talis Probabilitatis sit interdictus, non sufficit: si non sit interdictus, sufficit.* Et hoc ipsissimum speculativè & practicè certum est.

Vsus talis Probabilitatis interdici potest, & solet.

152 *Quænam sint Propositiones de termino non supponente?*

Superest hic auferre multorum æquivocationem, qui male loqui solent, & fortè contra nos statuere dicerentur. Scias igitur (ingeniose, & erudite Lector) interdum legi apud Authores aliquas Propositiones de termino non supponente, quod in rerum naturâ non est, quales sunt: *Equus viridis currit. Homo irrationalis dormit. Ioannes est in quadrato*

circulo: & mensurat frigidas flammas, & similes: quæ, nec sunt veræ, nec falsæ. Nec hinc infertur dari Propositiones neutras (hoc est, veritate simul, & falsitate destitutas) nam hæ non sunt propositiones, tametsi tales videantur. Vnde, si illas esse *Propositiones secundum dici* contendas, de nominibus non disputabo. Sanè eas non esse Logicas Propositiones, ostendo: nam in illâ, *Equus viridis currit* (ut loqtar in particulari) subiectum, nec ponitur materialiter, nec formaliter. Ergo. Probatur antecedens; quia non significat literas, nec syllabas, quas dicit; nec habet subiectum, quod significet, nam *Equus viridis* in rerum natura non datur.

An sint secundum dici?

De parvitate materiæ. An in re venereâ reperiatur?

Hinc venio ad Quæstionem, quæ interrogat, *An in re Venereâ detur materia parvitas:* Communis sententia negat; & ratio negandi sumitur ab adnexo ulteriùs progrediendi periculo. Sed aliqui, qui subtiliores videri volunt, periculum ab ipsâmet delectatione præscindentes, affirmant hanc Propositionem, *In re venereâ datur materia parvitas*, speculativè esse probabilem: practicè verò improbabilem, falsam, periculosam, & non semel damnatam.

153 Infers. Ergo una & eadem Propositio, potest esse probabilis speculativè, & improbabilis practicè.

Delectatio parva speculativè, & practicè consideratur.

Respondeo (1) Omnem actualem libidinosam delectationem, plenâ deliberatione admissam, habere adnexum periculum ulterioris consensûs. (2) Omnem esse peccatum mortale; non quidem propter se, si parva sit, sed propter periculum: quoniam si magna sit, erit peccatum mortale propter utrumque. (3) Ergo, si delectatio parva secundum se, & præcisâ à periculo consideretur, sive sit possibilis, sive existens, semper levi malitiâ erit infecta. Ergo, si eadem delectatio parva, quà magno periculo affecta consideretur, sive sit possibilis, sive existens, semper erit peccatum mortale.

Consideratur etiam, cum, & sine periculo.

Hinc directè ad Quæstionem, quæ interrogabat, *An in re venerea delectatio tam parva dari possit, ut sit venialis?* Respondeo ipsam delectationem, de quâ agimus, dupliciter posse considerari, vel ab omni periculo præcisam, vel periculo superveniente affectam. Profectò considerata primo modo, dicit levem malitiam, & id tam speculativè, quàm practicè: considerata autem secundo, dicit duas malitias (levem intrinsecè, ratione sui; gravem extrinsecè, ratione periculi) & has tam speculativè, quàm practicè. Vnde, si de facto illa parva delectatio existeret sine periculo, de facto non esset mortalis.

154 *An unus & idem actus simul bonus malus, & indifferens sit?*

Doctrina hæc, quæ unum & eumdem actum posse & solere esse simul bonum, malum, & indifferentem: nec non venialem & mortalem, nec non etiam iterum & iterum mortalem, &c. asserit; quam Scotus nos docet, pulchra est, & in Morali Theologiâ lucem præbet obscurissimis difficultatibus. De Mixti essentiâ Physici etiam in Peripatu aliter, & aliter philosophantur: alij enim Elementorum formas in Mixto incorruptas relinquunt, alij illas in tertiam naturam convertunt [& horum opinione præventus Eutyches, Divinitatem, Humanitatemque in Christo mixtas fuisse, & in tertiam quamdam conversas, cum magno olim scandalo, ut paulò antè diximus, deliravit.] Priori de Mixtione opinione doctrinam de actuum humanorum bonitate & malitiâ Scotistæ succollant, & statuunt aureos nummos, si immisceantur cupreis, non transire in cupreos, nec in metallum tertium ab aureo & cupro differens, sed manere aureos: & sicut tacti à cupreis non fiunt cuprei, sic nec tangendo cupreos, illos vertere in aureos. Et posteà Analogiæ insistentes subiiciunt, formalitates in actu humano bonas, etsi admisceantur malis, nec in malas, nec in tertiam aliquam moralitatem à bonitate & malitiâ differentem converti, sed remanere bonas; & sicut ob malarum consortium non fiunt malæ, sic nec malas convertere in bonas, sed singulis sua prædicata relinqui. Exemplo rem dilucidemus. Eleemosynam erogare, est actus bonus, fornicari malus. Et quid, si Petrus daret Ioannæ eleemosynam, ut illam ad actum carnalem induceret? Respondeo huiusmodi eleemosynam esse simul bonam & malam; bonam intrinsecè, & ex suis prædicatis; malam extrinsecè, ratione finis libidinosi. Et quid, si Ferdinandus propter mœchiam furaretur? esset simul fur & mœchus: & in illo eius furto essent duæ malitiæ, altera interna in genere furti, & altera externa & adhærens in genere mœchiæ.

Hæresis Eutychetis.

Moralitates bonæ, etsi immisceantur malis, bonæ remanent.

Eleemosyna propter mœchiam.

Furtum propter mœchiam.

Delectatio venerea parva, an sit venialis speculativè, & mortalis practicè?

Ergo in casu priori. Siquis fœminæ manum cum levi delectatione & cum periculo ulterioris consensûs, tangeret, non esset dicendus peccare venialiter speculativè, & mortaliter practicè (nam, qui sic loquuntur, abutuntur vocabulis) sed esset procul dubio dicendus, eodem ipsum actu duo diversa commisisse peccata, veniale & mortale: nam delectatio illa, quæ ex manûs contactu resultabat (nimirùm, illa, quæ esse levis supponitur) est peccatum veniale: at periculi adiacentis (quod esse grave ponitur) libera admissio, est peccatum mortale.

Finis operis, & finis operantis.

Et hîc posset aliquis adhuc subtiliùs distinguere, & dicere externos actus non esse cum internis confundendos. Nam quando eleemosyna propter fornicationem erogatur, debemus scire alium esse finem operis, & alium operantis. Porrò ordinatio ad finem operis in ipso actu externo est: ordinatio ad finem operantis non est in actu externo, sed in operantis voluntate. Cùm ergo eleemosyna secundum se, non ordinetur ad luxuriam, sed hanc ordinationem (aut deordinationem veriùs) à depravatâ hominis voluntate recipiat, dico in tali actu reperiri tria; eleemosynam, fornicationem, & actum voluntatis attingentis utramque, & priorem ad posteriorem ordinantis. Addo, eleemosynam esse tantummodò bonam, fornicationem esse tantum

Eleemosyna non est mala.

Fornicatio non est bona.

tantummodò malam; nec alteram ab alterâ moralitatem recipere; quoniam non sunt connexæ secundum se. Subiungo voluntatis actum, qui vtramque attingit,

Actus verè voluntatis est simul bonus & malus.

esse simul bonum & malum: (quà eleemosynam attingit, bonum; quà verò fornicationem, malum) prætereà, quà bonam ad malam ordinat, esse malum, non quidem novâ malitiâ, sed malitiâ finis.

An, & quomodo delectatio venerea levis ordinetur ad fornicationem?

Et ad delectationes venereas redeundo. Levis delectatio ex tactu digiti fœminei hausta, secundum naturam operis ad fornicationem ordinatur, sed leviter, & ideò præscindendo à periculo gravi, quod ab improbâ hominis voluntate nascitur, est duplex peccatum veniale; alterum ob levem illam delectationem; & alterum ob leve illud periculum, quod operi remotè adjacet. Ergo hîc similiter, sicut in eleemosynâ facimus, actus externos ab

Digiti tactus est venialis.

actu interno voluntatis distinguamus. Reperio extrinsecùs tactum digiti, & ordinationem ad finem operis, quæ est fornicatio, & ipsammet fornicationem. Delectatio ex digiti tactu proveniens, quia esse levis supponitur, est peccatum veniale.

Ordo remotus & levis est venialis.

Ordo illius delectationis ad finem operis (fornicationem) quia, ut etiam supponitur, est remotus & leviter influens, esto etiam peccatum veniale.

Fornicatio est mortalis.

Fornicatio est graviter mala. Sed hæc non inficit graviter ipsummet tactum digiti, quia est inter hunc & ipsam levis & remota connexio.

Actus voluntatis habet duas malitias leves, & unã gravem.

Nunc ad internum actum voluntatis transeamus. Expresse vult homo delectationem illam levem, quæ ex digiti contactu provenit, & remote ad fornicationem deordinatur. Ergo ex hoc capite iterum & iterum peccat venialiter. Est conscius homo fragilitatis propriæ; cognoscit fornicationem, & consentiendi periculum; & tamen sciens & volens in illâ delectatione perseverat. Ergo, quia amat periculum, peribit in illo. Ergo, siquidem causam periculi gravis (delectationem illam levem) cognoscit, & non removet, implicitè & virtualiter in fornicationem consentit, & peccat mortaliter. Ergo ille voluntatis actus attentè venit considerandus. Tactum digiti & Fornicationem respicit. In illum consentit realiter & expressè: & ideò ex hoc capite est peccatum veniale: ordinem & influxum remotum illius parvæ delectationis in finem operis homo ignorare non debuit; Ergo ex hoc iterum capite

In moralibus implicita expressis, & virtualia realibus æquipollent.

peccat venialiter. Et tandem suam fragilitatem cognoscendo, & grave periculum, quod adjacet, prævidendo, & non obediendo dicenti, *Fugite Fornicationem*, consentit virtualiter & implicitè in fornicationem, & ideò peccat mortaliter: in Moralibus enim idem præstat implicita & expressa voluntas; & virtualiter posita, ita se habet, ac si realiter poneretur.

An consistet ex dictis Opiniones, quæ sunt probabiles practicè?

At ex iis nōn colligitur aliter speculativè, & aliter practicè esse philosophandum. Quando enim voluptatem levem carentem periculo speculatio meditatur, considerat rem impossibilem, quæ tamen, si esset possibilis, tam esset innocens à culpâ gravi speculativè, quàm practicè. Quando autem voluptatem levem periculo infectam meditatur, etiam speculativè gravem malitiam in periculo reperit, & eodem prorsus modo speculativè & practicè philosophatur.

An acceptare possit duellum?

ALIAM Quæstionem subjiciamus examini. 159 Interrogas, *An vir nobilis aut militaris ad duellum provocatus, possit illud acceptare, ne ignaviæ notam & infamiam incurrat?*

An sententia affirmativa speculativè, & non practicè probabilis sit?

Multas limitationes prudenter *in 2. 2. disput. 170. sect. 12. num. 96. & 97.* Hurtadus adhibet, quæ, si concurrant erit ejus sententia probabilis tam practicè, quam speculativè. At verò, quia laborant præjudiciis nobiles, & in bello præcipuè, illæ omnes in praxi limitationes rarò aut nunquam concurrunt, & ideò ille prudentissimè ait; *Sic accepta sententia videtur probabilis speculativè, practicè tamẽ est valdè difficilis.*

An sit probabiliter tantùm probabilis.

Aliud est sententiam esse impracticabilem, & aliud esse in praxi improbabilem.

Nota illud, *videtur*, nam aliud significat *sic res est*, & aliud *sic res esse videtur.* Ergo illam sententiam non asserit *esse certam* Hurtadus: non ait *esse certò probabilem*, sed à praxi speculationem distinguens, ait *eam speculativè probabiliter esse probabilem:* diceretque *in praxi similiter esse probabilem*; sed, quia difficilè & rarum est, ut illæ circumstantiæ, ut subsunt speculationi, & non aliter, ponantur in praxi, nos monet, eam ipsam sententiam esse in praxi difficilem.

An in articulo mortis aliquis contra suũ inimicũ possit Iustitiam petere?

IDEM dicendum est lethaliter vulnerato, qui sibi administrari Iustitiam postulat in articulo mortis. Petere Iustitiam, & viâ juridicâ satisfactionẽ ille potest, vindictam non potest: unde, speculativè loquendo, si moribundi animus ab omni vindictâ alienus sit, petendo Iustitiam & satisfactionem non peccat: &, si in praxi illa Iustitiæ seu satisfactionis petitio sine vindictæ admixtione poneretur, esset licita. Sed, quia id est valde difficile, suadetur lethaliter sauciis, ne Iustitiam postulent, sed inimico injuriam & cætera absolutè condonent.

An percussorem possit ad defendendum honorem repercutere?

HIC CASVS est simillimus illi, qui 156 ab Henriquez *in summ. lib. 14. cap. 10. n. 3.* proponitur, & benignè deciditur. Quoniam interroganti, *An ad honorem tuendum liceat, invasorem post impactam alapam fugientem insequi, & repercutere?* Respondet negativè Malderus *in 1. 2. tract. 3. tit. 1. dub. 14.* Sed Cotonius *in summ. verb. occidere, num. 25.* sic inquit.

An affirmativa sententia sit probabilis speculativè?

[Lessius verò *lib. 2. cap. 9. dub. 11. num. 80.* contrariam sententiam speculativè veram existimat, sed in praxi non consulendam ob periculum odij, vindictæ, & excessûs: item pugnarum & cædium in Reipublicæ perniciem.] Non negat illam esse probabilem practicè, si succurrant circumstantiæ, prout in speculatione ponuntur: nec negat

An etiam practicè?

esse improbabilem speculativè, si odij & vindictæ periculum concomitetur: sed dicit hoc periculum posse in speculatione præcidi; at, quia abesse non solet, aut non potest in praxi, addit huius sententiæ usum consulendum non esse. Nec abest à

Resolutio Cotonij.

à Lessio Cotonius cùm ait: [ego verò seclusis his periculis illam in praxi probabilem & tutam existimo.] Hoc enim non negat Lessius: sed putat esse difficile in praxi hæc ipsa pericula secludere. Et quidem sub his terminis hæc doctrina admitti probabiliter potest, ut tradit à Navarr. *c.25.n.4.* Fabro *in 4.dist.53.quæst.3. dispùt.52.cap.1. num.29.* Diana *part.2.tract.15. resol.15. & part.1.tract 4. resol.11.* Henriquez *loc. cit.* & aliis. Eam etiam docet M. Victoria *in relect. de iure belli, num.5.* dicens. [Credo, quòd per injuriam percussus, possit statim repercutere, etiam si invasor non deberet ultra progredi: sed ad vitandam ignominiam & dedecus posset, qui colaphum, exempli gratiâ, accepit, gladio statim repercutere, non ad sumendam vindictam, sed, ut dictum est, ad vitandam infamiam.] Quæ verba P. Marcus Serra in 2.2. q.64. art.7.§.postquam recognoscit, & ait: *Hæc sententia mihi videtur probabilis, quamvis non sit publicè prædicanda.* Sed cur non erit prædicanda, si censetur probabilis? Quia est probabilis speculativè, quando sine periculis adjacentibus consideratur: &, si sine illis periculis ad praxim reduceretur, etiam in praxi esset probabilis: &, quia sine illis periculis ad praxim non solet reduci, non est dicenda probabilis in praxi, nec debet privatim suaderi, nec in Ecclesiâ publice prædicari.

Hic casus art.5. in fin. §. Huc referri. ex alia occasione recurret.

Multa, non solùm probabilia, sed certa, utiliter ignorantur.

Non omnia vera aut probabilia omnib. sunt dicenda.

157 *De missis anticipatis. An offerri illa possint pro illo, quē primò periturum scit Deus?*

PROPTER eamdem rationem periculi, quod in speculatione potest non considerari, & non abest in praxi, sequentem doctrinam aliqui, tametsi speculativè tutam putent, in praxi absolute rejiciunt. Illam exhibet hæc propositio. *Sacerdos potest missas anticipatè celebrare indistinctè pro eo, quem Deus novit primum periturum.*

Marchinus *tract.3.part.2.cap.31.num.7.* pro hac sententiâ citat Reginald. *in praxi tom.2. lib.13. cap.17. num. 237.* & Ledesmam: at utrumque malè citari tractantur Leander *part.2.de Sacram.tract.8.disput.4. quæst.19.* & Amadeus *tract.de sacrif. missæ, prop.1. pag.85.* Eam tradiderat Petrus de Navarra *lib.2.de restit.cap.2 à num.3-5.* & Reginaldus postquam eius sententiam exposuerat, concludit. *Quâ de re licèt adhuc possint afferri alia, quæ eam reddant in speculatione probabilem, ipsa tamen in praxi non caret periculo scandali, à quo cavendum est.* Ergo, si in praxi careret periculo, etiam in praxi probabilis iudicaretur. Interim, quia hoc in praxi abesse non potest, tam in praxi, quàm in speculatione si includatur periculum, improbabilis est, & à Clemente VIII. 15. Novembr. 1605. meritò condemnatur. Unde Amadeus doctè concludit, *Advertendum est opinionem Navarræ, Galetti, & Bonacinæ in praxi sustineri non posse, quia in expurgatorio Generalis Inquisitionis expungi mandata est ex Mourâ & aliis, qui eam docuerant.*

Aliud est sententiam esse periculosam, & aliud esse improbabilem.

Quæ sententia fuerit à Clem.VIII. condemnata & ab Inquisitione deleta?

Simonia contingit quādo venduntur res sacræ

ETIAM propter periculum multæ in Usuræ & Simoniæ materiâ in praxi rejiciuntur sententiæ, quæ speculativè asseruntur probabiles. Audi Tabienam *in sum. verb.emptio, num.8.* ubi sic inquit. *Notandum est, quòd sunt quædam, in quibus principaliter consideratur, quod spirituale est, ut Sacramenta & similia: &, si talia vendantur, videtur, quòd intentio venditionis sit ad spirituale, & talia simpliciter ab omnibus negatur, quod possint vendi. Si tamen fiat distinctio (attende Lector) credo, quod ad omnia potest aptari, applicando tamen mentem ad temporale, potest vendi. Non tamen esset prædicandum, quia homines ampliant, nec omnes sciunt distinguere.* At videmus in Hispaniâ Pictores cautè loqui; &, quia Madriti, sicut pleræque omnes aliæ res, sic etiam picturæ venales per plateas circumferuntur, audimus mercatorem clamantem, *Quien me compra esta hechura:* non enim se vendere ait ex. gr. *Crucifixum:* non *Crucifixi imaginem:* sed *manufacturam*, hoc est, *laborem & industriam, quæ Pictor adhibuit in imaginando Crucifixo* Qui calicem consecratum vendit, metallum, artémque à consecratione distinguit, honorem a Religione, qui habitum Militarem: & etiam honorem à Religione, qui Ecclesiasticam sepulturam, &c. Vide Acacium *tom.2. verb.simonia, quæst. 419.421. & 422.* Ergo opiniones, quæ in Simoniæ materiâ sunt speculative probabiles, cautè sunt proponendæ & tradendæ proptor abusûs periculum, quod comitatur praxim.

Non autem, quando res temporales concomitantur.

An sciant homines saculares distinguere?

Quid venditur, quādo venditur pictura Crucifixi?

EGIMUS de Simoniâ, aliquid de Usurâ subjungamus. Considera Casum sequentem. Titius bibliopola Neapolitanus tales & tales libros centum ducatis Regenti Ioanni Hispano vendidit: & eo mortuo, cùm eius bibliotheca esset venalis, eosdē libros ducatis quinquaginta redemit. Et interrogat, An usuram commiserit, & ad restitutionem teneatur? 158

Usura reducitur ad furtum, & cōmittitur, quando sine ullo titulo aliquid extorquetur præter sortem.

Mercatus *lib.1.de contract.cap.26.* sic inquit: *Si acaesse aver vendido su ropa viendola despues en la tienda, o a los menos expuesta a vender, no haviendo concierto en ello, ni temiendose de infamia, bien podra comprarla, como qualquier otro del pueblo, por el precio, que los demas la compran.* Ergo Titius opinione Mercati potuit, sicut cæteri, emere illius defuncti libros: &, quo alius illos pretio emeret, illos recuperare: ubi enim illi non taxantur, tanti valent, quanti ab emptore & venditore ex compacto æstimantur.

Quanti valeant libri, ubi taxam specialē non habent?

Legit hanc doctrinam Ludovicus Lopez *de Contract.lib 1.cap.34.* & eam asserit speculativè probabilem. Sed pergit ulteriùs Marcus Serra *in 1.2. quæst.19.art.6. fol 376.* cámque practicè probabilem esse testatur. Et eam Angelus, Salonius, Garzias, Guttierrez, Palatius, Azevedus, Grassius, & alij, quos refert Salas *tom. de contract.lib.tract.de vendit.dub.37. num.2. & tract. de usur. dub.16.* ut securam admittūt. Et certè, si emptio hæc ita in praxi fiat, sicut in speculatione proponitur, bene monet Serra licitum esse speculativè, & practicè. Cæterùm, si superveniant in praxi pericula, quæ in speculatione non considerabantur, hæc doctrina erit probabilis & licita speculativè; & potius debet

An, & quomodo hæc doctrina sit probabilis?

An, & quādo sit impracticabilis?

debet dici impracticabilis, quam in praxi improbabilis.

De Confessionis sigillo.

An scientiâ haustâ ex confessione uti possint Prælati?

Circa Confessionis sigillum, & usum notitiæ, quam quis hauserit ex confessione multæ sunt Authorum opiniones, Prælatum, qui ex Sacramentali subditi confessione cognoscit illum occasione loci vel officij peccare, posse eum ab officio ad nutum amobili absolvere, apud Thomam Sanchez *de matrim. lib.3. disput.16.num.2.* D. Thomas, Durandus, Paludanus, Capreolus, Doza, D. Antoninus, Medina, Victoria, Sotus, Ledesma, Ludovicus Lopez, Turrecremata, Sylvester, & alij testantur. Et Corradus 1.*part.Resp. Casuum. quæst.* 335. & alij Iuniores eamdem amplectuntur sententiam. (*Verum eiusmodi opiniones* (ut *num.*3. monet Sanchez, & alij Viri docti testantur) *Iesuita ex præcepto R. P. Generalis Claudij Aquaviva anno* 1590. *nec ad praxim deducere, nec privatim quidem docere possunt.*) Et quidem erat Vir doctus & prudens Aquaviva, nec censuit, nec censere potuit prædictas opiniones, à tantis Doctoribus traditas, esse speculativè probabiles, & tolerari in praxi posse, si prout proponebantur, practicarentur: at longâ doctus experientiâ cognoscens multas illarum opinionum Probabilitatem circumstantias in speculatione requirere, quarum alias non possent, alias non scirent ad praxim Confessarij reducere, illas interdixit in praxi, iussitque in Societatis Scholis nec doceri nec tradi, sed universim reiici, ut nocivas & scandalosas per accidens.

Aqua viva Decretum.

Qualis is fuerit?

Cur sententias laxas circa sigillum interdixerit?

De voto Castitatis.

An per votum unius Castitas alterius promittatur?

Idem dicendum est de hac propositione, *Voto Castitatis obstrictus, si sine delectatione, aut ullo illius periculo alium polluat, non tenetur in confessione explicare circumstantiam voti.* Ita Nicolaus Mosceicensis, Iacobus de Graffiis, Gesualdus, & alij apud Dianam *part.3. tract.9. resol.65.* Quibus adhæret Candidus Magister Sacri Palatij *tom.1.d.sp.2 art.24.dub.5. & 6.* asseverans, *esse circumstantiam aggravantem tantummodò.* Et hoc ipsum iterum & iterum docui *in Theol. Regul. disp.66. num.988.* & contra aliquorum obloquutiones *in Theolog. Fundam. fol.486.* & modo mihi res clarissima & indubitata videtur. Et quis, obsecro, negare auderet, hanc opinionem sub terminis quibus ab his Doctoribus traditur esse probabilem? interim Diana *tract. de circumstant. aggravantib. resol.61.* iudicium de eius probabilitate Viris doctis remittit. Et addunt aliqui eam fuisse traditam à Hieronymo Llamas in Summ. part. 3. cap.8. §.16. & postea à Sancta Inquisitione deletam ann. 1640.

P. Antoninus Diana, urbanissimus & suavissimus Vir, sententias quas ad probare non audet, non condemnat, sed aliis iudicandas relinquit.

Quæ fuerit Hieronymi Llamas sententia, quam Inquisitio expunxit.

Dico itaque, P. Hieronymi Llamas doctrinam meritò expunctam esse, quia nimis generaliter posita, & sine voti violatione illud peccatum non potest in praxi committi: ut enim sine delectatione propriâ virum monialis polluat, impossibile est. Casus igitur à Mosceicensi, Graffio, Gesualdo, Candido & Caramuele propositus est omninò diversus. Mores non alterat, est enim purè Metaphysicus, & quia est de re impossibili & impracticabili censetur speculativè verus sine conscientiarum periculo. Et re bene consideratâ nec debet tam dici in praxi falsus, quàm sub circumstantiis, quæ speculationem concernunt, ad praxim non posse reduci. Vnde, cum Llamas contrarium dixerit, eius dictum perniciosum & improbabile est, & obnoxium latæ ab Inquisitione Censuræ.

ARTIC. IV.

De alio modo accipiendi terminos Practicum *&* Speculativum.

Primum, verum, & rigorosum modum accipiendi istos terminos 159
docui. Dixi, ea quæ sunt speculativè probabilia, esse etiam necessariò debere practicè probabilia, si non mutetur Casus. Addidi, & bene, quotiescumque aliqua circumstantia in praxi occurrit, quæ in speculatione non fuerat posita, non mutari casum ex speculativo in practicum. Sed tolli Casum propositum in speculatione, & alium in praxi substitui. Nam, si delectatio venerea levis præcisa à periculo, secundum se, aut in statu possibilitatis considerata, sit veniale peccatum: considerata in statu existentiæ etiam erit veniale. At dices, in statu existentiæ habet adnexum periculum, quo priùs carebat: & ego dico mutari casum. Et sic discurro. Periculum illud, quod habet in statu existentiæ, est existens: illud ergo in statu futuritionis erat futurum, & in statu possibilitatis possibile. Ergo, si Speculatio considerat delectationem illam possibilem à possibili periculo præscissam, Praxis huic speculationi correspondens debet considerare delectationem illam existentem ab existente præscindendo periculo: &, si Praxis delectationem ipsam existentem affectam periculo existente contemplatur, Speculatio, huic Praxi correspondens, delectationem hanc possibilem affectam periculo possibili similiter debebit contemplari: & tunc hæc Resolutio, *Illa delectatio est simul venialis & mortalis; venialis propter se, & mortalis propter periculum concomitans.* Erit vera, tam practicè, quàm speculativè.

Multi, cùm agunt de speculativo & Practico, mutant unum Casum in alium.

Eadem circumstantiæ, quæ intelligebantur in speculatione, debent considerari in praxi.

Cæterùm, quia hic loquendi rigor à Doctoribus communiter non observatur, & debemus, ut cæteri, loqui, ne dum rigorosè agere volumus, aut non intelligamur omninò, aut contra mentem nostram intelligamur oportet scire, iuxta multorum Doctorum Lexicon has voces (*Speculativè, & Practicè*) aliter usurpari. Ergo ad illorum labium, uberioris doctrinæ gratiâ, lineas sequentes subscribamus.

Alius modus explicandi terminos, Speculativum, & Practicum.

Tunc res consideratur practicè, quando intelligitur prout existit à parte rei, videlicet cum omnibus circumstantiis, sine quibus non potest, aut non solet existere.

Tunc autem consideratur speculativè, quando

quando ipsa sola intelligitur, à circumstantiis, quæ existentiam concomitantur, præscissa, seu abstracta.

An navigare peccatum sit? Quid speculativè, & quid practicè dicendū sit?

Hinc, si quis postulet, *An navigare sit peccatum?* respondendum est negativè: & hoc speculativè. Cæterùm, si hic & nunc sit pelagus periculosum, vehementer fluctuum vortices, Aquilo furibundus, navis aperta & parva, sine temeritate neminem posse navigare dicemus, & præcipitem cujuscumque audaciam peccati mortalis accusabimus, & hoc practicè: videlicet loci & temporis & aliorum accidentium circumstantiis omnibus consideratis.

160 *An in re venereâ sit parva materia admittenda?*

Hoc sensu interdum dicimus, In re venereâ materiam parvam speculativè reperiri, sed practicè non reperiri, hoc est. Posse considerari seu intelligi delectationem veneream, adeò tenuem, ut secundum se sumpta, & à periculo præscissa, mortalem malitiam non habeat: verùm enim verò nullam delectationem practicè, prout est à parte rei, esse levem; quia in omnibus grave reperitur periculum, & hoc sufficit ad peccatum mortale. Hoc sensu terminos accepi *in Theologia Fundmentali, Fund.* 51. *in Epist. ad Dianam, num.* 1723. ibi enim habes: *In re venereâ practicè, & non præscindendo à periculo, nunquam datur materia parva; at verò speculativè (nimirum, si consideremus, non actiones lascivas, quales sunt, sed quales essent, si non esset periculum) datur materia parva.* Hoc etiam sensu loquutus est Malderus, quam P. Basæus Capucinus *in Floribus, verb. impudicitia, pag.* 372. *num* 76. citat & producit his verbis: *Hanc sententiam probabilem speculativè docet Malderus; quia, si in cæteris datur materiæ parvitas, cur non in hoc?* Hoc similiter sensu eosdem terminos accipit ipsemet Basæus *ibid.* dicit enim. [*Quidquid sit de speculativâ probabilitate huius sententiæ, negativa est sustinenda, ut communior & tutior in praxi. Sanè pro huius quæstionis elucidatione non gravabor hic* (adducere) *verba D. Ioannis Caramuel* in Comment. in Regul. Sancti Benedicti disput. 69. & 70. &c.] Caramuel autem *num.* 1053. *b.* dicebat, *periculosum esse dari materiam parvam: quia, qui putat, hanc vel illam actionem sensualem esse levem, dum illam elicit, sæpe se exponit periculo vlteriori.* &c. Vides itaque (Lector Optime) quo sensu termini accipiantur. Delectatio venerea, quæ levis dicitur; tunc sumitur practicè cùm prout est à parte rei, nempe prout periculo & cæteris circumstantiis Moralibus, quibus, dum existit, carere non potest, aut non solet, est infecta, consideratur: tunc verò sumitur speculativè, cùm à periculo, & aliis moraliter adhærentibus præscissa, & abstracta intelligitur.

An aliter speculativè, & aliter practicè sit respondendum?

In delectatione venereâ etiam parvâ magnum semper invenitur periculum.

An, & cur Senatores adhærere nō possint opinioni minùs probabili?

Hoc etiam sensu possumus dicere minùs probabiles Iurisperitorum sententias in Tribunalibus esse probabiles speculativè, improbabiles practicè: quia tametsi reverà probabiles sint, in Tribunalibus sunt interdictæ: nam Senatoribus præcipitur, ut secundum communiores, & probabiliores pronuncient: & ideò improbabile est eos hîc & nunc posse ius dicere secundum opinionem minùs probabilem.

Hoc similiter sensu affirmare poterimus hanc Positionem, *Deipara est cum peccato concepta*, esse probabilem speculativè, non autem practicè: quoniam possumus illi speculatione (assensu purè interno) adhærere: at practicè (extrinsecè; loquendo, scribendo, argumentando, &c.) illam affirmare non possumus. Et cur? Quia id Apostolica sedes inhibuit. 161

De Mariano conceptu.

Episcopus Acacius March. de Valasco *tom.* 2. *resolut.* 320. *verb. Opinion Provable, num.* 1. terminos accipit eodem sensu, nam ait: *Adverto con el Maestro Martinez Prado, que en materia de Sacramentos una opinion puede sêr provable speculativè, y en Escuelas, y improbable en la praxi, verbi gratia. Opinion es harto provable fuera de la Escuela de Sancto Thomas, que solas las palabras*, Hic est calix sanguinis mei, *son de essencia de la consagracion del vino: y es improvable decir, que las palabras, que se siguen, licitamente se pueden dexar.*

An in Sacramentorū administratione opiniones quæ sunt probabiles speculativè, sint probabiles practicè?

Sic communiter loquimur: sed non benè, quia rigor præcipit, ut doctrinam Articuli III. mente & labio observemus. Authores sanè, quando putant unam & eamdem Quæstionem dividere, & aliter speculativè, & aliter practicè resolvere, proponunt, ut Articulo III. exponebamus, duas, quæ eodem modo obtineant, seu practicè seu speculativè accipiantur: Nunc ad Acacium venio. Sunt valde diversæ Quæstiones hæ. Prima, *An, qui hæc verba*, Hic est calix sanguinis mei, *proferat, & cætera omittat, consecret validè?* Secunda, *An licitè?* Non est posterior, prioris praxis; neque prior, speculatio posterioris. Quæstiones has decido, has duas Assertiones proponendo. *Probabile est consecrationem hoc modo factam, esse validam. Improbabile est non esse illicitam.* Et assero ex Articulo III. utramque, tam speculativè, quam practicè, esse veram: quidquid enim, si termini in rigorosâ acceptione sumantur, est probabile aut licitum speculativè, est etiam probabile aut licitum practicè. 162

Quæ à verba in consecratione calicis sint necessaria?

Quæ non possint omitti licitè.

Non aliter in penultimo Casu, qui Deiparæ immaculatum conceptum concernebat; ibi enim (si rem attente examinare velis) non consideratur unicus Casus duobus modis: videlicet, speculativè, & practicè; sed duæ Quæstiones resolvuntur, nam inquiruntur primò, *Anne istam Propositionem*, Virgo est in peccato concepta, *possim actu purè interno veram credere.* Secundò. *An illam esse veram possim linguâ affirmare.* Et dico priorem ad posteriorem non se habere ut speculativum ad Practicum: & has ipsas Quæstiones, quas esse diversas nemo negare poterit, duas addendo Assertiones resolvo: videlicet. *Certum est* (nota bene, *certum* enim dico, non *probabile*) *me illi Propositioni posse actu interno probabiliter assentiri. Certum est me illam non posse lingua affirmare.* Et vtraque est vera, tam speculativè, quam practicè. 163

In materiâ immaculatæ conceptionis alterutram possum opinionem sentire, non autē mentis piam linguâ affirmare?

Et adscendendo ad Iuristas, de quibus 164

paulò

paulò antè agebatur, etiam ibi duas Quæstiones longè distantes ab Authoribus confundi video, cùm Antonij Fabri singulares sententias, v.g. dicunt esse probabiles speculativè, & improbabiles practicè: Id Articulo præcedente iam exposui, & nunc altero radio dilucido. Attende. Prima & fundamentalis in Republicâ lex, est *Leges sunto:* & hanc non homines tulerunt, sed ipsamet pronunciavit necessitas: non enim homines exleges possunt vitam communem agere. Secunda lex, etiam fundamentalis & naturalis est, *Leges bene explicantor,* nam materialia legis verba, si legitimâ interpretatione destituantur, perturbant veriùs, quàm gubernant Rempublicam: *certum est enim, quod is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntat* Regula LXXXVIII. Modò ad regionem A, oculos convertamus. Sit in eâ Princeps Heliodorus;&,ut primæ fundamentali legi, latæ à naturâ obediat, ferat hanc legem, *Pandecta Cæsarei observantor.* Et ut secundæ obediat, ferat hanc, *Quando idem Imperatoris textus duas, aut plures patitur interpretationes, minùs communi reiectâ, iura secundum communiorem dicuntor.* His positis ad Fabrum revertamur. Diversæ sunt istæ Propositiones. *Probabile est, quod Faber in singularibus suis Resolutionibus mentem sit Iustiniani adsequutus. Probabile est, quod in regione A, Senatores possint ius dicere iuxta singulares Resolutiones Fabri.* Nam prima non solùm speculativè, sed etiam practicè est vera: & secunda speculativè & practicè est falsa.

An esse possit Respublica sine legibus?

An Iudices communiorem sequi opinionem teneantur?

NOTA I.

165 *De pacto ante beneficij adquisitionem inito.*

ANtonius Cotonius *in Summ. verb. Simonia, num.*8. inquirit. *An liceat pacisci de certâ pecuniâ solvendâ, si adquiratur beneficium?* & postquam alios titulos & rationes posuerat, sic inquit. [Alij dicunt, licere de eo pacisci, ita quod prætensor obtento beneficio teneatur illud (pretium) solvere, in gratitudinem v.gr. vel in pretium laboris: &c. non obtento autem non teneatur. Quam sententiam licèt speculativè loquendo probabilem iudicaverit Diana *part.*2. *tract.*12. *resolu.*37. & *part.*3. *tract.*2. *resol.*64. §.*Sed ex his, in fin.* nunc autem in praxi puto non esse amplectendam: quia non sunt compossibilia obligari ad dandum ob gratitudinem vel laborem, & non obligari nisi obtento beneficio: cùm etiam si beneficium non obtineatur, & labor insumptus & gratitudinis obligatio producta fuerit, ut ait Sylvius *verb.Simonia* 2. *concl.*2.]

Quid speculativè possit fieri, & quid practicè?

At ego non percipio, quomodo hîc Practicum ab Speculativo distinguatur: & ideò singula breviter percurram. Posset obiicere gratiam & debitum (gratitudinem & obligationem) non componi; sed ad hoc responderem duo: alterum, illud quod est gratia in uno genere, posse esse debitum in alio: nam dare nobis æternam gloriam gratia est, unde à Patribus beatitudo *magna gratia* vocatur: unde & Apostolus, Non sunt condignæ passiones huius sæculi ad futuram gloriam: nam *Petrus exactè observavit Decalogum, Ergo lumine gloriæ coronabitur.* Si nihil addatur, non est bona consequentia. Et tamen positâ promissione Divinâ, consequentia est legitima & stat, unde confidenter ait Paulus, *Reposita est mihi corona Iustitiæ.* Et cur Iustitiæ. Respondet Chorus Cistertiēsis in Hymno,

An possit aliquis nobis ex obligatione gratiam facere?

An ex gratiâ an vero ex Iustitiâ Sanctis vita æterna concedatur?

Si corde rogamus pio,
Certè debes ex promisso.

Et quidquid sit de totâ hac doctrinâ, alterum, quod responderem, esset, quidquid dicatur æquè esse verum, falsum-ve, practicè, quàm speculativè. Si enim gratia, & debitum (gratitudo, & obligatio) opponuntur practicè, etiam opponentur speculativè: & quo sensu non opponantur speculativè, illo ipso non opponentur practicè. At hîc Cotonius, nec discrimen posuit, nec difficultatem invenit. Sed ubi illud, & hanc proponit? *Non sunt compossibilia,* ait, *obligari ad dandum ob gratitudinem vel laborem, & non obligari, nisi obtento beneficio.* At hoc, verum, aut falsum sit, æquè habet locum in speculatione ac in praxi: nam, si in praxi opponerentur, ideò opponerentur, quia in speculatione opponuntur. Cæterum, non sunt illi termini incompossibiles, quidquid Cotonius dicat. Quid enim vetat, si cum Medico paciscar his verbis. *Perdere pecunias & retinere morbum mihi est grave. Ergo conveniam tecum hac lege: ne, si recurer, tibi sim numeraturus centum aureos, si non recurer, nihil tibi solvere debeam?* Et quidem virtute huius contractûs erunt compossibilia obligari ad dandum ob gratitudinem vel laborem, & tamen non obligari, nisi obtento recurationis beneficio.

An possit quis si res bene succedat, se obligare: si non bene succedat, non se obligare.

N. B. Sub Muleio Xequio Africæ Regulo, si ægrotus curaretur, solvebat Medico & Pharmacopæo: si moriebatur, nihil dabatur Medico, & tamen ipse Pharmacopœo debebat satisfacere.

NOTA II.

166 *De peccatis dubiis.*

QVÆRVNT Doctores, *An teneatur aliquis peccata dubia confiteri?* Antonius Cotonius *in Summ. verb. Confessio, num.*42. conatur dirimere Quæstionem, aitque. [Porrò dubius, an aliquod peccatum commiserit; vel, an illud confessus sit, vel ita dubitat ut iudicium pro neutrâ parte ferre possit, & maneat suspensus ac negativus; vel habet assensum probabilem in utramque partem. Et quidem, qui dubitat primo modo, tenetur tale dubium confiteri. Ita Sanchez *in Summ tom.*1.*lib.*1. *cap.*10. *num.*66. Et Doctores communiter: ac etiam indicat Tridentinum *sess.*14. *cap.*5. Sed Coninch.*de Sacrament. tract.*2. *disput.*7. *dub.*8. *concl.*7. putat neminem teneri ad explicandum aliquod peccatum, nisi saltem probabiliter indicet, se peccasse. Nam delictum præsumi non debet. Quod etiam latè probat Præpositus *in* 3. *part. quæst.*5.*dub.*3.*num.*117. & speculativè (N. B.) probabile indicat; sicut etiam Laymann *lib.*2.*tract.*1.*cap.*5. §.4.*num.*37 saltem extra mortis articulum; quia nullum est præceptum

An sint in confessione explicanda?

An opinio negans sit speculativè probabilis?

An detur præceptum de peccatis dubiis confitendis?

præceptum confitendi peccata dubia. At tu tene primam sententiam, monet Diana *part.3.tract.4.resol.6.* & *part.4. tract.3. resolut. 5.* nam secunda est improbabilis. Si verò quis se peccare dubitet secundo modo, scilicet cum assensu probabili in utramque partem, & assensus sit æquè probabilis, satis probabile est non teneri se accusare de illo; quia cùm probabile sit, se non peccasse, vel illud confessum esse, potest hanc opinionem sequi, & ita tenere. Ita Suarez *in 3.part.tom. ..disp.22. sect. 9. num.6.* quamvis contra sentiat Nugnus *in addit. ad 3.p.quæst.9. art.2.dub.4.*] Vide Dianam *part.3.tract.4.resol.107.* & *p.4.tract.3.resol.5.§.Nota.*]

Quid de peccatu probabilib. dicendum sit?

Non produxi hæc verba propter Quæstionem, quæ interrogat, *An peccata dubia sint necessariò in confessione explicanda?* Sed propter illam quæ inquirit, *Quomodo Probabilitas Practica ab speculativâ distinguatur?* Sed nos hic uberioris doctrinæ gratiâ decidemus utramque.

Cur verba Cotonij adducantur?

Primo, hæc positio *Peccata probabilia non sunt necessariò confitenda.* mihi est certa. Et à Dianâ ut videbas admittitur. [Nec te moretur Cotonius, dicens; & *assensus sit æquè probabilis*, quia ad securitatem docet Diana, & cum eo plerique omnes minùs probabilem ad conscientiæ securitatem opinionem sufficere, unde peccata probabilius commissa, in confessione non esse necessario explicanda asserit Verricellius.] Sed esto: Diana de æquè probabili assensu egerit: quid inde? nam argumentor sic. *Peccata æquè probabilia*, (illa videlicet, quæ probabile est fuisse commissa; & æquè probabile est non fuisse commissa) *non sunt necessariò confitenda. Ergo nec dubia.* Fluit consequentia à fortiori: nam sic discurro.

An peccata probabilius commissa debeant in confessione explicari?

Peccata probabilia sunt, quæ probantur ratione gravi.

Peccata dubia sunt, quæ vel levi, vel nullâ probantur.

Ergo, si graves rationes non sufficiunt, ut ego habeam obligationem confitendi: à fortiori ad hoc non sufficient nullæ, aut leves. Et huc respiciebat Coninkius, qui eum, qui saltem probabilitatem de commissione sua non habet, ad confessionem non obligat.

An valeat consequentia ad Dubium ex probabilitate procedere.

De hoc argumento valde fusè disputo *in nostrâ Theologiâ Fundamentali, num....* Quia dicere, *Probabilia non teneor confiteri, sed dubia debeo*, est dicere, *Quando sunt rationes graves, non tamen evidentes, quæ me peccasse suadeant, confiteri non teneor, cæterùm si rationes, non sint fortes, sed leves, vel nullæ, tenebor.* Et quis non videat hunc paralogismum, intolerabile delirium esse? Interim, iterum, iterúmque hoc meo Dianæ argumentum proposui, qui efficaciam sentiscens hac me responsione dimisit, propositam à me rationem fortem esse, sed Authores peccata probabilia ab obligatione confessionis eximere, & tamen dubia, ut in confessione exponantur, jubere.

Secundò, cùm hanc Propositionem, *Nemo tenetur peccata dubia confiteri*, Præpositus, Laymannus, Diana, Cotonius, & alij dicunt esse probabilem speculativè, non autem practicè; nec volunt dicere rationes, quæ sunt sufficientes ut peccata dubia in statu possibilitatis, considerata non habeant necessariam cum confessione connexionem: non esse sufficientes, ut eadem peccata in statu existentiæ considerata necessariam cum confessione connexionem excludant: quia hoc iam num..... ostendimus esse impossibile. Nec volunt dicere, non propter intrinsecam essentiam & passiones, quæ in statu possibilitatis considerantur, sed propter aliquam circumstantiam, quæ existentiam concomittantur in confessione explicanda: quia talis circumstantia adsignari non posset. Vide num.154. Quid ergo volunt dicere? Hanc nos Propositionem quam esse probabilem videmus, & vos non videtis: &, si quidem, nescio quo pacto, tametsi nostrâ perspicacitate vestram cœcitatem debuissetis corrigere, ex vestrâ cœcitate nostram perspicacitatem condemnatis, & doctrinam certissimam improbabilem dicitis: ut doctis satisfaciamus dicemus eam esse probabilem speculativè: nam terminos exactè intelligunt: ne autem vestram indignationem incurramus, dicemus esse improbabilem practicè: &, si intelligetis conclusionem, tam perfectè ut discurratis, salva res erit.

Cur sententia benigna à suis Authoribus dicatur probabilis speculativè?

An illi hac tantùm voluerint limitatione dentes Invidiæ frangere?

N. B. *Maioris eruditionis gratiâ moneo P. Angelum Mariam Verricellium magno Authorum numero, & rationum pondere Resolutiones subsequentes*, tract.2.quæst.28. *confirmare.* I. Qui probabiliter credit peccatum non esse mortale, non tenetur confiteri. II. Qui probabiliter credit se non peccasse etsi probabilius credat oppositum, non tenetur confiteri. III. Idem dicendum est, de eo, qui probabiliter putat se esse confessum. IV. Qui probabiliter credit se aut non peccasse, aut iam confessum esse non tenetur confiteri (nempe, illud peccatum) neque in mortis articulo: & ad sacram Eucharistiam nullâ prævia confessione, aut attritione potest accedere. V. Qui probabiliter credit se non peccasse, aut esse confessum, in mortis articulo tenetur conteri, nisi præcesserit aliorum peccatorum confessio, aut contritio: immò tenetur eo casu confiteri, si dubitat se non habere actum contritionis, *Hæc omnia Verricellius, quem consule.*

Vt meliùs præcedentia intelligãtur, has quinque conclusiones ex Verricellio subscribe.

ARTIC.

ARTIC. V.

De Certitudine aut Probabilitate honestatis in actione antequàm fiat, & postquam fuerit facta.

167 *An actus, qui malus est, antequã fiat, possit bonus esse iam factus?*

LEGIS interdum apud Viros eruditos & doctos, *Ante factum non suaderem: sed laudarem, aut saltem tolerarem, post factum.* [Nam, ut alios omittam, Angelus *in summ.verb.matrimonium, 3.num.3.* interrogat, *Vtrum filius vxoris ex altero viro sit frater spiritualis filij spiritualis mariti dictæ vxoris, priùs cognitæ, antequam teneret vir eius dictum filium?* Et duas ponit sententias: primam D.Antonini, quæ negat: & secundam Dominici à S.Geminiano, quæ affirmat. Et Angelus distinguit dicens: *Quod* (secundum) *tenendum est ante factum, sed post factum tene opinionem primam.*] Et tu lecturus, quæ *num.*90. dicentur, modò inquiris, *An actus, qui antequam fiat, malus sit, & dissuadendus, possit laudari, aut saltem excusari iam factus?*

Respondeo primo hanc distinctionem cum præcedente coïncidere: quid enim aliud est, actus antequam fiat, quam speculativè & ut merè possibilis consideratus? & quid aliud est actus iam factus, quàm elicitus, quàm consideratus in praxi. Ergo, quia in praxi (iam factus) non habet alias moralitates, quam illas, quas habebat speculativè (antequam fieret) repugnat, ut qui speculativè antequam fieret) malus erat, sit bonus in praxi (& iam factus.) Et hæc de foro interno (de quo agunt Authore) sint dicta: nam agendo de externo (de quo illi non cogitant) veniunt aliqua de consideranda. Attende.

Ante quàm fiat, & postquam est factus, easdem habet moralitates.

168 *Pericula quæ instant antequam actus fiat possunt postea cessare.*

Petrus occidere Ioannem decreverat. Mihi secretò rem communicat: dissuadeo: deformitatem criminis, Dei irati potentiam & justitiam propono. Pondero duo pericula: privatum, publicum: quoniam Ioannes, nam vir egregius est, suam sciet vitam tueri, & forte amittet vitam, qui putabat auferre; sæpe enim contingit, ut qui temerè alium invadit, *vaya por lana, y vuelva trasquilado*, ut Hispani loquuntur. Et, quia Civitatis Gubernator est vigilantissimus & severissimus, hoc non poterit perpetrari homicidium, quin ille resciat; ergo aut debebit Petrus profugere, & omnia bona amittere; aut, si remaneat, capi, & agi in crucem, quin vel amicorum precibus, aut oblatis muneribus vitam possit à manu Carnificis eripere. [Pono, me non habere modum, ut Ioannem moneam. Pono id, inquam ne gravem difficultatem alterâ perturbem & intexam, explicando, An, & quomodo præceptum me Charitatis obliget, ad monendum Ioannem, quem disco versari in extremo periculo.]

169 *Diversa pericula homicidium antequam perpetretur, & diversa postea concomitantur: Inter malas aliqua bona inveniuntur formalitates.*

Tale erat homicidium, antequam committeretur: at illo iam commisso Petrus redit: iam suum inimicum sublatum asserit: tantâ videlicet dexteritate, ut ne quidem leviter ipse sit læsus; tanto secreto, ut nullum contra se excitetur indicium. Quid ipsi respondebo? Quia, ut dicebam, etiam in rebus pessimis circumstantiæ, quæ bonæ, bonæ remanent: unde in ipsomet Dæmone, atrocitate culpæ, & acerbitate pœnæ non obstantibus, naturam, quæ bona est, laudare possumus, & solemus: etiam in hoc ipso homicidio, dexteritatem & prudentiam; quibus fuit perpetratum à criminis atrocitate distinguendo illas laudare, & hanc exsecrari debebo. Ecce, si agamus de criminis peccaminositate, eadem malitia, quæ antequam illud fieret, considerabatur, eadem in perpetrato reperitur: at non eadem pericula, nam hæc pendent ex accidentibus, & quæ antequam fieret, in considerationem hominis prudentis veniebant, hæc ipsa cessant, in casu, quo omnia acciderint; ut Petrus narrat.

In homicidio exsecrari scelus possumus, & dexteritatem laudare.

171 *Virùm post rem factam interrogare prudens possit, an peccaverit?*

Forum internum ab externo distinxi, & in illo nullam reperiri inter actionis nondum factæ, & iam factæ peccaminositatem statui, ut obiter reprehendam illos, qui re iam factâ, interrogant, *An peccaverint, aut non peccaverint?* & ex Doctorum responsione in modo confessionis instituendæ se dirigunt. Pono casum. Antonius cum delectatione venereâ sine pollutionis periculo, suam fuit osculatus sponsam, & posteà, dum conscientiam examinat, & se præparat ad confessionem, interrogat, An peccaverit mortaliter? Respondent Viri docti, non peccasse mortaliter: nam ita docent Sanchez *disput. 46. num. 50.* Salas *in part.2.tom.2.quæst.74.tract.13. disput.6. sect.26.num.*177 Diana *part.2 tract.17.resol.6.& part.4.tract.3. resol.*131. Cotonius *in summ.verb.Tactus, num.6.* & alij. Et ait Antonius. Ergo non peccavi. Ergo illa oscula non teneor confiteri. Dico autem ego, hanc ipsam illationem esse malam & temerè ab illâ responsione deduci. Nam, si Antonius consuluisset Hurtadum, oppositum omninò audivisset, quoniam etiam est Vir summè doctus, & *de matr.disp.* 10. *diff.*10.*num.*48. scitè asserit, sponsos nondum habere ius mutuum in corpora, & sic non posse licitè, aut sine gravi crimine libidinari. Ergóne Antonius, si Hurtadum fortè consuluisset, debuisset dicere; Ergo peccavi: Ergo illa oscula confiteri teneor? Neutrum (Lector optime) ex hoc capite: neutrum: nam peccatum Antonij iam est factum: iam est mortale, vel veniale: & quale est, debet Ecclesiæ clavibus in Sacramentali confessione exponi: Et, si jam est mortale, ob Dianæ, Sanchez, Salas, Cotonij, & aliorum verba minimè in veniale vertetur: Si autem iam est veniale, non reddetur mortale ob Hurtadi sententiam. Antonius igitur, si velit instrui, ut discat, quo debeat modo suam posteà gubernare conscientiam, prudenter consulit Viros doctos. Cæterùm, si suam velit expiare conscientiam, & scire desideret, qualiter sponsam suam osculando peccaverit? examinare debet,

An oscula inter sponsos sint licita?

170 *Peccatum commissum, ut sit mortale, à supervenientæ Doctorum iudicio non dependet?*

Sed ab antecedenti operantis dictamine.

hoc genere modo debeas loqui, & philosophari.

An hac Positio, Deus est trinus, secundum Philosophiã vera sit? Superat naturales humanæ mentis vires Trinitatis cognitio.

QVÆRO PRIMO. Quid inter Philosophiam & Theologiam (hoc est, inter Rationem & Revelationem) distinguendo, de hac Assertione, *Deus est trinus in personis*, dicendum sit?

Respondeo primò, hanc Veritatem non esse naturaliter cognoscibilem: quod generali & speciali argumento persuadeo. Generali, quia hæc Positio est de Fide; & *Fides est rerum non apparentium argumentum*. Speciali, quia *nemo novit Patrem nisi Filius; neque Filium quis novit nisi Pater, & cui voluerit Deus revelare*, unde Petro Christus, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*. Et addo ita hanc Assertionem lumen rationis superare, ut sine Revelatione, ne quidem suspicaretur aliquis esse veram. Quod, si aliqui Ethnici, aut asseruisse, aut insinuasse Trinitatem dicantur, hanc notitiam à Prophetis hausisse censendi sunt.

Hebræor. 11.2. Mat. 11.17. Mat. 16.17.

An, & unde Ethnici habuerint Trinitatis notitiam?

Respondeo secundò hanc eandem Propositionem, *Deus est trinus*, quæ secundum Philosophiam est ignota, quia non potest à Ratione probari, esse certam secundum Theologiam, quia esse revelatam certum est.

An Nõ verum à Falso distinguatur?

Petes, An possimus dicere, eamdem Propositionem esse falsam secundum rationem, aut Philosophiam? Vt respondeam, doceri velim, An esse falsam, & non esse notam, sit idem? An Veritas & Falsitas contradictorie opponantur? An inter Veritatem & Falsitatem medium reperire possimus? Aristoteles propositiones de futuro contingente, nec veras, nec falsas esse asserit: at erravit omninò: nam veritatem aut falsitatem habent, & determinatè & distinctè cognoscuntur à Deo. Ergo *esse falsam*, & *non esse veram* idem est. Ergo dicendum est hanc Propositionem, *Deus est trinus*. Secundum meram Philosophiam nec falsam, nec veram, sed ignotam appellari debere.

De panis substantiâ. An post consecrationem remaneat?

QVÆRO SECVNDO, Quid dicatur de istâ Propositione, *In hac hostiâ consecratâ, sub accidẽtibus panis non est substantia panis?*

Respondeo primò, quòd secundum Aristotelis philosophiam, ab omni correctione præscindendo, sit falsa: statuit enim Aristoteles esse impossibile ut accidentia sint sine subiecto.

An ratio suspicari possit Accidentia sub iecto carere posse?

Respondeo secundò, quod secundum puram Philosophiam & nudum lumen rationis sit ignota: nulla enim ratio naturalis datur, quæ suadeat accidentia posse existere sine subiecto. Quòd, si tua mens divinitùs illuminaretur, & essentiam Accidentium cognosceret, & sciret illa posse existere sine subiecto, adhuc non perciperet huius hostiæ consecratæ Accidentia sine subiecto existere, nisi aliter illuminaretur.

Differentia, quæ est inter hostiam cõsecratam & non consecratam non cadit sub sensum.

Respondeo tertiò, hanc Propositionem, *In hostiâ ritè consecratâ non est substantia panis*. Esse de fide. Si autem ob oculos ponantur duæ, altera consecrata, & altera non consecrata, nec humana ratio, nec oculus, nec alius quicumque sensus, poterit differentiam percipere.

Respondeo quartò, Catholicos cùm hostiam adoramus sic discurrere.

Qualis ex unâ Propositione Fidei, & alterâ certâ, Consequentia inferatur?

In hac hostiâ, si est consecrata, non est panis substantia. Est de fide.

Sed est consecrata. Est certa moraliter: quia aliàs publicè non exponeretur: nec occurrit ratio, ob quam non fuisse consecratam suspicemur.

Ergo in hac hostiâ non est panis substantia. Est inter Fidem Rationemque certitudinis mediæ: cuius generis illa est, quam D. Thomas in Sanctorum canonizatione admittit.

QVÆRO TERTIO, similiter inter puram Philosophiam, & Theologiam (hoc est, inter Rationem & Revelationem) distinguendo, quid de hac Propositione, *Non datur peccatum originale*, quæ Pelagij fuit dogma, dicendum sit?

Illustres & infames familiæ apud Ethnicos.

Respondeo primò, non posse dici stando puræ Philosophiæ, & nudæ Rationi esse certò falsam: nam ignorare non possumus fuisse etiam olim ante Christum & extra Iudæum populum, nimirùm apud homines, qui nihil de Revelationibus Divinis sciebant, familias illustres & infames: & illustres censeri, quæ à Viro virtutibus prædito procedebant: infames verò, quæ ab homine aliquo scelerato.

Filij Dei, & Filij hominum, qui?

Hinc statim, sub ipsum Mundi initium, genus humanum in Filios Dei & Filios hominum dispesci vidimus: quorum priores honoris gratiâ dicebantur, quòd à Setho, qui Deo serviebat, provenirent: posteriores, ignominiæ causâ, quia negabant Deum, & humana tantùm concernebant, nomen illud sortiti sunt.

Familia Senatoria, Equestres, Plebeia, &c.

Apud Græcos & Romanos etiam in Ethnicismo fuit nobilium & ignobilium familiarum distinctio: aliæ enim erant Senatoriæ, aliæ Equestres, aliæ Plebeiæ, aliæ Libertinæ, aliæ Serviles, aliæ Infames.

Quomodo homines concipiant Deum?

Addo homines, quia Deum per propriam speciem non cognoscimus, per alienam, congruam tamen, nobis repræsentare. Cogitamus igitur eum esse similem Regi prudentissimo, sanctissimo, & potentissimo; & Regis huiusmodi omnes Deo in gradu infinito perfectiones & prærogativas accensemus, imperfectionibus sublatis. Et hanc viam concipiendi Deum docuit nos frequentissimè Christus in Sancti Evangelij parabolis. Tunc sic.

Reges & Principes prudentissimi & integerrimi tulerunt leges de peccato originali Politico. 148

An, & quomodo peccatum originale Theologicum naturaliter probari possit?

Sed Deum concipere debemus ut Regem sapientissimum & sanctissimum.

Ergo Deus tulit legem de peccato originali Theologico.

Consequentia est bona, sed non evidens & necessaria, sed tantùm probabilis, quia ab exemplo desumitur. Ergo stando puræ Philosophiæ, seu nudæ Rationi, hæc Positio, *Datur peccatum originale Theologicum*, posita de Adami notitia esset probabilis. Verùm, quia hæc ipsa notitia sine revelatio

revelatione haberi nequit, quidquid de peccato originali Theologicè dicimus, non verum aut falsum, sed ignotum esset, si nulla nos illuminaret revelatio.

Qualis sit Theologicè sumpta?

Respondeo secundò, eamdem Propositionem secundum Theologiam, & stando Divinæ Revelationi non esse iam probabilem, sed certam: quia expressè definita fuit ab Ecclesiâ.

ARTICVLVS III.

De Certitudine & Probabilitate Practicâ & speculativâ. Agitur curiosè de materiâ parvâ in re venereâ: an speculativè admitti possit, & practicè negari debeat?

149 *An, quæ sunt licita speculativè, sint etiam licita practicè?*

SVNT multa probabilia, aut etiam certa speculativè, (inquiunt nonnulli Viri docti) quæ in praxi non possunt admitti. Sed cur? An-ne est alia fortassis bonitas, aut ratio, aut probabilitas, aut certitudo, quam in actu possibili; & alia, quam in existente cogitamus? Porrò, si licet hominem sub talibus aut talibus circumstantiis occidere; hic & nunc, si eædem circumstantiæ concurrant, etiam erit licitum illum occidere. Nec enim est dicenda existentia actum bonum possibilem, posse reddere malum. Ergo, si actus, qui in statu possibilitatis consideratus, erat bonus, nunc actu existens malus est, non habet ab existentia malitiam, sed ab aliâ circumstantiâ, quæ non fuit in statu possibilitatis considerata. Quam ob rem actus speculativè fuit bonus, practicè verò malus; quia casus sunt diversi, & alterum concernit praxis, & alterum speculatio. Et, ut id clare videas, unum Dubium ponamus. *Petis*, An fœminam suam cognoscere sit peccatum? Respondeo negativè. Et meam responsionem esse veram dico, speculativè & practicè. *Instas*, & ais: esse quidem veram speculativè, non autem practicè, quia hic & nunc Petrus cognoscens suam uxorem peccavit mortaliter. Et hoc probas; quia iste Petrus Castitatem Deo voverat, & petendo debitum prævaricatus est. Ergo illa positio, quæ erat vera speculativè, est falsa in praxi. *Contra instantiam* me oppono, & assero Casum mutari, nam in praxi ponitur circumstantia, (nempe, violatio voti) quæ in speculatione non proponebatur. Et hanc ob rem hos duos casus distinguamus dicentes, *Qui uxorem suam cognoscit nisi alia circumstantia interdicta concurrat, non peccat. Qui vovit Castitatem, & tamen debitum petendo uxorem suam cognoscit, peccat.* Vtraque est vera, & id tam speculativè, quàm practicè. Sit ergo nostra.

Quando actus qui speculativè bonus erat, in praxi est malus, circumstantiæ mutantur.

Coniugatus, si castitatem voverat, non potest petere.

150 *Certa & indubitata Resolutio.*

Conclusio. *Omnis propositio certa, probabilis, aut dubia speculativè, est etiam certa, probabilis, aut dubia practicè.* Et est mihi tam certa, ut ne quidem formidinis aut probabilitatis vel minimam suspicionem admittam; unde colligo Dianam non penetrasse istam difficultatem: nam *par.* 2. *tract.* 13. *resol.* 5. & 12. nec non *part.* 6. *tr.* 6. *resol.* 2. An sit hæc Conclusio probabilis, aliis iudicandum relinquit. Subscribo Ioanni Sancio *in select. disp.* 5. *n.* 11. & *disp.* 64. *num.* 63. contra Thomam Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *disp.* 7. qui certè laborat æquivoco.

De Durani, Cujacij, Conelli, Fabri, & aliorum sententiis.

Petis, An Durani, Cujacij, Conelli, Fabri, & aliorum, qui in Iure extra chorum tripudiant, sententiæ sint probabiles? &, an in praxi amplecti illas possimus?

An sint speculativè probabiles?

Respondeo esse, qui illas vocent *Speculativè probabiles*: sed hi male loquuntur: nam *singulares* deberent dici, non *speculativè probabiles*. Porrò, si sunt speculativè, etiam erunt probabiles practicè: & ideò necessarium esset, singulas in specie proponere, ut de singularum probabilitate resolveretur. Interim non est bona Consequentia. *Hac est opinio in Iure Casareo probabilis. Ergo probabile est, quod iuxta illam possint Iudices hic & nunc pronunciare.* Nam, etsi verum sit antecedens, fallit consequentia in aliquibus casibus. Si enim Tribunal Ecclesiasticum sit, non sequitur leges Cæsareas. Sed neque illas Hungaria, & aliæ provinciæ cognoscunt. Præterea, si in hoc Tribunali sit lex, Iudicibus ipsis præcipiens, ut sententias communiores sequantur, etsi Fabri sententiæ v. gr. à ratione essent probabiliores, adhuc non possent in praxi admitti, quia singulares sunt, non communiores.

An possit Iudex iuxta probabilem sententiam iudicare?

Dices: Ergo saltem nunc habemus opinionem, quæ fortè esset speculativè probabilior, esse improbabilem practicè. Et te duas Quæstiones & probabilitates diversas confundere assevero. Aliud enim est quærere, *An hac legis interpretatio sit ad mentem Iustiniani?* Et aliud, *An iudices hanc legis interpretationem sequi possint?* Et harum Quæstionum dissolutio ex diversis capitibus petenda est. Pone in Castellâ v. gr. esse legem, ut Iudices Imperatorem secundum Acursij interpretationem sequantur. Pone etiam Imperatoris verba probabiliùs aut certiùs à Fabro, quàm ab Acursio exponi, An ideò Iudices in pronunciando poterunt ab Acursio discedere, & adhærere Fabro? Minimè. Ergone Probabilitas ad conscientiæ securitatem non sufficit? Distinguo consequens: *Nam, si usus talis Probabilitatis sit interdictus, non sufficit: si non sit interdictus, sufficit.* Et hoc ipsissimum speculativè & practicè certum est. 151

In hac quæstione duæ confunduntur aliæ, quæ deberent necessariò secerni.

Vsus talis Probabilitatis interdici potest, & solet.

Superest hîc auferre multorum æquivocationem, qui male loqui solent, & fortè contra nos statuere decernentur. Scias igitur (ingeniose, & erudite Lector) interdum legi apud Authores aliquas Propositiones de termino non supponente, quod in rerum naturâ non est, quales sunt: *Equus viridis currit. Homo irrationalis dormit. Ioannes est in quadrato circulo?* 152

Quænam sint Propositiones de termino non supponente?

circulo: & mensurat frigidas flammas, & similes: quæ, nec sunt veræ, nec falsæ. Nec hinc infertur dari Propositiones neutras (hoc est, veritate simul, & falsitate destitutas) nam hæ non sunt propositiones, tametsi tales videantur. Vnde, si illas esse *Propositiones secundum dici* contendas, de nominibus non disputabo. Sanè eas non esse Logicas Propositiones, ostendo: nam in illâ, *Equus viridis currit* (ut loquar in particulari) subiectum, nec ponitur materialiter, nec formaliter. Ergo. Probatur antecedens; quia non significat literas, nec syllabas, quas dicit; nec habet subiectum, quod significet, nam *Equus viridis* in rerum natura non datur.

An sint secundum dici?

De parvitate materia. An in re venereâ reperiatur?

Hinc venio ad Quæstionem, quæ interrogat, *An in re Venereâ detur materia parvitas?* Communis sententia negat; & ratio negandi sumitur ab adnexo ulteriùs progrediendi periculo. Sed aliqui, qui subtiliores videri volunt, periculum ab ipsâmet delectatione præscindentes, affirmant hanc Propositionem, *In re venereâ datur materia parvitas*, speculativè esse probabilem: practicè verò improbabilem, falsam, periculosam, & non semel damnatam.

153 Infers. Ergo una & eadem Propositio, potest esse probabilis speculativè, & improbabilis practicè.

Delectatio parva speculativè, & practicè consideratur.

Respondeo (1) Omnem actualem libidinosam delectationem, plenâ deliberatione admissam, habere adnexum periculum ulterioris consensûs. (2) Omnem esse peccatum mortale; non quidem propter se, si parva sit, sed propter periculum: quoniam si magna sit, erit peccatum mortale propter utrumque. (3) Ergo, si delectatio parva secundum se, & præcisa à periculo consideretur, sive sit possibilis, sive existens, semper levi malitiâ erit infecta. Ergo, si eadem delectatio parva, quà magno periculo affecta consideretur, sive sit possibilis, sive existens, semper erit peccatum mortale.

Consideratur etiam, cum, & sine periculo.

Hinc directè ad Quæstionem, quæ interrogabat, *An in re venerea delectatio tam parva dari possit, ut sit venialis?* Respondeo ipsam delectationem, de quâ agimus, dupliciter posse considerari, vel ab omni periculo præcisam, vel periculo superveniente affectam. Profectò considerata primo modo, dicit levem malitiam, & id tam speculativè, quàm practicè: considerata autem secundo, dicit duas malitias (levem intrinsecè, ratione sui; gravem extrinsecè, ratione periculi) & has tam speculativè, quàm practicè. Vnde, si de facto illa parva delectatio existeret sine periculo, de facto non esset mortalis.

154 *An unus & idem actus simul bonus malus, & indifferens sit?*

Doctrina hæc, quæ unum & eumdem actum posse & solere esse simul bonum, malum, & indifferentem: nec non venialem & mortalem, nec non etiam iterum & iterum mortalem, &c. asserit; quam Scotus nos docet, pulchra est, & in Morali Theologiâ lucem præbet obscurissimis difficultatibus. De Mixti essentiâ Physici etiam in Peripatu aliter, & aliter philosophantur: alij enim Elementorum formas in Mixto incorruptas relinquunt, alij illas in tertiam naturam convertunt [& horum opinione præventus Eutyches, Divinitatem, Humanitatemque in Christo mixtas fuisse, & in tertiam quamdam conversas, cum magno olim scandalo, ut paulò antè diximus, deliravit.] Priori de Mixtione opinione doctrinam de actuum humanorum bonitate & malitiâ Scotistæ succollant, & statuunt aureos nummos, si immisceantur cupreis, non transire in cupreos, nec in metallum tertium ab aureo & cupro differens, sed manere aureos: & sicut tacti à cupreis non fiunt cuprei, sic nec tangendo cupreos, illos vertere in aureos. Et posteà Analogiæ insistentes subiiciunt, formalitates in actu humano bonas, etsi admisceantur malis, nec in malas, nec in tertiam aliquam moralitatem à bonitate & malitiâ differentem converti, sed remanere bonas; & sicut ob malarum consortium non fiunt malæ, sic nec malas convertere in bonas, sed singulis sua prædicata relinqui. Exemplo rem dilucidemus.

Hæresis Eutychetis.

Moralitates bona, etsi immisceantur malis, bona remanent.

Eleemosynam erogare, est actus bonus, fornicari malus. Et quid, si Petrus daret Ioannæ eleemosynam, ut illam ad actum carnalem induceret? Respondeo huiusmodi eleemosynam esse simul bonam & malam; bonam intrinsecè, & ex suis prædicatis; malam extrinsecè, ratione finis libidinosi. Et quid, si Ferdinandus propter mœchiam furaretur? esset simul fur & mœchus: & in illo eius furto essent duæ malitiæ, altera interna in genere furti, & altera externa & adhærens in genere mœchiæ.

Eleemosyna propter mœchiam.

Furtum propter mœchiam.

Ergo in casu priori. Siquis fœminæ manum cum levi delectatione & cum periculo ulterioris consensûs, tangeret, non esset dicendus peccare venialiter speculativè, & mortaliter practicè (nam, qui sic loquuntur, abutuntur vocabulis) sed esset procul dubio dicendus, eodem ipsum actu duo diversa commisisse peccata, veniale & mortale: nam delectatio illa, quæ ex manûs contactu resultabat (nimirùm, illa, quæ esse levis supponitur) est peccatum veniale: at periculi adiacentis (quod esse grave ponitur) libera admissio, est peccatum mortale.

Delectatio venerea parva, an sit venialis speculativè, & mortalis practicè?

Et hîc posset aliquis adhuc subtiliùs distinguere, & dicere externos actus non esse cum internis confundendos. Nam quando eleemosyna propter fornicationem erogatur, debemus scire alium esse finem operis, & alium operantis. Porrò ordinatio ad finem operis in ipso actu externo est: ordinatio ad finem operantis non est in actu externo, sed in operantis voluntate. Cùm ergo eleemosyna secundum se, non ordinetur ad luxuriam, sed hanc ordinationem (aut deordinationem veriùs) à depravatâ hominis voluntate recipiat, dico in tali actu reperiri tria; eleemosynam, fornicationem, & actum voluntatis attingentis utramque, & priorem ad posteriorem ordinantis. Addo, eleemosynam esse tantummodò bonam, fornicationem esse tantum

Finis operis, & finis operantis.

Eleemosyna non est mala.

Fornicatio non est bona.

tantummodò malam; nec alteram ab alterâ moralitatem recipere; quoniam non sunt connexæ secundum se. Subiungo voluntatis actum, qui vtramque attingit,

Actus verò voluntatis est simul bonus & malus.

esse simul bonum & malum: (quà eleemosynam attingit, bonum; quà verò fornicationem, malum) præterea, quà bonam ad malam ordinat, esse malum, non quidem novâ malitiâ, sed malitiâ finis.

An, & quomodo delectatio venerea levis ordinetur ad fornicationem?

Et ad delectationes venereas redeundo. Levis delectatio ex tactu digiti fœminei hausta, secundum naturam operis ad fornicationem ordinatur, sed leviter, & ideò præscindendo à periculo gravi, quod ab improbâ hominis voluntate nascitur, est duplex peccatum veniale; alterum ob levem illam delectationem; & alterum ob leve illud periculum, quod operi remotè adjacet. Ergo hîc similiter, sicut in eleemosynâ facimus, actus externos ab actu interno voluntatis distinguamus.

Digiti tactus est venialis.

Reperio extrinsecùs tactum digiti, & ordinationem ad finem operis, quæ est fornicatio, & ipsammet fornicationem. Delectatio ex digiti tactu proveniens, quia esse levis supponitur, est peccatum veniale.

Ordo remotus & levis est venialis.

Ordo illius delectationis ad finem operis (fornicationem) quia, ut etiam supponitur, est remotus & leviter influens, esto etiam peccatum veniale.

Fornicatio est mortalis.

Fornicatio est graviter mala. Sed hæc non inficit graviter ipsummet tactum digiti, quia est inter hunc & ipsam levis & remota connexio.

Actus voluntatis habet duas malitias leves, & unâ gravem.

Nunc ad internum actum voluntatis transeamus. Expresse vult homo delectationem illam levem, quæ ex digiti contactu provenit, & remote ad fornicationem deordinatur. Ergo ex hoc capite iterum & iterum peccat venialiter. Est conscius homo fragilitatis propriæ; cognoscit fornicationem, & consentiendi periculum; & tamen sciens & volens in illâ delectatione perseverat. Ergo, quia amat periculum, peribit in illo. Ergo, siquidem causam periculi gravis (delectationem illam levem) cognoscit, & non removet, implicitè & virtualiter in fornicationem consentit, & peccat mortaliter. Ergo ille voluntatis actus attentè venit considerandus. Tactum digiti & Fornicationem respicit. In illum consentit realiter & expressè: & ideò ex hoc capite est peccatum veniale: ordinem & influxum remotum illius parvæ delectationis in finem operis homo ignorare non debuit; Ergo ex hoc iterum capite

In moralibus implicita expressis, & virtualia realibus æquipollent.

peccat venialiter. Et tandem suam fragilitatem cognoscendo, & grave periculum, quod adjacet, prævidendo, & non obediendo dicenti, *Fugito Fornicationem*, consentit virtualiter & implicitè in fornicationem, & ideò peccat mortaliter: in Moralibus enim idem præstat implicita & expressa voluntas; & virtualiter posita, ita se habet, ac si realiter poneretur.

An constet ex dictis Opiniones, quæ sunt probabiles practicè?

At ex iis nôn colligitur aliter speculativè, & aliter practicè esse philosophandum. Quando enim voluptatem levem carentem periculo speculatio meditatur, considerat rem impossibilem, quæ tamen, si esset possibilis, tam esset innocens à culpâ gravi speculativè, quàm practicè. Quando autem voluptatem levem periculo infectam meditatur, etiam speculativè gravem malitiam in periculo reperit, & eodem prorsus modo speculativè & practicè philosophatur.

ALIAM Quæstionem subjiciamus examini. Interrogas, *An vir nobilis aut militaris ad duellum provocatus, possit illud acceptare, ne ignaviæ notam & infamiam incurrat?* 159

An acceptare possit duellum?

Multas limitationes prudenter *in 2. 2. dispu. 170. sect. 12. num. 96. & 97.* Hurtadus adhibet, quæ, si concurrant erit ejus sententia probabilis tam practicè, quam speculativè. At verò, quia laborant præjudiciis nobiles, & in bello præcipuè, illæ omnes in praxi limitationes rarò aut nunquam concurrunt, & ideò ille prudentissimè ait; *Sic accepta sententia videtur probabilis speculativè, practicè tamē est valdè difficilis.*

An sententia affirmativa speculativè, & non practicè probabilis sit?

Nota illud, *videtur*, nam aliud significat *sic res est*, & aliud *sic res esse videtur*. Ergo illam sententiam non asserit *esse certam* Hurtadus: non ait *esse certò probabilem*, sed à praxi speculationem distinguens, ait *eam speculativè probabiliter esse probabilem*: diceretque *in praxi similiter esse probabilem*; sed, quia difficilè & rarum est, ut illæ circumstantiæ, ut subsunt speculationi, & non aliter, ponantur in praxi, nos monet, eam ipsam sententiam esse in praxi difficilem.

An sit probabiliter tātùm probabilis.

Aliud est sententiam esse impracticabilem, & aliud esse in praxi improbabilem.

IDEM dicendum est lethaliter vulnerato, qui sibi administrari Iustitiam postulat in articulo mortis. Petere Iustitiam, & viâ juridicâ satisfactionē ille potest, vindictam non potest: unde, speculativè loquendo, si moribundi animus ab omni vindictâ alienus sit, petendo Iustitiam & satisfactionem non peccat: &, si in praxi illa Iustitiæ seu satisfactionis petitio sine vindictæ admixtione poneretur, esset licita. Sed, quia id est valde difficile, suadetur lethaliter sauciis, ne Iustitiam postulent, sed inimico injuriam & cætera absolutè condonent.

An in articulo mortis aliquis contra suū inimicū possit Iustitiam petere?

HIC CASVS est simillimus illi, qui ab Henriquez *in summ. lib. 14. cap. 10. n. 3.* proponitur, & benignè deciditur. Quoniam interroganti, *An ad honorem tuendum liceat, invasorem post impactam alapam fugientem insequi, & repercutere?* Respondet negativè Malderus *in 2. 2. tract. 3. cit. 1. dub. 14.* Sed Cotonius *in summ. verb. occidere, num. 25.* sic inquit. [Lessius verò *lib 2. cap. 9. dub. 11. num. 80.* contrariam sententiam speculativè veram existimat, sed in praxi non consulendam ob periculum odij, vindictæ, & excessûs: item pugnarum & cædium in Reipublicæ perniciem.] Non negat illam esse probabilem practicè, si succurrant circumstantiæ, prout in speculatione ponuntur: nec negat esse improbabilem speculativè, si odij & vindictæ periculum concomitetur: sed dicit hoc periculum posse in speculatione præcidi; at, quia abesse non solet, aut non potest in praxi, addit huius sententiæ usum consulendum non esse. Nec abest 156

An percussorem possit ad defendendum honorem repercutere?

An affirmativa sententia sit probabilis speculativè?

An etiam practicè?

à Lessio Cotonius cùm ait : [ego verò seclusis his periculis illam in praxi probabilem & tutam existimo.] Hoc enim non negat Lessius : sed putat esse difficile in praxi hæc ipsa pericula secludere. Et quidem sub his terminis hæc doctrina admitti probabiliter potest, ut tradit à Navarr. *c.25.n.4.* Fabro *in 4.dist.53.quæst.3. disput.52.cap.1. num.29.* Diana *part.2.tract.15. resol.15.* & *part.1.tract 4. resol.11.* Henriquez *loc. cit.* & aliis. Eam etiam docet M. Victoria *in relect. de iure belli, num.5.* dicens. [Credo, quòd per injuriam percussus, possit statim repercutere, etiam si invasor non deberet ultra progredi : sed ad vitandam ignominiam & dedecus posset, qui colaphum, exempli gratià, accepit, gladio statim repercutere, non ad sumendam vindictam, sed, ut dictum est, ad vitandam infamiam.] Quæ verba P. Marcus Serra in 2.2.q.64. art.7.§. postquam recognoscit, & ait : *Hæc sententia mihi videtur probabilis, quamvis non sit publicè prædicanda.* Sed cur non erit prædicanda, si censetur probabilis ? Quia est probabilis speculativè, quando sine periculis adjacentibus consideratur : &, si sine illis periculis ad praxim reduceretur, etiam in praxi esset probabilis : &, quia sine illis periculis ad praxim non solet reduci, non est dicenda probabilis in praxi, nec debet privatim suaderi, nec in Ecclesiâ publice prædicari.

Resolutio Cotonij.

Hic casus art.5. in fin. §. Huc referri. ex alia occasione recurret.

Multa, non solùm probabilia, sed certa, utiliter ignorantur.

Non omnia vera aut probabilia omnib. sunt dicenda.

157 *De missis anticipatis. An offerri illa possint pro illo, què primò periturum scit Deus?*

Propter eamdem rationem periculi, quod in speculatione potest non considerari, & non abest in praxi, sequentem doctrinam aliqui, tametsi speculativè tutam putent, in praxi absolute rejiciunt. Illam exhibet hæc propositio. *Sacerdos potest missas anticipatè celebrare indistinctè pro eo, quem Deus novit primum periturum.*

Marchinus *tract.3.part.2.cap.31.num.7.* pro hac sententiâ citat Reginald. *in praxi tom.2.lib.35.cap.17. num.237.* & Ledesmam : at vtrumque malè citari tractantur Leander *part.2.de Sacram.tract.8.disput.4. quæst.19.* & Amadeus *tract.de sacrif. missæ, prop.1. pag.85.* Eam tradiderat Petrus de Navarra *lib.2.de restit.cap.2 à num.3-5.* & Reginaldus postquam eius sententiam exposuerat, concludit. *Quâ de re licèt adhuc possint afferri alia, quæ eam reddant in speculatione probabilem, ipsa tamen in praxi non caret periculo scandali, à quo cavendum est.* Ergo, si in praxi careret periculo, etiam in praxi probabilis iudicaretur. Interim, quia hoc in praxi abesse non potest, tam in praxi, quàm in speculatione si includatur periculum, improbabilis est, & à Clemente VIII. 15. Novembr. 1605. meritò condemnatur. Vnde Amadeus doctè concludit, *Advertendum est opinionem Navarræ, Galetti, & Bonacinæ in praxi sustineri non posse, quia in expurgatorio Generalis Inquisitionis expungi mandata est ex Monrâ & aliis, qui eam docuerant.*

Aliud est sententiam esse periculosam, & aliud esse improbabilem.

Quæ sententia fuerit à Clem. VIII. condemnata & ab Inquisitione deleta?

Etiam propter periculum multæ in Vsuræ & Simoniæ materiâ in praxi rejiciuntur sententiæ, quæ speculativè asseruntur probabiles. Audi Tabienam *in sum. verb. emptio, num.8.* ubi sic inquit. *Notandum est, quòd sunt quædam, in quibus principaliter consideratur, quod spirituale est, ut Sacramenta & similia : &, si talia vendantur, videtur, quòd intentio venditionis sit ad spirituale, & talia simpliciter ab omnibus negatur, quòd possint vendi. Si tamen fiat distinctio (attende Lector) credo, quod ad omnia potest aptari, applicando tamen mentem ad temporale, potest vendi. Non tamen esset prædicandum, quia homines ampliant, nec omnes sciunt distinguere.* At videmus in Hispaniâ Pictores cautè loqui ; &, quia Madriti, sicut pleræque omnes aliæ res, sic etiam picturæ venales per plateas circumferuntur, audimus mercatorem clamantem, *Quien me compra esta hechura:* non enim se vendere ait ex. gr. *Crucifixum :* non *Crucifixi imaginem :* sed *manufacturam,* hoc est, *laborem & industriam, quæ Pictor adhibuit in imaginando Crucifixo.* Qui calicem consecratum vendit, metallum, artémque à consecratione distinguit, honorem à Religione, qui habitum Militarem: & etiam honorem à Religione, qui Ecclesiasticam sepulturam, &c. Vide Acacium *tom.2. verb. simonia, quæst.* 419.421. & 422. Ergo opiniones, quæ in Simoniæ materiâ sunt speculative probabiles, cautè sunt proponendæ & tradendæ proptor abusûs periculum, quod comitatur praxim.

Simonia contingit quādo venduntur res sacræ:

Non autem, quando res temporales concomitantur.

An sciant homines facultates distinguere?

Quid vendatur, quādo venditur pictura Crucifixi?

Egimus de Simoniâ, aliquid de Vsurâ subjungamus. Considera Casum sequentem. Titius bibliopola Neapolitanus tales & tales libros centum ducatis Regenti Ioanni Hispano vendidit : & eo mortuo, cùm eius bibliotheca esset venalis, eosdē libros ducatis quinquaginta redemit. Et interrogat, An usuram commiserit, & ad restitutionem teneatur ? 158

Vsura reducitur ad furtum, & cōmittitur, quando sine ullo titulo aliquid extorquetur præter sortem.

Mercatus *lib.1.de contract.cap.26.* sic inquit : *Si acaesse aver vendido su ropa viendola despues en la tienda, o a los menos expuesta a vender, no haviendo concierto en ello, ni temiendose de infamia, bien podra comprarla, como qualquier otro del pueblo, por el precio, que los demas la compran.* Ergo Titius opinione Mercati potuit, sicut cæteri, emere illius defuncti libros: &, quo alius illos pretio emeret, illos recuperare : ubi enim illi non taxantur, tanti valent, quanti ab emptore & venditore ex compacto æstimantur.

Quanti valeant libri, ubi taxam specialē non habent?

Legit hanc doctrinam Ludovicus Lopez *de Contract.lib 1.cap.34.* & eam asserit speculativè probabilem. Sed pergit vlteriùs Marcus Serra *in 1.2. quæst.19.art.6. fol 376.* cámque practicè probabilem esse testatur. Et eam Angelus, Salonius, Garzias, Guttierrez, Palatius, Azevedus, Graffius, & alij, quos refert Salas *tom. de contract.lib. tract.de vendit.dub.37. num.2.* & *tract. de vsur. dub.16.* ut securam admittūt. Et certè, si emptio hæc ita in praxi fiat, sicut in speculatione proponitur, bene monet Serra licitum esse speculativè, & practicè. Cæterùm, si superveniant in praxi pericula, quæ in speculatione non considerabantur, hæc doctrina erit probabilis & licita speculativè ; & potius

An, & quomodo hæc doctrina sit probabilis?

An, & quādo sit impracticabilis?

debet

debet dici impracticabilis, quam in praxi improbabilis.

De Confessionis sigillo.

Circa Confessionis sigillum, & usum notitiæ, quam quis hauserit ex confessione multæ sunt Authorum opiniones, Prælatum, qui ex Sacramentali subditi confessione cognoscit illum occasione loci vel officij peccare, posse eum ab officio ad nutum amobili absolvere, apud Thomam Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 16. num. 2.* D. Thomas, Durandus, Paludanus, Capreolus, Doza, D. Antoninus, Medina, Victoria, Sotus, Ledesma, Ludovicus Lopez, Turrecremata, Sylvester, & alij testantur. Et Corradus *1. part. Resp. Casuum. quæst. 335.* & alij Iuniores eamdem amplectuntur sententiam. (*Verùm eiusmodi opiniones* (ut *num. 3.* monet Sanchez, & alij Viri docti testantur) *Iesuitæ ex præcepto R. P. Generalis Claudij Aquavivæ anno 1590. nec ad praxim deducere, nec privatim quidem docere possunt.*) Et quidem erat Vir doctus & prudens Aquaviva, nec censuit, nec censere potuit prædictas opiniones, à tantis Doctoribus traditas, esse speculativè probabiles, & tolerari in praxi posse, si prout proponebantur, practicarentur: at longâ doctus experientiâ cognoscens multas illarum opinionum Probabilitatem circumstantias in speculatione requirere, quarum alias non possent, alias non scirent ad praxim Confessarij reducere, illas interdixit in praxi, iussitque in Societatis Scholis nec doceri nec tradi, sed universim reiici, ut nocivas & scandalosas per accidens.

An scientiâ haustâ ex confessione uti possint Prælati?

Aquevivæ Decretum.

Qualis is fuerit?

Cur sententias laxas circa sigillum interdixerit?

De voto Castitatis.

Idem dicendum est de hac propositione, *Voto Castitatis obstrictus, si sine delectatione, aut ullo illius periculo alium polluat, non tenetur in confessione explicare circumstantiam voti.* Ita Nicolaus Moscicensis, Iacobus de Grassiis, Gesualdus, & alij apud Dianam *part. 3. tract. 9. resol. 65.* Quibus adhæret Candidus Magister Sacri Palatij *tom. 1. disp. 2. art. 24. dub. 5. & 6.* asseverans, *esse circumstantiam aggravantem tantummodò.* Et hoc ipsum iterum & iterum docui *in Theol. Regul. disp. 66. num. 988.* & contra aliquorum obloquutiones *in Theolog. Fundam. fol. 486.* & modo mihi res clarissima & indubitata videtur. Et quis, obsecro, negare auderet, hanc opinionem sub terminis quibus ab his Doctoribus traditur esse probabilem? interim Diana *tract. de circumstant. aggravantib. resol. 61.* iudicium de eius probabilitate Viris doctis remittit. Et addunt aliqui eam fuisse traditam à Hieronymo Llamas in Summ. part. 3. cap. 8. §. 16. & postea à Sancta Inquisitione deletam ann. 1640.

An per votum unius Castitas alterius promittatur?

P. Antoninus Diana, urbanissimus & suavissimus Vir, sententias quas adprobare non audet, non condemnat, sed aliis iudicandas relinquit.

Dico itaque, P. Hieronymi Llamas doctrinam meritò expunctam esse, quia nimis generaliter posita, & sine voti violatione illud peccatum non potest in praxi committi: ut enim sine delectatione propriâ virum monialis polluat, impossibile est. Casus igitur à Moscicensi, Grassio, Gesualdo, Candido & Caramuele propositus est omninò diversus. Mores non alterat, est enim purè Metaphysicus, & quia est de re impossibili & impracticabili censetur speculativè verus sine conscientiarum periculo. Et re bene consideratâ nec debet tam dici in praxi falsus, quàm sub circumstantiis, quæ speculationem concernunt, ad praxim non posse reduci. Vnde, cum Llamas contrarium dixerit, eius dictum perniciosum & improbabile est, & obnoxium latæ ab Inquisitione Censuræ.

Quæ fuerit Hieronymi Llamas sententia, quam Inquisitio expunxit.

ARTIC. IV.

De alio modo accipiendi terminos Practicum *&* Speculativum.

Primum, verum, & rigorosum modum accipiendi istos terminos docui. Dixi, ea quæ sunt speculativè probabilia, esse etiam necessariò debere practicè probabilia, si non mutetur Casus. Addidi, & bene, quotiescumque aliqua circumstantia in praxi occurrit, quæ in speculatione non fuerat posita, non mutari casum ex speculativo in practicum. Sed tolli Casum propositum in speculatione, & alium in praxi substitui. Nam, si delectatio venerea levis præcisa à periculo, secundum se, aut in statu possibilitatis considerata, sit veniale peccatum: considerata in statu existentiæ etiam erit veniale. At dices, in statu existentiæ habet adnexum periculum, quo priùs carebat: & ego dico mutari casum. Et sic discurro. Periculum illud, quod habet in statu existentiæ, est existens: illud ergo in statu futuritionis erat futurum, & in statu possibilitatis possibile. Ergo, si Speculatio considerat delectationem illam possibilem à possibili periculo præscissam, Praxis huic speculationi correspondens debet considerare delectationem illam existentem ab existente præscindendo periculo: &, si Praxis delectationem ipsam existentem affectam periculo existente contemplatur, Speculatio, huic Praxi correspondens, delectationem hanc possibilem affectam periculo possibili similiter debebit contemplari: & tunc hæc Resolutio, *Illa delectatio est simul venialis & mortalis; venialis propter se, & mortalis propter periculum concomitans.* Erit vera, tam practicè, quàm speculativè. 159

Multi, cùm agunt de speculativo & Practico, mutant unū Casum in alium.

Eædem circumstantiæ, quæ intelligebantur in speculatione, debent considerari in praxi.

Cæterùm, quia hic loquendi rigor à Doctoribus communiter non observatur, & debemus, ut cæteri, loqui, ne dum rigorosè agere volumus, aut non intelligamur omninò, aut contra mentem nostram intelligamur oportet scire, iuxta multorum Doctorum Lexicon has voces (*Speculativè, & Practicè*) aliter usurpari. Ergo ad illorum labium, uberioris doctrinæ gratiâ, lineas sequentes subscribamus:

Alius modus explicandi terminos, Speculativum, & Practicum.

Tunc res consideratur practicè, quando intelligitur prout existit à parte rei, videlicet cum omnibus circumstantiis, sine quibus non potest, aut non solet existere.

Tunc autem consideratur speculativè, quando

quando ipsa sola intelligitur, à circumstantiis, quæ existentiam concomitantur, præscissa, seu abstracta.

An navigare peccatum sit? Quid speculativè, & quid practicè dicendū sit

Hinc, si quis postulet, *An navigare sit peccatum?* respondendum est negativè: & hoc speculativè. Cæterùm, si hic & nunc sit pelagus periculosum, vehementer fluctuum vortices, Aquilo furibundus, navis aperta & parva, sine temeritate neminem posse navigare dicemus, & præcipitem cujuscumque audaciam peccati mortalis accusabimus, & hoc practicè: videlicet loci & temporis & aliorum accidentium circumstantiis omnibus consideratis.

160 *An in re venereâ sit parva materia admittenda?*

Hoc sensu interdum dicimus, In re venereâ materiam parvam speculativè reperiri, sed practicè non reperiri, hoc est. Posse considerari seu intelligi delectationem veneream, adeò tenuem, ut secundum se sumpta, & à periculo præscissa, mortalem malitiam non habeat: verùm enim verò nullam delectationem practicè, prout est à parte rei, esse levem; quia in omnibus grave reperitur periculum, & hoc sufficit ad peccatum mortale. Hoc sensu terminos accepi *in Theologia Fundmentali, Fund.* 51. *in Epist. ad Dianam*, *num.* 1723. ibi enim habes: *In re venereâ practicè, & non præscindendo à periculo, nunquam datur materia parva; at verò speculativè (nimirum, si consideremus, non actiones lascivas, quales sunt, sed quales essent, si non esset periculum) datur materia parva.* Hoc etiam sensu loquutus est Malderus, quam P. Basæus Capucinus *in Floribus, verb. impudicitia*, *pag.* 372. *num* 76. citat & producit his verbis: *Hanc sententiam probabilem speculativè docet Malderus; quia, si in cæteris datur materia parvitas, cur non in hoc?* Hoc similiter sensu eosdem terminos accipit ipsemet Basæus *ibid.* dicit enim. [*Quidquid sit de speculativâ probabilitate huius sententiæ, negativa est sustinenda, ut communior & tutior in praxi. Sanè pro huius quæstionis elucidatione non gravabor hic (adducere) verba D. Ioannis Caramuel* in Comment. in Regul. Sancti Benedicti disput. 69. & 70. &c.] Caramuel autem *num.* 1053.*b.* dicebat, *periculosum esse dari materiam parvam: quia qui putat, hanc vel illam actionem sensualem esse levem, dum illam elicit, sæpe se exponit periculo ulteriori.* &c. Vides itaque (Lector Optime) quo sensu termini accipiantur. Delectatio venerea, quæ levis dicitur; tunc sumitur practicè cùm prout est à parte rei, nempe prout periculo & cæteris circumstantiis Moralibus, quibus, dum existit, carere non potest, aut non solet, est infecta, consideratur: tunc verò sumitur speculativè, cùm à periculo, & aliis moraliter adhærentibus præscissa, & abstracta intelligitur.

An aliter speculativè, & aliter practicè sit respondendum?

In delectatione venereâ etiam parvâ magnum semper inventur periculum.

An, & cur Senatores adhærere nō possint opinioni minùs probabili?

Hoc etiam sensu possumus dicere minùs probabiles Iurisperitorum sententias in Tribunalibus esse probabiles speculativè, improbabiles practicè: quia tametsi reverà probabiles sint, in Tribunalibus sunt interdictæ: nam Senatoribus præcipitur, ut secundum communiores, & probabiliores pronuncient: & ideò improbabile est eos hîc & nunc posse ius dicere secundum opinionem minùs probabilem.

Hoc similiter sensu affirmare poterimus hanc Positionem, *Deipara est cum peccato concepta*, esse probabilem speculativè, non autem practicè: quoniam possumus illi speculatione (assensu purè interno) adhærere: at practicè (extrinsecè; loquendo, scribendo, argumentando, &c,) illam affirmare non possumus. Et cur? Quia id Apostolica sedes inhibuit. 161 *De Mariano conceptu.*

An in Sacramentorū administratione opiniones quæ sunt probabiles speculativè, sint probabiles practicè?

Episcopus Acacius March. de Valasco *tom.* 2. *resolut.* 320. *verb. Opinion Provable*, *num.* 1. terminos accipit eodem sensu, nam ait: *Adverto con el Maestro Martine Prado, que en materia de Sacramentos una opinion puede sêr provable speculativè, y en Escuelas, y improbable en la praxi, verbi gratia. Opinion es harto provable fuera de la Escuela de Sancto Thomas, que solas las palabras*, Hic est calix sanguinis mei, *son de essencia de la consagracion del vino: y es improvable decir, que las palabras, que se siguen, licitamente se pueden dexar.*

Sic communiter loquimur: sed non bene, quia rigor præcipit, ut doctrinam Articuli III. mente & labio observemus. Authores sanè, quando putant unam & eamdem Quæstionem dividere, & aliter speculativè, & aliter practicè resolvere, proponunt, ut Articulo III. exponebamus, duas, quæ eodem modo obtineant, seu practicè seu speculativè accipiantur: Nunc ad Acacium venio. Sunt valde diversæ Quæstiones hæ. Prima, *An, qui hæc verba*, Hic est calix sanguinis mei, *proferat, & cætera omittat, consecret validè?* Secunda, *An licitè?* Non est posterior, prioris praxis; neque prior, speculatio posterioris. Quæstiones has decido, has duas Assertiones proponendo. *Probabile est consecrationem hoc modo factam, esse validam. Improbabile est non esse illicitam* Et assero ex Articulo III. utramque, tam speculativè, quàm practicè, esse veram: quidquid enim, si termini in rigorosâ acceptione sumantur, est probabile aut licitum speculativè, est etiam probabile aut licitum practicè. 162 *Quæ à verba in consecratione calicis sint necessaria? Quæ non possint omitti licitè.*

Non aliter in penultimo Casu, qui Deiparæ immaculatum conceptum concernebat; ibi enim (si rem attentè examinare velis) non consideratur unicus Casus duobus modis: videlicet, speculativè, & practicè; sed duæ Quæstiones resolvuntur, nam inquiruntur primò, *Anne istam Propositionem*, Virgo est in peccato concepta, *possim actu purè interno veram credere.* Secundò. *An illam esse veram possim linguâ affirmare.* Et dico priorem ad posteriorem non se habere ut speculativum ad Practicum: & has ipsas Quæstiones, quas esse diversas nemo negare poterit, duas addendo Assertiones resolvo: videlicet. *Certum est* (nota bene, *certum* enim dico, non *probabile*) *me illi Propositioni posse actu interno probabiliter assentiri. Certum est me illam non posse lingua affirmare.* Et vtraque est vera, tam speculativè, quam practicè. 163 *In materiâ immaculatâ conceptionis alterutram possum opinionem sentire, non autē minùs piam linguâ affirmare?*

Et adscendendo ad Iuristas, de quibus paulò 164

paulò antè agebatur, etiam ibi duas Quæstiones longè distantes ab Authoribus confundi video, cùm Antonij Fabri singulares sententias, v.g. dicunt esse probabiles speculativè, & improbabiles practicè: Id Articulo præcedente iam exposui, & nunc altero radio dilucido. Attende. Prima & fundamentalis in Republicâ lex, est *Leges sunto*: & hanc non homines tulerunt, sed ipsamet pronunciavit necessitas: non enim homines exleges possunt vitam communem agere. Secunda lex, etiam fundamentalis & naturalis est, *Leges bene explicantor*, nam materialia legis verba, si legitimâ interpretatione destituantur, perturbant veriùs, quàm gubernant Rempublicam: *certum est enim, quod is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntat*. Regula LXXXVIII. Modò ad regionem A, oculos convertamus. Sit in eâ Princeps Heliodorus; &, ut primæ fundamentali legi, latæ à naturâ obediat, ferat hanc legem, *Pandecta Cæsarei observantor*. Et ut secundæ obediat, ferat hanc, *Quando idem Imperatoris textus duas, aut plures patitur interpretationes, minùs communi reiectâ, iura secundum communiorem dicuntor*. His positis ad Fabrum revertamur. Diversæ sunt istæ Propositiones. *Probabile est, quod Faber in singularibus suis Resolutionibus mentem sit Iustiniani adsequutus. Probabile est, quod in regione A, Senatores possint ius dicere iuxta singulares Resolutiones Fabri.* Nam prima non solùm speculativè, sed etiam practicè est vera: & secunda speculativè & practicè est falsa.

An esse possit Respublica sine legibus?

An iudices communem sequi opinionem teneantur?

NOTA I.

165 *De pacto ante beneficij adquisitionem inito.*

ANtonius Cotonius *in Summ. verb. Simonia, num.*8. inquirit, *An liceat pacisci de certâ pecuniâ solvendâ, si adquiratur beneficium?* & postquam alios titulos & rationes posuerat, sic inquit. [Alij dicunt, licere de eo pacisci, ita quod prætensor obtento beneficio teneatur illud (pretium) solvere, in gratitudinem v.gr. vel in pretium laboris; &c. non obtento autem non teneatur. Quam sententiam licèt speculativè loquendo probabilem iudicaverit Diana *part.2. tract.12. resolu.37.* & *part.3. tract.2. resol.64. §.Sed ex his, in fin.* nunc autem in praxi puto non esse amplectendam: quia non sunt compossibilia obligari ad dandum ob gratitudinem vel laborem, & non obligari nisi obtento beneficio: cùm etiam si beneficium non obtineatur, & labor insumptus & gratitudinis obligatio producta fuerit, ut ait Sylvius *verb.Simonia 2. concl.2.*]

Quid speculativè possit fieri, & quid practicè?

An possit aliquis nobis ex obligatione gratiam facere?

At ego non percipio, quomodo hîc Practicum ab Speculativo distinguatur: & ideò singula breviter percurram. Posset obiicere gratiam & debitum (gratitudinem & obligationem) non componi; sed ad hoc responderem duo: alterum, illud quod est gratia in uno genere, posse esse debitum in alio: nam dare nobis æternam gloriam gratia est, unde à Patribus beatitudo *magna gratia* vocatur: unde & Apostolus, Non sunt condignæ passiones huius sæculi ad futuram gloriam: nam *Petrus exactè observavit Decalogum, Ergo lumine gloriæ coronabitur.* Si nihil addatur, non est bona consequentia. Et tamen positâ promissione Divinâ, consequentia est legitima & stat, unde confidenter ait Paulus, *Reposita est mihi corona Iustitiæ.* Et cur Iustitiæ? Respondet Chorus Cistertiēsis in Hymno,

An ex gratiâ an vero ex iustitiâ sanctis vita æterna concedatur?

Si corde rogamus pio,
Certè debes ex promisso.

Et quidquid sit de totâ hac doctrinâ, alterum, quod responderem, esset, quidquid dicatur æquè esse verum, falsum-ve, practicè, quàm speculativè. Si enim gratia, & debitum (gratitudo, & obligatio) opponuntur practicè, etiam opponentur speculativè: & quo sensu non opponantur speculativè, illo ipso non opponentur practicè. At hîc Cotonius, nec discrimen posuit, nec difficultatem invenit. Sed ubi illud, & hanc proponit? *Non sunt compossibilia,* ait, *obligari ad dandum ob gratitudinem vel laborem, & non obligari, nisi obtento beneficio.* At hoc, verum, aut falsum sit, æquè habet locum in speculatione ac in praxi: nam, si in praxi opponerentur, ideò opponerentur, quia in speculatione opponuntur. Cæterum, non sunt illi termini incompossibiles, quidquid Cotonius dicat. Quid enim vetat, si cum Medico paciscar his verbis. *Perdere pecunias & retinere morbum mihi est grave. Ergo conveniam tecum hac lege: ut, si recurer, tibi sim numeraturus centum aureos, si non recurer, nihil tibi solvere debeam?* Et quidem virtute huius contractûs erunt compossibilia obligari ad dandum ob gratitudinem vel laborem, & tamen non obligari, nisi obtento recurationis beneficio.

An possit quis si res bene succedat, se obligare: si non bene succedat, non se obligare.

N. B. Sub Muleio Xequio Africæ Regulo, si ægrotus curaretur, solvebat Medico & Pharmacopæo; si moriebatur, nihil dabatur Medico, & tamen ipse Pharmacopœo debebat satisfacere.

NOTA II.

166 *De peccatis dubiis.*

QVÆRVNT Doctores, *An teneatur aliquis peccata dubia confiteri?* Antonius Cotonius *in Summ. verb. Confessio, num.42.* conatur dirimere Quæstionem, atque. [Porrò dubius, an aliquod peccatum commiserit; vel, an illud confessus sit, vel ita dubitat ut iudicium pro neutrâ parte ferre possit, & maneat suspensus ac negativus; vel habet assensum probabilem in utramque partem. Et quidem, qui dubitat primo modo, tenetur tale dubium confiteri. Ita Sanchez *in Summ tom.1.lib.1. cap.10. num.66.* Et Doctores communiter: ac etiam indicat Tridentinum *sess.14. cap.5.* Sed Coninch. *de Sacrament. tract.2. disput.7. dub.8. concl.7.* putat neminem teneri ad explicandum aliquod peccatum, nisi saltem probabiliter indicet, se peccasse. Nam delictum præsumi non debet. Quod etiam latè probat Præpositus *in 3. part. quæst.5.dub.3.num.117.* & speculativè (N. B.) probabile iudicat; sicut etiam Layman *lib.1.tract.1.cap.5. §.4.num.37* saltem extra mortis articulum; quia nullum est præceptum

An sint in confessione explicanda?

An opinio negans sit speculativè probabilis?

An detur præceptum de peccatis dubiis confitendis?

L

ARTIC. V.

De Certitudine aut Probabilitate honestatis in actione antequàm fiat, & postquam fuerit facta.

167 *An actus, qui malus est, antequàm fiat, possit bonus esse iam factus?*

LEGIS interdum apud Viros eruditos & doctos, *Ante factum non suaderem: sed laudarem, aut saltem tolerarem, post factum.* [Nam, ut alios omittam, Angelus *in summ. verb. matrimonium*, 3. *num.* 3. interrogat, *Vtrum filius vxoris ex altero viro sit frater spiritualis filij spiritualis mariti dictæ vxoris, priùs cognitæ, antequam teneret vir eius dictum filium?* Et duas ponit sententias: primam D. Antonini, quæ negat: & secundam Dominici à S. Geminiano, quæ affirmat. Et Angelus distinguit dicens: *Quod* (secundum) *tenendum est ante factum, sed post factum tene opinionem primam.*] Et tu lecturus, quæ *num.* 9o. dicentur, modò inquiris, *An actus, qui antequam fiat, malus sit, & dissuadendus, possit laudari, aut saltem excusari iam factus?*

Respondeo primo hanc distinctionem cum præcedente coïncidere: quid enim aliud est, actus antequam fiat, quam speculativè & ut mere possibilis consideratus? & quid aliud est actus iam factus, quàm elicitus, quàm consideratus in praxi. Ergo, quia in praxi (iam factus) non habet alias moralitates, quam illas, quas habebat speculativè (antequam fieret) repugnat, ut qui speculativè antequam fieret) malus erat, sit bonus in praxi (& iam factus.) Et hæc de foro interno (de quo agunt Authore) sint dicta: nam agendo de externo (de quo illi non cogitant) veniunt aliqua de consideranda. Attende.

Ante quàm fiat, & postquam est factus, easdem habet moralitates.

168 *Pericula quæ instant antequam actus fiat possunt posteà cessare.*

Petrus occidere Ioannem decreverat. Mihi secretò rem communicat: dissuadeo: deformitatem criminis, Dei irati potentiam & iustitiam propono. Pondero duo pericula: privatum, publicum: quoniam Ioannes, nam vir egregius est, suam sciet vitam tueri, & forte amittet vitam, qui putabat auferre; sæpe enim contingit, ut qui temerè alium invadit, *vaya por lana, y vuelva trasquilado*, ut Hispani loquuntur. Et, quia Civitatis Gubernator est vigilantissimus & severissimus, hoc non poterit perpetrari homicidium, quin ille resciat; ergo aut debebit Petrus profugere, & omnia bona amittere; aut, si remaneat, capi, & agi in crucem, quin vel amicorum precibus, aut oblatis muneribus vitam possit à manu Carnificis eripere. [Pono, me non habere modum, ut Ioannem moneam. Pono id, inquam ne gravem difficultatem alterà perturbem & intexam, explicando, An, & quomodo præceptum me Charitatis obliget, ad monendum Ioannem, quem disco versari in extremo periculo.]

169 *Diversa*

Tale erat homicidium, antequam committeretur: at illo iam commisso Petrus redit: iam suum inimicum sublatum asserit: tantâ videlicet dexteritate, ut ne quidem leviter ipse sit læsus; tanto secreto, ut nullum contra se excitetur indicium. Quid ipsi respondebo? Quia, ut dicebam, etiam in rebus pessimis circumstantiæ, quæ bonæ, bonæ remanent: unde in ipsomet Dæmone, atrocitate culpæ, & acerbitate pœnæ non obstantibus, naturam, quæ bona est, laudare possumus, & solemus: etiam in hoc ipso homicidio, dexteritatem & prudentiam; quibus fuit perpetratum à criminis atrocitate distinguendo illas laudare, & hanc exsecrari debebo. Ecce, si agamus de criminis peccaminositate, eadem malitia, quæ antequam illud fieret, considerabatur, eadem in perpetrato reperitur: at non eadem pericula, nam hæc pendent ex accidentibus, & quæ antequam fieret, in considerationem hominis prud ntis veniebant, hæc ipsa cessant, in casu, quo omnia acciderint; ut Petrus narrat.

pericula homicidium antequam perpetretur, & diversa posteà concomitantur? Inter malas aliqua bona inveniuntur formaliter est?

In homicidio exsecrari scelus possumus, & dexteritatem laudare.

Forum internum ab externo distinxi, &, in illo nullam reperiri inter actionis nondum factæ, & iam factæ peccaminositatem statui, ut obiter reprehendam illos, qui re iam factâ, interrogant, *An peccaverint, aut non peccaverint?* & ex Doctorum responsione in modo confessionis instituendæ se dirigunt. Pono casum. Antonius cum delectatione venereâ sine pollutionis periculo, suam fuit osculatus sponsam, & posteà, dum conscientiam examinat, & se præparat ad confessionem, interrogat, An peccaverit mortaliter? Respondent Viri docti, non peccasse mortaliter: nam ita docent Sanchez *disput.* 46. *num.* 50. Salas *in part.* 1. *tom.* 2. *quæst.* 74. *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 26. *num.* 177 Diana *part.* 1 *tract.* 17. *resol.* 6. *& part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 131. Cotonius *in summ. verb. Tactus, num.* 6. & alij. Et ait Antonius. Ergo non peccavi. Ergo illa oscula non teneor confiteri. Dico autem ego, hanc ipsam illationem esse malam & temerè ab illâ responsione deduci. Nam, si Antonius consuluisset Hurtadum, oppositum omninò audivisset, quoniam etiam est Vir summè doctus, & *de matr. disp.* 10. *diff.* 10. *num.* 48. scitè asserit, sponsos nondum habere ius mutuum in corpora, & sic non posse licitè, aut sine gravi crimine libidinari. Ergóne Antonius, si Hurtadum fortè consuluisset, debuisset dicere; Ergo peccavi: Ergo illa oscula confiteri teneor? Neutrum (Lector optime) ex hoc capite: neutrum: nam peccatum Antonij iam est factum: iam est mortale, vel veniale: & quale est, debet Ecclesiæ clavibus in Sacramentali confessione exponi: Et, si iam est mortale, ob Dianæ, Sanchez, Salas, Cotonij, & aliorum verba minimè in veniale vertetur: Si autem iam est veniale, non reddetur mortale ob Hurtadi sententiam. Antonius igitur, si velit instrui, vt discat, quo debeat modo suam posteà gubernare conscientiam, prudenter consulit Viros doctos. Cæterùm, si suam velit expiare conscientiam, & scire desideret, qualiter sponsam suam osculando peccaverit? examinare debet,

171 *Virùm post rem factam interrogare prudens possit, an peccaverit?*

An oscula inter sponsos sint licita?

170 *Peccatum commissum, ut sit mortale, à superveniente Doctorum iudicio non dependet?*

Sed ab antecedenti operantis dictamine.

debet, quâ mente, quâ intentione illud fecerit? Si enim putavit, se peccare mortaliter, peccavit mortaliter, & tenetur sub mortali hoc peccatum in Sacramentali confessione detegere. Si autem prudenter putavit, aut se non peccare, aut non nisi venialiter peccare, non peccavit de facto, nec illa oscula confiteri teneatur. Cæterùm, quia Antonius erat Vir indoctus, & quid Viri docti de osculis dicebant, ignorabat, illos tenebatur consulere ante factum; & quia id neglexit, ignorantiam habebat voluntariam, & violandi legem divinam se exponebat periculo: & ideò dicendus est ante consultationem peccavisse mortaliter: post illam verò tutâ conscientiâ Cajetani, Dianæ & aliorum benignæ opinioni adhærere potuisse.

Quomodo indocti teneantur?

An pretium rei attendas tempus venditionis, an verò tempus solutionis?

N. B. Tolluntur scrupuli, si ille, qui mense Sept. tradit granum, sic dicat: Ego tibi de centum modiis mutuo solvendis mense Aprili. Tali ergo Aprilis die, aut illos in specie restitues, aut dabis pretium, quod tunc in foro fuerit currens.

Forte ad hunc articulum reduci poterit Cajetani sententia, qui *in 2. 2. q. 78. art. 2. in fin.* docet, posse venditorem pacisci de pretio, quale fuerit tempore solutionis, quod probabile putat Victoria, Sotus, & nonnulli Thomistæ. Et sub aliquibus conditionibus admittunt Lopez *lib. 1. Instruct.* Faust. *in Specul. Confess. disp. 6. quæst. 4.* & Solon. *in 2. 2. q. 78. ar. . contr. 2 2. n. 4.* qui apud Verricellium *tract. 3. quæst. 9. n. 7. pag. 144. b.* monet, *Opinionem Cajetani nullo modo consulendam antefactum; immò post factum, suadendum venditori ut securius agat, & restituat acceptum ultra pretium commune, quo res valuit tempore traditionis.* Interim, si sub illis conditionibus, quas Solonius præscribit, licitus est contractus, sub iisdem consuli poterit ante factum, & post factum venditor ad nullam tenebitur restitutionē. Et illis conditionibus non servatis, non poterit ante factum consuli; & post factum restitutio, non solùm est suadenda, sed iubenda. Ego autem etiam sub illis conditionibus, sub quibus hic contractus censetur licitus, judico meritò dissuaderi à Solonio propter manifestum periculum: nam, si rustici inciperent tales contractus facere, cùm circumstantias, & limitationes non intelligant, ipsas non observarent; & ideò securius est, indicere illis, ne huiusmodi contractus faciant: & hoc ipsum indicere videtur *loc. cit.* Caiet. ait enim: *Hæc autem, quæ dicimus, vide, quàm periculosa sint, & licèt non extorta, tracta tamen quantum trahi possunt: quare Pastores animarum consulant abstinendum.* Ecce ab opinione, quam probabilem indicat, monet ob pericula supervenientia esse abstinendum.

An Opinio, quæ rei vera est probabilis, possit esse periculosa?

172 Circa vitæ, honoris, & divitiarum defenitionem multa docent Theologi, quæ non carent periculo. Quoniam Caiet. *in sum. verb. Homicidium per accidens.* Sic inquit: *Licet alterum occidere tuendo necessaria ad vitam & virtutem, ne perdat res suas & suorum.* Et hæc Conclusio, in casu, quo aliter res tuas aut tuorum tueri nequeas certa est. Difficilior, & etiam periculis multis obnoxia est illa, qua tradit *in 2. 2. q 64. art. 7. §. ad hoc dubium.* dicens: *Est sententia D. Thomæ & Augustini, quia Augustini authoritas loquitur, non solùm de vitâ corporali, sed de aliis, quæ inviti perdere possumus, sub quo ordine ponit honores & divitias.* Ergo putabat Cajetanus, doceri ab Augustino & Thomâ, sicut contra invasorem vitæ, sic contra honoris invasorem gladium stringi posse. Hanc doctrinam Serra & Bañez propagant: nam Marcus Serra *in 2. 2. de Iust. & iur. q. 44. dub. 1. §. ex hoc sequitur.* Sic scribit: *Ex hoc infert Bañez, licitum esse occidere eum qui vadit ad Iudices, ut mihi imponat falsum testimonium, propter quod ero occidendus, vel infamandus, si aliter non possum me, aut mea defendere.* Et adhuc vlterius extendit hanc doctrinam: addit enim, *Idem erit si quis vadit ad me accusandum de crimine vero, sed occulto, ex cuius accusatione mihi certum periculum imminet mortis, vel infamiæ.* Hæc Theologicè Serra; at statim hoc Monitum practicum & civile subjungit: *Hoc non esse in publico prædicandum, propter ruditatem vulgi (ut asserit Magister Soto) post factum tamen posse ad pacandas conscientias deservire.* Ergo, si super hac materiâ consularis, si adhæres Serræ, aliter ante factum, & aliter post factum respondere debebis.

Vita & divitiæ: essum gladio defendi.

An etiam honor?

Quid sentiant S. Tho. & S. Augustinus?

An testimonium iniustum accusatorem occidere?

Quid, si verum, sed occultum sit crimen?

An aliter ante factum & aliter post factum resolvendū sit?

Quid autem nos? Respondi in Theologiâ Fundamentali, omnia hæc bene fluere stando Iuri naturæ puræ sumpto. At homines, qui legibus humanis regimur, cessisse hoc iure, nec posse aliter, quàm viâ Iuris contra honoris invasorem procedere: nam huiusmodi excusationes in nullo tribunali admittuntur.

Vera Quæstionis Resolutio.

Huc referri poterit illa sententia, quæ docet, *licitum esse ad tuendum honorem, invasorem post impactam alapam fugientem insequi, & repercutere.* Ita Navar. *in Manu. c. 15. n. 4. in fin.* Petr. & Navar. *de rest. lib. 2. c. 3. n. 385.* Marchanc. *in sum. Res. Pastoral. ad Decalog. c. 5. q. 3. cas. 3.* Henriq. *in summ. lib. 4 c. 10. n. 3.* Hanc sententiam amplectuntur passim PP. Dominicani: & in particulari P. Mag. Manc. & P. M. Peña apud Henriq. *sup. in glos. 11. lit. T.* Mercat. apud Petr. de Navar. & Lud. Lop *in p. 1 Instruct. c. 62.* ubi sic inquit: *Si velit Navarrus dicere, quòd illa repercussio, honoris defensio sit, quia quasi incontinenti, percussorem statim insequendo fit: bene quidem. Sed ante factum non approbo: sicut, nec post factum damnabo. Quia pro Navarro facit dictum Soti.* &c. ergo iterum docemur, sæpe circumstantias occurrere, ut Viri prudentes aliter ante factum, & aliter post factum debeant philosophari.

An liceat ad honorem recuperandum repercutere?

An debeant aliqua iam facta excusari, quæ nec suaderi, nec defendi poterant antequam fierent.

ARTIC. VI.

De Certitudine & Probabilitate in articulo mortis, & extra hunc articulum.

An omnia, quæ dum valetudine fruimur sunt certa aut probabilia, eadem sint etiam certa aut probabilia in articulo mortis?

Videntur Theologi in classes dividi, & subdividi: quoniam Ioannes Sancius *in select. disput. 19. num. 8.* docet in articulo 173

An aliàs in vitâ, &

articulo mortis licere sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ probabiliore & tutiore. Et ratio est clara; non enim strictiùs abstinere à peccato in morte, quàm in vitâ debemus. Sanchez *tom. 1. lib. 2. cap. 1. n. 6.* inter mortem & vitam distinguit. Vide Dianam *part. 2. tr. 13. resol. 9.* & Cotonium *in Summ. verb.* (*pimo. num. 9.* Sed tu mecum discurre.

alias in articulo mortis eligere opiniones debeamus?

Debita probabilia in articulo mortis nemo tenetur solvere.

Vel agitur de vitandâ futuri peccati commissione, vel de absolutione præteriti. Si agatur de peccato futuro, moribundus potest sequi quamcumque opinionem probabilem. Vnde, si ambigat, an teneatur restituere Francisco mille aureos, quos ab illo acceperat vi cuiusdam contractûs disputabilis, etsi probabilior & tutior sententia eum ad restitutionem condemnet, tutâ conscientiâ potest sequi minùs probabilem & minùs tutam, & nihil Francisco restituere: unde in suo testamento non tenebitur horum mille aureorum mentionem facere. In ultimâ confessione, si probabiliùs putet se tale peccatum commisisse, potest tutâ conscientiâ illud omittere, minùs probabili adhærendo sententiæ, & pro suâ innocentiâ iudicando. Ita Sylvius *in add. 3. part. quæst. 6. artic. 4. quæst. 3.* Meranus *tom. 3. part. 4. de Sacram. Pœnit. disp. 26. sect. 3. num. 4.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 10. §. Sed difficultas* Et *part. 5. tract. 14. resol. 13.* Cotonius *verb. Confessio, num. 43.* & alij. Ratio, ob quam in articulo mortis hæc Confessio sufficiat, est: quia certum est non peccare, qui sequitur opinionem probabilem? ergo moribundus omittendo in confessione peccata probabiliùs commissa, non peccat. Ergo, quia alias est bene dispositus, validè absolvitur; à confessis directè, & à non confessis indirectè. Ergo adquirit Dei gratiam: ergo nulli periculo per talem confessionem se exponit.

De ultimâ confessione. An in illâ possit uti aliquâ opinione probabili?

174 *Quantam securitatem homo debeat in morte procurare?*

Cæterùm, si agatur de expiandâ conscientiâ à peccato mortali præterito opiniones, quæ admitti possint à viro sano, illæ ipsæ à moribundo ad praxim reduci non possunt: & hoc, non ob aliquod ipsiusmet Probabilitatis vitium, sed ob Charitatis præceptum superveniẽs. Quam ob rem, si aliquis certò aut probabiliter est in peccato mortali; tenetur, quo meliori modo possit, suæ animæ prospicere, & æternam beatitudinem securam reddere; quam ob rem ex opinionibus, quæ de valore Absolutionis disputant, sive doloris intensionem, sive Confessionis integritatem, sive Confessarij approbationem concernant, tenebitur illam solam eligere, quæ sit certa & tuta; nam aliàs se exponet moriendi post absolutionem invalidam, per quàm, quia non emaculatur à commissis peccatis, & ideò Confessionis probabilitate non obstante in æternum peribit. Hoc autem periculum, adeoque præceptum Charitatis, quæ moribundum obstringunt, hominem sanum non concernunt: quia, si contingat hanc confessionem fore invalidam, adhuc habet tẽpus, ut per alias confessiones validas, aut per alia media gratiam primam recuperet.

Nemo se potest exponere probabili æternæ damnationis periculo.

Hominis Sani & moribundi differentia.

Si autem moribundus sciat se esse in gratiâ: (non solùm, quia post ultimi mortalis admissionem rite & validè confessus est; sed etiam, quia post ultimum peccatum actum contritionis elicuit, & Deus sibi hoc ipsum revelavit) tunc sicut sanus poterit in probabilium sententiarum electione procedere: tunc enim cessabit æternæ damnationis periculum: & per consequens Charitatis præceptum, quod anteà in articulo mortis obligabat per accidens, cessante periculo, cessabit: adeoque pœnitens tutâ conscientiâ poterit cuicumque, etsi minùs probabili adhærere sententiæ, etiamsi de valore Confessionis disputetur. Et ratio est, nam in casu non de expiandâ conscientiâ à peccatis præteritis, sed de satisfaciendo Confessionis præcepto, & non committendo novo ob inobedientiam peccato, cogitatur.

175 *De moribundo, qui est in gratiâ, an ubi possit quamcumque opinionem probabili.*

ARTIC. VII.

De ultimâ confessione. An sufficiat probabilis?

EA, quæ breviter in Articulo præcedente resolvi, postulant, ut uberiùs resumam, & exponam, *An præsente proprio Parocho, aut aliquo Sacerdote Approbato possit simplex Sacerdos absolvere quemcumque à quibuslibet peccatis & censuris in Articulo mortis? Quid in hac Quæstione sit certum?*

176 *Oportet scire, quæ certa sint in articulo mortis, ne quis probabili æternæ damnationis periculo exponatur.*

Dissentiunt Scholastici inter se, & alij asserenti sententiæ, alij viam ingressi mediam articulum mortis in certum & probabilem dividunt; putantque multa in certo permitti, quæ in probabili concedi non debent. Sumus non solùm mortales, sed etiam morituri; & error in ultimâ confessione commissus remedio caret, & Probabilitate non obstante animam in infernum præcipitat. Quoniam, si Petrus est in peccato mortali, & probabilem absolutionem sortitur, morietur in statu æternæ damnationis probabili. Et quid, si opinio, quæ ipsi favet, sit falsa: & illa, quæ condemnat, sit vera? habebit unde in flammis æternis, sine remedij spe, contra abusum Probabilitatum exclamet. Ergo occasio & ratio postulat, ut diligentiùs hanc controversiam expendamus.

De certo & probabili mortis articulo.

Posse in casu proposito quemcumque Sacerdotem à quibuscumque peccatis & censuris moribundum absolvere docent Navarrus, Emanuel Sa, Petrus de Ledesma, Rodriguez, Vega, Henriquez, quos citat, sed non sequitur Sanchez *lib. 2. Summ cap 13. num. 6.* Consonat Diana *1. part. tract. 5. res. 5.* & *5. part. tract. 4. resol. 57.* & *4. part. tract. 4. miscell. resol 161.* & Barbosam, Villalobos, Valerum, Ceriolanum, Conradum, Comitolum, Angles, Ludovicum, Zerolam, Finellum, Philibertumque adlêgat. Adhærent huic etiam sententiæ Ioannes Sancius *disp. 44. num. 6.*

177 *An quicũque simplex Sacerdos possit à peccatis absolvere?*

num.6. & apud eum Chapeavilla *de casib. reserv. cap.7. in fin.* Naldus *verb. Confessio. num.31. pag.145.* Huius sententiæ fundamentum è Concilio Tridentino desumitur; nam *sess.14. cap.7.* ut ægrotorum æternæ saluti consulat, sic inquit. *Verumtamen piè admodum, ne hac ipsâ occasione aliqui pereant, in eâdem Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Ex illis verbis *Omnes Sacerdotes*, contra Medinam, Covarruviam, & Marsilium, *Ergo etiam excommunicatus vitandus.* Et contra Sotum, Navarrum, & Ledesmam, *Ergo etiam Hæreticus poterit.* inferunt communiter Doctores, qui antè & post Concilium scripserunt: nam hæc lex tacitè aut expresè semper fuit. Sic apud Leandrum *disp.11. quæst.16.* D. Thomas, Canus, Durandus, Paludanus, Maior, Ruardus, Sylvester, Angelus, Vasquez, Suarez, Lugo, Hurtadus, Granadus, Diana, Bonacina, Villalobos, Molfesius, Ægidius, Sanchez, Trullenchius, Thomas Hurtadus, Machadus, & alij solidissimè dialecticantur. Ergo si illud syncategorema *omnes.* Excommunicatos, & hæreticos, à fortiori simplices Sacerdotes, & hos etiam Parocho præsente includet.

An à censuris quibuscumque?

Quid, si sit hæreticus aut excommunicatus?

Et quid, si simplex Sacerdos ille sit?

Non posse istos includi docent Suarez, Vasquez, Azorius, Valentia, Ægidius, Bonacina, Ochagavia, quos producit & sequitur Lugo *disp.18. num.24. pag.443.* Adhæret huic opinioni Sanchez *libr.2. Summæ, cap.13. num.7.* & apud eum Rosella, Sylvester, Armilla, Covarruvias, Simancas, Cordnva, Graffius, Gratianus, Sotus, Vgolinus, Bartholomæus de Ledesma, Vivaldus, Rutilius, & alij. Consonant Trullenchius, Castrus Palaus, Henriquez, Molfesius, Torreblanca, Franciscus de Lugo, Mendus, quos citat & sequitur Leander à Sanctiss. Sacramento *tract.5. de Sacram. Pœnit. di 11. quæst.18. pag.254.* Qui omnes, dum veriorem & probabiliorem hanc opinionem dicunt, fatentur oppositam etiam esse probabilem.

Sententia secunda negans simplicem quemcumque Sacerdotem posse absolvere in articulo mortis.

178 Hæ duæ Opiniones aliquibus æquè probabiles sunt visæ; nam vel iam unam, iam alteram habuerunt, vel saltem ab Authoribus iam pro unâ, & iam pro alterâ citari solent. Nam Petrus Hurtado primam sententiam nos docebat *disput.10. diff.9. §.125. & 149.* & tamen sui oblitus alteram nos docet *§.163.* Sanchez, qui pro primâ citatur à Naldo, à Leandro pro secundâ producitur. Barbosam primæ sententiæ accenset Diana, & Trullenchius secundæ.

An sint æquè probabiles istæ sententiæ?

Secundam sententiam, non iam probabiliorem, sed certam & indubitatam esse pronunciant aliqui, & ideò primam dicunt esse improbabilem & temerariam. Ita Zambranus *de casib. in artic. mort. dub.1. num.3.* & Thomas Hurtadus *tom.1. tract.5. cap.6. resol.69.* Et eam condemnatam fuisse à Gregorio XIII. Luysius Turrianus *in select. cens. 2. Theol. dub.77.* affirmat. Sed in Turrianum insurgunt Lugo & Leander: Frustra enim ad Apostolicam condemnationem recurrit, nisi eandem authenticam esse persuadeat. Fortè Pontifex nihil de hac materiâ decidit: saltem nihil constat authenticè. Si Bulla aliqua produceretur, adhuc esset consideranda litera, an esset interdictio, an definitio: nam non solùm probabiles, sed etiam veræ aliquando sententiæ ob inconvenientia interdicuntur. Vnde meritò concludunt prædicti Authores (Lugo, & Leander) Opinionem primam, quam tot & tam graves propugnarunt Theologi, probabilem esse certissimè.

An secunda certa & prima improbabilis sit?

An prima fuerit condemnata?

Limitant aliqui primam sententiam mortis articulum probabilem à certo distinguendo: ita ut quicumque simplex Sacerdos infirmum absolvere possit, si certè in articulo mortis constitutus sit, non autem si sit in probabili. Hanc viam inierunt Valentia *tom.4. disput.7. quæst.10. punct.2.* Zerola *in Praxi, cap.15. quæst 7.* nec non Canus, Covarruvias, & Sotus apud Vasquezium *quæst.93. art.1. dub 5.* Consonant Graffius, Ledesma, Ioannes de Cruce, apud Dianam *part.3. tract.4. resol.71.* Sed adhuc obscurè loquuntur: nam cùm dicant quemcumque Sacerdotem in vero mortis articulo ab Ecclesiâ approbari, deberent exponere, An probabilem Ecclesia excludat? tunc enim absolutio in probabili mortis articulo concessa esset sacrilega, & certò invalida. An tantùm ponat mortis Articulum, ut conditionem, ita ut in vero habeat simplex ille Sacerdos Iurisdictionem veram, & certam; & in articulo probabili habeat probabilem. 179

An certus mortis articulus à probabili sit distinguendus?

Quomodo hi mortis articuli possint intelligi?

Communis tamen illorum Theologorum sententia hanc limitationem non admittunt, sed dicunt Ecclesiam simplici Sacerdoti concedere iurisdictionem, nempe certam & indubitatam, etiam in articulo mortis probabili. Ita D. Antoninus, Hadrianus, Præpositus, Vasquez, Navarrus, Sylvester, Henriquez, Angelus, Medina, Victoria, Philiarchus, Sayrus, Finellus, Diana, Hurtadus, Lugo, Thomas Sanchez, Bonacina, Molfesius, Villalobus, Rodriguez, Trullench, Castrus Palaus, Sonsa, Petrus Hurtadus, Machadus, & alij, quos citat & sequitur Leander *disp.11. quæst.17. pag.253.*

Quid doceat communis Opinio?

Alij admittunt primam sententiam in casu, quo fuerit periculum in morâ, & simplex Sacerdos, antequam Parochus, aut approbatus ab Episcopo superveniret, audire confessionem inceperit: esset enim nimis durum cogere moribundum, ut eadem peccata iterum confiteretur, nec est credibile, ut liceat alieni sacramentaliter audire pœnitentis peccata, quin liceat ritè dispositum pœnitentem absolvere. Vnde hoc argumentum conformatur. 180

An hæc doctrina tantum habeat locum, si periculum in morâ sit?

Erat periculum in morâ, & simplex Sacerdos incepit moribundi ritè dispositi confessionem

An simplex Sacerdos, si propter periculum incepit confessio-

nem audire, superveniẽte parocho debeat desistere, aut possit progredi?

fessionem audire, & iam quatuor peccata v.gr. intellexit.

Etsi superveniat Parochus, pœnitens habet ius ut absolvatur; &, ne cogatur illa quatuor peccata rite confessa, iterum confiteri.

At ab illis quatuor peccatis absolvi non potest, nisi confessionem suam impleat, & cætera peccata exponat.

Ergo, etsi superveniat Parochus, simplex Sacerdos debet in iudicio Sacramentali progredi, & totam confessionem audire, & moribundum absolvere.

Ita Leander *loc. cit. quæst.* 19. qui Sanchez, Granadum, Trullenchinum, Lugonem, Thomam Hurtadum, & alios Doctores allegat. Contrariam tamen sententiam probabilem iudicant Granadus, Ledesma, Zambranus, Torreblanca & alij.

181 *Omnes opiniones huc usque productæ sunt probabiles.*

HIs præmissis, ut doceamus, quid fieri in praxi debeat, sequentes Conclusiones adiungimus. Sit

PRIMA. *Omnia, quæ hucusque ab Authoribus dicta, sunt probabilia, non solum speculativè, sed etiam practicè.* Et ostenditur: nam illis Theologorum sententiis nemo speculativam probabilitatem negare volet, qui rationes, quibus innititur, percipiat; & Authorum, qui illas tuentur, ponderet gravitatem. Sed neque negabit practicam, nam eadem ipsa probabilitas quæ erat possibilis, est quæ existit: & cùm est possibilis dicitur speculativa; & cùm existit, practica.

Nimirum, tam speculativè, quàm practicè.

Probabiliũ opinionum defectus suppleri à Summo Pontifice certum probabiliter est.

Has Opiniones propter suos Authores, & rationes, quibus fulciuntur probabiles esse pronuncio: ea enim, quæ de lege *Barbarius*, & de Summo Pontifice, defectus, quos potest supplente, si certa essent, quæstiones graves & obscuræ cessarent: illa ego esse certa desidero, sed tamen esse certa & indubitata non video: quo enim modo dici poterunt certa, quæ à Viris valde doctis negantur? Ergo, etsi votis nostris adnuamus, quantum Prudentia permittit plus non poterimus dicere, quàm hanc propositionem, *Pontifex supplet defectus, quos potest, ubi dantur opiniones probabiles.* Esse probabiliter certam. Nec mirum videri debet, esse aliquas propositiones probabiliter certas, siquidem passim multæ occurrunt, quæ ut probabiliter probabiles admitti solent. Considera hunc Syllogismum.

Dantur Sententiæ probabiliter certæ: nec non probabiliter probabiles.

Quidquid quatuor vel plures Authores graves dicunt, est probabile.

Sed quatuor, & multò plures dicunt, esse probabile, quod unus Author gravis affirmat, ubi à cæteris non reprobatur. [c]

Ergo probabile est, quod sit probabile, quod unus Author gravis affirmat, ubi à cæteris non reprobatur. [d]

Nec contra hanc consequentiam est Alexander VIII. nam agit de Authore gravi, & de sententiâ certò probabili: & Doctor iunior, ubi, singularis esse vult, & tueri opinationem, quam universi reprobant; nec censeri debet Author gravis; nec eius authoritas est certò probabilis: non enim singulares sententias, prudentes Viri scribunt, ut illas sequamur, sed ut illas discutiamus & perpendamus. Possem multos producere; sed sufficiat Verricellium impræsentiarum allegare. *In Indice verb. Opinio.* Sic inquit. [Fundamenta pro eâ opinione, quod moribundus possit absolvi, sub conditione, etiamsi nullum signum dederit, à me allata non sunt, ut ea defenderem, sed ut illa examinanda aliis proponam.] & *tract. 6 quæst. 14. num. 99. pag. 342. b.* [Fundamenta, quæ pro affirmativa sententia adduxi, eâ mente protuli, ut ea doctis viris examinanda subiiciam. Quis scit si alij doctiores post me Scriptores, iisdem, aut aliis melioribus fundamentis sententiam iam in tenebris tumulatam revocabunt ad lucem?] Habebit interim locum syllogismus præcedens in quæstione, quæ à nemine tractata est, de quâ nullæ sunt priorum Scriptorum sententiæ; ibi enim prudentius aget, qui uni viro docto subscribat; quàm, qui in suo sensu abundet, & nullius authoritate fretus, illum errasse affirmare præsumat. Vide tamen Verricellium *tr. 2. quæst. 5. num. 2. & 5.* Et nota, me loco citato [nempe, *Theol. Regul. disp. 6. artic. 1. num. 53. pag. 71. a*] Sic scripsisse. [Aliquando vidi defendi quatuor Doctorum sententiam esse probabilem: sed contrà argumentabar sic. *Per vos quatuor Doctorum sententia est probabilis. Ergo & unius.* Probo consequentiam: quia plures quam quatuor Doctores asserunt esse probabilem unius Doctoris opinionem, &c.] Considero illam consequentiam, & aio, hanc propositionem, *Resolutio unius Doctoris positis limitationibus, quas adhibent Theologi, & nos paulò antè insinuabamus, est probabilis.* Ex vi præmissi syllogismi, non est certa, sed tantùm probabilis: ut enim certa esset, deberet proponi sic. *Probabile est, Resolutionem unius Doctoris, positis limitationibus, &c. esse probabilem,* ita, ut supra priorem Probabilitatem caderet altera Probabilitas, & super hanc secundam Probabilitatem Certitudo; ut si diceres; *Certum est probabiliter admitti posse, Resolutionem unius Doctoris, positis limitationibus, &c. esse probabilem.*

c] In nostræ Theologiæ Regularis n. 53. habet sedecim Authores, vel plures, qui docẽt unius Authoris Opinionem esse probabilem.

d] Hoc non negat Alexander VII. sed prudentissimè limitat.

An moribũdus, qui nullo signo istã petiit, sit capax absolutionis? sub conditione absolvi debet: ita hodie communiter Doctores.

N. B. Scio doctrinã de Modalibus requirere subtile ingenium; & quia video, quæ vulgò ponuntur in Logicâ à perpaucis intelligi, nõ spero has, quas hic edissero, ab omnibus intelligendas esse. Sed quia ingeniosis scribo; sufficit mihi, si ab illis intelligi valeam.

SECUNDA. *Est peccatum mortale uti hac probabilitate.* Patet: quia agitur de æternæ damnationis periculo. Et Charitas strictè præcipit, ne quis in morte se exponat interminabilis maledictionis damnationi probabili. Debet enim unusquisque suam beatitudinem quantum auxiliante Deo potest, securam reddere.

An in articulo mortis sufficiat absolutio probabilis

TERTIA. *Simplex Sacerdos, qui coram Parocho, aut Sacerdote approbato, moribundi confessionem excipiat, vix potest ob ignorantiam invincibilem à peccato excusari.* Patet: quia esset in materiâ sui officij hæc ignorantia: & quæ ad suum officium pertinent, nemo dicitur sine culpâ ignorare. Consultò illud *vix* posui: quia hic casus est rarò contingens, & hac fortè viâ posset aliquis prudenter excusari. Nec ideò excusari à culpâ poterit, quod sequatur opinio

An certum sit peccare mortaliter, qui talem absolutionẽ concedat?

opinionem probabilem; nam licet hæc absolutio sit probabiliter valida, non est probabile posse moribundum cum probabiliter validâ absolutione ex hac vitâ dimitti.

Quid dicendum de moribundo sit, qui illam recipit?

QVARTA. *Moribundus, qui invincibiliter ignorans quanto cum periculo exponit hac absolutio probabilis, bonâ fide confitetur (1) non facit confessionem sacrilegam, nec novum peccatum committit: (2) recipit absolutionem probabilem: (3) egreditur ex hac vitâ in statu æternæ damnationis probabili: (4) quam ob rem si sententia, quam sequitur, sit vera, salvabitur: si autem sit falsa, condemnabitur.* Nec obstat peccatum confessarij: nam si sententia benigna vera est, Confessarij temeritas reddit absolutionem sibi illicitam: non verò invalidam.

182 *Quid, si moribundus doctus sit, aut vincibili ignorantiâ laboret?*

QVINTA: (& attentè legatur) *Moribundus, qui sciens, aut peccaminosè ignorans, quanto cum periculo exponit hac absolutio probabilis, malâ fide confitetur: (1) ac propterea faciet confessionem sacrilegam, & novum peccatum committet: (2) nullam omninò absolutionem recipiet: (3) egredietur ex hac vitâ in statu peccati mortalis: (4) quam ob rem, etsi illa benigna sententia sit vera, ille certò in æternum damnabitur.* Aperiant igitur oculos moribundi, ne in infernum à Probabilitatis abusu submergantur.

183 *An absolutio probabilis possit transire in certam?*

SVnt remedia, ais: nam Confessarius, si prudens sit, ita poterit suum pœnitentem instruere, & rem disponere, ut absolutio, quæ per se erat mere probabilis, per accidens in certam & indubitatam evadat.

An Ecclesia defectum iurisdictionis suppleat, & habenti probabilem certam conferat authoritatem?

PRIMO suam, & pœnitentis conscientiam poterit Confessarius componere convertendo oculos ad Ecclesiam, quæ mater est, & non negat suis filiis media ad vitæ æternæ consequutionem necessaria: &, si sit necessarium ut Confessarium approbet, etiam approbat. Proderit audire Leandrum, qui *tract.* 3. *disp.* 11. *quæst.* 103. interrogat, *An Opinio probabilis tribuat iurisdictionem ad validè confessiones audiendas?* Et respondet affirmativè: nam Papa tacitè confert iurisdictionem prædictis Sacerdotibus (qui audiverunt confessiones virtute potestatis probabilis) ne confessiones cum illis, aliàs bonâ fide factæ, sint invalidæ in dispendium & gravamen animarum. Et dicit hanc esse communem Theologorum sententiam, quam tuentur Sanchez, Suarez, Henriquez, Basilius, Ægidius, Filliucius, Reginaldus, Villalobos, Sancius, Hurtadus, Diana, Vasquez, Granadus, Martinez, Malderus, Salas, Bossius, Lessius, Machadus, Diana, & alij. Hinc autem poterit hoc argumentum confirmari.

Quotiescumque Confessarius audit confessionem cum authoritate probabili, Ecclesia supplet omnem defectum, dando iurisdictionem ne cum damno animarum fiant confessiones invalidæ.

Sed simplex ille Sacerdos, qui moribundi confessionem excepit, habebat authoritatem probabilem.

Ergo Ecclesia supplevit omnem defectum, & iurisdictionem contulit, &c.

Ergo illa confessio est valida adeoque ex benignitate Ecclesiæ in certitudinem Probabilitas transit, &c.

Hæc doctrina est hodie valde communis in Ecclesiâ, & ex illâ doctissimi Scriptores decidunt plurimas difficultates. Ego illam in Thelarcho post Art. 2. §. de gradib. certitud. explico; & legem *Barbarius* ad Ius Naturæ pertinere persuadeo. Et posteà §. *& loquendo*, præcedentis syllogismi maiorem esse veram pronuncio.

184 *De peccatis venialibus.*

SECVNDO, quia omnes Sacerdotes possunt absolvere à peccatis venialibus; & quamvis in assignandâ causâ, ob quam id possint, differant Scriptores, in re ipsa consentire videntur. Quoniam, siquis interrogaverit, *An ad absolvendum à venialibus indigeant Sacerdotes iurisdictione?* &, si indigeant, *An illa à Christo, an verò ab Ecclesiâ concedatur?* illos Theologos Confessarius disputare permittat; nec quærat, unde iurisdictionem habeat; cùm satis sibi sit, scire, utrùm habeat? Et quidem communis sententia est affirmativa, Quia omnes Sacerdotes sunt idonei medici, ut recurent pœnitētem venialium morbo laborantem: cùm nulla fere sit necessaria ad hoc eruditio aut prudentia, nam à venialibus solâ absolutionis prolatione pœnitens emaculatur. Ita Medina Navarrus, Villalobos, Granadus, Layman, Vasquez, Bonacina, Petr. Ledesma, Filliucius, Machadus, Thomas Hurtadus, Mendus, Diana, & alij. Nec contra huius doctrinæ benignitatem citari Ioannes de Medina, & Navarrus possunt: tametsi priorem Villalobos, posteriorem Becanus, & utrumque Vasquez sibi obversari existiment: nam illos communi adhærere sententiæ Leander *tract.* 5. *disput.* 11. *quæst.* 9. *pag.* 251. *b.* & Granadus *tract.* 10. *disput.* 4. *sect.* 1. *num.* 2. & alij evidenter ostendunt.

An à quocumque Sacerdote absolvi possint?

Quænam sit communis Theologorū sententia?

185 *An in casu à venialibus directè, & à mortalibus indirectè absolvatur?*

His positis, ut ex probabili iurisdictione certam simplex Sacerdos inferat, sic procedat. Indicat pœnitenti, ut aliqua venialia confiteatur, & certam absolutionem impendet, quod suadetur sic.

Omnis Sacerdos habet iurisdictionem in peccata venialia.

Ergo in casu absolvet ægrotum à venialibus directè.

Ergo a mortalibus indirectè. Et patet hæc consequentia: quia confessio, & absolutio fiunt bonâ fide, fiunt enim ex sententiâ probabili. Et in hoc casu illa mortalia habentur ut oblita, quæ absolvuntur indirectè & per accidens.

186 *An omnis Sacerdos possit à peccatis iam ritè confessis absolvere?*

TERTIO faciat Confessarius, ut pœnitens aliqua peccata, iam ritè confessa, & aliàs clavibus subiecta, & legitimè expiata, confiteatur. Quoniam omnes posse Sacerdotes absolvere à peccatis mortalibus ritè confessis communis statuit Theologorum Opinio, eam tenet Leander *ubi supr. quæst.* 12. qui citat D. Thomam, Henriquez, Caietanum, Paludanum, Maiorem, D. Antoninum, Sylvestrum, Navarrum, Palacios, Medinam, Victoriam, Ricardum, Almainum,

Almainum, Vasquez, Suarium, Hurtadum, Candidum, Lugonem, Fagundez, Laymanum, Bonacinam, Reginaldum, Valentiam, Ægidium, Zerolam, Granados, Petrum de Ledesma, Naldum, Thomam Hurtadum, Mendum, Dianam, & alios. Et ex hac doctrina deduci poterit hoc argumentum.

An absolvendo à peccatis iam confessis directè, indirectè ab illis, quæ aliàs confessa non fuerant, absolvat?

Omnis Sacerdos habet iurisdictionem in mortalia, aliàs ritè confessa.

Ergo in casu Confessarius absolvet ægrotum à peccatis iam ritè confessis directè.

Ergo à mortalibus tunc primùm confessis indirectè. Patet consequentia, quia pœnitens est bene dispositus, & tota confessio, nam probabili opinioni insistit, tuta conscientia administratur.

187 *Quid præstet confessio certa, si post probabilem adhibeatur?*

Qvarto moribundus post illam confessionem probabilem, aut Parocho, aut Sacerdoti approbato aliquod peccatum confiteatur & certam absolutionem adquiret: & suadetur. Nam illa secunda confessio erit integra formaliter: nam licèt omittantur peccata illa omnia, quæ fuerunt simplici Sacerdoti confessa, hinc formali integritati confessionis posterioris non præiudicatur: nemo enim tenetur confiteri peccata, quæ probabiliter iudicat esse rite confessa. Audi Zambranum, qui *lib. 1. de casib. in artic. mortis, dub. 4. num. 3.* ait [quod, ut pœnitens moriatur securior de suâ salute, postquam à simplici Sacerdote fuerit absolutus, confiteatur legitimo & approbato aliquod peccatum saltem veniale, ut ita absolvatur ab illo: quo facto manebit absolutus etiam ab illis peccatis, quæ primo Confessario declaravit, si forte fuisset illa prior absolutio invalida.] Consonat Torreblanca *lib. 14. prælicar cap. 4 n. 16. 17. 18. &c.*

An remedia præscripta sint sufficientia?

Ego autem non reperio remedium, ut quis securè ex hac vitâ discedat virtute probabilis absolutionis: &, ut id bene intelligas, ostendam remedia à te præscripta alteros morbos esse; & non medicari, sed nocere conscientiæ. Et, ut clariùs procedam directè respondebo argumentis, quibus illa remedia fulciebantur.

188 *Supplere Ecclesiam defectus Opinionis Probabilis non certum sed probabile est.*

Primvm remedium est inefficax: & ad argumentum quo illud suadebatur respondeo, Maiorem illam propositionem, *Quotiescumque Confessarius audit confessionem cum authoritate probabili, Ecclesia supplet omnem defectum*, &c. esse merè probabilem. Sanè quiesceret animus, si illa esset certa: at est incerta & nullam præbere poterit securitatem. Si dicas hanc assertionem esse certam, & producas Machadum *de perf. Confess. tom. 1. lib. 1. part. 2. tract. 1. docum. 9. num. 1.* dicentem, *quod, si probabilis sit opinio de iurisdictione Confessarij, tunc securè absolvat, nam tunc non solum probabile, sed certum est, validam esse absolutionem: quia tunc certum est Ecclesiam conferre iurisdictionem*, &c. Verricellium *tract. 2. quæst. 25. num. 5.* qui ait, *Hoc dico esse moraliter certum, & oppositum esse improbabile & falsum.* Et Me *in Te-*

I. Caramuelis Dialexis.

larchi art. 2. §. Infero primò, ibi enim sic statuo, *Confessarius, qui cum titulo colorato, ex probabili aliquâ opinione proveniente, audit confessiones absolutionem moraliter certam concedit*, &c. non plus evinces quam esse probabiliter certam: nam præter hos cæteri Authores, qui hanc sententiam admittunt, non dicunt illam esse certam, sed eam tradunt, tanquam merè probabilem: eamdemque negant Theologi celeberrimi: & inter alios, Nugnus *quæst. 8. art. 5. dub. 1. diff. 1. vers. mihi tamen pagin.* Leandro 436. & Sancio 280. nam editionibus diversis utebantur. Negat etiam illam Bardus *in Bull. tract. 5. cap. . sect. 1. in fin.* & citat Garciam *de benefic. part. 5. cap. 4. num. 3 5. & 306.* Producuntur etiam pro hac sententia Salas 1. 2. *quæst. 21. art. 8. disput. unic. sect. . num. 58. §. ex dict.* & *sect. 1 . n. 101.* & *sect. 27. num. 286.* Suarez *de pœnit. disp. 26. sect. 6. num. 8.* Cardin. Lugo *de pœnit. di . . num. 29.* Ioannes Sancius *in select. disput. 44. num 12.* Oviedus 1. 2. *tract. 5. controu. 3. punct. 4. num. 33.* Spinula *de elect. opin. prob. disp. 3. sect. 6. concl. 6.* Petrus Marchantius *in trib. Sacram. tom. 1. tract. 2. tit. 3. quæst. 4.* Ergo quousque horum Authorum argumentis detur solutio evidens, illa maior erit merè probabilis, & non tollet periculum, ob quod remedium primum adhibeatur. Nec iuvat dicere, Machadum, Verricellium, Caramuelem, & alios putate se dedisse evidentes, erunt enim ut plurimum probabiliter evidentes, quousque eas esse evidentes plerique omnes scriptores fateantur.

An simplices Sacerdotes habeant potestatem absolvendi à venialibus?

Sed neqve secundum est sufficiens; nam, ut esset efficax, requireret illam maiorem, *Omnis Sacerdos habet iurisdictionem in peccata venialia.* Fore certam, & indubitatam. At est merè probabilis. Conscientiam ergo moribundi ab incertitudinis perplexo labyrintho, & æternæ damnationis periculo non liberabit. Hanc minorem evidenter persuadeo. Nam simplicibus Sacerdotibus iurisdictionem in venialia negari à Medinâ & Navarro, probabile est, nam à Villalobos, Becano, Vasquez & aliis, ut num... videbamus citantur. Et quidquid de Medina, & Navarro sit, eamdem simplicibus Sacerdotibus iurisdictionem negant Bordonus *tom. . consil. Regul. resol. 3 . quæst. 20. num. 5 .* Ludovicus à Cruce *in bull. disp. 1. dub. . num. 13.* nec non Faber, & Salas apud Franciscum Felicem *in suâ Tentativâ Complutensi tr. 4. cap. 4. diff. 10. num. 12.* Qui omnes docent simplices Sacerdotes non habere potestatem absolvendi à venialibus, nisi sint ab Episcopo approbati.

Sententia affirmativa non nisi probabilis est.

189 *An Sacerdos unusquisque absolvendi à peccatis aliàs ritè confessis habeat authoritatem?*

Tertivm remedium denique similiter explodi debet: nam unam positionem probabilem gliscit certam reddere substruendo aliam, non certam, sed merè probabilem. Hinc ad argumentum respondeo illum syllogismum esse bonum, & fore summo animarum solamini, si maiorem certam & indubitatam præmitteret: & esse nullius roboris, quia illa maior est incerta.

M Et

Et impossibile est, ut incerta aliqua propositio, reddatur certa, quando per alteram incertam probatur. Porrò maiorem illam, videlicet, *Omnis Sacerdos habet iurisdictionem in mortalia, aliàs ritè confessa,* esse disputabilem & merè probabilem, est indubitatum; nam negatur à multis & doctissimis viris; & præter alios à Soto *in 4. dist. 18. quæst 4. artic. 2. ad 3.* Paludano, Capreolo, & Ledesmâ apud Henriquez *lib. 6. cap. 8. num. 3.* C. à Petro de Ledesmâ *in Summ. cap. 12. de pœnit. subconcl. 4. pag. 412.* Villalobos *tract. 9. diff. 41. n. 12.* Ludovico à Cruce *disput. 1. cap. 2. dub. 5.* & ab aliis.

Etiam hic affirmativa est merè probabilis.

190 QVARTVM remedium, non Confessionem, sed solum pœnitentem respicit. Non est, ut absolutio à Simplici Sacerdote concessa reddatur certa, (hoc enim, nisi Pontifex declaret se concedere certam iurisdictionem simplicibus Sacerdotibus, vel ut a peccatis iam confessis, vel à venialibus nondum confessis, vel ab omnibus moribundum etiam coram proprio Parocho absolvant, impossibile est) sed, ut pœnitens, qui per absolutionem incertam est in æternæ damnationis periculo, ab hoc periculo per aliam novam confessionem certò validam eripiatur: & potest ad hanc Conclusionem reduci.

Confessio posterior non præstat, ut prior, quæ merè probabilis erat, reddatur certò valida.

191 *Quicumque habet peccata dubia (quomodocumque incerta) aut probabilia (sive sint probabiliter commissa; aut certò commissa, & probabiliter expiata) debet in articulo mortis confiteri: non tamen tenetur illa ipsa peccata dubia, aut probabilia confiteri, sed obligationi suæ satisfaciet, si certa alia quæcumque peccata confiteatur.* Ita *in Theologiâ Fundamentali num...*

Præstat tamen, ut à peccatis omnibus absolvatur, ægrotus, & securus ex hac vitâ discedat.

Prima pars Conclusionis demonstratur. Nam ille, quem esse in peccato mortali dubium aut probabile est: si sine periculi cognitione moriatur, in infernum labetur, si reverà sit in peccato mortali. Et, si periculum cognoscens, moriatur, alterum mortale committet, etsi verum sit, quod nullo prius peccato gravi inficiebatur. Ergo tenetur moribundus in tali casu certò redire ad gratiam. Ergo tenetur confiteri. At, ut bonam confessionem faciat, ut dubia aut probabilia peccata explicet, non requiritur: nam hæc tutâ conscientiâ tacere & omittere potest. Ergo, si post probabilem absolutionem, quam à simplici Sacerdote moribundus accepit, unum peccatum veniale Parocho confiteatur, reddet suam salutem securam; ut à Zambrano & Torreblancâ monebamur.

***



CAPVT IV.

De Iure Possessionis Naturali & Morali.

Examinat, *Quid verus conceptus Possessionis importet?* videlicet *An illud celebre Protheorema*, In pari causâ melior est conditio (legitimè) possidentis. *Intra solius Iustitiæ materiam contrahatur, an verò, quia formaliter ad Iustitiam spectat, per Virtutem omnium materias universas decurrat?* Ostenditque breviter, *illo uno succollari omnes Maximas Iuris; & eas præcipuè, quas* Regulas *vulgus appellat.*



DE hoc olim argumento, sed diverso consilio, scripsimus: & præcipuè Theologiæ Fundamentalis cap. 5. à pag. 233. & num. 538. iuxta Francofurtensem Editionem. Ibi verum singularum Regularum sensum quæsivimus, & dilucidavimus. Nunc iterum, sed alio ducti spiritu, eas recognoscimus; nam probandum adsumimus, plerasque omnes ab hoc indubitato Protheoremate *Beatus, qui possidet.* [cui æquipollet, & est luci hoc, *In omni causâ non certâ manutenendus est, qui legitimè possidet:*] per infallibilem consequentiam inferri. Et quidem, cùm in omni causâ (seu in omni quæstione) dicimus, nullam excludimus; &, cùm manutentionem pro beatitudine ponimus, sobriè (hoc est, in congruo & opportuno sensu) loquimur, multarum enim rerum (puta, peccati, pœnæ, ignorantiæ debiti, doli, obligationis, &c.) conservatio, reverà manutentio est: &, si bene loqui velimus, beatitudo non est. Pronuncio hanc Regulam, sic expositam, esse universalissimam; nec materiam aliquam reperiri, in quâ locum non habeat: & P. Francisco Bordono *in Propugnac. cap. 30.* nec non Suario *de censur. disp. 40. sect. 5. num. 15.* & *tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 2. cap. 33. num. 2.* & *tractat. 6. de voto libr. 4. cap. 5. num. 7.* Sanchesio *lib. 2. disp. 41. n. 32.* & *lib. 1 cap. 10. num. 10.* apud Barbosam super hanc Regulam: Bonacinæ *de Restitut. disp. 1. quæst. 2. part. 2. § incidens*, qui Henriquez Sotum, & Rebellium producit, subscribens hanc Regulam Mercorum aut non examinasse, aut non intellexisse pronuncio: nam *part. 2. art. 29.* illam ad Iustitiæ materiam conatur restringere, iubetque, ut in aliis virtutibus locum habere nequeat, ne se insinuet in palæstram de Proba

192 *Cur hic de hac materiâ iterum scribamus?*

An à Possessione ratio generalis sumatur, quæ omni dubio præscribat?

An, BEATVS, QVI POSSIDET, sit Regula generalissima?

An non solùm in Iustitiæ materiâ, sed in omnibus Virtutibus sit admittenda?

Probabilitate Hanc D. Augustinus Redingus *tom.* 2. *q.* 9. *art.* 3. *pag.* 247. *b. n.* 26. hanc Regulam admittit in materia Iustitiæ, & pro se Covarruviam *reg. possessor.* 2. *part.* §. 7. *num.* 4. Molinam *tom* 1. *de Iust tract.* 2. *disp.* 35. *in fin.* Ioannem de S. Thomâ, & alios producit: & posteà *pag.* 248. *b. num.* 39. hanc eamdem Regulam cum Soto *libr.* 7. *de Iust. quæst.* 43. *artic.* 2. *document.* 2. §. *Sed est hic.* Suario, & aliis in omni Virtute obtinere pronunciat. Et idem nos docet D. Passerinus *tract. de Pollut. Ecclesiar. disput. cap* 20. *num* 4. *pag.* 42. *a.* his verbis. [Iuxta Regulam illam. *In pari causâ. de reg. Iuris in* 6. non solùm in materiâ Iustitiæ, sed etiam in omnibus materiis (nec enim sufficiens datur disparitas) melior est conditio possidentis. Cùm enim dubium dictamen (N.B.) moraliter sit nullum: quia cùm incertum sit, non sufficienter dictat, quid agendum, vel non agendum sit; idcirco ita se habet, ac si verè in rerum naturâ illud non esset. Si abstrahatur ergo illud dubium & reliquis ut anteà manentibus iudicetur, tunc semper bene iudicabitur. Sed nemo poterit non favere possessioni, quæ dubium præcesserat; sive materia sit Iustitiæ, sive aliarum omnium Virtutum, sive possideat libertas, sive obligatio: titulus enim Possessionis est universalissimus & communissimus omnibus materiis, ut fusè & communiter tradunt Recentiores, quos videre abundè potes apud Dianam *part.* 4. *tract.* 3. *resolut.* 2. Franciscum de Lugo *in Decurs. ad Moral. Theol. part.* 1. *cap.* 2. *quæst* 11. *num.* 66. Bardi *de Conscient. discept.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. & *cap.* 4. *num.* 3. Lanfranchi *Opusc.* 1. *Moral. cap.* 2. *num.* 4. & alios.] Hæc est hodie doctrina in scholis communis: & in Vniversitatibus celeberrimis passim defenditur. Anno à Societatis exortu Centenario (hoc est, Christi M. DC. XL.) die 10. & 11. Iulij sub P. Ignatij Derkennis, doctissimi Viri præsidio, P. Franciscus Xaverius Perez, & P. Melchior Hulshout, num. 28. & 29. has Conclusiones propugnarunt. *Absque voluntatis imperio non opinaberis. Opinionis obiectum probabile est, quod semper respectivum est ad certos intellectus. Minus probabile relicto probabiliori sequi licet, quando Probabilitas cadit supra actionem, non tamen semper, quando supra obiectum.* Et cur hæc omnia? Addunt fundamentalem causam. *Quia humana libertas est in possessione.* Et hoc sufficit: nam ut immediatè subiiciunt, *Regula Iuris*, In pari causâ *(etiam in dubio)* potior est conditio possidentis, *locum habet respectu cuiuscumque Virtutis. Ideoque, ex ea formari potest iudicium practicum certum, manente dubio speculativo.* Et tu semper huic sententiæ absolutè subscribe: non enim ulla succurrit ratio efficax, quæ Possessionis Regulam ad solam Iustitiam restringat. Et ex suppositione, quod succurreret aliqua, non obesset, nam contra Iustitiam & æquitatem est, Iure certo ob incertam rationem spoliari.

I. Caramuelis Dialexis.

Regul. XLV. *De commodo possessionis* Vide Doctores in leg. quoties, C. de rei vend.

De dictamine dubio. Quale illud sit? An sit regula morum? An debeat haberi pro non existente?

D. Bartholomæus à S. Fausto in *suo Thesauro Religion.* lib. 6. ag t de Obedientiâ, & pleræque omnes Quæstiones ex Regulâ Possessionis decidit.

Theses Lovanienses.

An opinari sit liberum? An relativum sit? An minùs probabilis opinio possit eligi?

De libertatis possessione.

An Possessionis Regula sit universalis?

An in omni Virtute manutenenda sit ex Iustitiâ?

Et sanè hanc nostram Regulam Fundamentalem illustrabo verbis eiusdem D. Passerini, qui *num.* 17. *pag.* 42. *b.* sic eam exponit. [Respondeo meliorem esse conditionem possidentis, quia Possessionis ius, cùm certum sit, non tollitur per quodcumque aliud ius incertum, seu dubium. Vnde, licèt subsequatur aliquod dubium, semper standum est pro iure possessionis, *&c.*] Dixerat §. *anteced.* [ideò meliorem esse conditionem possidentis, quia Possessio facit maius ius pro possidente: Nam possidens præter alia iura & rationes, in quibus par est, ut suppono, & æqualis alteri parti, habet etiam hoc ius, quod illi Possessio tribuit; ac proinde habet maius, & quodammodo duplex ius; quod facit possidentem esse propterea potioris iuris, ut non immeritò *potior* dicatur possidentis conditio, & *beatus* appelletur in Iure, qui possidet, &c.] superest, ut eamdem Regulam firmemus, producendo clarissimos locos ex Iure Civili *leg. si debitor* 10. *ff. de pign. leg. uti frui, ff. si usufruct. petat leg. is, qui destinavit* 25. *ff. de rei vendicat leg si servus.* 91. §. *sequitur ff. de verb. oblig.* Et *de Regul. Iuris num.* 171. ponitur *num.* 197. [*Cùm par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa.*]

Possessio certa præferri debet omni probabili, aut incertæ rationi.

Cur potior sit censendus, qui possidet?

An hæc doctrina in Iure Cæsareo subsistat?

193 In Iure Canonico *num.* 65. hæc indicitur Regula. *In pari delicto vel causâ potior est conditio possidentis.* Et ibi vox *causa* habet universalissimam significationem, & ad nullum genus aut Virtutem contrahitur. Et quidem Bonifacius VIII. (nam ipsi passim hæ Regulæ adtribuuntur) plurimas potuisset omittere, quæ ex istâ necessariò inferuntur; sed tamen voluisse videtur omnibus (sapientibus, & insipientibus) satisfacere, & ideò etiam illatas ab illa posuisse. Et, ut hoc ostendam, notari volo, ex his Iuris Ecclesiastici Regulis aliquas esse, Definitivas, cæteras Præceptivas. Illæ (nempè, Definitivæ) terminorum immediatâ connexione fundantur, nec indigent probatione ulteriori: hæ (scilicet Præceptivæ) rationi innituntur, quia legum anima est ratio, quæ enim carent ratione, non sunt vivæ) & omnes tandem resoluuntur in illam, *Beatus qui possidet.* Quæ, ut paulò ante monebamus, æquipollet huic.

An etiam in Iure Canonico?

An pleræque omnes Iuris Regulæ deducantur ex illâ?

Iuris Regulæ, aut Definitivæ sunt, aut Præceptivæ.

194 *In omni causâ aliàs incertâ* (quæcumque illa sit: aut ad Iustitiam, aut ad aliam quamcumque Virtutem pertineat) *manutenendus est, qui possidet, donec superveniat ratio certa & sufficiens, ob quam à possessione expellatur.*

Regula Fundamentalis. *Hæc sic vocabitur, & hoc nomine à nobis citabitur, quia omnes alias, quæ tassim adducuntur, succellat.*

Et ut hoc manifestè percipias, omnes Regulas, quà potero, brevitate percurram, & Definitivis intermissis, ostendam, omnes ad unam Præceptivas, ideò esse iustas, quia manutenent eos, qui possident. Librum igitur Sextum Decretalium aperio, & à limine Regularum incipio. Est enim.

REGVLA I. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè* (immò nec validè) *Sine*

institutione

sionem Canonica Institutio requiratur?

institutione Canonicâ obtineri. Et cur? Quoniam manutenendus est qui possidet. Attende. Ante obtentionem beneficij, quid erat in possessione? Non obtentio. Illud beneficium non habere. Ergo hoc ipsum *non habere* debet in suâ manuteneri possessione, quousque ostendatur ratio, quæ huius *non habere* possessionem elidat. At nulla ratio præter Canonicam institutionem eam elidere potest: Canonica igitur Institutio requiritur.

195 *De malæ fidei possessore.*

An, & cur ad præscriptionem non sufficiat?

An Præscriptio in Iure Naturæ admittatur?

REGVLA II. *Possessor malæ fidei* (qui sine legitimo titulo rem possidet) *ullo tempore non præscribit.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et ostendo. Ad furtum pertinet rei alienæ cum mala fide detentio. Ergo ante præscriptionem in possessione est furtum. Ergo dari debet ratio, quæ furtum huiusmodi a possessione expellat. At nulla quæ hoc possit præstare in Iure Canonico, aut Cæsareo invenitur, nam Canonistæ omnes & Iuristæ Orthodoxi malam semper incriminantur fidem. Ergo, qui malæ fidei favere velint, debent ad Ius Naturale recurrere. At hoc Præscriptiones ignorat: & crimini pœnam, & non præmium præscribit. Ergo non est ratio unde possit aboriri præscriptio.

196 *Est quædam manutentio possessionis Præscriptio.*

Præterea cum idem sit habere cum mala fide clamydis ex.gr. possessionem, ac possidere clamydem & malam fidem: sic discurro. Ille qui malam fidem in clamydis possessione possidet post annos tot, (nam diversa tempora Iura pro rerum varietate constituunt) vel est manutenendus, vel non. Corruit, alterutrum dicas, Præscriptio. Ergo. Probatur, quoad priorem partem. Nam, si manuteneatur in malæ fidei possessione, non præscribit: nam mala fides est mala conscientia, & hanc in possessione non conservat præscriptio. Probatur etiam, quoad posteriorem: nam, si non manuteneatur, non præscribit: nihil enim est aliud, quam quædam manutentio, præscriptio. Ad rem sunt legis Atiniæ, quæ est valde antiqua, verba videlicet. *Quod subreptum erit, eius rei æterna authoritas esto.* Agellius *lib.* 17. *cap.* 7. In furto enim nulla potest esse præscriptio.

197 *An Præscriptionem possessio necessariò requiritur?*

REGVLA III. *Sine possessione Præscriptio non procedit.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Ergo illi, qui non possidet, Præscriptionis non poterit concedi beatitudo.

An Rebelles possint contra suum verum Regem præscribere?

Et hinc obiter collige rebelles non posse præscribere. Et hoc notari volui contra sciolos, qui post annorum centum bellum Hollandos v. gr. præscripsisse dicebant; nam ego contra tricornem hanc rationem obiicio. Naturæ leges nesciunt Præscriptionem; & duodecim Romanorum Tabulæ, quia noluerunt Præscriptionem admittere, contra fures æternam authoritatem reliquerunt. Ergo Hollandi si post centesimum annum præscripserint, vel vi legis Cæsareæ, vel Regiæ, vel propriæ præscripsisse dicendi sunt. *Non Cæsareæ:* quia ipsi non erant Imperatoris subditi: & si se Imperatori subdidissent, illos ipse nec voluisset, nec potuisset admittere. *Non Regia*, nam leges favent solis subditis, nec enim Catholici Regis leges favent Gallis, nec Christianissimi Regis leges Hispanis prosunt. Ergo Regis Catholici erant toto illo tempore subditi, si Hispanis legibus iuvari volunt. Et, si erant subditi, libertatis possessione carebant. At sine possessione non procedit Præscriptio. Ergo non præscripserunt. *Non propria*, nam antequam præscriberent, aut alio essent titulo libertate donati, nec licite, nec validè poterant leges sancire. Hoc Trilemma mihi videtur valde clarum, & licet in meo Philippo positum & expositum, à multis nondum bene intellectum.

Consideretur hoc Trilemma.

N. B. In nullo ex his tribus membris Holländ. sinul legem vi cuius præscriberent, & libertatis possessionem habuerunt.

REGVLA IV. *Peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. 198 Ostenditur. Erat heri in possessione peccatum (furtum) Ergo etiam hodie. Patet: quia non restitutio est quædam furti perseverantia. Et, ut hoc bene intelligas adnotato apud Philosophos Creationem à Conservatione distingui: Et, si discrimen petas, Doctiores dicent Conservationem esse, ipsammet Creationem, realiter perseverantem. Ergo idem dicere debemus de furto. Nam furtum est iniusta rei ablatio [addunt *invito domino*, quod intermitti potest: quoniam ablatio rei sciente & volente, & velle potente domino, non est peccatum ut Reg. 27. videbitur.] & hæc iniustitia per non restitutionem conservatur.

Non restitutio est quædam furtum perseverans.

Conservatio est quædam perseverans Creatio.

REGVLA V. *Peccati venia non datur nisi correcto.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Proderit audire Ciceronem, hominem Ethnicum, *in Vatin.* satis sanctè loquentem. *Illis facilè ignoscitur, qui non perseverare, sed ab errato se revocare moliuntur.* Et Augustinum *de Agone Christi* eamdem sententiam reponentem. *Debet Ecclesia Catholica correctis & firmatis filiis libenter ignoscere, cum ipsi Petro personam eius gestanti, & cum in mari titubasset, & cum Deum carnaliter à passione revocasset, & cum aurem servi gladio præcidisset, & cum ipsum dominum etiam negasset, & cum in simulationem posteà superstitiosam lapsus esset, videamus veniam concessam, eumque correctum, atque firmatum, usque ad Dominicæ passionis gloriam pervenisse.* Ergo, si condemnationis sententia erat in possessione, & ratio ob quam possit concedi venia, sit correctio; donec de rei pœnitentiâ & correctione constet, sententiæ rigor debet manuteneri. Et hic obiter nota *correcti*, in hâc Regulâ nomine non intelligi eum, qui pœnitentiæ impositæ iam satisfecit, sed qui resipuit, & iam se emendavit *In Epist.* 2. *Canonic ad Amphil.* S. Basilius *Quæ vivit cum adultero, est omni tempore adultera.* Hæc Magni Patris verba transiverunt in Pontificium Canonem, quem sic exponit Balsamon. [Mulier quædam, quæ adultera fuerat, & cum adultero unà vivebat, punita est. 199

Quibusnam debeat venia concedi?

Quoties S. Petrus erraverit?

Cur ad indulgentiam consequendam correctio requiratur?

Quis CORRECTI nomine intelligendus sit?

Cùm

Non sufficit pœnitentiam adimplere, sed necessarium omninò est à peccato abstinere.

Cùm autem mortuus esset eius maritus volebat cum adultero matrimonio coniungi. Ne hoc fiat, iubet S. Basilius: nam etiam donec vivit cum adultero, pœnam subire debet, etiam si quindecim anni pœnitentiæ transacti sint. Illi enim soli pœnas, quæ in pœnitentiâ præscribuntur subiisse videntur, & veniam adipisci, qui à malo abstinent: qui verò perseverant, eidem sunt pœnæ obnoxij, etiam si eam millies subierint.]

200 *Ad impossibile nemo tenetur.*

Regvla VI. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Est per se nota, & ab Ethnicis semper admissa huc enim illud pertinet distichum.

Sexte nihil debes, nil debes, sexte, fatemur:

Debet enim si quis solvere, Sixte potest.

Qui nihil potest solvere, nihil debet.

Et tamen militat contra multos Veteres Iuniores Hæreticos: est contra Cornelium Iansenium aliósque; qui audent asserere, Deum posse & solere iubere hominibus impossibilia. Dic igitur cum Tridentino sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non iubet.* & cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et ostendo. Impossiblia sunt, quæ non possunt fieri. Ergo, si quas res à me non potest fieri, nec illam ego potero facere. Ergo stat in possessione *me illam eamdem rem non posse facere.* Ergo hoc ipsum manuteneri debet, donec superveniat ratio sufficiens, ob quam à possessione expellatur, hoc est, donec detur mihi, ut possim facere. Cum S. Augustino Tridentinum *Deus Impossibilia non iubet; sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere quod non possis; & adiuvat ut possis.* Vnde ad Deum ipsemet Hipponensis Episcopus. *Da, quod iubes; & iube quod vis.* Vt hoc intelligas, pone Claudium esse in peccato mortali, pone esse moribundum & Confessario carere. Aio eum debere sub peccato mortali actum contritionis elicere: &, si non eliciat, non solùm priora retinere peccata, sed novum committere, Et, si dicas. [Deus impossibilia non jubet. At ille actus contritionis in casu est impossibilis: quia est actus amoris supernaturalis, & Claudius Charitatem (potentiam supernaturaliter dilectivam) non habet. Ergo ille actus, non præcipitur Claudio, vel iniustè præcipitur. Et, quia Deus nihil iniustè præcipit, actum ille contritionis non præcipit.] Et ego ante responsionem alium tibi casum proponam. Princeps Favius (sic ipse *à favendo* dicatur) dat suo Eleemosynario mille aureos, v. gr. & ait, Habe hos, & distribues pro ut tibi iussero, & his expensis, si adhuc ego iussero, ut alicui pauperi eleemosynam eroges, nolo ut ab impossibilitate excusationem prætēdas, & te non habuisse, quæ subministrares opponas, nam ego, si petieris, omnia necessaria præstabo.] Casu sic proposito pergamus. Favio obedit Minister: & tot aureos hîc, tot ibi dando, totam illam summam expendit: & supervenienti novo pauperi iubet Favius, ut illi decem aureos largiatur: non facit Minister, & rerum necessariarum defectu pauper perit. Interrogo. Poterit ne se excusare Minister impossibilitatis prætextu? Poterit ne prudenter dicere. [Nemo potest ad impossibile obligari: Hominem dare, quod non habet impossibile est: Ergo, mihi impossibile fuit Favio obedire, nam iubebat, ut darem, quod non habui.] Minime: minime. *Nam suo Ministro Favius impossibilia non iubebat: sed iubendo monebat, ut illi supervenienti pauperi daret decem aureos, si posset: & ut à se peteret, si non posset; & si petiisset, adiuvisset, ut posset.* Modò revertamur ad Claudium, qué iubeo legere Synodum Coloniensem anno M. D. XXXVI. celebratam, nam *part. 7. cap. 32.* his sanctissimis verbis nos instruit. *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem; attamen hîc nemo excusationem prætexat, quod non trahatur, quòd (cum) ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum per internum & externum verbum commonens, vt convertamur à viâ nostrâ pessimâ.* Et addo *ex cap. 5.* Senonensis hæc verba. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper in promptu sit, & neque momentum quidem prætereat in quo Deus non stet ad ostium & pulset; cui si quis aperuerit, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* Nota illud *semper*, quod utrobique ponitur: & notat illud *neque momentum*, &c. ut videas Deum tantùm non prodigâ misericordiâ universis prospicere, ut scias *Deum* à dando dici, & potuisse *Æternum Favium* à favendo vocari. His præmissis ad argumentum, quod pro Claudio faciebas revertamur. *Deus impossibilia non iubet*, ais: assentior; nam vel iubet facere, quod possumus; vel iubendo monet, ut petamus quæ nobis desunt; &, si petamus, dat nobis omnia necessaria, ut possimus: immò etiam frequenter etsi illa non petamus. Subsumis. *At ille actus contritionis in casu est impossibilis.* Et hoc nego. Probas. *Quia est actus amoris supernaturalis, & Claudius Charitatem (potentiam supernaturaliter dilectivam) non habet.* Distinguo: non habet, nec habere potest; nego: non habet, sed illam, quando voluerit, potest orare & petere; orandóque & petendo impetrare, concedo. Ergo Claudius in casu est similis eleemosynario Principis Favij: nam, etsi non haberet, quod daret suæ animæ pauperi & in extremâ necessitate constitutæ, ne in æternum periret; non ideò excusatur, quia petere, & petendo impetrare, & impetrando habere, & habendo poterat opitulari.

Non potest excusari, qui rem non habet, si eã potest petere & petendo obtinere.

202 *Gratia præveniens non præiudicat libero arbitrio.*

N. B. Sicut homo, tametsi non semper videat, tamen nec per unicum momētum temporis caret potentiâ visivâ; sic Anima, etiam quando inficitur culpâ mortali, sēper habet auxilia sufficiētia, quin vel unicum instans esse possit, in quo gratias prævenientes non habeat.

An, & quã do moribundus teneatur contritionē haberel

An peccatori actus cõtritionis impossibilis fuit

201 *An Favius à favendo dicatur?*

Casus proponitur.

Hanc Regulam fusiùs dilucidare volui, ut Lector discat duo. Alterum hanc doctrinam & Regulam negari à Cornelio Iansenio, qui *tom. 3. lib. 1. cap. 13. col. 325. & 326.* ait: *Sunt quædam hominibus præcepta secundum statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia: nec adest semper gratia, quâ præcepta illa adimplere sufficiamus,* & mox. *Illa impotentia non solùm reperitur in excæcatis, obduratis & infidelibus; non solùm quando nolunt præcepta facere, sed* etiam

Quid de prævenientia Gratia sufficientia Cornelius Iansenius affirmet?

etiam quando volunt, &c. Alterum temerè aliquos Iansenistas, ut quæstionem Iuris, in quæstionem Facti convertant, exclamare, hanc hæresim, quam Innocentius X. condemnavit, in toto Augustino Iansenij minimè reperiri, cùm tamen totus ipse, quantus est, hac succollet, & iam his verbis, iam aliis æquivalentibus passim inculcet.

Quanta sit Iansenistarum audacia?

203 REGVLA VII. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum personâ* Et cur? Duæ rationes succurrunt: nam & dicere possumus hanc Regulam esse definitivam: & etiam, illam ideo esse veram; quia manutenendus est, qui possidet. Constare debet prima ratio, quia interroganti; quid sit Privilegium personale, optimè respondebit, qui dicet, *esse illud, quod personam sequitur, & extinguitur cum persona.* Et similiter constare poterit ratio secunda: Quoniam privilegiorum duo sunt genera: alia enim conceduntur personæ, alia dignitati, aut officio: nam quoties Ambrosio Spinolæ Catholicus Rex concessit esse Hispaniæ Magnatem, concedebat personæ: ubi autem tandem ob gloriosa facinora hanc summam dignitatem concessit Marchioni de Spinolà, Marchionatui eam accensuit, ita ut & posteri, qui in Marchionatu, etiam in Magnatis dignitate succederent. Ergo privilegium personale est quod ad successores non transit. Ergo non transire ad posteros erit in possessione, donec superveniat ratio sufficiens, ob quam à possessione expellatur. Ratio hæc non potest esse alia, quàm nova successoribus concessio. Ergo, si hæc nova concessio non superveniat, illud privilegium ad successores non transibit; ac per consequens cum ipsâ personâ extinguitur.

Privilegia aut Personalia, aut officialia sunt. Personis illa, hæc adhærent officiis.

Privilegiũ personale, ut ad posteros transeat, novam cõcessionem requirit.

ANTE REGVLAM VIII. *Præsumitur innocentia, ubi culpa non probatur.* Et cur? Quoniam est manutenendus, qui possidet: & ante probationem culpæ est in possessione innocentia. Hæc Regula est similis XLVII. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*

Omnis homo censeri debet innocens, quousque probetur esse nocens.

Procanon hic omnia condemnat temeraria Iudicia: de quibus aliquid dicturus sum: puto enim male iudicare, qui cum peccare existimat, qui sequitur opinionem Probabilem.

De Temerario Iudicio.

Sanctus Augustinus *in epist. ad Comitem Parentum Arrianum*, ait, *Iniquum est, ut quis de alio iudicare velit, & iudicari de se nolit.* Et habetur 32. *quæst.* 6. *cap. Iniquum.* Corollarium. *Ergo ex suppositione, quòd quis de altero iudicet, iniquus erit; si tali modo iudicare audeat, quali de se iudicari non velit.* Quod succollatur illâ generali morum Lege, *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.* Sanè ille, quem temerè iudicare cognoscimus, nobis semper suspectus, aut etiam invisus est, quoniam, ut scitè asserit idem Hipponensis Episcopus, *Temerarium Iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè iudicatur; Ei autem, qui temerè iudicat, ipsa temeritas, necesse est, ut noceat.* Ita ille *de sermon. Domini in mont.* & habetur 11. *quæst.* 3. *cap. Temerarium.* Dicunt Canonistæ, & bene, *Omnis excommunicatio iusta vel iniusta est timenda:* sed diversis personis: si enim est iusta, væ excommunicato: &, si iniusta, væ excommunicanti. Ergo inferam ductus analogiâ, & dicam. *Omne Iudicium, Rectum, aut Temerarium illud sit, est timendum:* sed diversis personis: nam si sit Rectum, væ iudicato: &, si Temerarium, væ iudicanti.

Qualẽ Charitas modum iudicandi præscribat?

Iudex temerarius sibi ipsi nocet.

An, & quo sensu omnis excommunicatio sit timenda?

An similiter omne iudicium?

Iudicat temerè, qui in malam partem torquet, quod in bonam potest interpretari. In tali prudens casu, aut suspendit sententiam, & audit Gregor. *lib* 26. *Moral. cap.* 15. dicentem, *In ambiguis Deo serva sententiam* aut, si sententiam ferre velit, instituitur ab Augustino, qui *lib.* 2. *contr. Manich.* illud Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*, exponens ait, *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi, ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est*, A fructibus eorum cognoscetis eos; *de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia in malo & bono fieri possunt, de quibus temerarium iudicare, maximè est, ut condemnemus*, &c.

Quid in dubiis agendum sit?

An iudiciũ suspenderet

An rem in bonam partem interpretari?

Quid agere debeamus in re certa?

N. B. Actus indifferentes videtur hic S. Aug. admittere.

Esse possessionem pro innocentiâ, donec culpa probetur, sic persuadeo. Omnis homo nascitur in genere culpæ actualis innocens, & hanc innocentiam quousque rationis usum indipiscatur, conservat. Ergo nisi committat culpam, manet innocens. An illam commiserit, est quæstio facti, Factum debet probari. Ergo omnis homo censendus est innocens, donec eum peccavisse probetur.

Quamdiu homo iudicandus sit innocens?

REGVLA VIII. *Semel malus, semper præsumitur malus.* Et cur? Quoniam manutenẽdus est, qui in possessione, malitia. Est in possessione iudicium, quo malum, quem scimus furtum, verbi gratia, commisisse, putamus. Ergo hoc iudicium manuteneri debet: ergo donec superveniat ratio sufficiens, ob quam hoc ipsum iudicium à possessione expellatur, debet manuteneri. Et Dimam (sic enim bonus latro vocatur) quia malum esse scivi, etiam hodie esse malùm crederem: At, quia Christo pœnitentiæ lachrymis suffusus dixit, *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*, & audivit à Domino, *Hodie mecum eris in paradiso*, habeo, non iam sufficientem, sed necessariam rationem, ob quam eum bonum iudicem.

An ab uno ad omnia: & an à semel ad semper consequentia procedat?

Cur Dimã, quem fuisse latronẽ scio, nunc bonum Iudicem?

Illa limitatio, quæ solet poni, ut Regula videlicet sit, *Semel malus, semper in eodem tamen criminis genere, præsumitur malus*, non videtur sufficere, ut omnibus placeat hæc lex: saltem Iosepho Scaligero videtur temeraria & crudelis. Ediderat sua Cyclometrica Clarissimus Vir, & quia aliqui ex unâ lineâ, in quâ forte fuerat allucinatus, de toto opere deducebant Iudicium, quasi semper in Mathematicis cæcutire censendus esset, qui

An Scaliger in omnibus errare dicendus fuerit, quod in uno aut altero fuerit allucinatus?

semel

semel visus sit cœcutire : hanc ob rem contra quorumdam oblatrationes edidit Appendicem, in quâ Candido Lectori sic inquit : *Vix in vnam aut alteram Propositionem oculos coniecerunt* (inuidi) *rem factam habuerunt*, ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα *cognoverunt*, &c. *Apud illos summos Viros pluris fuit nos semel aut iterum cœcutisse, ut nos damnarent, quàm acutè in reliquo opere vidisse, ut errata excusarent. Dura lex profectò, si nobis nihil prodest non semel bene fecisse, quia semel male fecimus*, &c. Interim illa limitatio est prudenter adhibita, nec est cur hæc Regula Scaligero dura videatur : nam eius æmuli illā fuerunt transgressi. Ab uno ad omnia affirmationem Scaligeri Adversarij educebant, & male; nam temerè à particulari deducitur universalis : at in Regulâ hac Pontifex, non affirmationem sed suspicionem deducit, & meritò : qui enim semel fefellit, viris prudentibus semper erit suspectus : videlicet in illo genere ; quoniam claudicaret hæc Regula, si ad omne criminum genus extenderetur: quoniam, cum Avaritia Prodigalitati obversetur, qui visus ex Avaritiâ peccare, non est censendus cras pecunias suas prodigere. Cæterùm, si agatur de criminibus, quæ contraria non sunt, ex uno ad alterum poterit transire suspicio. Audi Laërtium *lib.* 1. & Bruson. *lib.* 1. *cap.* 1. [*Thales Milesius adultero sciscitanti, an abiuraturus esset adulterium ?* Non est, *inquit*, perjurium adulterio peius : *Significans illum stultè dubitare de peierando, qui facinus periurio par non dubitasset committere. Eoque in atrocibus criminibus nihil ponderis habet jusiurandum. Quisquis enim audet dare venenum, audebit & cum periurio inficiari* (*& negare.*] Consideremus itaque præcedens apophthegma, & duos subiiciamus Paragraphos : & in primo verba ipsa Thaletis ad limam & examen vocemus : & in secundo, quid ex eius sententiâ hauriri possit, quod Regulam illustret, ostendamus. Sit ergo.

Tycho Brahæ aliqua scripsit, quæ necessit excusare Keplerus, & tamē hoc non tollit, quod fuerit celeber Mathematicus.

Tametsi ab unâ particulari non possit affirmatio universalis inferri, universalis debet inferri suspicio aut præsumptio.

An, & quādo qui in uno genere deliquit, in alio genere possit censeri malus?

De hominū sceleratorū iuramentis Diphilus.

Ὅρκος δ' ἑταίρας ταυτὸς, καὶ δυμηνίρε. Ἑκάτερος αὐτῆς ὀμνύει πρὸς ὃν λαλεῖ.

Idem est iuramentum meretricis, & popularem captantis auram. Vterque enim iurat apud eum, quocum loquitur.

Primus. Iuxta certam & indubitatam Theologiæ Orthodoxæ doctrinam perjurium adulterio crimen gravius est : nam in primam Decalogi Tabulam impingit, cùm adulterium non nisi Tabulam secundam violet. Nec mireris erravisse Thaletem, non enim Ethnici, qui homines colebant, vt Deos, verum indepti sunt Divinitatis conceptum : nec quid esset Iuramentum ipsi bene intellexerunt, nam 3. *de offic.* inquit Cicero : *Cum Iudici dicenda sententia est, meminerit se Deum habere testem : id est, mentem suam ; quâ nihil dedit homini ipse Deus divinius.* Quibus verbis ostenditur, quòd Cicero periurium nolit à mendacio secernere ; nam si in mentem suam peccat periurus, hoc etiam facit mentiens, nam mentiri, est contra mentem ire, ut docent Critici, qui examinarunt vocum derivationes.

Periurium est gravius Adulterio. Ethnici caruerunt vero Divinitatis conceptu.

Vide n. 5.

An omne mendacium sit periuriū.

Quid sit mentiri?

Secundus. Si de adulterio convictus, quando iurare audet, peierare præsumitur; &, si ille, qui venenum propinavit alicui, non debet ad iurandum admitti, poterit Regula ad hæc verba reduci : *Semel malus* (*nempe, qui fuit de crimine gravi convictus*) *cùm nec Deum timeat, nec homines revereatur, quodcumque aliud crimini, priori non adversarium, prudenter poterit commissurus præsumi.* Et quia omnes Virtutes non sunt Prudentiæ comites, quid voluit Aristoteles, sed quædam determinatæ ad talem materiam Prudentiæ : qui semel contra Prudentiam peccat, se reddit de omni vitio suspectum. Cicero pro Marc. *Nunquam enim Temeritas cum Sapientiâ* (Prudentiâ) *commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.* Ex hâc doctrinâ deducitur hoc Corollarium : *Semel imprudens, semper imprudens præsumitur*, aut aliter : *Semel temerarius, semper temerarius præsumitur.* Vnde prudenter, & sine ullâ temeritatis suspicione exclamavit aliquando Velleius : *Vnius temeritas facti abstulit Bruto omnes virtutes.*

An iuramentum à criminoso possit exigi.

Virtutes sūt species prudentia.

Opponitur universis temeritas.

Cur Brutus omnes suas virtutes obnubilaverit?

Dices ex præteritis ad futura temerè consequentiam diduci. Et probas ex Augustino, *qui lib.* 2. *contra Manichæos*, sic ait : *Duo sunt, in quibus temerarium iudicium est. Cavere debemus, cum incertum est, quo animo factum sit ; vel incertum est, qualis futurus sit, qui nunc, vel bonus vel malus apparet.* Et iterum *lib. de past.* explicatiùs *Temerariis iudiciis plena sunt omnia. De quo desperamus, subitò convertitur, & fit optimus: De quo multū præsumpseramus, deficit, & fit pessimus. Nec timor noster certus est, nec amor. Quid sit hodie quisquam, homo vix novit. Ipse homo tamen vtrumque* lego *vtique*) *ipse novit, quid hodie* (sit :) *quid autem cras* (futurus sit) *nec ipse* (noscit.) Ergo Augustini opinione, ille, quem semel malum fuisse constat, semper fore malum, non potest sine temeritate præsumi.

An à præteritis ad futura bonā consequentiā inferatur?

Respondeo omnia, quæ ex Augustino adducuntur, concedens, & consequentiam negando. Non dicit Regula, *semel malus, semper erit malus* : multi enim mali convertuntur, ut Sanctus Episcopus asserit : sed dicit illa, *semper præsumitur.* Et præsumptio, prout ibi & in similibus Regulis accipitur, non certitudinem, sed Probabilitatem importat : Probabilitas autem omnem excludit certitudinem. Et ideò Sanctus Pater ait, *Nec timor noster certus est, nec amor.* id est, *De statu futuro hominis, quem in malum perverti timemus, & in bonum transire amamus, & desideramus, non possumus quidpiam certi decernere.* hoc tamen non obstante, cum quem vel semel malum fuisse nescimus, semper fore bonum putamus & desideramus : & eum, quem semel malum fuisse scimus, indicamus suspectum : & à præteritis argumento deducto semper habebimus occasionem male suspicandi & timendi.

Differt Veritas à Præsumptione.

Quale iudicium possumus de rebus futuris formare?

R E G V L A IX. *Ratum quis habere non potest, quod suo nomine non est gestum.* Et cur ? Quoniam est manutenendus, qui possidet. Nota illud *gestum est*, ut scias agi de re iam factâ : nam de re faciendâ non datur ratihabitio, sed permissio aut consensus. Et casus poterit bifariam proponi: nam, vel casus est factus invalidè, & per

Ratihabitio est de actu alieno & præterito.

ratiha

ratihabitionem quæritur, ut factus sit validè, vel casus est factus validè, & per ratihabitionem quæritur, ut sit factus invalidè: & hos duos casus breviter dilucidemus. PRIMVS ad hos terminos reduci poterit. In Civitate N. Petrus Toparchæ nomine dedit licentiam Paulo Presbytero, ut Ioannis confessionem exciperet; & aio invalidam fuisse absolutionẽ, quia non est hominis laici audiendi Confessiones facultatẽ concedere. At postea, Episcopus ratam habet illam licentiam, quam concesserat Petrus. Respondet Regula, non posse Episcopum ratam habere illam licentiam, quæ suo nomine non fuit concessa. Et ratio est, quia erat in possessione, *Toparcham non posse licentiam audiendi confessiones concedere*. Ergo hoc ipsum debet manere in possessione donec superveniat ratio sufficiens, ob quam Toparcha possit dare talem licentiam. At non potest facere Episcopus, vt Toparcha validè huiusmodi licentiam concesserit. Ergo manet in possessione, quod ille sæcularis Dominus non potuerit talem facultatem concedere. SECVNDVS Casus erit, si circumstantias primi invertamus. Nam, Petrus habebat facultatem ab Episcopo, ut quos iudicaret idoneos approbaret, & nomine Episcopi Paulo Presbytero confessiones audiendi facultatem concessit, Paulus validè & licitè Ioannem audivit & absolvit. Et quid si cras Toparcha, homo laicus, hanc ipsam approbationem factam à Petro & Paulo concessam, ratam habeat? An-ne ideò erit verum Petrum nomine Toparchæ concessisse licentiam? Minimè. Et quid, si Petrus asserat, se velle non iam nomine Episcopi, sed nomine Toparchæ Paulum approbavisse. Minime habebunt effectum hæc ipsa. Et cur? Quoniam ad præteritum non creata potentia [b] &, quia factum infectum fieri nequit, minimè fieri poterit, vt licentia, quæ Episcopi nomine concessa fuit, Episcopi nomine non sit concessa. Accedit, quod est manutenendus, qui possidet. Et Petrus est in possessione approbandi Confessarios nomine Episcopi; & Paulus est in possessione habendi facultatem audiendi confessiones, & in hâc ipsâ possessione manutenendi sunt, donec superveniat ratio sufficiens, ob quam ab illâ possessione expellantur. Et quia Toparchæ ratihabitio non est sufficiens, manent in possessione, & absolutio Ioannis manet valida.

N. B. Poterit hîc intervenisse aliqua λογομαχία aliqua æquivocatio: nam, si Paulo, cui Toparcha dederat audiendi confessiones licẽtiam, Episcopus ad confessiones audiendas approbet, Paulus licitè & validè confessiones excipiet: cæterùm si Episcopus ratam habeat concessam à Toparcha licentiã non poterit Paulus fidelium confessiones audire.

b] Cùm tota æternitas sit unum *nunc*, si tempus sumamus reduplicativè, tam erit im possibile facere quod futurum nõ sit; quàm quòd præteritum nõ fuerit: cæterùm, si tempus sumatur specificativè tã erit Deo facilè facere quod præteritum non fuerit, quam quod futurum non sit.

Ex hac Regulâ & sequenti difficilem quæstionem, *An excommunicatus censendus sit, ratam habens percussionem in personam Ecclesiasticam, eius nomine factam, non tamen eius mandato?* decidit Donatus Antonius de Marinis *Resol. Iuris. lib.* 1. *cap.* 111. *pag.* 204. *b.* ibi enim *Canonem.* Siquis suadente 17. *quæst.* 4. adducit, & Caietani *in Summ. verb. Excommunicatio. cap.* 10. *circa princip.* authoritate dilucidat, & subiungit. [Incurrere sancitum est, percussionem ratam habentem, licèt eius mandato ea facta non sit, ratio est, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur, hoc tamen quando percussio meo nomine meaque contemplatione facta sit, licèt sine mandato, secus verò ubi percussio meo nomine illata non fuerit, quia tunc licèt illam [c] ratam habeam, non tamen excommunicatus ero, licèt mortaliter peccem, non enim ratum habere potest, id quod suo nomine gestum non est, probat hæc omnia text. celebris. *in cap. cum quis* 23. *de sentent. excommun. in* 6. sicque scripserunt Glossa *in cap. mulieres extra de Sentent. excom.* Costa *de retrotract. c.* 5. *num.* 2. & alij, quos refert & sequitur Carol. de Grassis *tract. de eff. cleric. effect.* 9. *num.* 55.

An, qui Clerici percussionem ratã habeat, incurrat excommunicationem?

c] Illa verba *ratam habeam*, & illa *non enim ratum habere potest* non cohærẽt: hîc enim non agitur de merò, sed de possibili. Quomodo ergo ego ratum habebo, quod mihi est ratum habere impossibile est? Ergo *licèt illã ratam habeam*, est, *licèt illam fuisse factam gavisus fuerim.*

Et hic doctrinæ similitudo postularet, ut exponeretur, An ratihabitio de præsenti, aut futuro, facta ab Episcopo in his, quæ suo nomine gesta (puta quis non approbatus, præsenti aut futuræ Episcopi ratihabitioni confidens, confessiones audiret) effectum habeat? Sed de hoc in sequentis Regulæ expositione disseretur.

REGVLA X. *Ratihabitionem retrotrahi,* 205
& mandato non est dubium comparari. Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et, ut percalleas Regulam, casum istum propono. A Claudio non habet sufficiens procuratorium Ludovicus; interim, quia sic expedire iudicat, Claudij domum, Claudij nomine, Theodoro vendit. Ergo contractus nonnisi conditionatus esse potest: nam totus huic conditioni innitetur, *Si hanc venditionem Claudius ratam habeat.* Est in possessione conditio, eritque donec superveniat ratio, ob quam ipsa à possessione expellatur. At hæc est consensus seu ratihabitio Claudij. Ergo hac ratihabitione superveniente tollitur conditio: quoniam conditionata Propositio transit in absolutam, si purificetur conditio. Ergo venditio à die quo fuit facta, fit valida. Ergo ratihabitio retrotrahitur, & est virtuale mandatum, nam huius ratihabitionis virtute ita se habet Ludovicus, ac si habuisset mandatum à Claudio.

An, qui nomine alterius, à quo non habet mandatum, contrahit, ineat contractum conditionatum?

Contractus conditionatus, si purificetur conditio in absolutum convertitur.

Sed interrogas, An ratihabitio in Pœ- 206
nitentiæ Sacramento locum habeat? Et, ut sciam, quid interroges, hos duos casus proponis. EST PRIMVS. Lucas Presbyter non approbatus, præsente Episcopo Antonij confessionem audivit, & absoluit. Episcopus non contradicit. Et quæritur, An censendus sit ratam habere hanc confessionem Episcopus? quod est quærere, An non contradicendo illum approbet? Et, si approbet, An etiam, ut deinde aliorum confessiones audiat? EST SECVNDVS. Isidorus amatur ab Episcopo, & impetrat, quæ solet petere. Hodie audit Antonij confessionem sub spe, quod cras alloquetur Episcopum, quem non dubitat ratihabiturum hanc actionem, Et hinc quæritur, An illa confessio fuerit valida.

An, ut validè & licitè audiantur confessiones, Ratihabitio sufficiat?

Et quid, si sit Ratihabitio futura?

Ad primum respondet Leander *part.* 1. *tract.* 5. *quæst.* 94. esse probabiliorem sententiam quæ docet, Lucam sufficienter approbatum esse: & probat. [Nam si Episcopus videns aliquem Sacerdotem non approbatum audientem sæcularium confessiones,

An, qui coram Episcopo non contradicente audit cõfessiones, validè absolvat pœnitentes?

fessiones, & ei non contradicit, cùm facilè possit, tunc illo silentio illum sufficiëter approbat quia, *Qui tacet*, in his, quæ ad ipsum pertinent, & in quibus tenetur contradicere, *consentire videtur*, ex Regulâ Iuris. 10. (lege 43.) in 6.] Et citat Basilium, Hurtadum, Sanchez, Henricum, Sylvestrum, Sotum; Becanum Villalobos; Homobonum, Toletum, & Fagundez, Dianam, Bonaciná, Sancium, Granados, Bossium, Navarrũ, Ledesmam, Floronum, Bardum, Mendum, &c. unde ait [Immeritò dixit Didacus Nuño contrariam sententiam esse communem inter universos Theologos, cùm nostra præcipuos habeat, &c.] Pro hâc etiam sententiâ Adrianum & Henricum citat Bossius, quos Nuñus adlegat pro contrariâ: adducit & Bossius Laymanum, quem Leander non bene citari testatur. Hâc etiam apud Leandrum habet Suarius, tametsi oppositam apud Coriolanũ insinuet. Et quis tot Theologos videat, & negare audeat eorum Resolutionem ab extrinseco censeri probabilem? At ratio, cui innituntur, non est firma: nam illa verba, *Episcopus non contradicit, cùm facilè possit*. Non sunt vera. Nam Episcopus in casu, contradicere non potest. Est contra dignitatis suæ authoritatem, quòd vociferetur in Ecclesiâ, in quâ summa modestia observatur: & ut sentio, si vociferaretur, & iuberet Lucæ, ut ab audiendâ confessione desisteret, populum scandalizaret: nam terrerentur sæculares, si audirent esse qui confessiones sine licentiâ audiret, & inciperent de aliis dubitare, & averterentur à tribunali pœnitentiæ, ne fortè suas miserias exponerent homini, qui careret facultate iuvandi. Præterea, si hoc crimen à Lucâ commissum fuisse discerent, & viderent ab Episcopo hominem non increpari graviter, suspicarentur, tam atrox crimen parvi fieri ab Episcopis, & secunda scandali oriretur occasio. Ergo falsum est Episcopum ibi facile contradicere posse. Ergo, quia in casu agitur de re magni momenti, si mihi casus iste succederet, hoc facerem. Primò, signo externo & sensibili concederem Lucæ licentiam: puta dicendò, *D. Lucas audiat hanc confessionem, & auditâ, veniat ad me, quia habeo aliquam rem cum eo tractandam.* Secundò, ibi nemini dicerem illam sine authoritate legitimâ ausum fuisse confessionem excipere. Et do rationem utriusque facti. Nam primò Antonius est innocens, & in gravi necessitate constitutus; nam bonâ fide procedit, & subivit pudorem sua peccata explicandi: Ergo Charitas postulat, ut ei de opportuno remedio provideatur. At ego possum ei prospicere, facultatem Confessario indulgendo: hanc ergo indulgere debebo. Secundò, quia Ego debeo, cùm vitare omne scandalum, tum mei subditi honorem tanquam filij defendere. Fortè enim ipse habet licentiam à meo Vicario, fortè ego illi concessi, & me illam concessisse non recordor (& hunc casum semel vidi agitari in Hispaniâ) fortè Lucas virtute alicuius privilegij procedit, &c. quidquid

An borei pro asserenda sententiâ.

207 *An in casu sit Episcopo facile contradicere?*

An ex tali contradictione sequeretur scandala?

208 *Quid possit Episcopus in tali casu faceret*

Cur debeat licentiam concedere? Cur signo externo? Vide num. 31. in fin.

209 *Cur non possit inauditũ Confessariũ publicè condemnare?*

sit inauditus non debet condemnari. Sic inquam, ego facerem, sed quia alij sunt prudentiores, & sunt liberi, ipsi ut rationabilius iudicent, operentur: interim ego ex merâ scientiâ & præsentiâ Episcopi non auderem consensum & approbationem inferre. Et, ut sententiam hanc confirmem, historiolam subsequentem adiungo. Sunt loca in nostro ordine, in quæ non ingrediuntur sine licentia Religiosi, (talia sunt officinæ, cellæ novitiatus, &c.) at eramus in possessione, ut cùm in eis esset Prælatus, liberè ingrederemur. Et consuetudò erat rationabilis, quia præsente Prælato finis legis videbatur cessare. Erat consuetudo communis, nam in toto Ordine practicata. Et tamen P. Martinus Gutierez, prudentissimus vir, qui posteà iterum iterumque fuit Observantiæ Generalis, suam mentem exposuit, dicendo, *Superiorum leges, ubi illi erant præsentes, debere à fortiori observari.* Ergo superioris præsentia & conscientia, si aliud non addatur, non sufficit, ut licentia inferatur. Et hanc ob rem in casu proposito resolvo Lucam audivisse illam confessionem invalidè: & ideo Tabienæ *verb. absolutio*, 1 *num.* 43. Ludovico à Cruce *in Bul. d.* 1. *cap.* 2. *dub.* 20. *num.* 24. Pharaonio *de pœnit. tract.* 1. *sect.* 17. *cas.* 11. Quintana Dueñas *de Iubilæo dup. hebdom. cap.* 21 *num.* 11. Nuño *in additionib. quæst.* 8. *art.* 5. *dub.* 1. *diff.* 1. *pag.* 433. & *dub.* 2. *pag.* 439. qui Maiorem, Gabrielem, D. Antoninum, Adrianum, & Henricum adlegat, & ait esse communem inter universos Theologos, & aliis Viris doctis subscribo. Et nota me superiorius signo externo voluisse Lucæ facultatem concedere; quia illud tribunal est extrinsecum, & omnia, quæ ad valorem actûs requiruntur in illo, debent externo aliquo signo manifestari: unde Laymanus apud Leandrum *loc. cit.* doctè ait. [*Idemque eâdem ratione sentiendum est de præsumptione consensûs præsentis, quæ licet valde rationabilis sit, tamen nihil confert ad valorem sacramenti, si re ipsâ consensus signo quocumque declaratus, & consequenter iurisdictionis commissio defuit, sicut bene explicat* Medina *quæst.* 31. *corol.* 2. *C. de Confessar.*]

Ad aliud Dubium, quod in primo casu proponebatur, An videlicet Lucas aliorum posteà validè confessiones audierit: non solùm nos, qui dicimus illam ipsam confessionem, quam Lucas Episcopo præsente excepit, fuisse invalidam: sed etiam omnes illi, qui oppositæ sententiæ adhærent, negativè respondent ut apud Leandrum *part.* 1. *tr.* 5. *quæst.* 96. reperies.

Ad casum secundum respondeo confessionem, ut sit valida, præsentem, actualemque iurisdictionem in Confessario requirere, nec futuram ullo modo sufficere. Resolutionem hanc certissimam vocat Leander *ubi supr. quæst.* 97. & probat dicens. [Quia ratihabitio de futuro non est, sed erit post collatam absolutionem: ergo non sufficit ad tribuendam iurisdictionem ad illam absolutionem. Confirmatur. Quia de substantia huius Sacramenti est, quod eius

An præsente Abbate possit violari eius præceptum?

R. P. Martini Gutierez laudatus.

Non est dispensatio superiorũ præsentia.

210 *Authores, qui huic doctrinæ assentiuntur.*

An approbatio ad audiendas confessiones concedi debeat signo extrinseco?

211 *Quid de aliis confessionibus, quas postea audivit Lucas, dicendum sit?*

Ratihabitio futura (puta, quæ erit cras) ut valida sit absolutio, quæ hodie datur, non sufficit.

eius Minister habeat iurisdictionem actualem iuxtà Concilium Tridentinum. Ergo absolutio data à Ministro, qui actualem iurisdictionem non habet nulla omnino erit. Ergo à nullo Prælato etiam à Summo ratificari potest. Sic Paludanus, Gabriel, Capreolus, D. Antoninus, Caietanus, Alexander, & alij, quos sequitur Sanchez, quem citat pro hac parte & sequitur Fillincius, Suarez, Navarrus, Henriquez, Ægidius, Basilius, Bonacina, Diana, Coriolanus, Hurtadus, Laymannus, necnon Bardus dicens id esse certum. [Authorum locos apud ipsum invenies.

Semper reus est in possessione, & debent Iudices illius possessionem tueri.

212 REGVLA XI. *Cùm sunt partium iura obscura, reo favendum est potiùs quàm actori.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Nam sive causa sit civilis, sive sit criminalis, semper est in possessione reus, & actor (accusator) vult illum à possessione depellere. Quoniam, si agatur de domo, reus est, qui eam possidet; &, si agatur de crimine, in possessione suæ innocentiæ, sui honoris, suæ vitæ, &c. reus est.

REGVLA XII. *In iudiciis non est acceptio personarum habenda.* Et cur? Quoniam manutenendus est qui possidet.

Legùnt Regulam istam Xenocrates, Solon, Anacharsis, Cicero, Ovidius, Iuvenalis, & alij; ridéntque & vbi ad probationem devenerunt, in cachinnos soluti somnium aut etiam delirium esse putant, quæ de possessione æquitatis dicuntur. Xenocrates enim a veracitate maximè commendatus, cùm latronem ad patibulum duci conspiceret, risu dignam esse Providentiam Politicam ratus ingemuit dicens, *Minores morte condemnant, magni fures.* Et Solon Iudicum mores exploratos habebat, quando dixit, *Aranearum telis leges esse simillimas:* nam debiliores illæ muscas retinent & illaqueant, & tamen à magnis (Hispanus eas *moscones* nominat) rumpuntur. Laërtius Diogenes *de vitâ & moribus Philosoph.* & hoc prudens dicterium Anacharsi Valerius Maximus *libr. 7. titul.* Sapienter dicta ac facta adtribuit. Hodie profectò

Inter apophthegmata, quæ de Principe Balthazare Philippi IV Regis Hispaniæ filio narrantur, hoc applausum promeruit. Erat semel in fenestra inferioris palatij, & ab ingredientibus percebat, Qui nam essent? supervenerunt inter alios duo satellites (Hispanos Aguaziles) qui interrogati, ut se attemperarent ætati tenellæ & genio ingenuo Principis responderunt, Nos sumus, qui capimus latrones & fures. & inexspectatâ argutiâ illis Princeps. Cur ergo alterum non capit alter? Ergo Princeps adhuc puer subscribebat Xenocrati.

> *Curia pauperibus clausa est; dat census honores,*
> *Census amicitias: pauper vbique iacet.*

ut Amor. *lib. 3.* testabatur Ovidius: nam etiam ut monet Owenus,

> *Venditur omnis honos, emitúrque pecunia nummis.*

Et quia istorum copia vel sceleratissimos è carceribus liberat: & eorumdem defectus vel innocentissimos in discrimen præcipitat, ingemamus cum Xenocrate, siquidem non possumus adhibere remedium. Quamobrem, si petieris. *Quid sit hodie Iustitia?* vel, *Qualis sit hodierna Iustitia?* producti respondebunt Philosophi, *Iustitia hodierna* (Hisp. *la Iusticia al uso:* Gall. *la Iustice à la mode,*) *est illa crepusculina corruptorum Tribunalium Dea, quâ sedente & decernente hoc ævo.*

> *Dat veniam corvis, vexat Censura columbas.*

213 Iuvenalis *Satyr. 7.* Quoniam, ut *lib. 2. de Orat.* inquit Cicero, *Plura enim homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut spe, aut timore, aut errore: aut aliqua permotione* (præmotione, præjudicio) *mentis, quàm Veritatis præscripto, aut in eis normâ aliqua, aut iudicij formula, aut legibus.* Est igitur (inquiunt illi) in possessione personarum Acceptio, & quisquis audeat dicere esse in possessione æquitatem, & ideò manutenendam esse, qualia sint hominum tribunalia ignorare videtur.

Qualia erāt Tribunalia temporē Ciceronis?

His tamen non obstantibus dico æquitatem ob æqualitatem quam servat in iudiciis, vocari: & ab ipsâ esse possessionem antiquam & per sæcula multa præscriptam. Attende.

Quid sit æquitas, & unde dicatur?

Thales interrogatus, *Quidnam in totâ rerum naturâ esset antiquius?* Respondit *Deus.* Quid ita ὅτι ἀγέννητος· *quia nunquam esse cœpit.* Hanc veritatem lumine naturali ab antiquis repertam suffusus gratiæ luce illustravit Hieronymus, qui *in 1. c. ep. ad Titum,* sic inquit, *Ante Mundi tempora æternitatem quamdam sæculorum fuisse, credendum est; quibus semper cum Filio, & Spiritu sancto fuerit Pater: & ut ita dicam unum tempus Dei est omnis æternitas; immò innumerabilia tempora sunt, cum infinitus sit ipse, qui ante tempora omne tempus excedit.*

Rerum omnium antiquissima est Deus.

An ante Mundi creationē fuerit tempus?

Hic est Summus Legislator & Iudex. 214
Iacob. 4. 13. εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης ὁ δυνάμενος σῶσαι, καὶ ἀπολέσαι. *Vnus est ille Legislator potens servare, & perdere.* Et meritò dicitur *Vnus:* nam homines non suo proprio, sed Dei nomine subditos suos gubernant. Vnde apud Isai. 13. 12. & ideo ab Hæbræis הלהים, Elohim, *Iudex* dicitur, quia omnes iudicat. Exponens primam sacræ Scripturæ lineam Vatablus. *Hinc, quidam Hebræorum dicunt,* הלהים *vocari Deum, quod sit Dominus, & Iudex omnium.*

Cur asciāmur habere unicum Legislatorem?

Quid vox הלהים *significat?*

Sed quid est Deus? Athanasius *in Definitionibus* multum his paucis verbis dicit: *Definitio definitionum est, qua omnia quidem definit, ipsa verò à nullâ definitur. Quare solus Deus est omnium definitionum definitio.* Quæ sic exponit. Θεός ἐστιν, ait, οὐσία ἀναίτιος, καὶ πάσης οὐσίας αἰτία ὑπερούσιος. *Deus est essentia sine causâ, & superessentialis causa omnis essentiæ.* Et quidem doctè, [Quoniam in Deo sunt Virtutes, quæ *attributa* vocamus; & in nobis sunt earumdem Virtutum imagines; nam Dei illis beneficio fruiscimur, Divinæ Virtutum æternarum definitiones non debeut ab humanis desumi: quoniam infinita & immensa humanitùs non definiuntur: Divina enim Virtus nulla humana definitione definitur. Sed humanæ debent definiri divinitùs, nam humanæ, esse veræ non poterunt, nisi Divinis fuerint similes.] Et quia impræsentiarum agimus de iustitiâ, aio eam nullam apud homines esse, nisi repræsentet Divinam, ut enim *libr. 9. de Civitat. Dei,* loquitur Augustinus; *Omnium legum est inanis*

An Deus sit omnium definitionum definitio?

Quomodo debeāt Virtutes definiri?

Leges humanæ injustæ sunt, si dissidāt legi Divinæ.

inanis censura, nisi Divinæ legis imaginem generat.

215 *An in Deo lo um habeat personarum acceptio?*

Dei Iustitia acceptrix personarum non est. Deuteron. 10. 17. *Deus magnus & potens & terribilis, qui personam non accipit, nec munera: facit iudicium populo & pupillo & viduæ*, &c. Item 2. Paralip. 19. 7. *Non est enim*, ait Iosaphatus Rex Iudicibus, *apud Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Vnde Roman. 2. 11. Apostolus. *Non est acceptio personarum apud Deum.*

N. B. Hoc vitium militat contra Iustitiã. Ergo in materiã gratiæ non potest acceptio personarum committi. Non ergo personarum acceptor, qui eleemosynam erogat potiùs Petro, quàm Paulo, si neutri debet.

Ergo, si Iustitia humana esse debet Divinæ similis, aut erit nomen sine re, aut omnem acceptionem personarum excludet. Vide qualem formam Deus tribunalibus humanis præscribat: *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iustè iudica proximo tuo.* Levitic. 19. 15. [*Nulla erit distantia personarum; ita parvum audies, ac magnum.* Deutero. 1. 17.] & 16. 19. *Non accipies personam, nec munera; quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Vnde Samueli, qui erat Iudex (Samuel. 16. 7.) agens de Eliab Esai filio, inquit Dominus: *Non respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico.*

216 Hinc patet, cur Deus eligendo & prædestinãdo hos ante prævisa merita, & illos non prædestinãdo, acceptor personarum non fuerit. nulli enim debebat dare gloriam, & ideò erga illos, quos voluit suã clemẽtiam exercuit.

Ecce, ut omnia tandem colligamus, rerum omnium antiquissima Deus est: & quia Deus est Iustitia: Iustitia in mundo nihil antiquius est: & quia hominem realem ad imaginem & similitudinem suam creavit Deus; sibi etiam voluit esse similem Politicum hominem, & in decretis suis Iustitiam æternam exprimere. Principis nomine ex iure pronunciant Senatores; & Principes nomine Dei. Prouerb. 8. 14. inquit Dominus: *Meum est consilium: & æquitas* (hoc est, apud universos æqualitas) *mea est Prudentia, mea est Fortitudo. Per me Reges regnant, & legum Conditores iuxta decernunt. Per me Principes imperant: & potentes decernunt iustitiam.* Vnde in Psalm. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Reges, Principes, & iudices vocat Deus *Deos*, quoniam Ministri eius sunt, debéntque iuxta Divinas leges iudicare.

217 *Quid Principes & Iudices præstare debeant?*

Ergo est antiqua & præscripta Iustitiæ possessio: Principes sunt, ut iustè imperent: Senatores, ut iustè iudicent, nec est regio tam barbara, ut existimet licere Principi facere quidquid velit: nec hucusque sit erectum tribunal, in quo Senatoribus sit pro ratione voluntas.

At Conscripti Patres (inquiunt Xenocrates, Solon, & cæteri, qui obloquebantur sub initium) corrumpuntur muneribus: accipiunt personas, & æquitatem non observant. At hoc universim sumptum nec verum videtur, nec ad rem: & quidem non est universim verum: quoniam & olim, & etiamnum fuerunt & sunt in tribunalibus Iudices integerrimi. Sed neque est ad rem, quoniam Regula, quam explicamus, non Historica, sed definitiva est, non enim quid in Senatibus fiat, narrat; sed quid fieri debeat, definit; non recenset, quid faciant aut non faciant Iudices, sed quid facere debeant, præscribit.

Quæ contra Iudices dicuntur, non sunt universaliter vera, nã multi hodie integerrimi sunt.

REGVLA XIII. *Ignorantia facti, non Iuris excusat.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Regula habet duas partes & antequam probetur debet dividi. 218

An, & cur Facti ignorantia excuset?

Erat pars prior *Facti ignorantia excusat* differt hæc à Regula XLVII. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Quia hic non quæritur, an debeat præsumi ignorantia, sed supponitur dari ignorantiam, & quæritur, an ipsa excuset? Et respondeo assertivè. Quoniam in possessione excusandi me à culpâ est ignorantia omnium rerum, quæ scire non teneor. Ergo etsi detur factum, nisi & addatur obligatio, quæ ad illud cognoscendum me obstringat, ignorantia ab omni culpâ excusans manutenebitur in possessione.

An omnes teneantur scire ius canonicum?

Erat posterior. *Ignorantia Iuris non excusat.* Sed à quo non excusat? Hic non agit de culpâ, non enim omnes Iura scire tenemur. De Pontificio, *tract. de præcept. & dispensat. cap. 19. num. 5.* [& habetur *tom. 4 pag. 83. b.*] inquit Sanctus Bernardus: *Prætermitto & aliqua de Canonibus, quæ vos requiritis, tum quoniam talium nostra non refert, qui Monachi sumus: tum quia in libris ipsi facilè reperire potestis, si legere non gravemini.* Et Legum Cæsarearum studium in cap. 3. *Non magnopere.* Sub præcepto inhibuerat Eugenius cui præcepto *cap. 10. Super specula* Honorius excommunicationem adjecit. Ergo si de peccato ageretur, Iuris ignorantia excusaret. At illa dicitur non excusare. Ergo hæc pars Regulæ de peccato non agit. Et, si de peccato non agit, de quo agit? De valore rei factæ. Nam in Decretis Iuris debent apices accuratè observari; & quia septem testes, v. gr. ad Testamenti valorem requiruntur, si illi revera interfuerint, & scientes, aut ignorantes Iura, illum actum solennizaverint, erit Testamentum validum: &, si testes sufficientes non adfuerint, nec ideò validum censendum erit, quod per ignorantiam fuerit factum.

219 *An possint audire ius Civile Ecclesiastici?*

Quot testes ad testamenti valorem requirantur?

An ignorãtia excuset?

220 *De ignorantiã illius; qui in ius alius succedit.*

REGVLA XIV. *Cùm quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiæ causam censetur habere.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Porrò antequam succederet, de rebus, quas fecerat, & de contractibus, quos inierat ille, cui succedit, ille legitimam ignorantiam habebat. Ergo hæc legitima, & nulli culpæ obnoxia ignorantia manuteneri in possessione debet, donec veniat ratio sufficiens, ob quam à possessione excludatur. At ipsum succedere in alius Iura, non dat rerum notitiam; sed infert inquirendi, & examinandi obligationem. Ergo si quis congruam adhibeat veritatem inquirendi diligentiam, & tamen aliqua non sciat, iustam ignorantiæ causam censetur habere.

An satisfaciat, si congruam diligentiam adhibeat?

221 *Cur contrahantur odia, & favores amplientur?*

REGVLA XV. *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Et cur. Quoniam manutenendus est, qui possidet.

Et quidem *odia restringi debent*: nam, si debeam solvere, vel pati, cùm sim in non solvendi & non patiendi possessione, in hâc ipsâ manuteneri debeo, donec veniat ratio sufficiens, ob quam excludar. At nulla probabilis est sufficiens. Ergo in omni dubio odia per certitudinem restringi debent, nemo enim vexari aut condemnari debet ob rationes probabiles.

Res est odiosa favores postulatos negari.

Progredior. Favores negari ad odia pertinet. Ergo hoc ipsum debet restringi; & posterior Regulæ pars in priorem recidit.

222 *An, & unde habeant beneficia à Principibus data, quod sint perpetua?*

REGVLA XVI. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet nempe, donec superveniat ratio sufficiens, quæ illum excludat. At à Principe (qui magnificus, munificus, clemens liberalis, &c. esse debet) talis ratio provenire non potest. Ergo in possessione suâ manutenetur, qui à Principe beneficium suscepit. Probatur minor; quia Deus à dando dicitur; & Principes sunt imagines Dei. *In Orat. de laudib. Agesilai* verè Xenophon. *Pulchrius est Principi exercitum quam seipsum locupletare; & ab hostibus spolia potius, quàm dona cupere.* Et iterum *libr. de Cyro*, sic ait, *Verum ego, ô Viri, sæpenumero etiam alias cogitavi, bonum Principem nihilo differre à bono Patre. Nam ut parentes filiis provident, ut bona his nunquam sint defutura. Et Cyrus mihi videtur nunc ea nobis consulere, à quibus maximè in felicitate possumus ad ultimum usque finem perseverare.* Non est ergo ratio, ex parte Principis, ob quam collatum à Principe beneficium permansurum non sit. Consultò dixi *ex parte Principis*, nam, si subditus ingratus sit, aut aliquod crimen committat, beneficio, recepto à Principe, exspoliari merebitur.

An Reges sint populi Patres?

223 *Illi, cui reges aliquod beneficium indulgent, habet ius in re; & , ut acquirat ius in re, non potest sine iniuriâ impediri.*

REGVLA XVII. *Indultum à Iure beneficium non est alicui auferendum.* Et cur? Quia manutenendus est, qui possidet. Pono exemplum. Inter alias prudentissimas Cōplutēsis Vniversitatis leges una est, quæ in S. Iusti Collegiata, si aliquis moriatur Canonicus, eius locum Doctori accenset, qui sit præsens & senior. Hoc ius Doctores ab illâ die, quâ inaugurantur possident; & Academica Iura, vacantem Canonicatum Seniori, ut dicebam, indulgent: & qui talem Canonicatum Doctori Seniori à Iure indultum conferret alij, invalidè & iniustè procederet.

224 *Non est tempus, ratio, quæ Præscriptionem constituit, sed voluntas Reipublicæ.*

REGVLA XVIII. *Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non subsistit.* Et cur? Quoniam est in possessione ipsummet non subsistere. Et debet manuteneri id, quod possidet. Nec contra hanc Regulam dicenda est militare. Præscriptio: nam iniusta possessio tractu temporis non vertetur in iustam: & possessionem iustam (quam comitatur titulus) non eximit à litibus tempus, sed prudens decretum Reipublicæ; non enim est tempus quod litibus finem imponit (nam tempu in omni regno est simile, & tamen leges de Præscriptione inter se differunt) sed est prudentia publica, quæ ut bona certos dominos habeant, & cessent lites quæ familias perturbant, legem tulit, ut post tot, aut tot annos legitimæ possessionis fiat Præscriptio.

REGVLA XIX. *Non est sine culpâ, qui rei, quæ ad ipsum non pertinet, se immiscet*, Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Sanè negotia, quæ ad Petrum non pertinent, ad alium pertinent: puta ad Franciscum. Ergo manuteneri in suâ possessione Franciscus debet: & qui eius rebus se immiscet contra hanc possessionem operatur. Ergo in illum delinquit.

Vnusquisque sua debet negotia curare, & non se intermiscere alienis.

REGVLA XX. *Nullus uti pluribus defensionibus prohibetur.* Et cur? Quia unusquisque est in hac possessione; & manutenendus est, qui possidet. Nec est cur hæc ad unam, aut aliam viam restringatur defensio, iniustè enim seu gladio seu calumniis invasus, quæcumque media, aliàs licita, poterit adhibere, ut suam innocentiam defendat. 225

Quot se modis potest, qui iniustè est invasus, defenderet

REGVLA XXI. *Quod semel placuit* (quando agitur de Iure tertij) *amplius displicere non potest.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et pono exemplum. Si tibi placuit promittere Antonio centum aureos, ille promissionem acceptando adquisivit ius ad rem promissam. Ergo in istius iuris possessione debet manuteneri. Ergo iam non erit tibi liberum voluntatem mutare. Est expressa Melliflui Abbatis doctrina, quoniam *libell. de precept. & disp. cap. 1. num. 2.* Sic inquit. *Hoc ipsum quod dico voluntarium* (nempè Regulam S. Benedicti) *Si quis ex propriâ voluntate semel admiserit & promiserit, deinceps tenendum; profectò in necessarium sibi ipse convertit; nec iam liberum habet dimittere, quod ante tamen suscipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate suscepit, ex necessitate iam tenebit: quia omninò necesse est eum reddere vota sua, quæ destinxerunt labia sua.* Cæterùm in rebus, quæ alteri non præiudicant displicere hodie licitè poterit, quod placuit heri.

Non licet mutare voluntatem cũ præiudicio tertij?

Promissa observare debemus.

Vbi tertio non præiudicatur, liberè mutamus voluntatem.

REGVLA XXII. *Non debet aliquis alterius odio prægravari.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Petrus enim qui est in possessione non habendi tale aut tale gravamen, debet manuteneri, quousque superveniat ratio sufficiens ob quam à possessione detrudatur. Sed non est ratio sufficiens, quod alius iure aut iniuria à Potentiore odio habeatur. Ergo ex hoc capite non potest onerari gravamine.

Alterius odio nemo gravandus est.

REGVLA XXIII. *Sine culpâ, nisi subsit causa, non aliquis puniendus*, lege *gravandus*: nunquam enim legitima subesse causa potest, ut innocens puniatur. Et cur hoc? Quoniam manutenendus est, qui possidet. 226

An possit aliquis sine culpâ gravari?

Porrò sine culpâ nemo est puniendus: Nam, cùm Petrus, sit in suæ innocentiæ possessione: manuteneri debebit: adeóque nec

An sine causâ possit?

nec condemnari poterit sine culpâ;nec puniri sine condemnatione. At multi sine culpâ, sed ex causâ gravantur: nam Fideiussor, nec fide iubendo peccavit, nec peccat quando bona sua decoquunt debitores, & tamen debet eorum loco solvere. Et, ut condemnetur, etsi non detur culpa, datur causa: non enim damnatur, quia peccavit; sed, quia fide iussit.

Fideiussor, sine culpâ, non tamen sine causâ gravatur.

227 Regvla XXIV. *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.* Ad huius Regulæ intelligentiam conferunt omnia, quæ de Virtute Obedientiæ leguntur: quoniam iubenti Iudici evidenter iniusta, obediendum non est. Concernit igitur materiam dubiam & incertam hæc Regula: & suadetur clarissimè: Quoniam dolus adversatur Virtuti: quæ enim dolosè fiunt, nunquam à Virtute procedunt. Cùm autem Cliens præstat, quod Iudex præcipit, Obedientiæ Virtus est in possessione: & est manutenendus, qui possidet.

An debeamus obedire Iudicibus?

Sed cur *facere non videtur*, & non potiùs *non facit*, dicitur? Quia hæc Regula, si *non facit* haberet, non esset infallibilis: quoniam, non repugnat, ut quis obediendo Iudici, iniustè & dolosè procedat, puta, si deceperit, aut corruperit Iudicem, mandatumque rationi, aut Iuri dissentaneum extorserit. Sed, quia donec probetur fraus, est ad favorem Obedientiæ præsumptio, dicitur *non videtur*: unusquisque enim videtur sine dolo procedere, quamdiu eius fraus & perfidia nescitur.

An possit aliquis obediendo peccare?

228 Regvla XXV. *Mora sua cuique nociva.* Et cur? Quia manutenendus est, qui possidet. Ego hanc Regulam sic repono, *Mora sua unicuique est nociva vel utilis.* Et quidem mora sæpe nociva est. Ovidius Metamorph. XI.

Non semper est mora nociva.

Sed mora damnosa est. Et Lucanus 22.

Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Sæpe etiam est utilis. Ovidius *Fast.* 3.

Nam interdum est utilis.

Differ, habent parvæ commoda magna moræ.

Et Ovvenus Fabij cunctationem expendens.

Defensa est parvâ Maxima Roma morâ.

Profectò Hilarius in possessione est, & à Iudice manutenendus, ut commoda & incommoda subeat, quæ ex hâc morâ proveniunt. Puto huius Regulæ sensum germanum exprimi posse aut etiam debere istis verbis *Mora si est aliquando nociva, non aliis, sed illi qui est causa, nocebit.*

Mora unius non debet nocere alij, cui non fuerit libera ipsa mora.

Regvla XXVI. *Ea, quæ fiunt à Iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Pono exemplum. Habes domum Neapoli, debes manuteneri. Illam vult Petrus Ioanni vendere. Non potest. Promovetur ad Senatum Petrus. Sed quid inde? Fit iudex: & domum tunc vendit. Sed tamen, quia hæc domûs venditio ad eius non spectat officium, & tu in possessione manuteneris, viribus non subsistit.

Iudex quando prætergreditur sui officij terminos, operatur ut homo privatus.

Regvla XXVII. *Scienti & consentienti (adde, & potenti consentire) non fit iniuria neque dolus.* Et cur? Quoniam, qui possidet, debet manuteneri, donec superveniat sufficiens ratio, ob quam debeat à possessione detrudi. Sed conscientia & consensus est sufficiens ratio, ut quis à possessione detrudatur. Ergo illis supervenientibus ex iustitiâ (ac propterea sine iniuriâ) detruditur. Consultò illam particulam *& potenti consentire* interserui, frustra enim consensus ab eo requiritur, qui assentiri non potest. Nam Titius etsi sciente & consentiente marito uxorem alterius cognoscat, adulterium committet; nam in hoc genere est invalidus mariti assensus.

Multa sunt in quibus homo non potest validè præbere assensum. In his scienti & volenti fit iniuria.

Regvla XXVIII. *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam trahenda sunt ad consequentiam.* Et cur? Quoniam Ius Commune est in antiquâ & iam præscriptâ possessione: & manuteneri debet is, qui possidet. Et ostenditur: Quoniam manutenendum est commune Ius, donec superveniat sufficiens ratio, quæ possessioni præiudicet. At exorbitantes à Iure actus non sunt sufficientes, ut hanc ipsam possessionem perturbent. Ergo manutenetur in possessione Ius Commune. Probatur Minor: nam exorbitantes à Iure actus (ut de ignorantiâ nihil dicam) à necessitate, violentiâ, aut dispensatione proveniunt: At non præiudicant, quæ ex necessitate tolerantur, aut ex violentiâ perpetiuntur, aut ex dispensatione admittuntur, ut Regula LXXVIII. reponetur. Ergo actus à Iure exorbitantes non sunt sufficientes, ut legitimam possessionem perturbent. 229

Cur ea, quæ contra Iura fiunt, non præiudicent?

Ignorantia, necessitas, violentia, & dispensatio, tametsi in aliquo casu particulari obtineant, iure communi generaliter derogare non possunt.

Regvla XXIX. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Et cur? Quoniam manutenendi sunt, qui possident. Nam, si mortuo Isidoro, quatuor remaneant filij, & de venditione domûs aut fundi disputetur; hæc venditio omnes quatuor concernit; fietque invalide, nisi ab omnibus quatuor approbetur, quoniam ut à Regula LVI. docebimur, *In re communi potior est conditio prohibentis.* 230

In re, quæ omnes concernit, omnes consentire debent.

Regvla XXX. *In obscuris minimum (gravamen) est sequendum.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Agit de odiosis Regula, quoniam, qui dixit, *Favores sunt ampliandi*, etiam dixisset *In obscuris, si favorabilia sunt, maximum est sequendum.* 231

De lege onerosa, & obscurâ.

Interim, ut Regula probetur, & dilucidetur, pono hunc casum. [Petrus condemnatus est, ut solvat quinquaginta ducata, & an debeat dare nummos cupreos, an argenteos, vel aureos nescitur: hoc enim sententia non expressit. Et quæritur, Quales numerare debebit?] Sic discurro. Petrus est in possessione suæ pecuniæ. Ergo est manutenendus, donec superveniat ratio sufficiens, ob quam à possessione expellatur. At sententia contra illum publicata non est sufficiens, ut cogatur nummos aureos, vel argenteos persolvere, & tamen est sufficiens, ut cogatur solvere: ergo, ut numeret cupreos: quod confirmat Regvla LXX. nam, si in alternativis debitoris est electio, & sufficit alteri

Omnes sententiæ aut leges generice conceptæ, sunt disiunctivæ: & à debitore restringuntur.

alterutrum adimpleri, penes Petrum, qui est debitor erit electio, & impositam mulctam solvet monetâ aureâ, argenteâ, vel cupreâ, prout voluerit.

232 *An recipiat magis & minus Certitudo?*

Regula XXXI. *Eum, qui certus est, certiorari non oportet ulteriùs.* Et hîc quæri opportunè potest, An certitudo habeat magis & minus? Veritatem consistere in indivisibili: communis est hodie Logicorum sententia: quam ob rem dicunt omnes Propositiones veras, esse æqualiter veras. Et, si quando aliquas cum aliis collatas, *veriores* dicunt, tunc *Veritatis* nomine Probabilitatem accipiunt; ita ut *veriores*, quæ sunt probabiliores, nominentur.

An omnes Propositiones veræ, sint æquè veræ?

De Probabilitate.

An ne Probabilitas recipit magis & minus? Negat Illustrissimus Dominus Gabriel Santander Archiepiscopus Hydruntinus, Vir sanè doctissimus, quem Thomistæ hodie, sicut Angelicæ scholæ Coriphæum, colunt & venerantur. Et quidem eximij huius Præceptoris sententiâ sicut Certitudo, sic etiam Incertitudo consistit in indivisibili: quam ob rem omnes sententiæ certæ erunt æquè certæ; & omnes incertæ erunt æquè incertæ; & omnes tandem probabiles erunt æquè probabiles.

D. Santanderij sententia.

233 *An in Probabilitate reali dentur gradus?*

Ego autem quidquid sit de Illustrissimi Domini sententiâ, aio Probabilitatem posse realiter, & moraliter considerari. Si realiter consideretur, admittam, alias propositiones esse probabiliores, alias minùs probabiles: asseram tamen, non dedisse hominibus bilances Deum, quibus possint rationum & authoritatum momenta ponderare & librare: quam doctrinam, nam est D. Bernardi, & à me alibi uberiùs demonstrata, impræsentiarum non edissero, sed hanc solam Assertionem propono, *Omnes probabiles Propositiones, ut quoad se non sint æquè probabiles, quoad nos sunt æquè probabiles.* Et ex suppositione quod non solùm quoad se, sed etiam quoad nos Probabilitas suos gradus habeat, adhuc dicam, omnes probabiles Propositiones virtualiter & moraliter esse æquè probabiles. Virtualiter quidem, quia tametsi reverà non sint æquè probabiles, prudentum nihilominùs iudicio & suppositione ita se habent, ac si æquè probabiles essent. Et moraliter etiam, quia in genere morum æquè reddit conscientiam securam, & ab omni scrupulo peccati excusat opinio magis & minus probabilis: siquidem omnes probabiles æquè tutæ & securæ censentur.

An, etsi detur quoad se, dentur etiam quoad nos magis & minus probabiles Propositiones?

An omnes probabilitates virtualiter & moraliter æquales sint?

234 *Quid in opinione certum sit?*

In hoc iudicio aliquid certi, & aliquid habemus incerti: Certum est enim nos, quamdiu probabiliter opinamur, carere certitudine: quod, si oppositum fortè de te suspicari audeas, Hieronymum audies dicentem. *Cum stomacho loquar, ne hoc te scire quidem, quod nescias.* Et, si asseras, certò scire in hac vel illâ materiâ, aut Iuniores iam omninò Veritatem tenere, aut ad Veritatis cognitionem humanitùs illos pervenire non posse; nec nimiam animi elationem, nec deiectionem collaudabo; & , ut te instituam, Hieronymum, cuius paulò antè memini, in exemplum proponam. *Fateor*, inquit, *mi Domnion & Rogatiane Charissimi, nunquam me in Divinis Voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam; sed ea etiam de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de his super quibus anceps eram.* Hoc ego Scholasticum Monitum mihi scriptum existimans, ut sæpè in meis Operibus & in hac præcipue Dialexi videre est, nolui proprio ingenio confidere; sed ea, de quibus dubitabam, immò illa quæ putabam me scire, proposui doctoribus, ut illorum institutus Oraculis, incertus aut certus fuerim prius, notitias ulteriores, & certiores adquirerem.

Hieronymus in Epist. ad Paulin.

An debeamus despendere animo quisquot Veritatē inquirimus?

Hieronym. in Epist. ad Domnionem & Rogatianum.

An debeamus semper studere, & doctores cōsulere?

Regula XXXII. *Non licet Actori, quod Reo licitum non existit.* Et cur? Quoniam Reus est in possessione & manutenendus est qui possidet. Et hanc ego Regulam sic persuadeo. Si causa sit civilis, reus est in suorum bonorum possessione: Si criminalis, reus est in possessione suæ innocentiæ, suæ vitæ, suæ famæ, & contra hanc possessionem actor, accusatorve insurgit: ergo debemus possessioni favere, *& cùm sunt partium iura obscura, reo favendum est potius quàm actori*, ut Regula XI. fuit statutum. Ergo, si reo potiùs quàm Actori est favendum, *non licebit actori, quod reo non licet.*

Cur non liceat Actori, quæ Reo non licent?

235 *Cur semper Reo favendum sit?*

Regula XXXIII. *Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum.* (nempè *iniuriam.*) Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et hæc illustrat Regulam XXI. quam superiùs exposui Et consultò voci *detrimenti* addidi *iniuriam:* quia ubi non præiudicatur iuri alius, consilium mutare omnes possunt. Et, ut Regulam melius intelligas, propono hos casus. *Primus* sit [Ioannes promisit Antonio centum aureos, sed antequam hæc promissio ad Antonij notitiam deveniret, mutavit Consilium, & promissionem retractavit.] *Secundus* sit [Petrus donavit Ausonio unum equum: Ausonius acceptavit favorem, & gratias egit: at iam illum non vult tradere Petrus, quia dicit se re meliùs inspectâ mutavisse consilium.] Respondeo in primo casu Ioannem licitè mutavisse consilium: quoniam Antonius nullum ius adquisierat: promissio enim, si non est acceptata, non obligat. In secundo autem casu Petri inconstantiam damno, quia per donationem, equus ad Ausonium pertinuit, & velit, nolit Petrus, pertinere debebit, non enim Petro licuit mutare consilium: &, si realiter mutet, censebitur non mutare civiliter; nam si causa ad Tribunal perveniat, cuiuscumque Iudicis iudicio ita se habebit Petrus, ac si non mutavisset consilium.

Vigesima prima, & trigesima tertia Regularum consensus.

236 *Promissio non acceptata non obligat.*

Per donationem adquirit donatarius dominium.

Civiliter non mutat consilium, qui illud mutat invalidè.

Regula XXXIV. *Generi per speciem derogatur.* Et cur? Quoniam hoc ipsum Ius possessionis postulat, ut generi per speciem derogetur: Quod sic persuadeo. Regula Fundamentalis præcipit, ut unaquæque res in possessione manutenea-tur

237 *Genus differentia constringunt & restringunt.*

tur donec nova ratio superveniat, quæ illam iure ab antiqua possessione detrudat. Ergo genus, nam latissimè patet, manuteneri in possessione debet, donec nova supervenerit ratio, quæ illud à possessione excludat. Sed differentia, quæ constituit speciem, est ratio sufficiens, Ergo, ubi species exprimitur, derogatur Generis amplitudini. Et rem hanc illustremus exemplis. *Animal* latissimè patet, & de piscibus, quadrupedibus, & volucribus dicitur; sed, si addatur *Rationale*, *Humanum*, *Homo*, aut aliquid aliud simile, derogabitur Vniversalitatis amplitudini, & ad unicam speciem fiet contractio. Aliud Adhuc exemplum subiungamus. In Titij testamento hæc leguntur. *Argentum meum Ioanni & Francisco lego: nempe mille regales octuplos, qui sunt in tali scrinio, Ioanni: & octo mille simplos, qui a Caio custodiuntur, Francisco.* Profectò vox *argentum*, quæ latissimè patet, & tam infectum, quàm factum, & cussum comprehendit, per voces *regales octuplos*, & *simplos* ad cussum (redactum in monetam) contrahitur: & hæc ipsa contractio derogat generis universalitati.

Animal, universalissimus conceptus est, per Rationale ad unam speciem contrahitur & determinatur.

Argentum latè patet: & in infectum, factũ, & percussũ dividitur.

238 *Si sint diversa genera, in maiori non continetur minor.*

REGVLA XXXV. *Plus semper in se continet, quod est minus.* Est definitiva & æquipollet LXXX. *In toto partem non est dubium contineri.* Nec alio sensu esse poterit generaliter vera; nam si sint diversa rerum genera, quod est plus, non semper in se continere poterit, quod est minus.

An dominiũ per donationem dolosam transferatur?

REGVLA XXXVI. *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Pono casum. [Ioanni Franciscus debebat mille aureos, & quia illum odio habet, desiderans ne ille pecunias recuperet, palatium, quod habebat Monasterio N. donavit.] Et esse nullam donationem decido: & sic ratiocinor. Petrus possidebat hoc palatium: ergo debet manuteneri, donec superveniat ratio sufficiens ob quam à possessione detrudetur. Sed donatio dolosa, non est ratio sufficiens. Ergo non obstante donatione dolosa debet manuteneri in possessione.

239 *An possit quis viduã in uxorem ducere, cum quâ vivente priori marito adulterium commiserat?*

REGVLA XXXVII. *Vtile non debet per inutile vitiari.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et hic inutile per negationem utilitatis constituitur: nam quæ sunt positivè inutilia, si in opposita transeant, vitiare illa profectò poterunt, quæ sunt utilia. Vt rem dilucidem, hunc casum addo. [Petrus cum Ioannâ viduâ sponsalia contraxit, & modo resilire desiderat. Vt cogatur ad contrahendum Petrus, sponsio est utilis. At instat Petrus, se vivente marito cognovisse Ioannam, & ideò se posse resilire asseverat. At Petro dicit Iudex, adulterium illud esse circumstantiam inutilem, & non posse sponsalia dirimere. Sed addit Petrus Ioannam in adulterium consensisse sub promissione matrimonij futuri. Et quia iam mutat casus speciem, & illud adulterium, quod erat circumstantia inutilis, per promissionem elevatum est dirimens, definit Iudex sponsalia esse nulla, & Petrum non debere nec posse Ioannam in uxorem accipere. Ita *cap. veniens*, & *cap. finali*, *de eo, qui duxit*, & *cap. relatum. 3. quæst. 1.* definitur, & tenent universi Theologi, asserentes adulterium tantùm sine promissione, impedimentum non inducere.

Et quid si promiserit?

240 *An instrumentis, quæ quis esse falsa persuadere conatur, possit uti, si in aliquibus sibi possint prodesse?*

REGVLA XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod visus est* (nititur) *impugnare.* Et cur? Quia ad hominem argumentum procedit, & manutenendus est, qui possidet. Casum propono. [In lite quæ inter Isabellam & Iulium vertebatur, unum produxit instrumentum Isabella, quod esse falsum probaturum ille se pollicetur. Dum autem ut illud esse falsum evincat, probationes adducit illud pro se quia in aliquibus favet allegat. At hanc allegationem præsens repellit Regula non enim debet pro se Iulius allegare instrumentum, quod esse falsum persuadere conatur.] Argumentum ad hominem poterit concinnari sic. [Iuxta te hoc instrumentum est falsum. Ergo eius falsitas est in possessione. At quæ falsa sunt, adsumi ad probationem non possunt. Ergo hoc instrumentum non potest à te ad aliquid persuadendum adsumi.] Habemus casum manifestum in Iure. Ioannes Oinotomus *in Comment. ad Instit. Iustinianeas, lib. 2. tit. 7. num. 25. pag. 37. b.* sic inquit. [Accusans testamentum de falso perdit legatum in testamento relictum, non autem donationem causâ mortis, quia donatio morte confirmatur, non per testamentum, *leg. post legatum §. qui principale, iun. vers. qui mortis, ff. de his, quibus ut indignis.*]

Nemo habet ius ad legatum ex testamento, quod falsitatis, accusarat.

241 *Sublatâ causâ auferuntur effectus, qui proveniunt ex illâ.*

REGVLA XXXIX. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Porrò causæ sunt in possessione operandi: & quocumque ferantur hanc secum potentiam circumferunt. Ergo, cùm causa interdicitur Petro, negantur illi omnes effectus, qui ab illâ exoriuntur.

An pluralis loquutio tres requirat personas? An contenta sit unicâ?

REGVLA XL. *Pluralis loquutio duorum numero est contenta.* Est definitiva; & præcipuè obtinet in Lingua Latinâ: nam in Græca, quæ Dualem admittit, tres personas ut minimum loquutio pluralis requirit. Interim *in leg. non est, ff. de verb. sig. if.* dixit Caius. *Non est sine liberis, cui vel unus filius, una-ve filia est*, & Cicero. *En, cui tuos liberos committas*, & tamen agebat de uno.

242 *An in his, quæ vitare non possumus, demereri aut mereri possimus?*

REGVLA XLI. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non facit, quod per eum fuerat faciendum.* Infertur necessariò ex sextâ. *Nemo potest obligari ad impossibile.* Et culpæ essentiam & naturam definit; nemo enim in his, quæ necessariò facit, aut necessariò omittit, potest mereri aut demereri, ut post Tridentinam Synodum, & Pontifices alios Innocentius X. Speciali constitutione contra Cornelium Iansenium definivit.

Cur res accessoria principalem sequantur?

REGVLA XLII. *Accessorium naturam sequi congruit Principalis.* Et cur? Quia manutenendus est, qui possidet. Porrò res principa

principalis possidet accessoriam. Ergo, si principalem Ferdinandus possideat, etiam accessoriam possidebit.

243 *An & quando, qui tacet, consentire censendus sit?*

REGVLA XLIII. *Qui tacet consentire videtur.* Vt probem duas res volo proponere, quarum possessio à nemine debet negari, nisi ratio sufficiens superveniat, quæ possessioni præiudicet. Illæ sunt Amor proprius (φιλαυτία) & Innocentia (ἀκακία) Amare se unusquisque præsumitur: & quilibet esse censetur innocens, quousque de aliquo convincatur facinore. Ex his duabus possessionibus deducitur hæc Iuris Regula, quam ab odiosis favorabilia distinguendo, sic Iurisperiti interpretantur. *In favorabilibus semper: in odiosis verò, qui potest & debet loqui, si tacet, consentire censendus est.* Duas partes hæc Regulæ Interpretatio continet; & illas probo.

De φιλαυτία, & ἀκακία, seu de amore proprio, & innocentiâ.

Cur in favorabilibus Regula verificetur?

Primam sic. Vnusquisque amat semetipsum. Ergo censendus est omnia sibi utilia desiderare & admittere, nisi expressè illa respuat. Sed, qui tacet, nihil expressè respuit. Ergo, qui tacet quando offeruntur sibi utilia, consentire & illa admittere & amplecti censebitur.

244 *Cur etiam, & quando in odiosis.*

Secundam autem sic. Vnusquisque censetur innocens & bonus, nisi probetur nocens. At Petrus interrogatur à Iudice, an tali satisfactione, quæ insufficiens est velit esse contentus, potest & debet respondere, & tamen tacet. Ergo, ne eum peccare dicamus; asseramus eum Iudici respondere tacendo. Et quia leges disponunt, ut contradicat, qui dissentit, in casu illud Petri silentium est responsio partis contrariæ voluntati consentiens.

245 *An, & quomodo hæc Regula differat à præcedenti?*

REGVLA XLIV. *Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.* Non adversatur præcedenti: quoniam illa in sensu Civili & Virtuali profertur; & in Reali hæc accipitur: nam tacere si realiter consideretur, nec est *affirmare*, nec *negare*: aut etiam nec est *consentire* nec *dissentire*, sed est quædam omissio vocalis horum actuum. Et ideò harum Regularum digestor, si ordinem voluisset observare, hanc potuisset omittere, aut si voluisset ponere, debuisset præcedenti præferre.

246 *Cur sit manutenenda consuetudo?*

REGVLA XLV. *Inspicimus in obscuris id quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Consonat Legi. *In obscuris.* 114. *ff. de Regul. Iuris.* Vide Iac. Spieg. *in Lexic. Iuris.* Et cur hanc Regulam observare debebimus. Quoniam ea quæ plerumque accidunt, in usum & consuetudinem transivisse dicuntur; & quia consuetudo vertitur in naturam, & natura complectitur necessitatem, ideò manutenenda est consuetudo, quoties obtinet. Quam facilis ex consuetudine ad necessitatem sit transitus, constat ex S. Augustino, qui *lib. 6. Confess.* sic inquit. *Ex perversâ voluntate facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus annulis sibimet adnexis tenebat me strictè dura servitus.* Et hanc Regulam hoc Scholio illustramus. [Cùm incertum & obscurum est, an Petrus rem talem (bonam vel malam) fecerit, examinamus, quid vel ipse, vel alij ipsius tam ætate quam qualitate similes in aliis occasionibus sub eisdem circumstantiis fecerint, & inde consequentiam deducimus, quam esse non quidem certam & indubitatam, sed verisimiliorem pronunciavimus.] Hanc Regulam in Oratione pro Roscio, ut certam & indubitatam supponens Cicero exclamat. *Soletis, cùm aliquid huiuscemodi auditis, Iudices, continuò dicere,* Necesse est aliquem municipem aut vicinum dixisse. *Solent enim à vicinis & municipibus, vicinorum ac municipum scelera potissimum prodi.* Non autem crediderim, illud *necesse est* à Cicerone in rigore Scholastico sumi, quoniam ex antecedenti quod adsumit, non nisi *Probabilius est*, ego inferrem. Et eamdem doctrinam dilucidat *in Partitionibus Orator.* Vide Cravettam *cons. 40. num. 30.* Menochium *de arbitrariis, casu 85. num. 6.* Verricellium *quæst. Moral. tract. 6 de absol. morib. sect. 3. num. 13. pag. 328. a.*

An naturam convertatur?

Quàm sit secura consequentia, quæ ex hac Regulâ infertur?

An ex consuetudine Cicero inturlerit necessitatem?

REGVLA XLVI. *Is, qui in Ius* (dignitatem, aut qualitatem) *succedat alterius, eo Iure, quo ille, uti debet.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet, eo videlicet modo, quo possidet. Et, ut id benè intelligas, adnotato, non solùm personas, sed & officia & qualitates habere iuriū & privilegiorum (immò etiam onerum) possessionem, in quâ etsi mutentur, & succedant personæ, illa debent manuteneri. Quāobrem, si meus Episcopatus his vel illis privilegiis condecoratur, & illis mei Antecessores pacificè gavisi sunt in me etiam debet conservari & manuteneri illa possessio; adeoque etiam iuribus perfruar quibus illi sunt usi. 247

Non solùm personæ, sed dignitates & officia suis fruuntur privilegiis, & gravaminibus onerantur.

REGVLA XLVII. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Nimirùm, cùm agitur de facto, iuxta Reg. XIII. manutenenda est ignorantia, quæ possidet. Cùm enim omnes fuerimus in infantiâ ignorantes; & notitiæ paulatim labore & industriâ adquirantur, posterior est rerum ignorantiâ cognitio: & ideò illa permanere censetur, donec hanc supervenisse cognoscamus.

Antecessit cognitionem & scientiā, est in possessione ignorantia.

Cæterùm, si agamus de legibus, quæ publicatæ sunt cum debitâ solennitate, invertenda est hæc Regula, dicendumque, *Scientia præsumitur ubi ignorantia non probatur.* Leges enim ita promulgantur, ut possint ad omnium pervenire notitiam: & quia post debitam publicationem illæ ab omnibus sciri præsumuntur, hæc propositio, *Omnes illas sciunt.* Est universalis moraliter: & comprehendit singulos. Et qui non comprehendi velit, debet ignorantiam probare. Acacius *tom 2. verb. Leyes. resol. 151. pag. 386 num. 2.* Sic inquit. *Aunque la ley humana esté sufficientemente promulgada, el que la ignorarè invinciblemente, queda escusado de su transgression, quanto al fuero de la conciencia: que quanto al fuero exterior, el que alegarè ignorancia estara obligado a probarla. El modo como la ha de probar, le trahe Navarro lib. 1. titul. de constit. consil. 3. numer. 6.* Interim ipse

Cur leges post publicationem ab omnibus sciri præsumātur?

Qui se nescire legem dicat, suam debet ignorantiam probare.

ipse Acacius *ibid. verb. Ignorancia, resol.* 82. *num.* 8. *pag.* 178. *a.* exponit, *Con que ha de probar el reo la excepcion de la ignorancia, quando la ofrece por defensa y escusa de su delito* Vide etiam *resol.* 80. *num.* 7. *pag.* 74. *b.* ubi Iuris & Facti ignorantias exponit.

Per analogiam aliæ possent Regulæ de præsumptione fundata in titulo possessionis formari. Vnam propono. *Præsumitur innocentia, ubi crimen non probatur.* nascitur ex præcedenti. Nam crimen pertinet ad quæstionem facti, & factum debet probari. Vnde Corollarium sic persuadeo. Omnes, cùm nascimur actualibus peccatis caremus, ergo manutenendi sumus in hac innocentiæ possessione, donec nos peccavisse sufficienter probetur, &c.

Ante omne delictum actuale est in possessione innocentia.

Dices argumentum, quod à possessione sumitur, & à nobis irrefragabile putatur, non esse firmum. Primò, quia possem hostiam in Ecclesiâ venerationi omnium expositam non adorare: nam fuisse consecratam vel non, est quæstio facti: & cùm illa priùs quàm consecrata esset, fuerit non consecrata, non esse consecrata præsumetur, donec esse consecratam probent, qui mihi illam exhibuere adorandam. Secundò, quia possem ego iterum baptizari, quia baptismus ad facti quæstionem spectat, & ideò me non fuisse baptizatum præsumam, donec me esse baptizatum probaveris.

An hostiam publicè expositam adorare possimus?

An debeam credere me esse baptizatum?

Respondeo, argumentum, quod à possessione sumitur, esse firmissimum, nec rationem occurrere, quæ eius efficaciam imminuat. Non enim urgent, quæ de Hostiâ adorationi expositâ, aut de Baptismo dicebantur. Nam ego sic ex isto eodem Corollario ratiocinor. Præsumitur innocentia ubi crimen non probatur. Ergo Sacerdotem, qui illam hostiam consecravit, & publicæ adorationi exposuit, ritè missam celebrasse, & sanctè processisse supponere necessariò debemus, ni velimus temerè iudicare. Ergo Hostia illa est consecrata. Ergo illam adorare debemus. Et simile argumentum de Parrocho, qui me baptizat, efformo: nam est in suæ innocentiæ possessione, & debet ideò censeri innocens donec male me baptizasse probetur. Ergo ego sum rite baptizatus; & hoc teneor ut indubitatum supponere, donec oppositum sufficienter probaveris.

Sacerdotem ritè missam celebrare, rite baptizare, &c. præsumendũ est, donec oppositum sufficienter suadeatur.

248 Regvla XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuriâ vel iactura.* Et cur? Quoniam ille alter est in iurium & bonorum suorum possessione, & manuteneri debet, donec ratio sufficiens superveniat, ob quam à possessione detrudatur. At velle alium locupletari, non est ratio sufficiens, ut alter legitimâ possessione privetur: nemo igitur cum alterius iniuriâ potest locupletari.

Cur non possimus cum aliorum detrimento ditescere?

249 Regvla XLIX. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et primò exemplum in pœnâ pecuniariâ ponatur. condemnatur Aurelius, ut centum ducata persolvat: & quia ducata Cameræ sunt maiora communibus, dubitatur, utra numerare teneatur. Et ego sic in re obscurâ discurro. Aurelius ante condemnationem erat in possessione suæ pecuniæ. Ergo debet manuteneri donec superveniat ratio, quæ possessioni præiudicet. At sententia est sufficiens, ut solvere centum ducata cogatur: non autem est sufficiens, ut cogatur solvere cameralia: ergo non nisi communia ducata debet solvere. Ergo, ut vides, benignior interpretatio debuit fieri. In corporalibus aut aliis quibuscumque pœnis eodem prorsus modo philosophandum est: nam *non debere talem subire pœnam* erat in possessione; & non debet, nisi per certam sententiam huic possessioni præiudicari. Ergo cùm gravior sit incertitudinem interpretationi minùs gravi, hoc est, quæ minus severa sit, & minus oneret.

Cur non possit in pœnis interpretatio esse severior?

Primum exemplum in materiâ civili.

Et alterum in criminali.

250 Regvla L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.* Et cur? Quoniam causæ necessariæ quando sunt, necessariò operantur: & in hac possessione manuteneri debent, quin futuram conditionem aut diem expectare cogantur. Pono in Baptismo exemplum: Si validum sit, statim imprimit characterem, & suscipientem facit esse Christianum. Et quid si Petrus uti velit hâc formulâ: *Ego te baptizo, &c. Si futurus Episcopus sis, alias non?* Et quid, si Ioannes istâ *Ego te baptizo, &c. hac conditione, ut cras recipias characterem perinde gratiam?* Baptismum invalidum fore pronuncio: quia ille est actus in Iure Divino legitimus, & ideò nec conditionem de futuro contingente, nec diem futuram admittit. Consono Ægidio Coninck, qui *in 3. part. q. 64. art. 8. dub. 2. pag. 65. n.* 78. Sic inquit [Consecrans, vel aliud Sacramentum, (excepto matrimonio) conferens sub conditione de futuro contingenti (v. c. dicens, *Ego te absolvo, si cras ablata restituas.*) invalidè id facit. Est communis, &c.

Actus legitimi, nec effectum possunt in futurum differre, nec in valore suo à futurâ cõditione pendere.

251 Regvla LI. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Et cur? Quoniam Deus est in possessione, & manutenendus est, qui possidet. Sic, & bene, loquimur Ecclesiastici: quæ enim Ecclesiæ avi dederunt, non debent auferre nepotes, & in usus profanos convertere.

An consecrata Deo possint in usus humanos redire?

Regvla LII. *Non præstat impedimentum, quod de Iure sortitur effectum.* Et cur? Quoniam res, de quâ quæritur, an impedienda sit, aut non, est in possessione, & debet in eâ manuteneri, donec superveniat ratio, quæ possessioni præiudicet. Sed, quæ virtualiter est nulla, nec existentiam nec proprietates habet: Ergo, quia non existit civiliter, de Iure non sortitur effectum. Et quia proprietates non habet, non imponit aliquod impedimentum. Pono exemplum. [Petrus, quia iam ad ætatem convenientem pervenit, vult uxorem ducere. Respondeo, esse possessionem pro Petro: & nisi addatur causa, quæ impedimento sit, debere eum in hac possessione conservari. At, inquis, votum solemne emisit: Ergo ducere uxorem non potest. Respondeo, aliquid adhuc debere addi, ut quæstio dirimatur legitimè. Quoniam illud à Petro emissum votum, aut

Non entis nulla sunt proprietates. Ergo id quod civiliter nõ existit, non potest nocere, aut prodesse.

An votum solenne invalidum dirimat matrimonium?

validum aut invalidum fuit. Si, primum: præstat impedimentum, quia de Iure sortitur effectum: si secundum, non præstat impedimentum, quia de Iure non sortitur effectum.

252 *An hæc Regula sit vera in diversis generibus?*

REGULA LIII. *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus.* Et cur? Quoniam totum est in possessione continendi suam partem. Hinc patet primò hanc Regulam ad idem genus limitari debere: quoniam claudicat, si inter diversa genera comparatio instituatur. Illam exemplis aliquibus dilucidemus. Sit primum in eodem genere. Nam si Ioannes habet ius veniendi bis in hebdomade ad hortum Petri; poterit, si voluerit, frui hoc privilegio semel in hebdomade. Sit secundum in diversis generibus. Plus est hominem à peccatis, quàm à debito pecuniario debitorem absoluere. At Sacerdos potest illud prius, & tamen hoc secundum non potest. Sed neque in eodem genere aut specie est semper hæc Regula vera: quia tametsi plura sint quatuor, quàm tria, si pœnitens quatuor mortalia ritè confessus sit, poterit & debebit Confessarius ab omnibus quatuor eum absoluere, nec poterit, à tribus eum absolvere, & unum relinquere.

An semper in eodem genere.

253 *Possessio pro priori contra posteriorem stat.*

REGULA LIV. *Qui prior est tempore, (potior) est Iure.* Et cur? Quoniam, qui prior est, adivit possessionem antequam alter superveniret. Ergo contra alterum (posteriorem) debet ipse in possessione conservari.

Hæc Regula ex quadragesimâ secūdâ etiam deducitur: nam Canonicatus res principalis est, quā sua onera & iura sequuntur: unde, qui illum obtineat, debet onera accessoria subire & iuribus accessoriis gaudere.

REGULA LV. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Nam, si Petrus Canonicatum possidet, debet in hac manuteneri possessione. At ex Canonicatu nascitur obligatio frequentandi chorum, & recitandi horas Canonicas: ergo illas in choro cum cæteris recitare tenetur. At eidem Canonicatui est adnexum ius recipiendi tales aut tales aunuos redditus. Ergo sicut propter Canonicatûs possessionem obligatione legendi Divinum officium oneratur, sic etiam ob eamdem debet habere commodum recipiendi correspondentes redditus.

254 *Cur, ut de re communi disponatur, debeant consentire universi?*

REGULA LVI. *In re communi potior est conditio prohibentis.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Res communis dicitur, quæ indivisa possidetur à multis: vel quia res ipsa est, in se indivisibilis, ut equus, qui in partes secari non potest: vel quia licèt divisibilis sit, nondum tamen legitimè divisa fuit. Præterea aliud est nihil innovari, & aliud aliquid innovari. Vnde si quatuor in possessione sint, ut innovetur aliquid, omnium illorum erit necessarius consensus: ut enim Regula XXIX. nos docet: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Atqui, ubi unus contradicit, non est omnium consensus. Ergo, ubi unus contradicit, nihil omninò poterit innovari. Stat igitur, *quod in re communi potior sit conditio prohibentis.*

Rerum aliæ divisibiles, & aliæ sunt indivisibiles.

Ex hac doctrinâ Corollaria deducuntur nonnulla, quæ ex aliis fundamentis non tam expedite decurrunt. Sane vetus rerum dominus, est Deus; nam ipse est universorum dominus per essentiam, quia, loquendo in dialecto Philosophicâ, *ipse in principio fecit cælos & terram*) & nos earum rerum, quarum domini dicimur, sumus domini per participationem: & nostrum dominium tametsi in suo genere verum sit, est umbra aut nihil cum Divino collatum. Docemur hoc à Sacris Literis nam Deus dicitur *Dominus* Psalm. 68.5. & 83.19. & 95.7. Esaiæ 42.8. & 45.5. Ieremiæ 32.2. Amos 5.8. & 96. Ephes. 6. 9. Colossens. 4.1. & 1. Timoth. 6. 15. Vocatur etiam *Regum Dominus* Daniel 2.47. & *Vniversorum Dominus* Deut. 20.21. & 1. Paralip. 29. vers. 11.12.13. & 2. Paralip. 20.6. & 36.23. & 1. Esdr. 1.2. & 5.11. Iob 1.21. Psalm. 24. 1. Ierem. 32.27. Zachar. 65 &c Ergo in rebus Deo & nobis communibus, si Deus prohibeat, à fortiori *potior erit conditio prohibentis.* Dico à fortiori; nos enim possidemus precariò, nam habemus dominium à Divinâ clementiâ derivatum, & Divino etiam subordinatum & subiectum imperio.

Deus est supremus omnium rerum Dominus.

Et omnes creaturas. Sic in dialecto Philosophicâ loqui debemus.

Quale sit humanum dominium, si cum divino conferatur?

Ergo has Consequentias inferamus, *Ergo in malis promissis fidem non expedit observari:* Et quid si promissio iuramento firmetur? *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.* Primam Regula LXIX. & secundam Regula LVIII. reponet. Porrò mala promissa & mali mores eos actus concernunt, quos Deus prohibet. Ergo, quia dominium humanum est subordinatum Divino: &, si subordinatum non esset, adhuc in re communi potior est conditio prohibentis, de rebus, quas Deus prohibet, nec est observanda, nec facienda promissio, nec iuramentum pronunciandū.

Consequentia ex Regulâ hac illata.

Nec contra istam doctrinam militant Iura Electionum, quæ à pluribus & non ab omnibus dicuntur fieri. Et cur non, inquis tu. Nam, si in Monasterio A. exempli gratiâ, ut Ioannes Abbas sit, suffragantur viginti, & contradicunt quinque; Ioanni Abbatialis dignitas conferetur, etiam invitis & contradicentibus illis quinque. Et, si aliquis Monasterij fundus in feudum Titio dari debeat: si præbeant suum consensum plures, dabitur fundus (qui est res communis) Titio & de pauciorum contradictione ratio minimè habebitur. *Non ergo semper in re communi potior est conditio prohibentis.*

255 *An, & cur à pluribus, & non ab omnibus Electiones fiāt? An in Monasterio ille sit Abbas, quem plures elegerint? An ille recepturus feudum sit, cui illud plures concesserint?*

Respondeo hanc Obiectionem esse fortem in illorum sententiâ, qui Vitæ communis fundamenta non penetrant. Quando electio fit per Compromissum: puta, si omnes Religiosi compromittant in Petrum, ut Abbas futurus ille sit, quem ipse denominaverit. Si Petrus denominet Ioannem; non dicetur à solo Petro Ioannes, sed ab universis electus: nam universi in Petrum, ut supponimus, compromiserunt. Ergo similiter, si in plurium suffragia compromiserint omnes, & plures vota sua dederint Ferdinando: iste erit Abbas: nec aliquis dicere poterit, Ego illum non elegi: omnes enim, nemine

De Compromisso.

De Electione per Religiosorū suffragia.

nemine dempto, compromiserunt, ut ille esset Abbas, cui plurium faverent suffragia

Quid dicendum de rebus sit in quibus non praecedit compromissio?

Firmat hanc doctrinam quodcumque aliud exemplum, si de materia sit, in quâ compromissio non detur. Nam, si in Monasterio tali sic permittente Regulâ & Statutis comendatur carnes, & proponatur in capitulo, An debeat admitti Quadragesimalis abstinentia? etsi assentiantur plures, non obstringentur pauciores; immò nec obstringentur his paucioribus invitis illi plures, *quoniam in re communi potior est conditio prohibentis.* Hæc doctrina clarissima est; quam, si penetrare voluisset meus Antoninus Diana, omisisset non pauca, quæ in cassum scripsit, se agere contra Caramuelem existimans.

An à Dianâ bene citetur, aut etiā impugnetur Caramuel?

An hæc Regula sit Iuris naturalis?

REGVLA LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet.

An leges de quarum intelligentiâ dubitatur obligent?

Hæc Regula non est arbitraria, aut ab humanâ voluntate dependens, est enim à rerum essentiâ desumpta, & ipsa hanc totam potest succollare Dialexin. Nihil profectò volitum, quin præcognitum: & quia homines, & non Angeli sumus, sicut debebo nescire an lex sit, nisi mihi dicatur: debebo similiter nescire, quid determinate debeam facere, nisi lex, quæ mihi Superior præcipit, exprimat clarè & determinatè. Ergo in lege illa obligant, quæ clarè & expressè dicuntur; illa autem, de quibus disputatur, non obligant. Hanc ob rem Aristoteles *lib.* 1. *Rhet. ad Theod. cap.* 1. monet Principes, ut leges clarissimas & determinatissimas ferant. *Maximè convenit*, ait, *ut quæ rectè posita sunt leges, cuncta ipsæ explicent, quæ explicari queant, & quàm minima Iudicibus relinquant. Primùm, quia unum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut indicare possint facilius est invenire, quàm multos. Deinde, quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia autem brevissimè conficiuntur.*

Quales leges sint ferēdæ à Principibus?

256 *An, & cur Iuramentum de re malâ non obliget?*

REGVLA LVIII. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Iuramentum.* Est definitiva: quia Iuramentum promissorium debet esse de re licitâ & honestâ: & poterit ad possessionem reduci: quia honestè vivendi obligatio est indispensabilis: ergo est sacrilegium Iuramentum de re, quæ sine crimine fieri non potest. Interim, sic discurre. Iuramentum disponendi de re alienâ (de donando equo Francisci, v. gr.) non obligat. At actus nostri liberi, sunt etiam Dei (immò veriùs illius, quàm nostri) ergo non possumus obligari iuramento ad aliquem actum, qui sit contra voluntatem Dei: At omnes, qui contra bonos mores sunt, etiam sunt contra Deum. Ergo non possumus iuramento obligari ad actus, qui fuerint contra bonos mores. Vide, quæ in expositione Regulæ LVI. sunt dicta, & quæ in Regul. LXVIII. dicentur.

Omnes actus hominum liberi titulo supremi dominij sunt Dei.

REGVLA LIX. *Dolo facit, qui petit, quod (si fortè receperit) restituere oportet eumdem.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Si enim hæc chlamis, quam habeo, mea est, iniustè illam tibi dari in Iudicio requires: nam si petieris, & qualitercumque obtinueris, cùm primum locum habeat Iustitia, ut eam mihi restituas in iudicio iusto condemnaberis.

Alienā postulat, qui illa ipsa restituturus est, si obtineat.

257 *Moræ interdum habent causas legitimas.*

REGVLA LX. *Non est in morâ, qui potest exceptione legitimâ se tueri.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Si enim Antonius contra Franciscum conqueratur, quod morosus debitor sit, iniustè conquerētur, nisi & debitum liquidum sit. Nam Franciscus est in possessione suæ pecuniæ, nec illam debet Antonio numerare, donec constet, se illam dare debere.

258 *Non potest dici gratia, quæ aut necessariò datur, aut necessariò recipitur.*

REGVLA LXI. *Quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Est definitiva: nam gratia & necessitas opponuntur. Vnde, sicut non potest gratia dici, quæ necessariò datur: sic nec potest, quæ necessariò suscipitur: nam gratiæ petuntur & conceduntur; ut recipienti faveant; non ut noceant. Hanc doctrinam ita extendunt Theologi, ut universaliter asserant privilegiatum uti posse privilegio & non uti: quamobrem interdictus, si habeat Bullam Cruciatæ, audire quidem missam poterit, quia hoc concedit Bulla: & tamen poterit nolle uti privilegio, & missam omittere. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 80. Cotonius *in Summ. verb.* Missam audire *num.* 17. & alij. Poterit igitur sic in casu discurrere. Ego publicato interdicto sum in possessione non habendi obligationem audiendi Missam. Debeo ergo in hac ipsâ possessione manuteneri, quousque superveniat ratio efficax, quæ hanc ipsam possessionem dirimat. At Cruciatæ Bulla non est talis: nam eius acceptatio à meâ voluntate dependet. Ergo nullam habeo Missam audiendi obligationem.

An interdicti tempore, qui habet privilegium, teneatur audire Missā?

259 *Cur nemo qui sincerè protestit possit ex consilio obligari?*

REGVLA LXII. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Porro antequam tibi consilium hoc vel illud dedissem, eram in possessione non habendi illam obligationem, quam mihi conaris imponere post datum & receptum consilium. Ergo in illâ ipsâ possessione manuteneri debebo, donec superveniat sufficiens ratio, ob quam possim aut debeam huiusmodi possessione privari. At nulla sufficiens intervenit. Ergo. Probatur minor. Quia illud ego suggessi bona fide, magna spe: *Et caret effectu spes bona sæpe suo.* Et, si res non successit ad votum, doleo; at ego non me obligavi, ut te indemnem redderem, si res contra votum succederet: &, si me in talem voluisses obligationem inducere, ego noluissem tibi dare consilium.

An quis ex cōsilio fraudulento obligetur?

Interim, quod in sincero & pio consilio locum non habet in fraudulento habere debet. Quoniam, si tibi malo animo rem rationi dissentaneam consuluissem, sciens &

& volens tibi nocuissem, & ad restitutionem tenerer,

260 *Quid sit Exceptio, si Grammaticè, aut Iuridicè vox accipiatur?*

REGVLA LXIII. *Exceptionem obiiciens, non videtur de confessione Adversarij confiteri.* Vox *exceptio* Iuridicè & Grammaticè sumitur: & Grammaticè sumpta constituit Propositionem, quam *exceptivam* appellant: & Iuridicè sumpta est defensio per quam reus se tuetur & defendit ab actore. Azo. *de Summ C. de except.* & ideò sæpe in Iure nominatur *defensio.* & in alterutrâ vocis acceptione Regulâ verificatur

Exceptio facti.

Agamus priùs de exceptione Iuridicâ. Alexander Scot. *in vocab. utriusque Iuris.* [Quandoque ponitur largè & impropriè pro omni defensione prout reo competit, etiam si nulla actori competit actio, & tunc quidam vocant eam *exceptionem facti*, ut quando sine actione quis calumniosè petit: sed Azor. vocat eam *exceptionem intentionis.* Et de exceptionibus intentionis quæ sint *not. ff. eod tit. l. 1. in princip.* & *l. 2. §. illud.* & talis non potest de Iure experiri; quia nemo potest experiri sine actione, & cum tunc nulla sit actio, nulla potest dici actionis exclusio; sed dicitur contra intentionem actoris defensio, ut quando quis in aliquo instrumento obligat ut ad aliquid sine exceptione iuris vel facti: sensus est, quod contra hoc nullam faciat exceptionem de iure vel de facto, *&c.*

Exceptio intentionis.

261 *Quæ & qualis defensio sit illa, quæ vocatur Exceptio?*

Strictè verò & propriè exceptio ponitur pro illa defensione, quæ competit reo contra actionem competentem in eum, & sic dicitur *actionis exclusio* & hæc est exceptio Iuris; ut, si petis à me debitum, & ego excipio, quod remisisti mihi, vel quod fecisti mecum pactum de non petendo, vel quod non venit, dies præfixus. Et sumitur utraque exceptio D. *eodem tit.* 1. 2. 1. *respons.* & §. *replicationi*, &c.] Quamobrem, si tu debitum petas, & Ego excipiam, stando rigori huius Regulæ, non videbor assertionem tuam, seu confessionem tuam confiteri; sed eam potiùs diffiteri & negare. INTERIM, quia ad Ius naturæ, & Veracitatem pertinet hæc ipsa Regula, auderem eam corrigere, & delere illud *non.* ita ut oppositum sensum exhibeat: & sit, *Exceptionem obiiciens, videtur de confessione adversarij confiteri.* Et te constituo Iudicem; &, ne mutem exempla, in tuo Tribunali easdem causas, quas præponebas, agitari suppono. Nam, si Ioannes petit à me centum aureos, quos receperam mutuo: Claudius equum, & Franciscus vestem, quam commodaverat: si ego omnia nego, & me nec à Ioanne pecunias, nec à Claudio equum, nec à Francisco vestem recepisse assevero, actoribus (seu postulantibus) incumbet obligatio probandi, & ego tantummodo respondere debebo: cæterùm, si ego dicam, *Verum quidem est, quod centum aureos mutuos à Ioanne receperim, sed iam illos solvi. Equum sanè Claudius mihi commodaverat priùs, sed posteà donavit: & licet mihi vestem commodaverit Franciscus, posteà se nunquam illam petiturum promisit.* Si ego

An corrigi debeat hæc Regula?

262 *Tres actiones, exempli gratiâ, contra me proponuntur.*

Contra illas exceptio.

inquam, sic respondeam, onus in me adsumo exceptionis probandæ; &, si illam non probavero, & aureos Ioanni, & equum Claudio, & vestem Francisco restituere debebo. SED PERGAMVS, dicamus posse Regulam, prout iacet, & posse nostram correctionem, si rem bene intelligas, verificari: nam Ioannes in actione illâ suâ duo dicit, & se dedisse mihi mutuò centum aureos, & me illos sibi debere: & quando ego exceptionem obiicio, priorem adversarij confessionem confiteor, & posteriorem, non solùm non videor confiteri, sed nego absolutè & expressè.

Et, quid, si exceptionem non probem?

Regula, & correctio adductæ conciliantur.

Proderit audire D. Franciscum Verde, Virum sanè doctissimum, qui in sui Tyrocinij lib. 4. lemm. 4. pag. 14 . à n. 1421. sic inquit. [Caveat Reus, ne suâ exceptione firmet Actoris intentionem; Sic esset, si Actore petente mille, opponeret. Exceptionem compensationis, præscriptionis, solutionis, pacti de non petendo. Nam eo ipso fatetur se esse debitorem, & consequenter, si ipse non probet solutionem, pactum de non petendo, præscriptionem, compensationem, succumbit. *Bart. in l. non utique* 12. D. *de Except.* Et sic meliùs est negare debitum. Nam reverà non est Debitor, qui soluit, qui præscripsit, &c. dicendo. *Non sum debitor; quod, si ipse probaverit, me aliquo titulo debitorem, ex nunc pro tunc oppono omnes exceptiones peremptorias in formâ, & in specie compensationis, præscriptionis.* &c. Isern. *de usib. feud. c. 1. col. fin. v. si Exceptio.* Quòd verò Exceptione solutionis quis debitum fateatur, patet *ex l. siquidem.* 9. C. *de Except.* Marcus *dec.* 842. *n.* 1. Idem de compensatione ait Bald. *in l. cum Papianus n.* 8. C. *de sent. om. Iud.* Damhad. *in pract. civil. c.* 136. *n.* 8.]

263 *Interim semper videtur in ipsâ illud non irrepsisse.*

An præstet negare absolutè debitũ, quàm contra illud excipere?

Qui in casu debitum negat, non mentitur.

Cæterùm si vocem Exceptio sumere velimus in rigore Grammatico, contra præsentem Regulam militabit alia communis & recepta: videlicet. *Exceptio firmat Regulam in contrariam.* Et, qui cautè loquuntur, quia subiunctivo & non Indicativo utuntur, tollunt omnem difficultatem, Propono hunc casum. Principi N. promiserat Ludovicus se daturum Ecclesiæ tuæ pulchram S. Ioannis statuam: & tamen omnes eius statuas, quæ multæ & pretiosæ sunt, Antonius, contentiosæ, & nondum satis probatæ donationis titulo usurpare conatur. Contendebas S. Ioannis statuam non fuisse donatam Antonio, Et quia inter alias rationes quibus Ecclesiæ tuæ ius firmare & promovere conabaris, usus fuisti Regulâ LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Non enim verisimile erat, voluisse Ludovicum violare fidem datam Principi. Et statim adsumit Antonius & ait. *Exceptio firmat Regulam in contrarium:* At hic exceptio inter res donatas mihi obiicitur: ergo donatio admittitur: ergo non est dubitandum de re quam mecum etiam adversarius confitetur. At tu nil omninò te confiteri, ais: sed dicere, *donationem illam esse validam, aut invalidam*, hoc enim alij examinent, quoniam

An Exceptio firmet Regulam in contrarium?

264 *De Universalitate Morali.*

Differt à Logicâ, nam exceptionem illatâ veritate patitur.

An, qui unũ casum excepit, quoad cæteros admittat Regulam generalem?

niam tua non intereſt: hoc enim ſolùm aſſeris, nimirùm, *Eamdem donationem, etſi eſſet valida, S. Ioannis ſtatuam non concernere; eſt enim generalis, & in generali donatione non poteſt venire illa ſtatua, quam Ludovicus, ſi in ſpecie rogaretur, donare Antonio non auderet.*

265 *Et hac omnia, quæ diximus, in doctrinâ poſſeſſionis fundantur.*

Hæc etiam Regula ad poſſeſſionem reducitur. Quia *non eſſe* donationis in exemplo poſito erat in poſſeſſione: & ideò manuteneri debet, donec ſuperveniat ratio, quæ præiudicet. At exceptio (& præcipuè, ſi per ſubiunctivum proponatur) poſſeſſionis confeſſioni non præiudicat. Debet igitur manuteneri. Ergo primò Antonius generalem illam donationem fuiſſe veram & validam perſuadere tenebitur: & poſteà habebit locum tua prætenſio, & probabis in generali illâ Statuarum donatione non includi Sancti Ioannis Statuam.

Legum aliæ præcipiunt, & aliæ interdicunt; & harum aliæ merè impediunt, & aliæ dirimunt.

REGVLA LXIV. *Quæ contra ius (dirimens) fiunt, debent vtique pro infectis haberi.* Et cur? Quia *non eſſe*, eſt in poſſeſſione, & debet illa manere, donec ſuperveniat ratio ſufficiens, quæ illud a poſſeſſione deturbet. At violari Iura dirimentia non eſt ratio ſufficiens, ut aliqua valide exiſtant; Ergo quæ non erant in ſuo antiquo *non eſſe* adhuc manere cenſenda ſint? Conſultò iura dirimentia ab impedientibus diſtinxi: ſunt enim multæ leges, contra quas illicitè ſed valide opereris, & ſunt aliæ contra quas opereris illicite & invalide, verbi gratia, Ne quis voto Caſtitatis obſtrictus vxorem ducat præcipit Apoſtolica Sedes; &, ſi votum ſolemne ſit, Ius erit dirimens, ſi votum ſit ſimplex, Ius erit inhibens & merè interdicens. [*Et hic obiter nota*, hanc ipſam Regulam eſſe identicam, & idem per idem proferre: nam æquivalet huic, *Quæ fiunt contra leges, quæ decernunt, ut quidquid contra ſeipſas fiat, infectum ſit, debent utique pro infectis haberi.*]

266 *Et omnium aliarum baſis & fundamentum.*

REGVLA LXV. *In pari delicto vel cauſâ melior eſt conditio poſſidentis.* Eſt certa: & quæ omnes præceptivas ſuccollat, ut hucuſque probavimus, & impoſterum etiam ſuadebimus. Et ideò, ut ſub initium diximus, primo ipſa loco collocari deberet.

267 *An hæc Regula in Civilibus verificetur*

N. B. Sæpe ponũtur cõditionat, quæ alienam voluntatẽ, ſæpe, quæ cauſas contingenes concernunt, & licet ſine culpâ tuâ eas non impleri cõtingat, non tamen cenſebuntur impletæ.

REGVLA LXVI. *Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quomodo conditio impleatur,* (Si agatur de culpâ) *haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.* Et cur? Quia ad impoſſibile nemo tenetur, ut Regula v i. nos docuit.

Hæc Regula ad Ius criminale, non autem ad Civile pertinet; & ſi enim non poſſit criminis accuſari, aut notari, qui non purificavit conditionem, quam purificare non potuit: interim contractus conditionatus non ſtabit, ſi contingat (undecumque hoc proveniat) conditionem non poni. Si enim cum Rubenio (pictor eſt celeber) convenero: & me centum aureos daturum promiſero, ſi in tabulâ mihi imaginet Cæſarem, non tenebor, donec perfecta ſit pictura: & tametſi in morbum ille incidat, & illam non poſſit abſolvere, non ideò habebitur conditio pro impleta.

REGVLA LXVII. *Quod alicui non licet ſuo, nec alieno nomine licebit.* Tres ſunt Regulæ (videlicet, hæc LXVII. necnon LXVIII. quæ immediatè ſubjicitur; LXXII. quæ ſtatim ponetur) quæ ſunt connexæ, & componi & ſimul explicari debent. Hæc præſens actiones perſonales, aliæ duæ communes & non perſonales concernunt. 268 *Regularum & doctrinarum ab illis deductarum connexio.*

REGVLA LXVIII. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.* Suas patitur limitationes, ut in expoſitione Regulæ LXXII. dicemus. Et eſt manifeſte falſa iſta Regula, quando agitur de multis juribus, quæ ad alios derivari non poſſunt. Nam Epiſcopus non poteſt per ſimplicem Sacerdotem ordines majores conferre, quos tamen poteſt per ſe ipſum. Et Parochus, qui per ſe ipſum audit confeſſiones & miſſas celebrat, neutrum poterit facere per Sacriſtam, ſi hic Sacerdos non ſit. Et Beneficiatus, qui Canonicas horas legendo ſatisfacit, non ſatisfaceret obligationi, ſi illas legeret per famulum, vel per amicum. *An omnia per procuratorẽ poſſint fieri*

REGVLA LXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* Eſt definitiva: & deberet immediatè poſt Quinquageſimam-octavam conſtitui: quoniam eſt invalida & illicita contra bonos mores promiſſio, &, ſi firmetur iuramento, Sacrilega: & quia invalida eſt, ſicut iniquè fit etiam iniquè obſervaretur. Vide, quæ in Regulæ LVIII. expoſitione diximus: & quo eamdem modo doctrinâ de Poſſeſſione ſuccollavimus. 269 *Huius & Reg. LVIII connexio.*

Hæc Veritas non ſumitur à Principum Placitis: eſt enim naturalis & à Decalogi lege proveniens. Et quidem non omnem promiſſionem eſſe validam, cognoverunt, & aſſeruerunt etiam Ethnici. Ingenioſè *in Aul. ſcen. 4. act. 1.* Plautus *Pactum non pactum eſt; non pactum eſt, quod vobis* (divitibus) *iubet.* Sed quid ſignificat pactum *non pactum*? Pactum non obligatorium; quod, tametſi proferatur ore, ob circumſtantias adjacentes non obligat. Contra bonos mores bifariam poteſt pactum iniri. PRIMÒ ſi quis ad paciſcendum per fraudem cogatur: rationi enim & bonis moribus diſſonum eſt, conſenſum per dolum extorquere ab invito: & ideò omnis contractus, qui fraudem & violentiam involvit, defectu conſenſûs eſt nullus. Ex Cicerone 3. Offic. *Stat, Pacta & Promiſſa ſemper ſervanda eſſe, quæ nec vi nec dolo (ut Prætores ſolent dicere) facta ſunt.* Et hanc ob rem *ibid.* clamat *Regulus non debuit conditiones, pactionéſque bellicas & hoſtiles* (Hiſp. *los articulos de la paz*) *perturbare periurio.* [Conſultò ſemper violentiæ dolum fraudémve adiunxi: nam ſtando Iuri Naturali ad valorem contractuum ſufficit naturalis libertas, quæ ſæpe reperitur, ubi non eſt civilis. Et ſtando Iuri Humano (Pontificio Cæſareo) erunt adhuc contractus validi, quos Canon expreſſus, aut lex manifeſta non dirimit.] SECVNDÒ, violat

An Gentiles ſolius naturalis luminis ductu cognoverint, non omnes promiſſiones eſſe validas?

270 *Omnis contractus per violentiam extortus, ſi deſit conſenſus, eſt nullus*

Et quid, ſi adſit cõſenſus, ſed coactus?

violat bonos mores Promissio, si est de re mala. Hanc profectò doctrinam ignorabat (aut veriùs, scire non volebat) Herodes Antipas, Herodis filius, qui erat Regulus (τετράρχης) in Galilæâ de cuius vecordia apud S. Matthæum 14. 6. hæc lego: *Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare, quodcumque postulasset ab eo, At illa, præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ, & contristatus est Rex: propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari. Misitque & decollavit Ioannem in carcere Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ: & (ipsa) attulit matri suæ.* &c. Nota illa verba *contristatus est Rex*: Ergo non prævidit Herodes, tam atrox facinus, & à puellâ præcipuè peti posse: & ideò posset & deberet reponere; *In generali promissione non veniunt ea, quæ ego certissimè essem negaturus, si in specie peterentur.* Deberet addere. Est cõtra bonos mores innocentẽ damnare; & *Iuramentum, quod est contra bonos mores non obligat.* Potuissetque subiungere hanc veritatem tam esse certam claràmque, ut & ab Ethnicis Solo lumine naturæ præditis, fuerit asserta, quoniam Cicero *Philippic.* 8. declamat, *Scelerum promissio, & iis, qui exspectant, perniciosa, & iis, qui promittunt.* Et hinc ad puellam versus, debuisset, nisi esset mente captus, dicere, Caput tibi Ioannis non promisi: & si promisissem, illud adhuc tibi negare debeo, *nam in malis promissis fidem non expedit observari.* Nota etiam illa verba: *iussit, misit, decollavit.* nam realiter loquendo Herodes iussit, misitque; at non ipse, sed Satelles Ioannem decapitavit. Interim Herodes civiliter illum decapitavit, *quia potest quis per alium facere, quod potest facere per seipsum.* Et hanc ob rem, tametsi per alium Ioannem Regulus decapitaverit, decapitasse à Sacro Historiographo dicitur, *quia qui facit per alium est perinde* (prudentum æstimatione & iudicio ita se habet) *ac si faciat per se ipsum.* Et doctior fuit Herode Cicero, qui *lib. 3. de Offic.* sic definit. *Nullum vinculum ad adstringendam fidem Iure Iurando Maiores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII. Tabulis, indicant Sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum honestate devincitur Fides; indicant notiones, animadversionésque Censorum, qui nulla de re diligentius, quàm de Iurejurando iudicabant.* Ecce Fides in Iuramento cum honestate vincitur, quoniam contra honestatem Fidelitas esse non potest.

Atrox crimen commisit Herodes quod crederet promissionẽ esse servandam, & omne iuramentum esse implendũ fuaverit.

Esse à puella petendum Ioannis Baptistæ caput non prævidit.

Regul. 81.
Non obligat contra bonos mores promissio.
Regul. 38

Et contra eũ, qui promittit; & contra eum, qui petit, militat scelerata promissio.
Reg. l. 63.

De causâ efficiente morali.

Regul. 68.
Qui facit, censetur per aliũ facere, per se operatur virtualiter.
Reg. l. 72.
Quàm strictè homines Iusiurandũ devinciat?

An Fidem postulat & honestatem?

Hac Herodis historiâ utor, in Regularis Theologiæ Prologo: cuius Artic. III. *Geometricis fundamentis insistit, agitque de Moralium Opinionum delectu: & demonstrat obiter, sententias quò magis stricta sint, laxiores esse.* Vide *pag* 34. §. 2. *num.* 154. Sanè Prudentia ait Virtus ut S. Thomas 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 2. *ad* 3. & ex eo Dn. Augustinus Redingus *tom.* 2. *quæst.* 9. *art.* 4. *controvers. num.* 8. *pag.* 153. *b.* & alij testantur. At Virtus consistit in medio: quoniam

N. B.
Quia hac Herodis sententiâ in Theol. Regul fui usus, ut ostenderem nimis strictas opiniones nimis laxas interesse, in clariùs hoc

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque vetat percurrere Verum;

Et ideò inter sententias strictas laxasque *medius, tutissimus ibis.* Porrò Herodes circa obligationem, quam promissio, si firmetur jurejurando, inducit, habuit strictiorem sententiam, quàm par erat: nam omne omninò juramentum impleri debere, opinabatur. Et quò per hanc strictissimam sententiam pervênit? Ad Sacrilegumnam Prophetam innocentem occidit. Hanc consequentiam in loco citato edisserui; hic aliam, ut idem probemus, addamus.

esse verum Lector videat, aliud exemplum in materia ieiunij propono, in quo ex strictâ sententiâ nimiæ absurdæ eveniunt.

Petitur. *An abstinentia à carnibus sit de essentiâ jejunij?* Sunt duæ sententiæ, affirmativa & negativa. Hanc apud Pasqualignum *in Summ. decis.* 41. *num.* 2. Baldellum *in Theol. Mor. lib.* 2. *disp.* 18. *num.* 18. Leandrum *tom.* 3. *tract.* 9 *disp.* 2. *quæst.* 3. & alios. Tenet Corduba *in Summ. quæst.* 143. asserens in Ecclesiasticis jejuniis esse duo præcepta alterum de formâ jejunij, & alterum de abstinentiâ à carnibus Leander *loc. cit.* oppositam sententiam *certam* vocat, & ex probatione, quâ utitur, constat illum adlucinari; argumentatur enim sic. [De essentiâ jejunij Ecclesiastici est illud sine quo, etiamsi cætera adsint, subsistere nequit. Sed sic est, quod sine abstinentia à carnibus nequit subsistere jejunium Ecclesiasticum. Ergo abstinentia à carnibus erit de essentiâ illius.] Et non est quæstio, an peccet mortaliter, qui die jejunij meridie carnes comedit, & collationem sumit vespere; sed, an sint duo præcepta separabilia, an unicum omnia comprehendat? Qui dicunt unico præcepto omnia comprehendi, sententiam strictiorem sequuntur, Corduba benigniorem modo videamus consequentias aut etiam inconsequentias, quas ex strictâ illa opinione bona Logica necessariò deducit.

De abstinentiâ à carnibus. An ad essentiâ Ecclesiastici ieiunij pertineat?

An dentur duo præcepta diversa; alterum de con estione unicâ & alterum de abstinentiâ à carnibus

De strictiori sententiâ.

Quæritur, *An, qui ob præsentem infirmitatem comedit carnes, eximatur à ieiunio?* Vt quæstionem intelligas, adnotato in aliis morbis qualitatem ciborum, in aliis quantitatem attendi: nam, si pisces & lacticinia ægroto noceant, & dicta juvet, tunc morbus carnes postulat, cœnam non postulat. In hoc itaque casu, posse ægrum vesci carnibus, sed debere semel in die comedere. & formam jejunij observare asserunt Graffius 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 58. Pedraza, Medina, Valentia, Ledesma, Fernandez, Nider, Ludovicus de S. Iuan, & Navarrus, quos omnes *decis.* 267. adducit Pasqualigus. Et eorum ratio est, quia in jejunio Ecclesiastico sunt duo præcepta, alterum circa quantitatem ciborum, & alterum circa qualitatem: & quia morbus solùm postulat, ut dispensetur in uno, alterum debet observari. Eum tamen qui carnes ob morbum comedit, posse cœnare, & quoties in die voluerit cibum sumere ex contrario fundamento asserit Leander *tom.* 3. *tr.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 32. *pag.* 191. *a.* quia est unicum præceptum, & quoad partem non obligat, si totum

Distinctio valde notanda: nam alij agri ciborum qualitate, alij quantitate indigent.

An, qui comedit carnes teneatur jejunij formam observare?

totum non possit servari. Hanc eamdem sententiam habet Angles *in Florib.quæst.9. de ieiun.art.1.diff.9.pag.430.* Sancius, Layman, Vivaldus, & alij. At ego hic cum solo Leandro disputabo. Duas rationes adducit; & est *Prima.* Quia ratione præsentis infirmitatis iustam habet causam pluries vescendi carnibus, cœnandi, &c. Ergo omninò est liber à ieiunio. *Secunda.* Quia abstinentia à carnibus est essentialis ieiunio, Ergo, qui opus habet carnibus vesci, ad ieiunij onus non devincitur. *Respondeo ad primam*, asserendo esse evidenter falsum antecedens, nam directè casum & hypothesim destruit. *Ad secundam respondeo*, bene illam consequentiam ex antecedenti deduci, adeoque tam fore certam hanc, quam illud, & contrà. At *tract.5. disput.2.quæst.3.* antecedens esse certum dixerat; & hic consequentiam esse probabiliorem asserit: non ergo bene Leander modos istos deducit. *Præterea*; reprehendit Pasqualigum, quod Navarrum pro oppositâ sententiâ citaverit, & ait. [Navarrus nullo modo loquitur de illo qui est dispensatus in esu carnium; sed de illo qui est dispensatus, ut pluries in die ieiunij, quàm semel comedat, quod longè diversum est.] Sed cur longè diversum? Nam si unicum est præceptum tantummodò, si ille qui carnes comedit, potest pluries, in die comedere, etiam ille, qui potest pluries, carnes potest: vel assignetur disparitas. Si autem sunt duo præcepta, corruit Leandri sententia & ad benigniorem reditur.

An Leander loquatur cõsequenter.

Ex antecedente certo, si bona sit Logica, certa & non probabilior cõsequẽtia deducitur.

An Leander illa duo præcepta separet & distinguat?

Posse comedere carnes, qui die ieiunij cœnare possunt falsum est.

Nolo ulteriùs progredi, nam solùm in illo olim Prologo, & modò hic insinuare volui, strictam nullam esse sententiam, ex qua laxæ aliquæ non inferantur. Nam sunt plurimi casus in quibus in die ieiunij cœnare, aut etiam pluries comedere liceat, in quibus tamen non licere carnibus vesci certum est.

271 Regula LXX. *In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterutrum adimpleri.* Et cur? Quia debitor est in possessione, & ipse debet manuteneri. Cùm igitur non detur ratio, ob quam cogi possit: ut hoc potiùs det, aut præstet, quàm alterum, eius relinqui arbitrio debet, ut ex duobus illud det aut præstet, quod voluerit.

Est in disjũctivis tenes debit. ri electio.

Regula LXXI. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.* Et cur? Quoniam manutenetur is qui possidet. Huic Regulæ adiungi debet illa *Accessorium sequitur suum Principale*: quæ prostat *num.* 42. vnde sic arguo. Petrus, v. gr. est ad agendum admissus. Ergo acquisivit actuale ius, & est in possessione actionem suam instituendi & promovendi. Ergo, quia accessoria sequuntur rem principalem, & res nunc principalis actio est, poterit omnia ea facere & præstare, quæ accedant, omnia nimirùm, quæ censebuntur necessaria aut utilia ut suam actionem legitimè prosequatur. At inter cætera utilia aut necessaria ab omnibus recensetur Exceptio. Ergo, qui ad agendum admittitur, admitti ad excipiendum necessariò debebit.

An actor possit etiam excipere?

Regula LXXII. *Qui facit per alium perinde est ac si faciat per seipsum.* Conjungi volui Regulam LXVIII. primo loco, hanc LXXII. secundo: & tandem tertio LXVII. Et quia omnes sunt definitivæ, proderit paucula subnotare. Pronuncio Humana Iura in Personalia & Non-personalia, seu Non-delegabilia & Delegabilia dividi. Si agamus de Iuribus Personalibus non habent locum istæ Regulæ: si de Non-personalibus, verificantur. Et, ut res meliùs intelligatur, ponatur primum exemplum in consumatione matrimonij, de quâ falsum est dicere, *Potest maritus matrimonium per alium consummare, sicut potest per seipsum.* Et etiam est falsum dicere, *Qui per alium consummavit matrimonium, perinde est ac si consummasset per seipsum.* Et hic esset verum dicere, *Cui non licet fœminam proprio nomine tangere, nec alieno licebit.* Hæc autem doctrina, quæ apud Christianos est notissima, apud Ethnicos suas patitur difficultates; Arabes enim, quos Agarenos, & Ismaëlitas dicimus, quòd ab ancillâ Agare per Ismaëlem eius filium proveniant, se *Saracenos* vocant, Et à dominâ ortos esse contendunt; quod Agar Saræ nomine cum Abrahamo convenerit, & Saræ etiam nomine conceperit, pepereritque. Ait enim Sacer Textus. *Igitur Sarai uxor Abraham non genuerat liberos, sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar dixit marito suo, Ecce conclusit me Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illâ suscipiam filios.* Et iubent considerari illud verbum *suscipiam*: ut non Agarem, sed Saram ex Agare filium suscepisse contendant. [Scio Fullerum aliunde deducere *Saracenorum* nomen: sed Arabes sunt in possessione huius derivationis, & de illâ animosè gloriantur. Ergo aliam sibi suaderi non permittent.]

272 *Iura vel sunt cõmunia vel personalia, vel officialia: priora conveniunt universis, altera personam, ultima dignitatem aut officium sequuntur.*

An per vicarium matrimonium consummare quis valeat?

Gen, 16. 1.

Cur Agareni seu Ismaëlita Saraceni dicantur.

An debeat Fullerus audiri.

Ponatur secundum exemplum in Ieiunio. Si enim quæramus, *An ieiunij præceptum possit adimpleri per alium?* Affirmat Hugo *in cap. Presbyter. dist.82.* cuius sententiam refert, & approbat Glossa *in cap. Pœnitentia d.4. verb.puniens in se.* ait enim, Patrem optimè posse ieiunium implere per filium, & argumentum quod adducit æquè probat filium satisfacere posse per patrem. Eius verba sunt hæc [Argumenmentum expressum, quod quis non potest ieiunare per alium, licèt contrarium dixerit Hugo. Sed quidquid sit de aliis, videtur, quod per filium bene possit quis ieiunare, quia eadem persona censetur: ut 35.*quæst.3. §. Hac authoritate.* Et magis terrentur patres in filiis, quàm in se ipsis, *ff.quod metus causa, leg.isti quidem, §.ultim.*] Sed quidquid Hugo, & Author Glossæ dixerint, eorum hodie videtur antiquata opinatio; nam universi asserimus, ieiunandi obligationem esse personalem, & impleri non posse per alium.

An possit aliquis ieiunare pro alio?

An filius possit ieiunare pro patre, & contra?

Pater & filius sunt eadem persona moraliter.

Ponatur tertium exemplum in Officio Divino, nam præscindendo à præcepto Canonico, Beneficiatus, qui tenetur horas quotidie

An, & cur Beneficiatus, sicut

missas, sic etiam horas non posse legere per alium.

quotidie recitare, & tot missas in hebdomade legere, sicut has per alium solet legere, ita etiam illas per alium possit recitare. At hodie sic statuente Ecclesiâ recitandi horas obligatio est personalis, & non potest per Vicarium impleri. Si autem interroges, *An, Beneficiatus, qui studio literarum incumbit, satisfaciat recitando per alium?* Affirmativè respondebant antiqui: Abbas, Landulphus, Petrus & Lucas de Penna apud Sanchez *lib. 2. cons. cap. 2. dub. 62.* qui etiam addit, Lopez, Gregorium, Sylvestrum, Angelum, & Rosellam huic favere sententiæ, nam oppositam tutiorem vocant, illam igitur tutam putabant. At illam tu improbabilem esse pronuncias.

An possit saltem, si in literarum studio sit occupatus?

Votum solenne, si succedat, dirimit matrimonium.

REGULA LXXIII. *Factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, in quo non potuit inchoari.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Multa enim essent impedimento, ne res fieret; quæ, si superveniant, non habent vires, ut factum legitime dirimant. Professio enim solennis, v. g. futurum matrimonium dirimit, quicumque enim matrimonialis contractus post solennem professionem initus, est invalidus & nullus: Cæterùm, si post matrimonium cōsummatum, sequatur solennis professio (valida sit, aut invalida) semper manet in suo pristino valore matrimonium: licèt ita ligetur voto, ut eius usus iam sacrilegus sit.

Quid. si sequatur?

273 *Sunt varia concessionū genera.*

REGULA LXXIV. *Quod alicui gratiosè conceditur, non debet trahi ab aliis in exemplum.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Ut intelligas Regulam adnotato concessiones esse in duplici differentiâ: aliæ enim sunt in materiâ liberâ quæ possent fieri, vel omitti; aliæ autem fiunt in materiâ præceptâ, & vel ipsæ dispensationes sunt, vel dispensationem comitantur. At neutræ ab aliis possunt in exemplum adduci. Non illæ (quæ in materiâ liberâ) quia est in possessione libertas, & debet manuteneri, donec superveniat ratio quæ præiudicet: At concessio gratiosa est libera, & minimè præiudicare potest: Ergo. Non hæ (in materia præcepta) quia lex est in possessione, & dispensatio quæ conceditur uni vel alteri, vel conceditur liberè, nempe in casu, quo poterat negari: vel conceditur necessariò, in casu, quo negari non poterat. Si primum, nec legis possessioni, nec Superioris præiudicatur libertati. Si secundum, aliis subditis si eædem circumstantiæ succurrant, similem Superior tenebitur concedere dispensationem; quoniam illius per illas circumstantias limitatur aut determinatur authoritas.

Liberæ in exemplum non trahuntur.

Necessaria per rationem identitatē ducuntur.

274 REGULA LXXV. *Frustra fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.* Porrò fides est contractus qui utrumque obligat: est vinculum, quod utrumque obstringit. Et exemplum ponendo in Physicis. Si Petrus & Ioannes uno & eodem cingulo vinciuntur, alterutro frangente cingulum, manet uterque liber. Idem dicito de fidelitatis contractu; utrumque obligat: sed, si ab alterutro frangatur, neutrum obligat.

Fides in cōtractu servanda est similis cingulo, quod duos devincit. Si rumpatur, uterque solvitur.

Regulæ ratio fundamento possessionis insistit: nam ante contractum erat in possessione libertas faciēdi aut omittēdi illud, de quo contrahitur. Ergo hæc ipsa libertas manuteneri debet, quousque superveniat ratio, quæ ipsi præjudicet. Talis est contractus; Ergo, quamdiu ille permanet, cessat possessio. At alterutro violante fidem, revertitur sopita possessio: & ille, cui violata fuit fides, poterit, aut pristinâ libertate gaudere, aut alterum iure cogere, ut contractum observet.

Libertas per contractum restringitur.

Ad majorem Regulæ intelligentiam, adnotato, esse aliquos contractus indissolubiles, in quibus fides est frangenti servanda. Talis est Matrimonialis, nam uxor tenetur fidem servare marito adultero, nec est ratio, ut ipsa fidem frangat, quod alter fregerit. Et idem de marito dicendum est: nam etsi fuerit lapsa fœmina, maritus non potest ad fœminas alias accedere.

An dentur contractus indissolubiles?

An ad illos Matrimoniū spectet?

Præterà, sunt personæ altioris ordinis, quæ etiam frangenti fidem, fidem servant: tales sunt Imperatores, Reges, Principes: tales sunt coronatæ Reipublicæ, & clarissimæ communitates: quæ absunt à rigore plebæo, non enim omnia, quæ licent, expedire videntur. Proderit referre hanc historiam. Cornelius Asina Consul Romanus ad Pœnos missus contra Ius gentium captus & vinctus fuerat. At fortunâ mutatâ & classe potentissimâ apud Siciliam, aliis navibus captis, & aliis submersis, amissâ, iure Carthaginenses pacem cum Romanis decernunt. Legatósque Hannonem & Amilcarem nominant. Non vult Amilcar legationem suscipere, ne Romanis præberet, unde Cornelio satisfacerent. At Hanno, non obstante periculo, profectus est. Cùm autem liberiùs, quàm aliqui vellent, suæ legationis causas & rationes exponeret, interpellavit eum Tribunus, dicens Fortunam eum manere Cornelij, nisi reprimat audaces animos. Hæc autem verba, ut ut è Iuris rigore promanantia, ægrè tulerunt Consules, nam Tribunum compescentes dixerunt Legato, *Hanno, te Civitatis nostræ fides ab ab omni periculo liberat.*

An in personis sublimibus locū habeat hæc Regula?

Pœni contra gentium Ius Romanis fidem violant.

Hos tamen non obstante Romani Pœnis fidē servant.

REGULA LXXVI. *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ,* (seu cuiuscumque alius Communitatis) *redundare.* Oritur ex XXII. *Quoniam non debet aliquis alterius odio prægravari.* utraque est vera. Et cur? Quoniam manutenendus est qui possidet, donec superveniat ratio, quæ possessioni præiudicet. Et, ut bene intelligas Regulam, hæc exempla propono. Ecclesia A. Collegium B. Civis C. habent multas divitias, quas pacificè possident, debent manuteneri. At quidam Ecclesiæ A Canonicus, & quidam Collegij B. Socius, necnon quidam civis C concivis cōmiserunt delictum, cui ex Iure præscribitur pœna solvendi mille aureos. An hos solvere debebit Ecclesia A? An-ne Collegium B? Et an tandem Civis C? minimè 275

An propter unius particularis exorbitantiam debeat condemnari Cōmunitas.

Nemo

Nemo enim potest alterius odio (ob crimen alterius) prægravari (condemnari.) Non igitur propter crimen concivis, aut propter Socium Collegium, aut propter Canonicum Ecclesia poterit condemnari. Huc etiam pertinet Regula XXIII. *Sine culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, quam superiùs exposui.

276 *Omnia munera & officia sua habent gravamina & utilitates. Qui has habet, debet illas subire, & è contrà.*

REGULA LXXVII. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Adde Regul. XLII. *Accessorium sequitur suum Principale.* Et, ut bene intelligas Regulam, attende. Omnes dignitates & officia habent sua onera, & utilitates: ideò enim Officiis stipendia, & emolumenta accedunt, ut illa præstentur, ob quæ officium institutum est. Et ad Iustitiam commutativam spectat. Sicut enim postquam emisti tot vel tot argenteis chirothecas, tam esset iniquum te nummos illos solvere, & chirothecas non recipere, quam te illas recipere & pretium non solvere; sic similiter in Beneficio: nam, si annuos redditus, ut legat Canonicas horas Clericus recipit: tam iniquè procederet, qui ad horas legendas cogeret, & privaret redditibus: quàm qui hos recipi, & illas omitti permitteret. Ex hac doctrina, quæ Iuris Naturalis est, ortæ fuerunt duæ Regulæ. videlicet, LV. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum.* & LXXVII. *Qui sentit commodum*, &c. quam illustramus.

Aliarũ Regularũ connexio.

Quæ ex necessitate fiũt non debent fieri, quando cessat necessitas.

REGULA LXXVIII. *In argumentum trahi non possunt, quæ propter necessitatem sunt concessa.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et necessitas, quæ semel aut iterum accidit, non est ratio sufficiens, quæ præcepti aut legis generali possessioni præiudicet.

277 *Nemo dat, quod non habet.*

REGULA LXXIX. *Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Est enim certum Theorema, *Nemo dat quod non habet.* Ergo, Iura, quæ ego non habeo, non potero in alium transferre. Hoc tamen non tollit, ut per accidens res sit utilior donatario, quam fuerat donanti. Nam, si homo analphabetus librum tibi donaverit, plus in illo habebis tu, quam ille; nam librum poteris, & ille non poterat legere. Sic sæpe Ecclesia plus acquirit, quã datur. Nam sæcularis bona possidet obnoxia oneribus, à quibus eximuntur, si ad manum Clericorum veniant.

An possit aliquis plus recipere, quàm detur?

REGULA LXXX. *In toto partem non est dubium contineri.* Est definitiva: & in ipsamet Partis & Totius notionibus & distinctione fundatur.

An pars contineatur in toto.

278 *De universalitate Reali, & Morali.*

REGULA LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Corollarium I. *Ergo in generali præcepto non veniunt ea, nec iis, quæ & quibus Superior non esset verisimiliter in specie præcepturus.* Corollarium II. *In generali promissione nõ veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie promissurus*, &c. Et cur? Quoniam manutenendus est qui possidet. Et ratio est quia ante concessionem, iussionem promissionem erat in possessione non concedere, non iubere, non promittere: Ergo hæc possessio debet manuteneri quousque superveniat ratio, quę illi manifestò præiudicet: At neque generalis concessio, neque iussio aut promissio in omnibus præcedenti possessioni præiudicant. Ergo illis non obstantibus in aliquibus debet manuteneri. Sed in quibus? Exponam. Rationalium agentium verba, quantumcumque generalia ipsa sint, intentionis & voluntatis terminos non excedunt. At intentio & voluntas non prætergreditur terminos cognitionis; quia nihil volitumquin præcognitum: ergò verba Rationalium agentium à cognitione limitantur. Ergò concessiones, iussiones, & promissiones generales ad eos casus restringuntur, qui occurrunt? & non ad illos, in quibus, si occurrerent aut proponerentur, quis non esset verisimiliter concessurus, præcepturus, aut promissurus. Hinc est (1) quod non obstante verborum generalitate, quibus Iubilæa publicantur, multa & multa à Pontifice non concedi dicantur, quæ non esset in specie concessurus, si in specie illa postularentur. Hinc est (2) Cardinales à non paucis generalibus præceptis eximi, quod censeatur Pontifex non fuisse illa eisdem in specie præcepturus. Et hinc est (3) aliqua è promissione generali prudenter eximi, quæ non esset quis in specie promissurus.

N. B. Ratio illa generalis propter quã aliqua generaliter dicũtur, petuntur præcipiuntur, promittuntur, donãtur, &c. solet, in aliquibus particularibus deficere: & ideò Moralis & Politica Universalitas Propositionum suas exceptiones & limitationes patitur, quod non tolerat universalitas, Logica, vel Metaphysica.

De Iubileũ

De Cardinalibus.

279 *An, qui leges violat, censendus sit bonâ fide procedere?*

REGULA LXXXII. *Qui contra Iura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere.* Est definitiva. Et pendet a Tertiâ decimâ, *Ignorantia facti non Iuris excusat.* Porrò, qui sciens legem violat bonam fidem non habet. Et cum leges ita publicentur, ut ignorari non soleant, qui illas violat malâ fide procedere, & scire quid faciat, præsumitur. Quamobrem posset aliquis argumentari sic. Lege solenniter publicata censentur omnes illam scire. Ergo est in possessione hæc præsumptio. Ergo, qui illam violaverint, censebuntur, non iam ex ignorantia, sed ex merâ malitia (vel ut Pontifex loquitur) malâ fide procedere.

Quod semel tenetur, non debet bis persolvi.

REGULA LXXXIII. *Bona fides, non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Qui enim semel soluit, est in possessione non habendi debitum: ergò non ritè proceditur, quando exigitur, quod non debetur.

280 *Incapacitas est duplex nam alia se tenet ex parte personæ promovẽda. alia autem ex parte viæ per quam procuratur promotio.*

REGULA LXXXIV. *Cùm quid uni via prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.* Si illa via reddidit ipsum personaliter incapacem, certa est. Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Ut Regulam percalleas, adnota, incapacitatem, aut se tenere ex parte personæ, aut ex parte viæ. Si ex parte personæ se tenet, habet locũ hęc regula, nã irregularis, si titulo patrimonii, doctrinæ, musicæ, nobilitatis, &c. vult promoveri ad Ordines, reiicitur; & etiã postea si beneficii titulo ad promotionẽ adspiret, similiter est reiiciendus. Cæterùm, si ex parte medii, seu viæ, se teneat incapacitas, nulla est mutatã viã incapacitatis possessio.

missas, sic etiam horas non posse legere per alium.

quotidie recitare, & tot missas in hebdomade legere, sicut has per alium solet legere, ita etiam illas per alium posset recitare. At hodie sic statuente Ecclesiâ recitandi horas obligatio est personalis,& non potest per Vicarium impleri. Si autem interroges, *An Beneficiatus, qui studio literarum incumbit, satisfaciat recitando per alium?* Affirmativè respondebunt antiqui: Abbas, Landulphus, Petrus & Lucas de Penna apud Sanchez *lib. 1. consf. cap. 2. dub. 62.* qui etiam addit, Lopez, Gregorium, Sylvestrum, Angelum, & Rosellam huic favere sententiæ, nam oppositam tutiorem vocant, istam igitur tutam putabant. At illam tu improbabilem esse pronuncias.

An possit saltem, si in literarum studio sit occupatus?

Votum solenne, si præcedat, dirimit matrimonium.

REGVLA LXXIII. *Factum legitimè retractari non debet, licèt casus posteà eveniat, in quo non potuit incohari.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Multa enim essent impedimento, ne res fieret; quæ, si superveniant, non habent vires, vt factum legitime dirimant. Professio enim solennis, v. g. futurum matrimonium dirimit, quicumque enim matrimonialis contractus post solennem professionem initus,est invalidus & nullus: Cæterùm, si post matrimonium cõsummatum, sequatur solennis professio (valida sit, aut invalida) semper manet in suo pristino valore matrimonium: licèt ita ligetur voto, vt eius vsus iam sacrilegus sit.

Quid, si sequatur?

273 *Sunt varia concessionũ genera.*

REGVLA LXXIV. *Quod alicui gratiosè conceditur, non debet trahi ab aliis in exemplum.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Vt intelligas Regulam adnotato concessiones esse in duplici differentiâ: aliæ enim sunt in materiâ liberâ quæ possent fieri, vel omitti; aliæ autem fiunt in materiâ præceptâ, & vel ipsæ dispensationes sunt, vel dispensationem comitantur. At neutræ ab aliis possunt in exemplum adduci. Non illæ (quæ in materiâ liberâ) quia est in possessione libertas, & debet manuteneri, donec superveniat ratio quæ præiudicet: At concessio gratiosa est libera, & minimè præiudicare potest: Ergo. Non hæ (in materia præcepta) quia lex est in possessione, & dispensatio quæ conceditur uni vel alteri, vel conceditur liberè, nempe in casu, quo poterat negari: vel conceditur necessariò, in casu, quo negari non poterat. Si primum,nec legis possessioni,nec Superioris præiudicatur libertati. Si secundum, aliis subditis si eædem circumstantiæ succurrant, similem Superior tenebitur concedere dispensationem; quoniam illius per illas circumstantias limitatur aut determinatur authoritas.

Libera in exemplum non transeunt.

Necessaria per rationem identitatē decurrunt.

274 *Fides in cõtractu servanda est similis cingulo, quod duos devinvincit.*

Si rumpatur, uterque solvitur.

REGVLA LXXV. *Frustra fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.* Porrò fides est contractus qui utrumque obligat: est vinculum, quod utrumque obstringit. Et exemplum ponendo in Physicis. Si Petrus & Ioannes uno & eodem cingulo vincirentur, alterutro frangente cingulum, manet vterque liber. Idem dicito de fidelitatis contractu; utrumque obligat: sed, si ab alterutro frangatur, neutrum obligat.

Regulæ ratio fundamento possessionis insistit: nam ante contractum erat in possessione libertas faciẽdi aut omittẽdi illud, de quo contrahitur. Ergo hæc ipsa libertas manuteneri debet, quousque superveniat ratio, quæ ipsi præjudicet. Talis est contractus; Ergo, quamdiu ille permanet, cessat possessio. At alterutro violante fidem, revertitur sopita possessio: & ille,cui violata fuit fides, poterit, aut pristinâ libertate gaudere, aut alterum iure cogere, ut contractum observet.

Libertas per contractum restringitur.

Ad majorem Regulæ intelligentiam, adnotato, esse aliquos contractus indissolubiles, in quibus fides est frangenti servanda. Talis est Matrimonialis, nam vxor tenetur fidem servare marito adultero, nec est ratio, ut ipsa fidem frangat, quod alter fregerit. Et idem de marito dicendum est: nam etsi fuerit lapsa fœmina, maritus non potest ad fœminas alias accedere.

An dentur contractus indissolubiles?

An ad illos Matrimoniũ spectet?

Præterà, sunt personæ altioris ordinis, quæ etiam frangenti fidem, fidem servant: tales sunt Imperatores, Reges, Principes: tales sunt coronatæ Reipublicæ, & clarissimæ communitates: quæ absunt à rigore plebæo, non enim omnia, quæ licent, expedire videntur. Proderit referre hanc historiam. Cornelius Asina Consul Romanus ad Pœnos missus contra Ius gentium captus & vinctus fuerat. At fortunâ mutatâ & classe potentissimâ apud Siciliam, aliis navibus captis, & aliis submersis, amissâ, inire Carthaginenses pacem cum Romanis decernunt. Legatosque Hannonem & Amilcarem nominant. Non vult Amilcar legationem suscipere, ne Romanis præberet, vnde Cornelio satisfacerent. At Hanno, non obstante periculo, profectus est. Cùm autem liberiùs, quam aliqui vellent, suæ legationis causas & rationes exponeret, interpellavit eum Tribunus, dicens Fortunam eum manere Cornelij, nisi reprimat audaces animos. Hæc autem verba, ut ut è Iuris rigore promanantia, ægrè tulerunt Consules, nam Tribunum compescentes dixerunt Legato, *Hanno, te Civitatis nostræ fides ab ab omni periculo liberat.*

An in personis sublimibus locũ habeat hæc Regula?

Pœni cõtra gentium Ius Romanis fidem violant.

Hoc tamen non obstante Romani Pœnis fidẽ observant.

REGVLA LXXVI. *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ,* (seu cuiuscumque alius Communitatis) *redundare.* Oritur ex XXII. *Quoniam non debet aliquis alterius odio prægravari.* vtraque est vera. Et cur? Quoniam manutenendus est qui possidet, donec superveniat ratio,quæ possessioni præiudicet. Et, ut bene intelligas Regulam, hæc exempla propono. Ecclesia A. Collegium B. Civis C. habent multas divitias, quas pacificè possident, debent manuteneri. At quidam Ecclesiæ A Canonicus, & quidam Collegij B. Socius, necnon quidam civis C concivis cõmiserunt delictum, cui ex Iure præscribitur pœna solvendi mille aureos. An hos solvere debebit Ecclesia A? An-ne Collegium B? Et an tandem Civis C? minimè 275

An propter unius particularis exorbitantiam debeat condemnari Cõmunitas.

Nemo

Nemo enim potest alterius odio (ob crimen alterius) prægravari (condemnari.) Non igitur propter crimen concivis, aut propter Socium Collegium, aut propter Canonicum Ecclesia poterit condemnari. Huc etiam pertinet Regula XXIII. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, quam superiùs exposui.

276 *Omnia munera & officia sua habent gravamina & utilitates. Qui hac habet, debet illas subire, & è contrà.*

REGULA LXXVII. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Adde Regul. XLII. *Accessorium sequitur suum Principale.* Et, ut bene intelligas Regulam, attende. Omnes dignitates & officia habent sua onera, & utilitates: ideò enim Officiis stipendia, & emolumenta accedunt, ut illa præstentur, ob quæ officium institutum est. Et ad Iustitiam commutativam spectat. Sicut enim postquam emisti tot vel tot argenteis chirothecas, tam esset iniquum te nummos illos solvere, & chirothecas non recipere, quam te illas recipere & pretium non solvere; sic similiter in Beneficio: nam, si annuos redditus, ut legat Canonicas horas Clericus recipit: tam iniquè procederet, qui ad horas legendas cogeret, & privaret redditibus: quàm qui hos recipi, & illas omitti permitteret. Ex hac doctrina, quæ Iuris Naturalis est, ortæ fuerunt duæ Regulæ. videlicet, LV. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum.* & LXXVII. *Qui sentit commodum,* &c. quam illustramus.

Aliarū Regularū connexio.

Quæ ex necessitate sūt non debent fieri, quando cessat necessitas.

REGULA LXXVIII. *In argumentum trahi non possunt, quæ propter necessitatem sunt concessa.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Et necessitas, quæ semel aut iterum accidit, non est ratio sufficiens, quæ præcepti aut legis generali possessioni præiudicet.

277 *Nemo dat, quod non habet.*

REGULA LXXIX. *Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Est enim certum Theorema, *Nemo dat quod non habet.* Ergo, Iura, quæ ego non habeo, non potero in alium transferre. Hoc tamen non tollit, ut per accidens res sit utilior donatario, quam fuerat donanti. Nam, si homo analphabetus librum tibi donaverit, plus in illo habebis tu, quam ille; nam librum poteris, & ille non poterat legere. Sic sæpe Ecclesia plus acquirit, quā datur. Nam sæcularis bona possidet obnoxia oneribus, à quibus eximuntur, si ad manum Clericorum veniant.

An possit aliquis plus recipere, quàm detur?

An pars contineatur in toto.

REGULA LXXX. *In toto partem non est dubium contineri.* Est definitiva: & in ipsamet Partis & Totius notionibus & distinctione fundatur.

278 *De universalitate Reali, & Morali.*

N. B. Ratio illa generalis propter quā aliqua generaliter dicū-

REGULA LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Corollarium I. *Ergo in generali præcepto non veniunt ea, nec ij, quæ & quibus Superior non esset verisimiliter in specie præcepturus.* Corollarium II. *In generali promissione nō veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie promissurus*, &c. Et cur? Quoniam manutenendus est qui possidet. Et ratio est quia ante concessionem, iussionem promissionem erat in possessione non concedere, non iubere, non promittere: Ergo hæc possessio debet manuteneri quousque superveniat ratio, quę illi manifestò præiudicet: At neque generalis concessio, neque iussio aut promissio in omnibus præcedenti possessioni præiudicant. Ergo illis non obstantibus in aliquibus debet manuteneri. Sed in quibus? Exponam. Rationalium agentium verba, quantumcumque generalia ipsa sint, intentionis & voluntatis terminos non excedunt. At intentio & voluntas non prætergreditur terminos cognitionis; quia nihil volitumquin præcognitum: ergò verba Rationalium agentium à cognitione limitantur. Ergò concessiones, iussiones, & promissiones generales ad eos casus restringuntur, qui occurrunt? & non ad illos, in quibus, si occurrerent aut proponerentur, quis non esset verisimiliter concessurus, præcepturus, aut promissurus. Hinc est (1) quod non obstante verborum generalitate, quibus Iubilæa publicantur, multa & multa à Pontifice non concedi dicantur, quæ non esset in specie concessurus, si in specie illa postularentur. Hinc est (2) Cardinales à non paucis generalibus præceptis eximi, quod censeatur Pontifex non fuisse illa eisdem in specie præcepturus. Et hinc est (3) aliqua è promissione generali prudenter eximi, quæ non esset quis in specie promissurus.

tur, petuntur præcisè, promittuntur, donātur, &c. soles, in aliquibus particularibus deficere: & ideò Moralis & Politica Universalitas Propositionum suas exceptiones & limitationes patitur, quod non tolerat universalitas, Logica, vel Metaphysica.

De Iubilæis

De Cardinalibus.

279 *An, qui leges violat, censendus sit bonâ fide procedere?*

REGULA LXXXII. *Qui contra Iura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere.* Est definitiva. Et pendet a Tertiâ decimâ, *Ignorantia facti non Iuris excusat.* Porrò, qui sciens legem violat bonam fidem non habet. Et cùm leges ita publicentur, ut ignorari non soleant, qui illas violat malâ fide procedere, & scire quid faciat, præsumitur. Quamobrem posset aliquis argumentari sic. Lege solemniter publicata censentur omnes illam scire. Ergo est in possessione hæc præsumptio. Ergo, qui illam violaverint, censebuntur, non iam ex ignorantia, sed ex merâ malitia (vel ut Pontifex loquitur) malâ fide procedere.

Quod semel debetur, non debet bis persolvi.

REGULA LXXXIII. *Bona fides, non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.* Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Qui enim semel soluit, est in possessione non habendi debitum: ergò non ritè proceditur, quando exigitur, quod non debetur.

280 *Incapacitas est duplex: nam alia se tenet ex parte personæ promovēdæ, alia autem ex parte viæ per quam procuratur promotio.*

REGULA LXXXIV. *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.* Si illa via reddidit ipsum personaliter incapacem, certa est. Et cur? Quoniam manutenendus est, qui possidet. Ut Regulam percalleas, adnota, incapacitatem, aut se tenere ex parte personæ, aut ex parte viæ. Si ex parte personæ se teneat, habet locū hęc Regula, uā irregularis, si titulo patrimonij, doctrinæ, musicæ, nobilitatis, &c. vult promoveri ad Ordines, rejicitur; & etiā postea si beneficij titulo ad promotionē adspiret, similiter est rejiciendus. Cæterùm, si ex parte medij, seu viæ, se teneat incapacitas, nulla est mutatâ viâ incapacitatis

possessio. Vt autem hæc ipsa doctrina meliùs intelligatur, scire oportet posse personam aliàs capacem & habilem per unam viam, ad finem optatum non pervenire, & illum per alteram consequi. Primò, siquis doctus & nobilis habeat patrimonium, & Episcopus noluerit hodie illum admittere; ipse cras, si congruum indeptus fuerit beneficium, quod priori viâ non potuit, hâc viâ poterit consequi, & beneficij titulo ad Hypodiaconatum admitti. Et utrumque in Iure possessionis fundatur. Debet enim in priori casu, illa, quæ ab irregularitate oritur, incapacitas manuteneri, donec superveniat ratio, quæ possessionem elidat, hoc est, incapacitatem illam tollat. At illam nec nobilitas, nec divitiæ, nec doctrina, nec musicæ notitia tollit. Ergo irregularitas & incapacitas in possessione relinquuntur. Et promotio ad Ordines quæ vnâ viâ (ob irregularitatem) prohibetur, aliâ viâ (ob nobilitatem, divitias, doctrinam, &c.) non debet admitti aut permitti. In casu posteriori est in possessione personæ incapacitas, si titulum sufficientem obtineat. At beneficium congruum est titulus sufficiens. Ergo in casu tametsi promotio ad Ordines unâ viâ (titulo patrimonij) fuerit prohibita: aliâ viâ (nempè titulo congrui beneficij) poterit indulgeri.

Sæpe contingit, ut persona capax dignitatē per unam viam obtineat, quā per aliā non potuit.

281 *Quid sit contractus?*

Regvla LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.* Est definitiva: nam contractus est lex privata, quam duo vel plures ex conventione sibi imponunt. Patet ex Cicerone, qui 2. *de Invention.* Sic definit. *Pactum est, quod inter aliquos convenit, & iam ita iustum putatur, ut iure* (lege) *præstari dicatur.* Alexander Scotus. [Contractus est duorum vel plurium in idem consensus, &c. Nota, quod aliquæ obligationes dicuntur oriri ex quasi contractu, in quibus fingitur consensus intercessisse, dato quod non intercesserit expressè; utpotè hæres adeundo hæreditatem obligatur creditoribus hæreditatis & legatariis, & in pluribus aliis casibus, &c.]

Quid sit quasi contractus?

De cōtractu expresso & implicito.

282 *De eo, qui sua miseria causam præbuit.*

Regvla LXXXVI. *Damnum, quod quis suâ culpâ sentit, si debet, & non aliis imputare.* Nascitur ex xx i. nam, *si non debet aliquis alterius odio* (culpâ) *prægravari:* nec debebit alterum ob propriam culpam prægravare. Et cur? Quia manutenendus est, qui possidet. Nam sicut innocens debet indemnis conservari & alterius culpâ onerari non potest: sic reus est in possessione, ut culpæ pœnas subeat, nec debet in alium illas exonerare.

Infames sunt dignitatum incapaces.

Regvla LXXXVII. *Infamibus porta non pateant dignitatum.* Est definitiva: nam infamia reddit hominem incapacem, ut ad dignitates adscendat. Porrò infamia, si iniusta, difficulter eluitur: si iustè incursa, indelebilis est, De hâc canebat Plautus *in Pers.*

An sit immortalis infamia?

Pater hominum immortalis est infamia:
Etiam tum vivit, cùm esse credas mortuam.

283 Regvlv LXXXVIII. *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Est definitiva; & consonat S. Ioan. Chrysost. qui tom. 4. Editionis Venet. an. 1583. *hom.* 31. in epist. ad Rom. c. 8. pag. 50. col. 2. sic inquit: *Necesse enim est, non ad voces simpliciter, sed ad loquentis mentem ubique advertamus, exactámque dictorum discretionem pernoscamus* Et potest hæc doctrina ad promissionem, pactum, & omnem contractum extendi. Lex pro materiali dicit rationem, & pro formali voluntatem: nam debet à ratione & prudentiâ, iuxta loci, temporis, & personarum dictari, & à voluntate iuberi cum intentione obligandi: & verba adsumuntur ut medium, ut mentem & voluntatem suam, quam non potest conceptibus, (non enim sumus Angeli) labio aut etiam calamo Legislator subditis, manifestet. Doctrina est clara, & poterit exemplis aliquibus dilucidari.

In legibus non tā verba grammaticè, quàm intentio & voluntas Principis sunt considerandæ.

Primò in materiâ legum occurrit vox *suspensio*, quæ aliter in Iure Pontificio, & aliter in Cæsareo intelligitur. Porrò suspensio, de quâ in Pontificio iure agitur *est Censura Ecclesiastica, privans usu Ecclesiastici Officij aut Beneficij, aut utriusque.* Illa autem, quam cognoscunt Legistæ *est capitalis sententia exsecutio, quæ reum suspendit in patibulo.* Et differunt (1) quia Legistæ vocem sumunt realiter, & Canonistæ moraliter: & differunt (2) quia se potest quis realiter, non autem suspendere moraliter. Vnde 2. Reg. 17. 23. legimus: *Porrò Achitophel, &c. suspendio interiit, & sepultus est,* & etiam Iob. 7. 15. audimus dicentem: *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* Quamborem, si quis vocem *suspensio* in lege Civili repertam in Ecclesiasticâ significatione sumeret, aut in Pontificio lectam vsurparet in rigore Civili, etsi legis verba complecteretur, in legis veritatem committeret, nam procederet contra Legislatoris voluntatem.

284 *Quid significet vox Suspensio in Canonico Iure?*

Quid in Cæsareo?

An aliquis suspendere possit seipsum?

Secundò in materiâ contractuum voces sumi debent eo sensu quo vterque illas accepit, cùm fuit pactum initum, *Certum est enim, quod is committit in contractum, qui contractûs verba complectens, contra contrahentium nititur voluntatem.* Hinc patet non esse, vnde Cleomenes, possit à perjurio excusari: nam cum Argivis inducias septem dierum pactus, resciens illos tertiâ nocte, fretos induciarum Sacramento dormire, ne occasionem perderet, eos invasit, & plerósque interêmit. Et quia probro dabatur violata iurisjurandi fides, verba pacti complectens, commisit in pactum respondens, *De diebus quidem pactus sum: & noctes in iureiurando non sunt additæ.* Interim nihil fuit à perfidiâ lucratus, nam & urbe, cuius gratiâ fidem violaverat frustratus, & tandem à mulieribus victus, sibi mortem conscivit: ut suo exemplo universos moneret; non esse obludendum æquivocis, cùm agitur de fidelitate Plutarc. *in Laconic.* Omnis promissio ad contractum reducitur; nulla enim obligat, nisi sit acceptata, &

285 *Quomodo intelligi & exponi debeant contractus?*

An fuerit Cleomenes periurus?

N. B. Vt omnis æquivocatio tolleretur, potuissent adsumere vocē νυχθήμερ pro qua posset dicere Latinus *Noctidiem.* Vide Martin. Scoockium in *Physic. disp.* 12. *pag.* 312. *& disp.* 13. *pag.* 324.

286 *Quo promissiones modo sint intelligēdæ & exponendæ?*

& debet verbis communibus & notis concipi: &, si ambigua illa sint, nunquam exponi debent contra promittentis voluntatem.

An hodie sint in Ecclesiá aliqui, propter quos possimus dicere, hanc Regulā præscriptā fuisse?

Et quidem fuisse olim, aut etiamnum esse nonnullos, qui ita Canones Pontificios, qui ita Cæsareas leges fuerint interpretati, ut hanc Regulam præscribendi occasionem Apostolicæ Sedi præbuerint, non mireris, cùm etiam certum sit fuisse, immò & esse nonnullos, qui legis Divinæ verba complectentes, contra legis non solùm intellectum, sed etiam voluntatem nitantur. Et hos in legem Divinam committere, quis negare audeat. Aliqui ex his S. Hieronymi tempore insolescebant; quoniam *Epist. ad Paulin.* sic scribit: *Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas Sanctas post seculares literas venerint, & sermone composito ad aures mulserint quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Propheta, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, & Virgiliocentonas: ac non sic Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit,*

Aliqui, non voluntatem suam iuxta Scripturas Sacras dirigunt, sed illas secundū voluntatem suam interpretantur.

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam nova progenies Cœlo demittitur alto.

An ex Centonibus suaderi possit Homerū Virliumq; fuisse Christianos?

Et Patrem loquentem ad Filium.

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus.

Et post verba Salvatoris in Cruce,

Talia perstabat memorans, fixúsque manebat.

Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia, docere quod ignores: immò, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire, quòd nescias.

Ecce Hieronymus, spiritu quasi prophetico, nostri ævi Novatores descripsit. Patrum testimonia è propriis locis excisa, acephala, elocata protendunt, & se asserunt bene argumentari. Quid enim in Cornelij Iansenij Augustino aliud reperis, quam Augustinocentonas? Vel dic mihi, sis, Candide Lector. Legisti Ὁμηρόκεντρα, Eudoxiæ Imperatricis Opus. Illa verba, quæ ibi reperisti, Homeri sunt: quis hoc in dubium vertat? Sed quid de sententiis dicemus, quæ verbis Homericis repræsentantur? An etiam ipsæ Homeri sunt? Rides: & vlteriùs non pergo. *Virgiliocentra* etiam legisti. Falconiæ studium: quæ abavia fuit Sancti Patriarchæ Benedicti, & Imperatoris Iustiniani. Vide meam Metametric. *Apoll. Centonar. pag. 3.* & quidem verba illa, quæ prostant ibi, Virgilij sunt: quis enim de re tam certá dubitat? Quid autem de sententiis dicemus, quæ Virgilianis verbis repræsentantur? An-ne saltem ipsæ Virgilij sunt? Iterum rides, & & ridendo, quid sentias, satis clarè proponis. Transeamus ergo ad Αὐγουστινόκεντρα; Iansenij Opus, apud quem manu expansâ edisseruntur, quæ clausâ tractari deberent. Opus verè copiosum, in quo rhetoricatur, qui dialecticari non valuit. Profectò omnia illa testimonia, verba Augustini continent, & verba reponunt exactissima, quæ in libris citatis leguntur. De hoc nullus dubitat. An-ne & sententias exhibent Augustini? rideo. *Sanè in Augustinum Cornelius Iansenius committit, quoniam verba Sancti Patris complectens, contra eius intellectum, & contra eius nititur voluntatem.* 287

Quanā Eudoxia fuerit, quæ Homerocentra composuit?

Et, quæ Falconia, quæ edidit Virgiliocentra?

An Cornelij Ianenij Opera sint Augustinocentra?





DIALEXIS
DE NON-CERTITVDINE

An ad ſecuritatem tuæ Conſcientiæ, Opinionem cui adhæres, eſſe Certam, aut Probabiliorem, aut ſaltem Minùs Probabilem, requiratur: An verò neceſſarium ſit, & ſufficiat, Oppoſitam Certam non eſſe.



SEU Stylum polire, ſeu Dictionem ornare, ſeu Methodum opportunam tenere, ſeu tandem Intellectum acuere, & Voluntatem perficere habuero in votis, ad Bernardum recurro, ipſe enim in Orationis puritate eſt Cicero, in Ornatu Virgilius, in Methodo Euclides, in Ingenij vivacitate Ariſtoteles, in Voluntatis directione Epictetus. Et quia non omnia ubique poſſum, Methodum, quam ipſe in Tractatu *De diligendo Deo*, ſectatur, impræſentiarum imitabor. Sanè Vir eruditus in S. Paulo legerat ἕλλησι καὶ βαρβάροις; σοφοῖς τε
288 καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί. *Græciſque & barbaris; ſapientibuſque & inſipientibus debitor ſum.* Et in D. Benedicti Regulâ, quam ad unguem obſervaverat, notaverat Diſcipulos (ſubditos) ad duas claſſes reduci: & alios quidem eſſe *honeſtiores atque intelligibiles*, alios verò *improbos duros corde, ſuperbos, & inobedientes*. Sciebat viciſſim aliter cum prioribus, & aliter cum poſterioribus agendum eſſe: ob hanc enim rationem duas Theologias Practicas in Magiſtro (ſeu Prælato) requirit: legit enim in Regulâ, *Cùm aliquis ſuſcipit nomen* Abbatis, *duplici debet doctrinâ ſuis præeſſe Diſcipulis*, &c. *ut capacibus* (ſapientibus) *Diſcipulis mandata Dei verbis* (rationum efficaciâ) *proponat: duris verò corde & ſimplicioribus* (inſipientibus) *factis ſuis* (aut etiam aliorum exemplis) *Divina præcepta demonſtret*. His præventus ideis Pater doctiſſimus aureum illum Tractatum *De diligendo Deo* in duas Partes diſtribuit. Primam, quia σοφοῖς, *doctis* ſcriptam, citò expedit: alteram, quia ἀνοήτοις *iudicio indoctorum* expoſitam, Stylo uberiore proſequitur, per paginas multas excurrens. Prima continet has paucas lineas.

Vultis ergo à me audire, Quare, & quomodo ſit diligendus Deus? Et Ego. Cauſa diligendi Deum, Deus eſt: modus ſine modo diligere. Eſt ne hoc ſatis? Fortaſſis utique, ſed Sapienti.

Hæc eſt tota Prima Tractatûs Pars: quæ quia conciſa & brevis; nec non Cœleſtibus myſteriis gravida, indiguit Commentariis, quos diffuſa per quindecim Capita, Pars ſecunda ſubiungit, quæ ſic incipit.

Cæterum, ſi & inſipientibus debitor ſum, ubi ſat eſt dictum ſapienti, etiam illi gerendus mos eſt. Itaque propter tardiores idem profuſiùs, quàm profundiùs repetere non gravabor, &c.

289 Hodie igitur, nam ſic res poſtulat, Bernardi exemplo in duas Partes hanc διάλεξιν ſecabo: prioremque σοφοῖς Viris ingenioſis, qui rationes ponderare didicerint, breviter ſcribam: poſterioremque ἀνοήτοις, *tardioribus*, qui tandem ſubtilia intelligent, ſi opportunis ipſa illuſtrentur exemplis, ubериùs concinnabo.

Demoſth. in Olyn. 2. *Quemadmodum domûs navigij, & aliorum id genus firmiſſima fundamenta eſſe oportet, ſic etiam negotiorū actionūque Principia eſſe debent firmiſſima.* At conſcientiæ regimine nullum in mundo negotium grauius eſt. Deſipit igitur, ſive ſtringat aut laxet, qui de ipsâ ſine Principijs firmiſſimis ratiocinatur.

Quàm multa & varia docere à Bernardo poſſimus!

N. B. Laudatur in Euclide Ordo, quia præcedentibus, & non ſequentibus Propoſitionibus in ſuis utitur demonſtrationibus.

Ad Rom. 1. 14.

S. Benedictus in Regulæ cap. 1. *Duo ſunt Diſcipulorū genera.*

Debet in praxi Superior duplicē habere Theologiam.

Quomodo Tractatum de diligendo Deo *diviſerit S. Bernardus?*

Prima Tractatûs Pars. Quomodo diligatur Deus? Einſdē Tractatus Pars altera.

Præſentis diſputationis diſtributio.

PARS

PARS I.

290 *An Doctores qui de hâc materia scripserunt cognoverint rationem formalem, quæ reddit nos in conscientia securos? Certitudo Bonitatis à certitudine Veritatis debet distingui?*

SCIO multos viros, qui docti sunt, aut haberi desiderant, de hoc subtili argumento scripsisse, & scribere: & nescio (cur enim audacem meam ignorantiam dissimulem?) an tetigerint Difficultatem. Qui certitudinem in Iudicij Practici Bonitate requirunt, rem certam & indubitatam nos docent: qui autem in Veritate, nondum difficultatem comprehenderunt. Oportet Sane Bonitatem à Veritate in Iudiciis distinguere: nam hoc, *Deipara est sine labe concepta,* est certò bonum, certò honestum, certò licitum, non autem certò verum; & indubitatum.

291 *An sententiam debeamus certò veram amplecti?*

Porrò ad securitatem conscientiæ certam Veritatem (id est, non quæsitam tantùm, sed inventam) requiri, nec unquam Probabilem aut Probabiliorem (ob realis Certitudinis defectum) sufficere, docent Novatores hoc ævo. Et cur? Quia non excusat à peccato mortali ignorantia invincibilis. Et cur hæc non excusat? Quia Deus impossibilia iubet. Pulcher Sorites. Repugnat Deum non esse iustum. Imperium impossibilia præcipientis iniustum & tyrannicum est: non ergo Deus supra humanæ mentis Vires intelligere iubet, nec supra aliarum potentiarum vires agere. Ergo hæc Novatorum Opinatio est hæretica.

292 *An certò probabiliorem?* Apocalyp. 6.2.

An hoc ratiocinium debeat fulmen vocari?

Requiri Probabiliorem Veritatem, qui asseverant, ineunt viam difficilem & periculosam, & nunquam syllogismo illi responderunt, qui ante triginta annos ἐξῆλθε νικῶν καὶ ἵνα νικήσῃ *exivit vincens, & ut vinceret.* Illum in libro primo Fundament. proposui: sed quia faciliùs est paucas lineas scribere, quam te ad locum citatum conducere, illum repono. Ad hominem sic argumentor: vel, si sincere placeat loqui, sic fulmino.

RATIOCINIUM I.

N. B. Prædictus fuit subtili & acri ingenio Emin. Cardinalis de Lugo, & tamen iterum iterúmque mihi est dignatus dicere, non occurrere sibi, quid possit obiici contra hanc demonstrationem.

Per vos (quicumque sitis) ad securitatem conscientiæ Opinio probabilior in omni controversiâ requiritur, & non sufficit minùs probabilis.

Si in omni, ergo in illâ, quæ inquirit, An requiratur probabilior, an verò sufficiens sit minùs probabilis ad securitatem conscientiæ.

At in ipsâ duæ sunt Opiniones: altera enim asserit, Minùs probabilem sufficere: *quod negat altera: Et hæ ipsæ non sunt æquè certæ inter se.*

Ergo in hâc ipsâ controversiâ eligere debemus certiorem & probabiliorem, & relinquere minùs probabilem.

At illâ quæ docet, sufficere minùs probabilem, *non solum est probabilior, sed certa moraliter: [nam à ferè omnibus propugnatur, cum opposita, quæ* Probabiliorem electum iri *affirmat, E prælo in prelum missa; hodie exorbitet, & sub fictis Authorum nominibus plerumque defendatur.*

Ergo in omni controversiâ eam tenere debemus Opinionem, quæ docet; Ad securitatem conscientiæ sufficere minùs probabilem.

Ergo in omni controversia eam reiicere debemus Opinionem, quæ docet, Probabiliorem necessariò requiri.

ADDO alteram Demonstrationem, quæ præcedentem roboret & promoveat. Sic inquam.

De Probabilioristis. Quid doceant? An iubeant ut certò probabiliorem: an ut probabiliùs probabiliorem: an tandem, ut æquè aut minùs probabiliter probabiliorem opinionem sequamur?

Debeo sequi probabiliorem Opinionem: Ergo, vel illam, quæ certò; vel illam, quæ probabiliùs; vel tandem illam, quæ æquè aut minùs probabiliter est probabilior. Si primum; hærebo semper quoniam raræ aut nullæ sunt sententiæ certò probabiliores: quia nullam reliquit nobis libram Critolaus, quæ exactè & sine formidine erroris Probabilitates ponderet, & examinet. Si secundum; etiam hærebo semper; quoniam deberem scire, ex quibus Principiis inferam, hanc sententiam probabiliùs, & illam minus probabiliter esse probabiliorem. Si tertium; corruit tota Probabilioristarum doctrina. Quoniam, si tutâ conscientiâ amplecti possum opinionem minùs probabiliter probabiliorem, non militat contra Prudentiam minoris Probabilitatis electio. Non ergo in omnibus Probabilioritas est amplectenda. Vide in syndromo totam Epistolam V. & præcipuè à num..

Probabilioristarum doctrina, cum capite Laudabilem componi non potest. Ergo vel illa falsa est; vel iniquum est, quidquid in illo capite definit Apostolica sedes. Non hoc: ergo illud.

SUBIUNGO Demonstrationem tertiam, cui nullo modo scirem dare responsionem probabilem. Sic inquam. Cùm dubitatur post contractum matrimonium, an maritus sit impotens, non sufficit merum dubium, ut illud esse nullum dicatur. Debet ad experientiam recurri. Triennalem postulat Ius Pontificium, *cap. Laudabilem. de frigid.* Hoc triennium supputandum esse à die reclamationis, & non à die celebrati matrimonij, declaravit Rota per Farinacium *decis. 2--.* quam suâ approbatione Canonicam fecit Paulus V. teste Ludovico de San-Iuan. *de matrim. quæst. 6. art. 5. dub. 1. pag. 994.* Et ego pono illos ipsissimos, de quibus agit Ludovicus, & sic inquam. Fundere semen extra vas, nisi probabilitas fundendi intra vas, excuset, est pollutio, adeoque peccatum gravissimum. Hic mille & pluribus vicibus Princeps, habere copulam tentavit, & nunquam potuit; & tamen iubetur incipere experientiæ triennium. Obedit: & post mille vices, quibus fudit semen extra, vas, hac nocte copulam habere conatur. Sed quantâ spe. Dicit. *Hac ego nocte infundam semen intra vas.* Peto à te, ut sincerè hanc Propositionem consideres: ut illam sine præiudicio qualifices, & dicas; An sit probabilior, quàm contraria? Mihi non esse probabiliorem, certum est: Unde firmat huius Dialexeos Resolutionem: quoniam, nec ipsa est certò falsa, nec ei opposita est certò vera: & hæc Non Certitudo ad conscientiæ securitatem requiritur, & sufficit ut statim videbimus. Vide *artic. 2. a num. 357.* ubi fusiùs hanc edissero Demonstrationem.

Necessitate Scientiæ Certæ, & Probabilioris 293

biliotis reiectâ, remanet Minùs Probabilis. Hæc ut diximus, sufficit: inquiris tamen, *An in defectu certioris hac saltem requiratur?* Sit CONCLUSIO I. *Ratio formalis, qua reddit meam conscientiam securam non est Certitudo, non est Probabilioritas, non est probabilitas, &, ut complectar omnia verbo, non est aliqua ratio specialis, persuadens sententiam, quam amplector, sed Non certitudo Contraria.* COROLLARIUM. *Ergo in casu, quo Ego nullâ speciali ratione certâ, nullâ probabiliori, nullâ saltem probabili, meam possim Opinionem suadere, adhuc operabor tutâ conscientiâ, si nihil certi in contrarium ponatur.* Et casus non est impossibilis. Nam Tu (Lector Amice) Te tuo scis Superiori legitimo obedire debere. At ille distat centum leucis, & hodie præcipit, ut legas Psalmos pœnitentiales v. gr. An-ne hodie obedire teneris? Minimè. Cur autem non? An, quia Tu certò scis non fuisse impositum tale præceptum? An, quia id ipsum probabiliùs, ant saltem probabiliter esse verum cognoscis? Minimè Hanc enim propositionem. *Mihi existenti Neapoli meus Superior nunc Romæ existens nihil præcipit*, nec potes ratione certâ evincere, nec suadere probabili. Cur igitur non teneris præcepto? Dicam. Securitas conscientiæ, quâ frueris, non nascitur ex aliquâ notitiâ (certâ, probabiliori, aut minus probabili) quam habes; sed ex carentiâ notitiæ, quâ præpediris, donec Tibi innotescat Superioris voluntas. Et hinc iam percalles, cur hanc ego Διάλεξιν, *De Non certitudine*, & non *De Probabilitate* inscribi volui: reddit enim, ut dicebam, meam conscientiam securam, non Certitudo, aut Probabilitas, quam pro me habeo; sed Non-certitudo tantummodò, quæ oppositam sententiam inficit. Et quia multa Certitudinum genera ab Authoribus dilucidantur, tu hanc doctrinam ita intellige, ut illud *Non* universale sit, & Certitudinem omnem excludat, nam si sententia opposita realiter, moraliter, aut civiliter certa sit, tua erit certò falsa, & necessariò deserenda. Hic est neruus difficultatis; &, ut illum demonstrem sic in forma argumentor.

Conclusio. *Quæ sit illa formalis ratio, quæ reddit meam conscientiam securam?*

Sitne positiva an negativa?

Cur Διάλεξις *hæc* De Non-certitudine *&* *non* De Probabilitate *dicatur?*

194 RATIOCINIUM II. *Quid requiratur ut quis è possessione expellatur? Præceptum opponitur libertati operandi.*

Nemo potest legitimâ & certâ possessione privari nisi ob rationem certam. Patet, quia nemo à Iudice Civili divitiis, fundis, pecuniâ, &c. nec à Iudice Criminali privabitur honore aut vitâ propter informationem probabilem, seu semiplenam.

At in sua libertatis certa & legitimâ possessione homo est: & ipsâ per præceptum privatur.

Ergo homo non potest certâ & legitimâ libertatis possessione privari, nisi ob præceptum certum. Ergo quamdiu præceptum est merè probabile, (tamdiu enim est incertum,) manet in suo pristino vigore operandi libertas.

Legis & laudas syllogismum: eximiumque Possessionis privilegium commendas: & quia, sicut operandi libertas legitimo Præcepto ligatur, sic Præceptum legitimâ dispensatione soluitur, hunc syllogismum addis: quem esse asseris præcedenti simillimum.

An sicut de libertatis possessione respectu præcepti supervenientis sic de præcepti possessione respectu supervenientis Dispensationis sit philosophandum?

Nemo potest legitimâ & certâ possessione privari nisi ob rationem certam.

At posito legitimo & certo præcepto, est in legitimâ & certâ inferiorem obligandi possessione Superior: & orta à Præcepto obligatio, non nisi per Dispensationem dissoluitur.

195 RATIOCINIUM III. *Præceptum tollitur per dispensationem.*

Ergo Superior non potest certâ & legitimâ subditum obligandi possessione privari, nisi propter certam Dispensationem. Ergo quamdiu Dispensatio est merè probabilis (tamdiu enim est incerta) manet in pristino robore & vigore præceptum.

An hæc duo Ratiocinia secundum & tertium sint similima?

Confers hos duos syllogismos, & asseris ovum ovo similius reperiri non posse: & tamen ego volo ante Resolutionem bene considerare hanc secundam Quæstionem, quæ proponitur, & de eiusdem Fundamentis inquirere. Volo, inquam, bene distinguere, ne Disparitas sub specie Paritatis subrepat Quæstio suboriens est, *An posito Præcepto certo, & Dispensatione probabili teneatur obedire subditus?* Adsunt Ἀπόφανσις, & Κατάφανσις (*Affirmatio*, & *Negatio*) sed utri Assensum maritabimus? Profectò alterutram inivermus viam

196 *Multa interdum similia esse, videntur primo intuitu, quæ si bene considerentur, sunt dissimilia.*

Ibimus *obscuri, sola sub nocte, per umbras* [a]
Perque domos Sophiæ *vacuas, & inania regna.*
Quale per incertam Lunam, sub luce malignâ
Est iter in Physicis, *ubi Cælum condidit umbrâ*
Iupiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

Virgilius *Æneid.6.*

Quid faciam? si propriam tenuitatem confessus, dixero,

Positus in medio, quo me vertam nescio.
Adventante Deâ, Procul, ò procul este profani
Clamat Aristoteles, *totoque absistite luco.* [b]
Tuque invade viam, vaginâque eripe ferrum,
Nunc animis opus Amphimachis *nunc pectore firmo.*

Non sibi contradicit Philosophus, qui in Quæstione difficili utrâque sententiam admittit ut probabilem.

Ergo, quia *Non damno digamos* S. Hieronymus *contra Iovinianum* exclamat, hærentem & suspensum Assensum utrique propositioni maritari permitto.

Est Ἀπόφανσις. *Posito Præcepto certo, & Dispensatione probabili tenetur subditus obedire.* Eam Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 21. num. 25.* Palaus *tom. 1. tract. 2. disp. 6. punct. 16. § 5. num. 3.* (Coninch. *de Sacrament. disput. 33. dub. 6. num. 93.* & alios plurimos citant Recentiores sed male.] Ioannes Sancius *disput. 43. num. 49.* & 57. Tamburinus *lib. 1. cap. 3. §. 3. num. 19.* & alij Viri magni propugnant: & eamdem Ego, ut probabilem & securam recipio: subscribens Dianæ, qui *part. 3. tract. 6. resol. 9.* & *part. 4. tract. 2. resolut. 45. §. Notandum* & *part. 4. tr. 3. resol. 45. & 45.* & iterum *part. 4. tr. 4. resol. 53. §. Dico quartò.* & tandem parte 7. *tract. 3.*

197 Vigilantij sententia. *Est probabilior ab extrinseco; & si rationes bene considerentur certa.*

N. B. Sunt & leges Definitivæ quarũ violatio dirimit, ut illa, quæ in matrimonio impedimenta dirimentia cõstituit, & de his eodem prorsus modo philosophetur dicens positâ probabili dispensatione *manere impedimentum & non manere* posse probabiliter asseri.

tract.3.resol.62. utramque contradictionis partem probabilem esse asseverat Diana. Cotonius *in Summ.verb.dispensatio num.12.* & alij viri doctissimi sequuntur.

Ecce duas habes Opiniones, quas nominibus Græcis distinxi; sed, quia hæc ipsa multis displicent, & Ego sæpe alteram ab altera debebo discernere, discretionem ab hypothetico nomine Authorum sumamus. In Ἀποφαν, (quæ est severa & stricta sententia) Σχόλαρχος, dicatur *Severinus*, ut vel ipso suo nomine [c] doctrinæ suæ qualitatem exponat. Et Σχόλαρχος alter, cui Καταφαν accensere poterimus, poterit *Vigilantius* vocari; nam vigilare debet, ne fortè dormire dicatur: ille enim Vigilantius, qui S. Hieronymi ævo perturbavit Scholas, erat Semilopitus, & ideò *Dormitantius* à Sancto Presbytero, & aliis Viris Eximiis vocabatur.

298 Profectò Vigilantij sententia bifariam persuaderi poterit: cùm enervando oppositæ sententiæ *Achillem*, tum illam positivè probando. Achillem voco illud Ratiocinium fortissimum, quod *Tertium* dixi [d] quo stante, sententia severa non corruet.

Ad Ratiocinium respondetur.

Vt igitur Ratiocinium illud Tertium dissoluam, Maiorem illam, *Nemo potest,* &c. indubitatam esse affirmo. Illam subsumptam Minorem, *At posito*, &c. distinguo. Esse enim in certâ & legitimâ Inferiorem obligandi possessione Superiorem, si certum sit nullam esse dispensationem, concedo: si probabile sit esse dispensationem nego. [Quia, cùm Præceptum & Dispensatio contradictorie opponantur, benè stat Præceptum heri fuisse certum, & hodie Dispensationem dari incertam: at hic & nunc esse certum Præceptum, & esse incertam Dispensationem impossibile est.] Et ideò progrediens vlteriùs nego etiam illatas Consequentias.

Qualis sit Præcepti & Dispensationis oppositio?

Quid sit præceptum?

Diluto Ratiocinio in oppositum, superest, ut hanc ipsam Καταφαν positivè probemus. Attende; sic enim discurro. *Præcipere est actus rationis*, ut nos docet S. Thomas 2.2. *quæst.47. art.9.* Ergo præceptum non consistit formaliter in verbis, sed in voluntate obligandi; quæ, ut innotescat subditis, verbis significatur. Et hanc ob rem Iustitia, quatenus præcipit, ut unicuique tribuatur quod suum est, olim à Simonide, & posteà à Platone *lib. 1. de Republ.* & demum ab Vlpiano *l. Iustitia.* Et à Iustiniano, *ff. de Iustit. & iur. in princ.* dicta fuit *constans & perpetua voluntas*, ne quis leges in verbis, & non in voluntate Legislatoris formaliter esse putaret. Et hoc tam certum est, ut Pontifex claudat Canonicas Regulas dicens, *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Asserit ergo Pontifex leges formaliter in Principis voluntate consistere: & verba requiri, ut illa cognoscatur.

An consistat formaliter in voluntate?

Cur Iustitia appelletur Voluntas?

Cur leges verbis expressis concipiantur?

299 *Dispensare est à voluntate præcipiendi cessare.* Et dispensat Superior eo ipso quod non vult ampliùs subditos suo præcepto obligari. Præceptum igitur & Dispensatio contradictoriè opponuntur: illud enim est *velle obligare*, & hæc *non velle ampliùs obligare.* Ergo Dispensatio non consistit formaliter in verbis, sed in non voluntate (carentiâ voluntatis) obligandi; quæ ut innotescat subditis verbis significatur. Hanc Veritatem demonstrare videtur Consuetudo, quæ si sit rationabilis, & sufficienter præscripta, legem abrogat *ex cap. fin. de consuetud.* Et erit rationabilis, si nulli Iuri Naturali, aut Divino obversetur, ut exponit Palatius *in 3. sentent. dist. 37. disput.7.* Et cur legem abrogare consuetudo censetur? Respondebit sequens Ratiocinatio. *Princeps iussit, ut nullus Civis gladium ferat: & tenetur vi sui muneris facere, ut leges à se latæ observentur. At iam passim Cives armatos videt. Potest illos punire, & de facto non punit, non reprehendit, non moratur. Ergo censendus est non velle ampliùs, ut cives sine gladiis procedant: nam aliàs si staret lex, Princeps illos non puniendo contra officium peccaret.* [Consultò dixi *potest illos punire*, quia vana sine viribus ira; & multa ex necessitate tolerantur: & tunc Princeps non censetur non velle suam legem servari, sed velle, & subditos coërcere non posse. Ergo mera Principis tolerantia ad legem abrogandam non sufficit. *cap. cum iam dudum de praebendis.* Diana *part.1. tract.2. resol 5.* & *part.4. tract 1. resol.1. §. Verum.* Cotonius *in Summ. verb. Consuet. num.1.* Ergo Consuetudo non est, quæ vel legem abrogat, vel in lege dispensat, sed est signum, ex quo prudenter colligimus Principis voluntatem iam non esse, ut impostérum illa, quæ à se fuerant iussa, observentur. Ergo lex formaliter est voluntas Principis, nam hâc manente, manet lex, & hâc mutatâ non manet lex.

Quid sit dispensare?

Quomodo Præceptum & Dispensatio inter se opponantur?

An & quãdo, & cur legem abroget Consuetudo?

Quæ, ut rationabilis sit, requiratur?

Princeps tenetur ex officio illos punire, qui suas leges temerant.

Mera tolerantia Principis qui subditos non potest punire leges non abrogat.

Legem formaliter consistere in voluntate præcipientis.

300 RATIOCINIVM IV. *Positâ dispensatione probabili redditur Præceptum probabile. Et dato Præcepto probabili manet in certâ possessione libertas.*

Hâc doctrinâ præmissâ sic discurro. [*esse dispensationis est* non esse *præcepti* (hoc est, *esse dispensationem, est non esse præceptum*) *Ergo dispensationis* esse *certum, est certum* non esse *Præcepti. Ergo dispensationis* esse *probabile, erit consequenter probabile* non esse *Præcepti. Ergo positâ dispensatione probabili, non manet ampliùs Præceptum certum, sed redditur merè probabile.*

At (ut Ratiocinio II. demonstravimus) *probabile Præceptum non obligat.*

Ergo positâ Dispensatione probabili, Præceptum quod afficit illa non obligat.

Hæc νοῦς *ingeniis perspicacibus* scripsisse sufficiat, illis videlicet, qui Fundamenta, quibus substruo præcedentem doctrinam, iam percallent: at alij ἀσυνοτέροι, *non ita perspicaces* sunt, nam vel Theologiæ Practicæ nondum Fundamenta didicerunt, aut si qua didicerunt, nunc coguntur dediscere. Ergo secundum præparemus calamum, & ipsis ἀσυνοτέροις hanc partem secundam scribamus. Interseremus aliqua, quæ Quæstiones alias plurimas dilucidabunt: sed tamen omnia visa sunt necessaria, ut hæc Positio, *Positâ Dispensationis existentiâ probabili, redditur Præcepti existentia probabilis*, quæ fortè Per se

An hæc, & quibusnam sufficere possint?

301 *Cur addatur & una disputationis pars?*

se notis accenseri potuisset, sine quâ nihil Quartum Ratiocinium includit, clarissimè demonstraretur.



PARS II.

302 *An actus humani sint mali quia prohibiti, an vero prohibiti quia mali?*

NON repono, non repeto, quæ in nostra Fundamentali Theologiâ *à num* 435. edisserui; te enim illa iam legisse suppono: ibi enim communem doctrinam *de Probabilitate* dilucido, nunc promoveo superatis nonnullis intercurrentibus difficultatibus. Sic fuit Quæstio loco citato resoluta, ut ab illâ, quæ explorat, *An actus illi humani, qui incriminantur à Theologis, mali sint, quia prohibiti; an prohibeantur quia mali?* præscinderetur. At iam clariori veritatis splendore suffusi, ante legem saltem æternam, nullam Theologicam reperi malitiam, cum Angelico Doctore & nobilioribus Thomistis, nec non cum Scoto, & eius Scholâ supponentes, Phaselum soluimus, & superatis ingenij Terminis, quibus ætas antiqua inscripsit. NON PLVS VLTRA novos Oceanos aurâ secundâ ingredimur; & ne nos præoccupet aliqua superveniens tempestas Mappam, (Hispanicè *la Carta de marear*) expendimus, & hos Rhombos, quos Theoremata Scholasticus dicat, delineamus.

Carta de marear apud Hispanos quid?

ARTIC. I.

De Præcepto.

Demonstrat Rationem formalem, quæ reddit conscientiam Agentis Rationalis securam, non esse Certitudinem, aut Probabilitatem Sententiæ, quam amplectitur; sed Non-certitudinem contrariæ, quæ dari præceptum affirmat.

303 *An hucusque fuerimus allucinati?*

SI id evicero, multùm doctrinam de actibus humanis promovero, in quâ ego hucusque cum cæteris adlucinabar. Ante diem hunc existimo Rationem illam formalem, quæ conscientias hominum securas reddit, non fuisse inventam: putabamus enim esse Probabilitatem, cum tamen non sit Probabilitas, sed aliud quid distinctum, quod æquè Probabilitatem ac Certitudinem concomitatur. Vt illud invenias & intelligas, Theoremata sequentia contemplator.

An probabilior sententia requiratur?

Primum. *Positis circumstantiis, quas in* Fundamen. Theol. num. 435. *Exposui, ad securitatem conscientiæ sufficit Opinio probabilis?* An & minùs probabilis? Assero: nam demonstratio illa, quæ in nostrâ Regul. Theol. disp. 6. num. 59. ponitur, & in Fundamentali *num.* 443. reponitur in hâc ipsâ Dialexi *part.* 1. edisseritur, per quadraginta aut plures annos in arenâ stat invicta remanet, nec Adversarium habuit, quem non prosterneret.

Secundum. *Ratio formalis, quæ reddit conscientiam securam, ut ut reperiatur in omni Opinione Probabili, non est ipsamet Probabilitas.* 304

In quonam conscientiæ securitas sit collocanda?

Tertium *Ratio formalis unica & adæquata, quæ reddit securam conscientiam, est sola partis contrariæ Non-certitudo.*

An consistat formaliter in Certitudine?

Hos duos ultimos Rhombos bene esse delineatos, hæc duo posteriora Theoremata bene esse adsumpta, demonstrabo clarissimè. Quoniam, qui certò scit actum quem elicit esse bonum (puta, qui dixerit, *Deus est trinus & unus*) conscientiæ securitate fruitur, & tamen in illo actu nulla relucet Probabilitas. Ergo ibi Probabilitas, non est formalis securitatis ratio. Ergo hæc ratio, in qua ponitur conscientiæ securitas, erit aliquid Certitudini & Probabilitati commune. Et quid hoc erit? Partis contrariæ Non-certitudo.

Sed quid de illo dicturus sum, *qui nullâ ratione speciali fulcitur, quâ certò, aut probabiliter suadere possit, actum quem facit esse licitum?* Consultò nomen illud *speciali* interserui; ratio enim quæ à possessione sumitur, generalis est, non specialis. Et hæc est Controversia illa, quæ olim visa difficilis, at hodie à nobis clarissime dilucidabitur. Sit itaque Theorema. 305

An ad securitatem conscientiæ specialis aliqua ratio requiratur? Quid specialis nomine intelligamus? Quàm certum est homines esse libero arbitrio præditos.

Quartum: *Homo est agens liberum.* Homo sanè in suæ est libertatis possessione certissimâ: & tam essentialis ipsi est arbitrij libertas, ut qui eam negare audeat, insanus censendus sit, & non verbis sed verberibus Scoto iudice coërceri debeat; nam ut bene ait Becanus 1. *part. tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 6. sublato libero arbitrio tollitur omnis moralitas, peccatum, meritum, demeritum, præmium, pœna; vita æterna, ut merces, pœna æterna, ut supplicium, & totum regimen, tam naturale quàm supernaturale evertitur & perturbatur. Synodus Tridentina sess. 6. can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, Anathema sit.* Et ibid. *Si quis liberum hominis arbitrium,* &c. *dixerit, aut rem esse de solo titulo, immò titulum sine re,* &c. *Anathema sit.* Et mox can. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, &c. Anathema sit.* Quæ Testimonia dilucidat Enchiridion Synodi Coloniensis *de Sacram. Pœnitent.* dicens *Sole lucente libera est intuitio, hominique liberum est oculos claudere, ne solis lumen admittat: haud secus impio liberum est, præveniente se Divina illuminationis gratiâ à peccato resurgendi eam accipere vel non accipere, Deo prævenienti & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti dare vel negare consensum, velle, vel nolle pœnitere,* &c.

Quanta absurda ex cōtraria assertione sequātur.

Sicut liberè oculos claudimus & aperimus, sic liberè auxiliis divinis uti & non uti solemus.

Quintum. *Licitum dicitur, quod nulla lege prohibitum est.* Est certum & indubitatum; nam ut *ad Roman.* 4. 14. ait Apostolus οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις, *Vbi non est lex, nec est prævaricatio.* Omne enim peccatum 306

Quid sit rē esse licitam? Peccatum est inobedientia.

N. B. Illa vocula, καὶ & est particula expositiva & non coniunctiva: nã hic significat id est.

peccatum Theologicum est formaliter inobedientia, unde ad Hebr. 22. ait πᾶσα παράβασις, καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν. *Omnis prævaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem.* Cui doctrinæ præter Authores paulò ante productos adhærent S. Augustinus *lib. de bon. coniug. cap. 15. in tom.6.* quem citat Magister *in 4. dist.33.* S.Thomas *in 4. dist.15. quæst. 2. artic. 4.* Cod. *item ad Corinth. cap.6. lect.2.* & sæpe alibi ut videre est. *in tabula aureâ verb. licita:* S. Bonaventura *in 4. dist.39. quæst.1.* &c. illam sæpe dilucidat Durandus *in 4.dist.39.quæst.1.§.quantum ad primam*, & *dist.31. quæst.1.* dixerat *Licitum est, quod non est prohibitum aliquo iure naturali, vel humano rectè posito;*

307 *Humana lex ut recta sit, debet rectè imponi.*

nisi enim Lex humana rectè imponatur, non debet ius, sed iniuria censeri, & *dist.32.quæst.3.* sibi consonans ait, *Omne peccatum est deriuatio ab aliquâ lege rectè posita*, & eamdem tuentur sententiam Bertach. *verb.licet* Sylvester *verb.concessum* ait *Concessum intelligitur omne non prohibitum.* Et plerique Theologi. Assentiuntur omnes Iurisperiti, qui hanc doctrinam assumunt pro Theoremate fundamentali *ex leg. mutus, ff. de tort.* &c.

Legem fuisse latam, factum concernit & ideò debebit probari.

Dari autem vel non dari legem est quid facti, & factum non admittitur, nisi probetur. His positis propono Civilem quamdam Causam, cuius expeditio nos iuvet, ut præsentem Controversiam radicitùs intelligamus.

308 *Actore non probãte reus declaratur innocens.*

PEtrus erat in certâ & indubitatâ suæ domûs possessione nec habebat cur de legitimâ proprietate dubitaret, quoniam in illâ fuerat natus, & in illius possessione maioribus suis hæreditariò iure successit, & illã pacificè possedit multis annis insurgit modo Ioannes, & asserit eam ad se spectare: & causa ad tribunal deducitur. Et interrogas, uter probare suam esse domum debeat? & quam certa & secura sit formanda probatio?

Quàm clara debet esse probatio.

RESPONDEO AD PRIMVM, Petrum nil debere probare: nam prudenter respondere poterit *possideo, quia possideo.* Est enim solidissima ratio pro Petro, quod nihil adversarius persuadeat. Audi Alexandrum Scot. *in utriusque Iuris vocabulario* dicentem. [*Possidere; pro possessore* dicitur ille, qui ita possidet, quod scit se nullam, (lege, quod non scit se ullam) causam iustam possidendi habere: ut, si interrogatus fuerit, quare possideat, vel quo modò, nullam rationem prætendat, quare possideat, sed respondeat, *Possideo, quia possideo.*] Et nosco Romæ antiquissimæ Familiæ Principem, qui à Summo Pontifice rogatus, cur in tali theatro suum palatium haberet, *ego non lego historias*, respondit, *nec scio, quis, quando, aut cur illud palatium ædificare voluerit, aut potuerit: sed scio semper meorum Maiorum fuisse, & ego illud possideo quia possideo.*

309 RESPONDEO AD SECVNDVM, ut condemnetur Petrus, & è possessione trudatur, non sufficere, ut Ioannis rationes sint probabiles, aut probabiliores, sed omnino requiri, ut sint certæ: vel ut loquuntur Iurisperiti, ut ad plenam probationem sufficiant quoniam in omni Iuris aut facti dubio *Beatus, qui possidet.* Et quidem beatos esse qui possident, fatetur Glossa *in C. tres, vel plures in verb.* requitat *de pace tenend. in usibi. feud.* Si rem bene consideres, & perpendas, multa sunt, & eximia Possessionis certæ & indubitatæ Privilegia, quæ expendi uberiùs possent, nisi occasio & tempus postularent, ut unum præcipuum & speciale dilucidem, quod ex Naturæ Iure sumitur, succollantque Pontificia & Cæsarea. Illud hæc proponit Ἐξοχῆς *Legitima & certa possessio probandi onus transfert in Adversarium.* Quamobrem, quicumque aliquid ad se spectare asserat, seu causa privatim, seu publicè sit dirimenda, debet Probabilitatem à Certitudine distinguere; nam cedit Possessioni Probabilitas, & Possessio a solâ Certitudine superatur.

Beatus cur dicatur, qui possidet?

Possessor ut tenetur probare ne possit à possessione detrudi, sufficit actorem nihil plenè probasse.

310 *An qui probabiliter iutat rem esse suam, possit illam sive privatâ authoritate vendicare?*

Doctrinam hanc esse veram & indubitatam quoad Iustitiam privatam docet Suarez *tractat. de legib. lib.5. cap. 18. numer. 20.* his verbis. *Licèt quis probabiliter sciat, rem quam alius possidet esse suam, non potest suâ authoritate illam surripere, quando conscius etiam est, alteri non deesse rationem probabilem ad retinendum illam: quia tunc* (addo non) *potest applicare ad opus illud iudicium probabile, cum sciat in simili eventu meliorem esse conditionem possidentis.* Consonat Sanchez *lib.6. in Decal. cap.3. num.7.* dicens. *Sicut habenti opinionem probabilem, immo probabiliorem, dicentem suam rem esse ab altero possessam, non licèt alterum spoliare suâ possessione; quia dum non est Certitudo,* [a] *non est probabile licitum esse spolium alterius propriâ authoritate.* Subscribit Eruditissimus Ficarra *tract. de Fama colloq.35. nod.3. pag.209. b. num.13.* Sic enim ait, *Si probabile tibi sit, rem, quam Fullanus possidet, esse tuam, &c. nondum habes iudicium ultimum, quo probabiliter iudices rem illam posse à te licitè accipi*, &c. Sicut, qui habet rationem probabilem, non potest possessorem spoliare: Sic nec possessor tenetur rem alteri privatim cedere ob meram rationem probabilem. Audi P. Bartholomæum de Medina *in 1.2. quæst. 19. art.6. pag. 176. b. §.facere* dicentem. *Est alterum exemplum. Possidet quis bonâ fide fundum; interim incipit dubitare. Rectissimè possidet; nam in his melior est conditio possidentis. Sic affirmat D.Augustinus. 34. quæst.2. can. si virgo*, &c. Constat ex his Probabilitatem ita se habere ac si nihil esset in Iustitia privatâ. Sed quid in illâ poterit præstare Certitudo? In bene gubernata Republicâ, quæ per publicam possunt, per privatam non debent. Antonius Cotonius *in Summ. verb. occidere invasorem num.20.* Sic statuit *Postquam fur in tuto se posuit, si abest auxilium Iudicis,*

a] Non sufficit probabilitas, sed e etiam dere-quiritur, ut possessor re possessa privetur.

311 *An possessor teneatur se re possessâ privare ob rationẽ probabilem?*]

In bene gubernatâ Republicâ omnia per publicos Iudices expediũtur, & nullus concedit locus violentiæ aut Iustitiæ privatæ.

dicis, potest dominus rei, in locum instare, & res suas re adsumere; &, si fur vim faciat, illum occidere. [b] *Ita Malderus* in 2.2. tract.3. cap.1. dub.3. §.dico sexto, *Diana* part.5. tract.4. resol.37. *& alij.* Et, qui est in possessione, si rem quam possidet, esse Ioannis certò cognoscat, vi huius certitudinis debet illam domino proprio restituere, quia per hanc ipsam certitudinem redditur malæ fidei possessori.

b] *Nota illud si abest auxilium iudicis, Non ergo hoc poterit fieri ubi illud adest.*

De possessore mala fidei quid debeat facere?

312 Etiam doctrina hæc observatur quoad Iustitiam publicam. Ficarra *tract. de Famâ colloq.35. nod.2. pag.207. b. num.*8. Sic infit. *Ponamus exemplum Agis in Iudicio contra Fulanum, ut tibi restituat domum, quàm possidet, & duobus vel tribus testibus probas, eam domum fuisse antecessoris tui, cuius es hæres: è contra Fulanus aliis duobus vel tribus testibus probat eam non fuisse illius antecessoris tui.* [c] *Certe, licèt Iudex ex huiusmodi probationibus probabiliter credere potest, domum esse de hæreditate antecessoris tui, & etiam credere non posse* [d] *tamen ex probabilitate quam habet pro te, nequaquam potest Fulanum condemnare ad restituendum tibi domum, quia in dubio facti melior est conditio possidentis, & nemo re suâ in tali dubio spoliandus est. Vel ponamus exemplum in propriâ materiâ. Agis contra Fulanum in iudicio, ut tibi restituat famam, quam per literas abstulit, & producendo literas, eas probas per duos vel tres testes manu Fulani esse scriptas, & firmatas, è contra Fulanus per totidem, vel etiam per duos tantùm testes probat manu suâ illas non esse, certè eâdem ratione supradicta Iudex non potest eum condemnare ad restituendam tibi famam, quoniam una probabilitas elidit aliam, & licèt probabilior sit tua ex tribus testibus corroborata, tamen quia elisa à duobus contrariis, remanet cum uno, qui solus insufficiens est regulariter ad inducendam certitudinem moralem adversus possidentem, eò magis, quod excessus melioris conditionis possidentis contra ponitur; & debilitat excessum testimonij unius.* Hæc ille. Nec inde colligas dari aliquam informationem pleniorem plenâ, nam si plena gerat Certitudinem, nulla est certitudo maior alterâ. Vnde Regul. XXXI. Pontifex: *Qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.* Vnde concluditur testes, si probi & omni exceptione maiores sint, æquè duos ac centum informationem plenam facere, &, si improbi sint nec unum, nec multos ad semiplenam sufficere. His itaque præmissis, si quis domum A, quam Petrus pacificè, possidet, contendat esse suam, è suæ Iustitiæ vires velit experiri in iudicio, debet Tribunalium morem sequi: & scire, quòd Possessori non incumbat probandi necessitas, vnde Actore non probante legitimè dominium remanet apud Possessorem, *leg. qui accusare.* Cod. *de edendo.* & ibi Doctores communiter. Porrò *leg. unic.* Cod. *de prohib. sequestr. pecun.* inquit. Imperator. *Quoties ex aliquo contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitas conquiescat; oportet enim debitorem primo convinci, & sic deinde ad solutionem pulsari.* Et probat dicens, sic rem debere omninò fieri, quia *non tantùm Iuris ratio, quàm ipsa æquitas persuadet, ut probationes secum afferat, debitoremque convincat, pecuniam petiturus.* Nota illa *convinci*, & *convincat*, non enim obtinebit actor, ut solvat reus, si probationes, non convincentes & indubitatas, sed tantùm probabiles afferat. Et tametsi hîc Imperator agat de pecuniâ, cum Nicolaus Ioannes Abrucius *in face priori pro iure Possessionis, num.*16. & communiter Iurisperiti de quâcumque re possessâ intelligunt. Et apud Cassiodorum *in Edict. cap.* 10. *fol.*656. & Gammum *decis.*331. sic Rex Theodoricus rescribit. *Qualemcumque cuiuslibet rei possessorem conveniri iudiciariâ authoritate decernimus, & exspectari semper iusta cognitionis eventum. Quod si quis qualemcumque possessorem possessione deiecerit, amissionem pro tantâ præsumptione vel bona litis incurrat.* Sic ille. Quia autem aliqui Probabilitatem à Probabilioritate ita distingunt, ut quæ ex opinione probabili posse fieri negarint, posse ex probabiliori concesserint, ne Theodorici verba ita interpretentur, ut eum excusent, qui probabiliùs iudicans rem esse suam possessorem expoliat; & asserant contra illum Theodoricum non agere; adducere volo Suarij verba, quæ scholio & luci sint legi Theodoricææ. Sapientissimus itaque & piissimus Vir, *lib* 5. *de legib. cap.*18. *num.* 26. præter alia similia, sic inquit. *Licèt quis probabilius opinetur rem, quam alius possidet, esse suam, non potest suâ authoritate illam subripere, quando conscius etiam est, alteri non deesse rationem probabilem ad retinendum illam; Quia tunc non potest applicare ad opus prius illud iudicium probabile, cùm sciat in simili eventu, meliorem esse conditionem possidentis.* Suarium citat & sequitur Angelus Maria Verricellius *quæstion. moral. tract.* 2. *quæst.* 13. *num.*4. *pag.* 66. Hancque quæstionem eamdem sententiam nos docuerat *quæstion.*12. *num.*7. *pag.*63. dicens. [Sententia communis negat absolutè posse me ex opinione probabili anferre rem à possessore, etiam omni scandalo cessante: quæ sententia mihi vera videtur.] Et pro illâ Navarrum *in Manual. cap.*17. *num.*117. Suarium *loc. cit.* nec non *tract. de Charitat. disp.*13. *sect.*6. *num.*3. Vasquez *de restit. cap.*6. §.3. *num.*82. & 83. & *cap.*5. §.1. *dub.*8. *num.*40. & alios Doctores produxerat.

c] *Dubium nos in sub dubium & superdubiũ dividi debere num... Monemus, & ad superdubium spectat exemplum, quod proponit Ficarra.*

d] *An ex superdubio Probabilitas aliquando nascatur?*

De restitutione famæ. Nemo, nisi plenè probetur eam abstulisse, poterit per sententiam ad famæ restitutionem condemnari.

An una certitudo Civilis elidatur per alterã.

An detur informatio plenior plena.

313 *An processio certior certâ?*

Testes si boni duo sufficiũt si mali, etsi sint centum nihil probant.

Debitor, nisi convincatur, non potest cogi ad solutionem.

Quid sit convinci?

Licèt non semper profit rationis similitudo, aut paritas, semper habet locum i eminia.

An, qui rẽ ab alio possessam putat esse suam, possit eam privatâ authoritate capere?

An aliter de eo, qui habet opinionem probabilem, & aliter de eo, qui habet probabiliorẽ, iudicandum sit?

Contra Possessionem nõ valet probabilior Opinio.

An possit quis rẽ probabiliùs suã capere, si nullum inde subsequatur scandalum?

314 Et quidem, non solùm non posse re possessâ pacificum possessorem privari, sed neque hanc in sequestro posse poni, sed debere apud possessorem remanere, præter alios innumeros docent Antonius Faber *in C. tit. de prohib. sequestr. pecun. defin.* 1. Et elegantiùs & expressiùs *in eiusdem C. lib.* 8. *defin.*2. *unde vi.* hisce verbis, *semper cavere debet Iudex ut certum possessorem constituat,*

An saltem in casu debeat res auferri à possessore probabili, & poni in sequestro?

constituat, ne alioqui, si rem sequestrari iubet, iniuriam ei faciat, qui in suâ possessione retineri debuit, iustamque appellandi causam ei prebeat. Consonant Berous *cons.*51. *num.*9. Borellus *in Summ. decis. part.*2. *titul.*37. *de sequestr. num.*14. 22. & 87. Corasius *lib.*3. *miscell. cap.*2.*num.*6. Carrocius *de sequestr. part.*2. *in princip.* Coccinus *decis.*311.*num.*3. Cancer 2. *variar. tit. de sequestr. in princip.* Castillus *decis.* 247. *num.*1. & 6. Capycius Latro, Regens, *tom.*1. *consult.* 63. *num.*75. & *decis.*197. *num.*1. *lib.*2. Decius *cons.*366. *ante num.*13. Franciscus Marcus *decis.*38. *num.*2. Guido Pancirolla *cons.*149.*num.*18. Gratianus *in forens. cap.*114. *num.*17. Gabriel *commun. conclus. tit. de citat. num.*25. Helfricus Vlricus Hunnius *Encyclopedia Iuris part.*3. *tit.*12. *cap.*1. *num.*8. *fol.*383. Ioannes Gedæus *de sequestr. cap.*1. *part.*3. *num.*83. Laderchius *cons.*161.*num.*1. Maynardus *decis. Tholos.*5.*num.*1. *lib.*4. Marcus Mantua *locor. commun. lib.*3. *cap.*43. Maranta, Præsul, 1. *respons.*32. *num.*27. Machell. *patrocin.*38. Mascardus *de probat. conclus.*38. *num.*3. & *conclus.*1200. *num.*5. & 6. Menochius *de adipisc. remed.*4.*quæst.* 95. *num.*794. & *de arbitr. Iudic. cent.*1. *lib.*2. *cas.*48. *numer.*12. Natta *cons.*584. *num.*2. *volum.*3. Novar. *tom.*1. *de gravamin. vasall. gravam.*354. Paulus Staibanus 1. *resol. cap.*12. *num.*2. Postius *de manutent. obseruat.*75. *num.*17. & *in resol. civil. lib. cap.*11. *num.*5. & *seqq.* Practicus Papiensis *in form. sequestr.* Romanus *cons.*488. Rolandus *cons.*80. *num.*22. *volum.*1. Riccius *collect.*2575 Seraphim *decis.*723. Sicardus *in leg. unicâ*, C. *de prohib sequestr.* Thorus *part.* 1. 2. & 3. *compend. vers. sequestr.* Tiraquellus *de iure Primogenit. quæst.*17. *opin.*11. *num.* 19. Valenzuela *cons.*3. *num.*168. Wensenbecius *cons.*47. *num.*31. *volum.*1. Et cur producam plures, cum hæc nostra doctrina tam sit certa, ut à nemine negari soleat? Stat ergo neminem, nisi plenè convincatur, re possessâ privari non posse.

Apud possessorem, donec convincatur, debet illa retineri. Ergo nō solùm fit possessori iniuria, si res alteri adiudicatur; sed etiamsi in sequestre ponatur. Unde, si Iudex ad sequestrū procedat, possessor poterit appellare; & audiri, & manuteneri debebit.

Et hic obiter nota cum Possessione titulum dari vel non dari: si legitimus detur inexpugnabilis iudicatur Possessio, ut Berzasol *lib.*1. *cons. civil.*21. *num.*29. & omnes cum ipso testantur. Si non detur realiter, ubi est, possessio pacifica, datur virtualiter, & hoc in idem recidit, quoniam dari præsumitur, donec plenè persuadeatur oppositum, *ex Clement.* 1. *ut lite pendente*, quam Barbasia *volum.*3. *cons.*12. Tiraquellus *loc. cit. num.*20. & alij Doctores adducunt.

De Possessionis titulo. An debeat probari?

315 Sed quid aget, qui rem, quam probabiliter aut probabiliùs suam esse scit, in manibus alterius videt? Privatâ illam authoritate nequit subripere: eamdem per sententiam desperat: quid ergo faciet? Supponere rem non esse suam, & habere patientiam. Sic enim resolvunt Vasquez *in* 1. 2. *disput.*64 *cap.*3. *num.*13. Villalobos *tom.*1. *tract.*1. *diff.*17. *num.* . Perez *in Laureâ Salmantinâ, certam.*10. *Scholastico, num.* 106. Layman *lib.*1. *tract.*1. *cap* 5. *num.*21. Sanchez *in Summ. lib.*6. *cap.*3. *num.*7. & *de matrim. lib.*2. *disp.*4. *numer.*26. Corduva *in Summ. quæst.*111. *artic.*2. *vers. tertia conditio*, Molina *tract.* 2. *disput.*35. *in fin.* & *tract.*2. *disput.*103. Salas *in* 1. 2. *tract.*8. *disput. unic. sect.*13. *num.*128. Castro-Palaus *tom.*1. *tract.*1. *disp.* 2. *punct* 7. *num.*2. Giuniperus *de Iure Pontificio disput.* 6. *cap.*3. *num.*51. & Diana *part.*9. *tract.*8. *resol.*45. & alij, quos citat & sequitur Verricellius *quæst. moral. tr.*2. *quæst.*12. *num.*7. *pag.*63.*a.*

Quid consulendum, si sit, qui non possidet rem, quam esse suam probabiliter iudicat.

Et quid, si Titius rem, quam probabiliter, aut probabiliùs putabat esse suam, de facto à Petro illius possessore abstulerit, aut subripuerit? RESPONDEO PRIMO, cum peccavisse mortaliter: & hoc tam certum esse affirmo, ut Ioannes de Medina, qui *Codic. de restit. quæst.*20. §. *secundum, quia præsupponunt*, hanc ipsam subreptionem validam esse existimat, illicitam esse pronunciet. Eius verba subscribo, *Si Petrus*, ait, *detinet rem, quam dubito meam esse, an ipsius qui eam tenet, si eam stante dubio accipio, pecco; acceptam tamen illi restituere non teneor, quamdiu est dubium probabile, quod mea sit.* RESPONDEO SECUNDO, rationem cui innititur Medina esse fragilem, & me propterea in casu rem illam debere Petro restituere. Arguebat ille. [Ideò Petrus rem probabiliter suam non tenebatur mihi reddere, quia erat in possessione. At ego, tametsi violentiam adhibendo peccaverim, si rem semel accepero, habebo eiusdem possessionem; & quia in probabilibus, *beatus, qui possidet*, eamdem Petro restituere non tenebor] Et hoc argumento nil probari persuadeo. Est Iuris non tam Canonici, quàm Naturalis Regula, *Pro possessore habetur, qui dolo (iniuriâ) desiit possidere.* Ita *leg.*1. *in fin. cum duab. seqq. ff. uti possidetis.* Exclamat Imperator, *improba possessio firmum titulum possidenti præstare non potest.* Vide *leg. improba.* 7. C. *de adquirend. possess.* Et in specie casûs à Medinâ propositi stat *lex, nec ex verâ*, C. *de adquirend. possess.* ibi enim lego. *Qui fundum irrumpit alienum, retinendi iustam causam non habet.* Quam firmant & dilucidant Natta *cons.*168. *num* 4. *lib.* 3. Lancellotus *de attent. lite pendente. in præfat. num.*296. Gratianus *decis.*110. *num.*2. Gaspar Kockius *de Ærario. lib.*2.*cap.*5. *num.*10. *fol.* 210. Menochius *cons.* 928. *num.* 20. & *seqq.* Postius *de manutent. observat.*48.*n.*3. Melchior Lotter *de re Beneficiariâ tom.*1. *decis.*225.*num.*1. Theodorus Reinkinckius *de regimine lib.*1.*class.*3.*cap.*3. *num.*46. *fol.* 112. Afflict. *decis.*403. *num.*21. Horatius Persius *cons. civil.*23. *num.*10. & 11 Præses de Franchis *decis.*204. *num.*26. Novar. *decis.*119.*num.*4 Et huic insistendo doctrinæ, ut contra eum, qui cum titulo pacificè possidet, detur hæreditatis aditio *leg. regulariter, ff. de petit. hæreditat. leg. hæreditatem.* Cod. *in quibus caus. cessat long. temp. præscript.* & in aliis legibus, non permi

316 *Et quid dicendum de Titio, qui rē probabiliter suam de facto abstulit à Petro possessore probabili?*

Dicendum est primò Titium rem illam auferendo peccasse.

Regula XXXVI. *Nemo per fraudē aut violentiam exuitur Iure possessione legitimâ.*

Possessio Civilis sine corporali esse potest. G itus *in tr. de credito, c.* 4. *quæsit* 11. *num.* 1289. & *quæsit.* 7. *n.*799. & *in præfat. n.*57. disertissimè. [Si à donatario fuisset tradita res donata, eâdemque donatarius donatori demū consignasset locationis aut alio detentionis titulo, donatorque insuper alienasset, tunc nullus negaret competere donatario remediū possessionis recuperandæ, &c.]

permisère Imperatores, ut Amaya *lib. 3. Obseruat. Iuris, cap. 2. num. 9. & 19.* Cæsar Argelius *de legitimo contradict. art. 5. quæst. 15. num. 90.* & alij Doctores testantur.

Dicendum est secundò rem illam Titium debere Petro restituere

Dicendum est tertiò Titium cogendum esse per sententiam ad restituendum illam rem Petro.

RESPONDEO TERTIO, meâ probabilitate non obstante rem illam debere Petro per sententiam restitui, nam in tribunalibus priùs de Possessorio, & posteà de Petitorio disceptatur. Regulam, quam observare debent in Petri causâ Iudices, exhibet *lex, nemo. C. de adquirendâ possess.* in quâ sic Imperator pronunciat. *Nemo ambigit. Possessionis duplicem esse rationem; alia, quæ Iure, alia quæ corpore consistit: utramque autem ita demum esse legitimam, cùm omnium adversariorum silentio & taciturnitate firmatur. Interpellatione vero & controversiâ progressâ* (puta, si Petrus contra meam violentiam conqueratur) *non posse eum intelligi possessorem, qui licèt possessionem corpore teneat, tamen ex interpositâ contestatione, & causâ in iudicium deductâ super iure possessionis vacillet, & dubitet.* Item *lex fin. C. de edict. Adriani tollendo.* ibi enim dicitur. *Et possessio adquiratur, qui potiora ex legitimis modis iura ostenderit.* Mihi ergo in casu à Medinâ proposito possessio non adquiritur, quia privata violentia inter legitimos modos adquirendi dominium à nullo Iuris prudente numeratur. Nam, si Nicolai Ioannis Abruscij I. C. verbis (*ex suo Iuridico-Academico Prodromo. part. 2. Possess. num. 1. pag. 21. a.* desumptis) uti liceat [Ille (Petrus) uti priori potiorique possessione munitus, est omninò, seclusâ posteriori (meâ) turba-

Per violentiam possessio Civium non adquiritur.

317 tiva possessione, in eidem bonis manutenendus. Hæc Thesis est Rotæ Romanæ (quam *totius Urbis lumen* appellant Thesaurus *in præfat. decis. num. 33.* Vivius *in Epist. ad tom. 3. & 4 decis.* Surdus *cons. 403. num. 84. lib. 3.* ubi testatur Rotæ Decisiones summâ delectatione legisse. Ex aliis Consiliarius Pratus *2. discept. forens. cap. 5. num. 104.* Rubeus *in Addit. tom. 7. in præfat. num. 13.*) apud Postium *post tract. de manutent. decis. 299. & 300.* repetitur à Postio *dict. tr. de manutent. totâ Obseruat. 71.* & adstipulatur Franciscus Tonduttus *2. resol. civil. cap. 172. n. 4.*]

Romanæ Rotæ auctoritas qualis sit?

Quid in sententia pro latione Iudex debeat necessariò observare?

Has leges, quas paulò antè produxi; hos Authores, qui possessionem priorem, quietam & pacificam, posteriori turbulentæ contentiosæ & per violentiam adquisitæ anteponunt, debet Iudex necessariò respicere, & iuxta illas, & istos rem, quam possidebat Petrus, quam ego per privatam violentiam abstuli, restituere Possessori legitimo (hoc est, Petro) *Iudex enim nihil ex arbitrio suo facit; sed iuxta leges & Iura pronunciat: statutis Iuris obtemperat: non indulget propriæ voluntati: nihil paratum & meditatum domo defert: sed, sicut audivit, ita iudicat: &, sicuti se habet negotij natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur; examinat merita causæ, non immutat.* Ambrosius *in Psalm. 118. serm. 20.*

Est valde difficile agere in petitorio.

Sic Civilia Tribunalia procedunt: nec quempiam à possessione certâ expellunt propter rationes probabiles. Hinc orta apud Iuristas Possessorij, & Petitorij distinctio: raro enim, qui in Possessorio vincitur, adversarium poterit in Petitorio superare. Interim ulterioris, & uberioris doctrinæ gratiâ aliud exemplum in Criminali materiâ proponamus.

Aliud exemplum proponitur in Criminali.

318 INter ingenuos & opulentos Viros numerabatur Fridericus: possidebat divitias, honores, etiam vitam; nam & de hâc differetur statim. De proditorio parricidio accusatur à Carolo & quid erit, si condemnari debeat? Privabitur bonis quæ possidet, honore, quem possidet, vitâ quam possidet; publicabuntur enim illa, iste ininfamiam vertet, & hæc cum morte commutabitur. An, ut hæc omnia cum Friderici excidio fiant, sat erit accusari? minimè. Tametsi enim Accusatio ad inquirendum sufficiat [Glossa *in cap. 1. §. Si duo vers. testim. de pace tuendâ in usib. feudor.* quàm pluribus exornat Gomez *de probat delictor. cap. 12. num. 1.*] ad reum condemnandum non sufficit: quoniam, *Si accusari sufficiat, nemo erit innocens.* Sunt plurimi calumniatores, & crebrò invadit innocentiam temeritas. Bellerophon à Stenebæa, Preti Argivorum Regis uxore, pluries ad adulterium frustrà provocatus, tandem tentatæ pudicitiæ falsò accusatus fuit. Homerus Iliad. 3. Natalis Comes *Mytholog. lib. 6. cap. 3.* Marc Catò Maior quadragies sexies reus causam dixit, & semper absolutus est. Sabellicus cap. 16. & ad Historias sacras veniens Iosepho in Ægypto id ipsum apud Phutipharem accidisse video, quod Bellerophonti apud Pretum Genes. 39. 14. Fuit etiam Iosepho Christus similis, quoniam tametsi fuerit agnus innocens, fuit traductus, & venditus: & à Viris quoad externam opinionem gravissimis (Sacerdotum Principibus) de criminibus exsecrabilibus (Sacrilegio, blasphemia, seductione, rebellione, &c.) accusatus. Stat igitur neminem, nisi temerè & cœcè Ius velit dicere, posse delationi confidere: nec oppositum ex Tiberio, Vitellio, Domitiano, aut etiam Constantino (apud Alexandrum ab Alexandro lib. 4. cap. 22.) potest colligi: nam aliàs ipsi virtutes, quibus decorabantur, hoc vitio, omnium sententiâ macularunt. Ergo, nisi velimus esse cœci, ut condemnetur Reus accusari non sufficit.

Quomodo de parricidio convictus condemnandus.

Fuisse reum accusatum ad condemnationem nō sufficit.

N. B. Quâ parui debeant accusationes fieri *lib. 24. fol. 226.* insinuat Pierius Valerianus his verbis *apud Ciceronē* in oratione pro Roscio *Anserem invenies pro accusatore hieroglyphicè positum; qui obstrepat tantùm, noceat tamen nihil. Cùm canis non tantum adlatret, sed etiam mordeat.*

Interim, nisi accusetur, condemnari non potest, quia libellus, qui Iudici offertur, est de substantiâ Iudicij: nam ex illo debet colligere, an apta, vel inepta sit actio: de quibus interrogandi testes
319 sint: & posteà secundum illum debet sententiam pronunciare. Ita *text. in cap. licet extr. de Simon. & clem. sæpe de verb. signif. leg. ut fundus, ff. comm. divid.* Adde alios textus similes, quos producit Anchar. *cons. 186. in lit. post princ.* Consonant Innocentius Hostiensis, Ioannes Andreas Cal. Ioannes de Imol. & alij.

An sit necessarius libellus accusationis?

Sed qualis debet esse hic libellus? Anne admitti poterit generalis, obscurus, & incertus? Quidquid de civilibus sit, nam reus

An debeat esse clarus & de crimi-

ne determinato: an si sit generalis & obscurus sit admittendus?

tens est suorum bonorum, & non suæ vitæ Dominus, etsi pars nil opponat, in criminalibus admitti non potest: & sententia, quæ super eo feretur, erit nulla *leg. libellorum, vers. quod si libelli*, & ibi Bartolus *ff. de accus.* & Baldus *in leg. 1. col. 13. C. de confess.* Alexander *cons. 182. col. 1. lib. 2.* Paris *lib. de Synd. in §. an per dict. c. per duas col.* Ant. Cap. *in decis. Neap. 5. num. 9.* Rota *decis. 35. Si quod in causa in fin.* & alij Doctores *in leg. edita. & in §. curare Instit. de action.* Ergo supra libellum amphibologum [a] &, qui variè possit intelligi, non potest formari criminalis processus, ut si v. gr. Accusator his verbis libellum concipere. *Reum ago Ioannem talis loci Episcopum, quod Presbyterum N. innocentem suspendi iusserit.* Cùm enim laqueo suspendi ille potuerit & ordinis exercitio interdici, oportet ante litis initium libellum corrigi, ut innotescat clarè, quomodo Presbyter N. suspensus fuerit.

a] ἀμφίβολον ambiguum est: ergo sicut ab εἴδωλον prodit εἰδωλολατρεία, & non εἰδωλολατρία, Hisp. Idolatria. sic ab ἀμφίβολον debet ἀμφιβολολογία & non ἀμφιβολογία provenire.

Verbum suspendo aliud in Iure Pontificio & aliud vulgò significat.

Quid peccatum sit?

De lege ambigua?

Peccatum est *factum, dictum, aut concupitum contra legem æternam.* Ita ex S. Augustino D. Thomas 22. quæst. 7. art. 15. & explicat D. Carolus de Thomasiis *quodl. 4. Schol. 26. pag. 283.* Ergo peccatum civile erit *factum, dictum, aut concupitum contra legem Civilem*: nam & mala voluntas debet puniri humanitùs, si humanitùs probari possit. Actus ergo punibilis debet esse contra legem. Sed quid, si lex duos sensus habeat, & iuxta alterum actui consonet, & iuxta alterum dissonet? Respondent, & Quæstionem decidunt non paucæ Regulæ. Has in iure Pontificio reperio XI. *Cùm sunt partium iura obscura, reo favendum est potiùs, quam actori* XV. *Odia restringi, & favores convenit ampliari* XXX. *In obscuris minimum est sequendum.* XLIX. *In pœnis benignior est interpretatio facienda* LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* LXX. *In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterutrum adimpleri.* Et reus semper censetur debitor. Ex quibus omnibus constat in casu actum illum non posse per sententiam declarari esse dissonum legi [lex namque obscura, & varios habens intellectus ad decidendum adlegari non potest, ut voluit Baldus *in leg. ambiguo, ff. de reb. dub.* & sentit Glossa *fin. in princ. cap. 1. de const. in 6.* Et idem Baldus *in cap. fin. col. fin. vers. ulterius notab. per illum text. extra. eod. tit.* quem sequutus est *decis. 540. quæritur fin. lib. 4. in cons.* &c.] Dedi verba Sebastiani Vantij. *tract. de nullitatib. pag. 511. §. 119.* Quæ confirmat Franciscus Bordonus qui *in suo Propugnaculo pag. 267. num. 8.* sic ait [Lex habens plures sensus, lex non est; cùm non sit clara, sed dubia, ac proinde non obligans: unde nec adlegatur Bartolus *in leg. in ambiguo, ff. de reb. dub. num. 2.* Felinus *in cap. 1. de const. fin.* Quia quod multipliciter intelligitur, ignoratur, Baldus *in leg. data opera C. qui accus. non possunt.* Navarrus *cons. 12. de Simon. num. 3.*] Unde in casu, cùm lex duos sensus habere dicatur, aut intermittenda prorsus est, aut eo recipienda, qui favet reo. Ita Navarrus *cons. 22. de Heret. num. 2.* Megalius *part. 3. lib. 3. cap. 1. num. 64. vers. Sed tu.* nec non Bordonus *ubi supr. ex leg. benignius 18. ff. de legib.*

320 An secundùm illam Iudex possit pronunciare sententiam?

Lex debet esse clara. Authent. de testam. imperf. §. 1.

De lege, quæ plures sensus habet in quo sit accipienda?

Sed quia duæ esse debent præmissæ in omni Forensi Quæstione, quas Cicero, Augustinus, & alij *Modos* nominant, ex quibus deducatur sententia: Thesis nimirum & Hypothesis: lex videlicet, quæ ponitur; & factum, quod elicitum fuisse supponitur: & iam de Thesi (de lege) diximus, nunc de Hypothesi (de facto) breviter disseramus. Quæritur, An sicut ex lege incertâ non potest formari iudicium, sic nec possit de actu incerto & nondum probato sententia? Aio definitivam, & iuxta rigorem Iuris condemnatoriam, debere sequi post informationem plenam. Consono universis Iuristis: & ne multis te gravem, Adamum Contzen adducam, qui *lib. 10. Politicor. cap. 5. §. 2.* communem sententiam his edisserit verbis. *Regula Iuris est* (non ergo alicuius obscuri Authoris singularis Opinio) *probationes in criminalibus luce meridiana oportere clariores esse: dubiâ enim causâ, certâ morte occumbere reum, nulla æquitas patitur. Quomodo ergo tot millia conciduntur* (in bellis) *nec liquet, quis iustiùs induat arma? Iudex non nisi probata sequi debet, & non nisi de quibus liquet, iudicare*, leg. illicitas §. veritas, ff. de officio Præsidis. *Hoc, si privato reo servatur, ubi de hæreditate & agellis, aut sanè de unius vili capite agitur, quid in magnis faciendum, integrisque populis censebimus?* Ita ille; & citatur à D. Angelo Mariâ Verricellio *quæst. Moral. tract. 2. quæst. 34. pag. 113. a.*

321 Quid sint Modi Civiles?

Quid Thesis & Hypothesis?

Consonant Iuristis Theologi, nam Scotus *in 3. dist. 39. quæst. unic.* apud Poncium *pag. 670. ait. Sententia mortis non debet ferri, nisi pro crimine certo.*

Cùm igitur iam modum, quem in iudicando observare debemus à Clarissimis Scriptoribus didicerimus, redeamus ad causam Frederici, quem accusabat Carolus; & quid hic fecerit, examinemus. Porrò Carolus unum testem exhibuit. Excipit contra eum Fridericus, & non esse fide dignum ostendit. Ergo adhuc manet in vitæ honoris, & divitiarum possessione, sicut antea. Producit alium testem Carolus omni exceptione maiorem, unicum tamen: Reddit accusationem suam probabilem. Interim hærent Iudices, & propter informationem semiplenam (probabilem) nec Fridericum capite, nec infamiâ, nec bonorum amissione condemnant: Cur Ergo? quia, ut vitæ possessione, honoris possessione, nec non bonorum possessione Fridericus privetur, non sufficit semiplena probatio (probabilis, aut probabilior ratio) sed plena certa, & indubitata requiritur; quoniam ut dicebamus, in omni Iuris, aut facti dubio *Beatus qui possidet.* Et iure optimo, ut quis per sententiam damnetur capite informationem plenam requiro; id enim Ius ipsum Naturale postulat, & id etiam ipsum Pontificium & Cæsareum indicunt. Gratianus 2. quæst. 1. capit. 1. adducit Augustinum homil. 50. de utilit. pœnit. dicentem. *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus nisi*

Qualē probationem facere debeat accusator?

Non sufficit probatio semiplena.

322 Sed plena & certa absolutè requiritur.

Indicia ne ad condemnationem sufficiant?

Q 3 [a]aut

a] Experientia docuit, soli rei confessioni non esse credendum; tædio enim vitæ posset sibi pessimis homicidio falsum testimonium imponere: ergo præter confessionem debent probationes convenientes accedere.

[a] *aut conuictum aut confessum.* Reus igitur nisi per confessionem, vel per testes legitimos de delicto constiterit, condemnari non poterit *leg. prointe 2. §.ult. π. ad leg. Aquiliam leg. 1 §.si quis ultrò π. de quæst. leg. si quis hoc genus.* C. *de Episc. & Cleric. cap. multi ead. cauſ. & quæſt. & cap. at si Clerici de Iudiciis.* Confirmat omnia hæc *Lex.* 1. C. *ubi quis de Curiali,* ibi enim Arcadius & Honorius præcipiunt, *ut Curialis manifestarum rerum* (non ergo probabilium) *probatione conuictus, eorum Societati, quos declinaverat aggregetur.* Non ergo præsumptiones, coniecturæ, suspiciones, indicia dubia, aut etiam probabilitates, in re gravi ad feriam, prudentemque damnationem sufficiunt, Menochius *lib. 1. præsumption. 97. num. 19. & seqq.* nam tametsi præsumptionibus aut coniecturis (quas

Quid de illis in Naturæ Iure dicendum sit?

Ius Naturæ, ut vel talitri damnetur aliquis, insufficientes censet) ut finis imponatur quæstionibus, & reo incarcerato benignè consulatur, inferre levem aliquam pœnam Ius Civile permittit *leg. 3. §. 1. π de testib.* [quam tamen posse esse pecuniariam, non verò corporalem Gan-

Quid in Civili, si causa vel pœna sit levis?

dinus ille, qui summæ authoritatis est hodie in tribunalibus, & à Iuris-consultis glorioso *Magni Practici* nomine condecoratur, *in tract. de malefic. titul. de indiciis & præsumptionibus* decidit. Consonant Iuniores Antiquioresque: & præcipuè Bartolus *in leg. Presbyt. c. de Episcop. & Cler.* Oldradus *consil. 191.* & alij quos refert & sequitur Mascardus *de probationib. concl. 1226. num. 9.* qui Gaudini sententiam non limitat, sed exponit, cùm præter pecuniariam pœnam, etiam aliquâ corporali, quæ ita in suo genere sit levis, ut pecuniariæ æquivalere censeatur, reum ob præsumptiones condemnari permittit] ut autem Iudex ad capitis sententiam pronunciandam moveatur, illæ ipsæ nullius ponderis sunt. Et Mascardus *concl. 1227. num. 58.* hanc esse communem doctrinam asserit: quod firmat Tiraquellus *de pœnis caus. 27.* qui multos Doctores adlegat.

323 *Præstat reo aliquam pecuniam solvere, aut pœnam levè subire quàm in lite molestâ aut etiam periculosâ progredi.*

Claudam ergo hunc paragraphum adducendo Castrensem, qui *lib. 2. consi. 299.* testatur, se quemdam à capitis pœna defendisse, contra quem ita fortia, & indubitata indicia militabant, ut animus & intellectus prudentis hominis non potuisset credere alium, quàm eum illud perpetrasse homicidium. Et debuit dimitti nihilominùs, nam hæc indicia quantumvis vehementissima, non sufficiunt, ut constituant informationem plenam. [Volui hanc meam doctrinam fundare & succollare sententiâ communi & passim in Scholis receptâ: scio enim esse Viros doctissimos, qui iubeant, ne testis examinetur, si sit unicus: & negent esse possibiles informationes semiplenas: addantque omnia vera, esse æquè vera, omnia falsa, æquè falsa; omnia certa, esse æquè certa; omnia incerta æquè incerta: & tandem omnia probabilia, æquè probabilia: &c. sed hæc sunt singularia Virorum ingeniosorum Placita, quorum approbatione aut impugnatione hæc nostra Dialexis non indiget.]

An aliquando tam esse fortia indicia possint, ut ad condemnationem sufficiant?

324 *Nostra doctrina insistit viæ communi & à singularibus sententiis nō dependet.*

Thesis (lex) secundum quam proferenda est sententia, debet esse certa indubitata, & quæ non patiatur interpretationes differentes, Hypothesis (factum, de quo proferenda est sententia) esse debet certa & indubitata, insistens informationi plenæ. Et ipsamet sententia qualis? Certa, clara, & quæ non patiatur diversas aut adversas interpretationes. Audi Sebastianum Vantium, qui *lib. & loc. cit. pag. 592. num. 101.* rem copiosè decidit; inquit enim. [Sententia, quæ ex aliquo redditur dubia, vel obscura, non valet; ex quo controversiam & negotium vere diffinisse dici non potest, quinimò dubietas adhuc retinet partes ancipites & dubiosas, & sic perinde ac si non fuisset lata, quoad causæ & controversiæ propositæ decisionem *argum. leg. de ætate §. qui tacuit cum sequen. ff. de interrog. action.* & propterea etiam quod res in iudicio deducta sit generalis & dubia, curare tamen debet Iudex certam proferre sententiam, *ut in §. curare Instit. de action. & toto tit.* Cod. *de sentent. quæ sine cert. quant. prof.* & ponit *Spec. in tit. de sentent. & qualiter vers. item debet esse certa,* cum aliis de quibus per Alex. *consil. 109. viso col. lib. 5. & declarat. consil. 187. in hac colum. in 1. lib. 2.* & Dec. *in consil. 8. num. 6. lib. 1.* quoniam si sententia non esset certa & liquida, non posset executioni demandari, sed antequam exequeretur, esset necesse eamdem declarare & liquidare, ut per Bald. *in addit.* Spec. *in tit. de sentent. col. 3. vers. sententia non liquida,* prout dicitur de Instrumento non liquido habente executionem paratam, qui priusquam exequatur, liquidari debet: ut declarant Bart. Bald. & Angel. *in l. 1. in fin. de leg. 2.* Alex. *consil. 94 viso col. 2. in l. 1. in fin. lib. 6. & consil. 136. viso col. fin. lib. 5.* Dec. *cons. 222. Visis col. 1. lib. 2.* & Ang. de Aret. *instit. de except. col. 24. supr. rubr.* & Ias. *in l. certi cond. in princ. col. 7. si cert. pet.* Prima igitur sententia pro sui certitudine aliam post se requireret sententiam, & propositum negotium non diffiniret, & esset insufficiens per supradicta. Et idem, si foret incerta & dubia ob sui perplexitatem, aut repugnantiam, quia non valeret: *argum. l. ubi repugn. ff. de reg. iur. est* Gloss. *in C. Si is qui 11. quæst. 3.* & tenet Bartol. *in l. duo indices, in fin. ff. de re ind.* & Alex. *consil. 124. in causa in fin. lib. 2. & consil. 49. in causa colum. 1. lib. 7.* Cravet *consil. 79. quondam col. 3. in princip.* Anch. *372. pro declarat. col. 2. in fin.*]

Lex debet esse certa: factum certò probatum: sententia certa.

325 *Sententia obscura, non est sententia.*

Non aufert partium dubium.

Mandari nequit executioni.

Debet priùs liquidari & explicari.

326 *Indiget alterâ sententiâ ut explicetur.*

Ergo est nulla & invalida.

Stat igitur in causis Criminalibus antequam sententia exequutioni mandetur, multas requiri Certitudines, quarum si vel una deficiat erit nulla & iniqua sententia. Debet enim (1) constare certò præsentatum fuisse accusationis libellum (2) constare certò, hunc fuisse clarum & bene intellectum. (3) constare certò esse in Republicâ illam legem, (4) & accipiendam in sensu, in quo reus ob eius violationem accusatur (5) constare certò, reum illum

illum actum fuisse, qui hanc legem violat. (6) constare certò, esse legem, quæ tali actui talem præscribat. (7) constare certò latam fuisse sententiam. (8) constare certò illam esse claram, &, non pati varias intelligentias. Alias possem addere Certitudines, sed hæ octo sufficiant, ut videat Lector, quanta prudentiâ in criminalibus causis à Iurisperitis procedatur.

Quaenam dubia deponi & liquidari debeāt prius, quàm sentent a feratur?

Dico igitur has octo Certitudines tam esse necessarias & essentiales in Iudicio; ut, si vel una desit, sententia nulla prorsus sit, nec possit mandari exsequutioni. Et his omnibus bene consideratis cum P. Sylvestro Prierate, olim, dum viveret, Apostolici Palatij Magistro, Viro sanè doctissimo, dicam, *Vbi est ambiguitas facti, nunquam est ferenda sententia in praeiudicium alicuius: & sic intelligitur illud* 11. quæst. 3. *Grave est, & satis indecens, ut in re dubiâ certa detur sententia.* Ita ille *in summ. verb. Dubium, num.* 5. *pag. mihi* 238. *b.* Et rationem huius dicti reddit Sarmient. *lib.* 1. *selectar. cap.* 1 *num.* 5. dicens: [*Quod ex probatione pœna matari non potest, aut enim clarè constat Petrum occidisse Paulum, & occidendus ipse est: aut non constat, & absolvendus omninò est: aut probatio est dubia, ut Iudex non firmet animum suum, & itidem est absolvendus.* Satius enim est, *inquit Vlpianus*, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari, *leg. absentem, ff. de pœnis.*]

An de re dubiâ certa sententia ferri possit.

An probatio dubia, & probatio nulla idem sint?

327 *Cur hæc doctrina sint præmissa?*

HÆc Protheoremata (quæ sunt securissima, & certissima, & ita extra disputationis aleam constant, ut in dubium revocari non possint) & hæ duarum causarum: (Civilis & Criminalis) expeditiones debuerunt necessariò permitti, ut doctrina, quam eis eram substracturus, omni periculi suspicione careret. Sed adhuc antequam meum discursum proponam; nam de divitiis & vitâ corporeâ disserui, & mox de conscientiâ & vitâ æterna disputaturus sum, volo breviter inter divitias, vitam & animam gradus dilucidare, ut scias à minori ad maius argumentum procedere. Sanè terrena bona à Viro Nobili, qui sui statûs auctoritatem conservare tenetur, contemni non possunt. *Sanguis & vita hominum* à Iurisprudentibus *ex leg. Advocati, C. de advoc. diversf. iudic.* vocari solent, quia sunt media ad conservationem vitæ, & sustentationem honoris Diana *part* 5. *tract.* 4. *resol.* 17. Coтonius *in summ. verbo occidere, num.* 19. At vilescunt divitiæ si cum libertate componantur: nam vt habemus in prisca παροιμία. *Non bene pro toto libertas venditur auro.* Vnde Paulus *lib* 5. *ad edict.* ait. *Libertas inestimabilis res est*, cuius verba Cæsarea fecit Imperator ex ipsis Regul. cvi. conformando. Opibus autem & libertate vita maioris fieri debet: nam habemus ex Regula: *In homine libero nullam corporis & vitæ æstimationem fieri posse*, Layman. *lib.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 2. Et ego *Fundament.* 45. *num.* 1124. *Regul.* 65. *& num.* 1236. Verùm enim verò divitiæ libertas, corpus, vita, & similia omnia cum Animâ, & conscientiæ securitate comparata nihil sunt. Exstat locus pulcherrimus in Evangelio, qui id persuadeat. Discipulis suis Matth. 16. 26. dicebat Christus: *Quid enim prodest homini si Mundum universum lucretur Anima verò sua detrimentum patiatur.* Vel ut habet, & quidem significantiùs Textus Græcus, Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος ἐὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ. *Quid enim iuvatur homo, si Mundum universum* (& mundi nomine divitias, honores, libertates, & immunitates intelligit) *lucretur, at secundum animam suam mulctetur.* (plectatur, in æternum puniatur?) Ergò sicut difficiliùs Iudices reum pœnâ corporali, quàm pecuniariâ, difficiliùs infamiâ, quam exilio, & tandem difficillimè morte condemnant: cauti esse debent, ut sententiam de peccato mortali, hoc est de morte æternâ Theologi proferant: nemo enim potest dici peccavisse lethaliter, nisi tam certa & plenæ probationes præcesserint, ut æquè certæ & plenæ sufficiant, ut omnium, bonorum libertatis, honoris, aut etiam vitæ amissione condemnetur. Et ideò scitè Villalobos in summ. tom. 1. tract. 14. dub 9. num. 8. pronunciat: *A mi se me haze rigoroso condenar a nadie à pecado mortal, no siendo el derecho muy claro*, hoc est, ut in Theolog. Regul. prooemio art. 2. pag. 29. transtuli, *Rigidum omninò meâ est sententia quempiam mortiferi peccati reum agere. ubi ius non fuerit valde clarum.* Quæ autem sunt probabila, sunt incerta, & quæ habent veritatem incertam, non habent veritatem valdè claram.

Quanti facienda sint bona terrena?

Cur Sanguis & vita dicantur.

328 *Quanti sit æstimanda libertas?*

Quanti vita corporea?

Quanti vita æterna & conscientiæ securitas?

Quid mundi nomine significetur?

In condemnatione sunt gradus.

329 *Quam esse debeant iura & informationes, ut aliquis incriminetur de mortali.*

330 *An inter utrumque forum (Reipublicæ & Conscientiæ) analogia serva i debeat? An hic à minor ad maius argumētum procedat?*

Pergamus nunc vlteriùs: & ab humanis tribunalibus ad Cœlestia (à foro fori ad forum poli) argumentum formemus. Anne securè servatur hæc analogia, & à tribunali ad tribunal transitur? Antonius Celadeus *de rectâ doctrinâ morum, part.* 1. *lib.* 1. *quæst* 15. *pag.* 149. *a.* nostræ Conclusioni Principali se adversarium declarat, & tamen ait: *Sciendum est, ut videre est apud Vasquez* in 1. 2. disputat. 66. cap. 1. *Sanchez* lib. 1. in decal. cap. 2. num. 11. *&* lib. 2. de matrim. disput. 41. num. 12. *&* lib. 1. disp. 5. num. 20. *Et alios passim, non esse opinionem, sed velut indubitatum Principium Theologorum: utrumque forum (conscientiæ, & iudiciarium seu interius & exterius) secluso errore concordare in omnibus ea solùm excipiendo, quæ in Iure Civili tolerat solùm, non probat Ecclesia.* Consonat P. Ioannes de S. Thomâ à me pluries laudatus, qui Conscientiæ tribunal Politico, quod summâ prudentiâ à Viris doctissimis institutum est, attemperando, his verbis adloquitur Confessarios & Conscientiæ-consultos. [Inspicienda est Possessio: quia *In dubio melior est conditio possidentis.* Et in favorem eius formanda est conscientia, & dictamen, &c. Ad quam etiam Regulam reducenda est alia, quæ etiam pro dictamine rectè formando deservit, *In dubiis favendum est Reo:* quia Reus, quamdiu non condemnatus, est in sua possessione, à

Argumentū à fortiori sumatur?

P. Ioannis de S. Thom. Resolutio.

quâ

quâ deturbari procuratur ab Actore.] Ita ille *tom.1.in 1.2.disput.12.n.24.pag.521,a.* Pergamus igitur, & siquidem, quo Tribunalia Civilia & Criminalia modo procedant, vidimus, & quantum Animæ salus, divitiis, honori, libertati, & vitæ corporeæ præponderet à Domino nostro Iesu Christo didicimus, discurrendo a fortiori, duobus præmissis Parallelum Ratiocinium formemus & dialecticemur hoc modo.

331 *Hominem esse liberum de fide est.* Franciscus est in certâ suæ libertatis possessione, scit tam certò hominem esse liberum, ut possit id iuramento firmare, ut negantes possit hæreseos euidentis arguere. *Quid importet Libertas?* Scit esse veram & bonam illam Libertatis definitionem, quam Stoïci tradiderunt his verbis Ἐλευθερία δὲ ἐξουσία αὐτοπραγίας, quam sic transtulit Cicero. *Libertas est potestas vivendi ut velis:* subintellige, *ni lege prohibearis.* Omnia igitur Francisco licent, quæ nulla lege prohibentur. *An diebus festis elicere actum charitatis & contritionis teneamur?* At supervenit Ludovicus, & ait, esse legem humanam, quæ die crastina carnes inhibeat: esse Divinam, quæ omnibus diebus festis amare Deum super omnia, & elicere actum contritionis præcipiat. An mera Ludovici verba sufficient, ut utramque sub peccato mortali legem Franciscus observare teneatur? *Cur [illegible] fecerint in [illegible] Libertas sit? præsumitur, non servitus probatur.* Minimè, non enim tenetur assentiri dicenti, sed probanti. Nam omnis res censetur libera, nisi servitus & obligatio probentur, *leg.altius, C.de servit. & aqua:* exponítque Ioannes Oinotomus *in Institut.lib.2. tit.3. pag.104.b. n.4.* cum aliis. At Sotum Ludovicus adducit, qui *lect.13. de pœnit.* hanc sententiam tutatur. *Vt ab extrinseco alicui omnino adhæreamus, examinare oportet, an bene citentur Authores?* Sed Franciscus vult propriis oculis videre, An Sotus illam sententiam habeat multæ enim imponuntur Theologis, quas non somniarunt. Vult ergo scire, an Sotus in terminis loquatur & clarè. Et ratio dubitandi est, quia Scholiastes Scoti *in 3.dist. 27.quæst.1.* sic inquit. [*Inclinant Petrus à Soto* lect.3. de Pœnit. *& Viguerius* cap.16. §.4.vers.11.*&c.*] Ergo, si inclinat, nihil decidit aut pronunciat. Et hanc eamdem dubitandi rationem intendit Leander à Sanctiss. Sacramento, qui Authores diligentissimè colligit, & tamen *part.6.* quæ est prima in Decalogum) *tract.3. de Charit. disp.2.quæst.16.pag.77.b.* citat S.Thomam 2.2.*quæst.122.art.4.* nec non Caietanum & Sotum pro opinione contrariâ. Et *Quid sentiat Scotus in præsenti materia.* certè bene S. Thomam, & eius Discipulos à Leandro intelligi, probatur ex Petr. Ioanne Poncio, qui *in 3.dist.37.quæst.vnic. num.218.pag.578 a.* sic inquit: *Qui* (Thomistæ) *putant durum esse obligare homines ad diligendum Deum singulis Diebus Dominicis, ut obligare videtur Scotus.* *An Scotus pro Soto citetur?* Firmat errorem hunc nominum similitudo, & Exsciptorum oscitantia; nam *Sotus* interdum legitur pro *Scotus.* *Quando obliget præceptum Fidei?* Audi eumdem Leandrum, qui *p.6. cit.tract.2. disp.2.q 35.pag. 17.b.* interroganti, *An teneantur Christiani elicere actus Fidei omnibus diebus festis?* respondet. [*Affirmativam sententiam videtur amplecti Scotus* (non Sotus, *ut leges apud Fagundez*) in 3. dist.27 quæst.vnic. §.Quantum ad secundum: *quatenus innuit, Ecclesiam adsignando tempus ad colendum Deum, designasse etiam tempus ad amandum illum,*&c.]

Errorem in nomine non esse substantialem ait Ludovicus; nam in Dispensationibus error in nomine personæ censetur esse accidentarius, & non vitiare favorem. 332 *An error in nomine sit substantialis?* Ita Sanch.*lib.8.disp.21.num.37.* Diana *p.8. tract.3. resol.63.* Perez *in Addit. ad Seguram, leg.Imperator, num.41. ff. ad Trebell.* Hostiensis, Antonius Felinus, Petrus de Ledesmâ, Basilius, Merolla, Postel, & omnes Doctores communiter. Pergit Itaque & ait: [Esto Scoti sententia sit, quæ accensebatur Soto. Ergo argumentum non solvitur, sed transfertur, & in ipsâmet metonymiâ robur novum adquirit; nam Scotus est Scholæ nobilissimæ Princeps, cùm Sotus sit simplex Doctor in Scholâ Thomisticâ.] *Scotus, & Sotus inter se comparantur.* Altiori ergo voce Ludovicus exclamat: [*Scotus asserit peccare cum mortaliter, qui non elicit actum amoris Dei diebus festis. At crastina dies est festiva. Ergo cras Francisce elicere actum amoris Dei sub mortali teneris.*] Audit, & subridet Franciscus; &, ut se eruditũ ostendat, ex Herodoto *in Polihymn.* hanc sententiam desumit. ἐν τοῖσι ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκέει ὁ θυμός. *In hominum auribus habitat animus.* Et ex Ovid.*lib.3.Trist. eleg. vlt.* sumit hos numeros, quibus fervorem Ludovici remittat.

N. B. Auribus intelligere dicuntur illi, qui in verba Magistri iurarunt, & nihil aliud esse verum existimant, nisi quod audierunt ab aliis.

Nullus adest cuius intellectus auribus vtar.

& hos ex Plauto.

Habeo aures oculatas, credo, quod video.

Quoniam Natura (Deus) accensuit Intellectum potentiam nobilissimam) homini,, non ut per illum audiat, sed ut videat. Produci igitur iubet Scotum, vultque eius verba oculis corporeis legere, & incorporeis intelligere & considerare. Scotum Ludovicus adducit, aperit; Scotus autem *loc. cit.* hæc habet: [*Sicut homo tenetur habere aliquem actum virtuosum, ita tenetur habere aliquem actum illius præcepti circa finem* (Deum) *gratuitè diligendum. Quando autem sit hoc, fortè determinavit hoc illud præceptum Divinum*, Sanctifica Sabbatum, *&* Maneat vnusquisque apud se, *id est*, recolligendo se, & adscendendo ad Deum suum. *Et Ecclesia specificavit quantum ad missam audiendam in die Dominico*, de consecrat. dist.2.cap.missas, *&c.*] *Proponitur sententia Scoti.*

At nihil probari hoc Scoti testimonio, ait Franciscus, & iubet considerari illud *fortè.* nam advebium dubitantis est, & qui dubitat, nihil definit. 333 *An ipse aliquid resolvat? an tantum dubitando discurrat?* Vnde eius Scholiastes: *Datum esse præceptum affirmativum de amando Deum super omnia,* Deuter.6. & Matth.22. (definitur.) *Si quæras, quando ligat hoc præceptum? Doctor ait, fortè die Dominico: id est, non asserit, sed dubitat tantum: quia, si die festo non ligat, nescitur, quando ligat.* Addit Franciscus, cæteros etiam Scotistas asserere Scotum nihil certi determinasse: nam P. Ioann. Poncius *ibid pag.199 b.* sic infit. *Secunda sententia est, quod præceptum obligat singulis diebus Dominicis. Hanc proponit Doctor* (Scotus) *dubitativè,*

dubitativè,&c. Vnde infert Franciscus Scotum nihil sibi injunxisse.

Cur Clavasii summa nominetur Angelica? Ne causam inceptam & susceptam deserat, pregreditur Ludovicus,& ait,[Quidquid de Soto,aut Scoto sit, P.Angelum de Clavasio, Theologum celeberrimum, cujus summam non tam ab Authoris nomine,quàm à doctrinæ subtilitate *Angelicam* possumus dicere, expressè hanc doctrinam affirmare. Nam *verb.Feria,n.36.* sic scribit: *An peccatū, sit opus servile?* *Utrum opus mortalis peccati sit contra istud præceptum*, Sabbata sanctifices? *Respondemus secundum Nicolaum de Lyrà* super Exod.20.*quod sic: cùm sit opus totaliter servile: unde erunt duo peccata mortalia; scilicet, quia fornicatus est, & quia opus servile fecit in festo. Et hoc verum secundum Alexandrum* in 3.p.sum. tract.de isto præcept. *&c.* Posteà *n.40.* idem præceptum, quà affirmativum est, exponit,aitque: *Tertiū Decalogi Præceptum suas partes habet: unam negativam, & alteram affirmativā.* *Quibus est insistendum in prædictis festivitatibus? Respondemus* ex textu in cap. jejunia. de cons. dist.3. *die autem Dominicâ nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum: nulla operatio die illâ sanctâ agatur,nisi tantùm hymnis, & Psalmis, & Canticis spiritualibus dies illa transigatur. Hæc ibi. Et licet talibus sit insistendum tamen non de præcepto, nisi quinque. Primum, ut conteratur* (contritio est actus Charitatis perfectæ) *vel saltem atteratur* (Cōtritio si imperfecta sit, nominatur Attritio)*de peccato mortali commisso,in quo iterum est. Et hoc probatur.* *An Contritio,& Attritio à Charitate proveniant?* *Quia de præcepto tenemur vacare Deo in aliqua hora diei festi secundum omnes. Sed hoc facere non potest qui est in mortali, nisi de eo conteratur, vel atteratur. Propterea dicitur Levit 23.* Sabbatum requietionis est, affligetísque animas vestras, *& iterum.* Anima, quæ non fuerit afflicta die hac peribit. *Et quod hoc sit de præcepto in eo, qui se esse in peccato mortali recognoscit,habeo pro indubitato. Sed de eo, qui non advertit, nec recogitat, est magis dubium. Sed credo potiùs eum teneri, saltem generalitar, in aliqua hora dolere, & esse male contentum de peccatis omnibus, saltem in genere:aliter non video, quomodo excusetur à mortali.* Et Additio marginalis,exponens illud Levitici *Affligetis animas vestras* Ex Nicolao de Lyrâ hæc habet, *An diebus Dominicis jejunare possimus?* *Tenebantur se affligere ieiuniis & vigiliis: sed hodie die Dominico nō licet ieiunare:ergo intelligitur de cōtritione vel attritione: & hoc patet per Glossā interlinealem,quæ ait:* affligetis,scilicet,pœnitendo,*&c.*Consonat Angel.Gabrieli *in 3. dist.37.q.vnic.art.3.* Almaino *q.vnic.* apud Suar.*disp.5.de char.sect.3.n.1.*Nicol.de Orbel.*in 3.dist.37.q.vnic.*Nicol.de Nisse *ibid.* S.Antonin.*3.p.tit.9.c.1.*Marsil.*q.12 art.1.* Et pro hac eadē sententia Lorc.*in 2.2.f.3. disp.57.* citat S.Bonau.*in 3.dist.37.ar.2.q.1.*

334 *Laudatur Angelus de Clavasio.* His positis inclamat Lud. Angelum esse DD.Classicum & celeberrimum,& de eius sententiâ evidenter constare.

Sed respōdet Frācisc. 1. fateri se Angelum,& cæteros,qui cum ipso citantur eam ipsam propugnare sententiam, pro quâ à Ludovico producuntur: & respōdet secundò, se venerari tanti Doctoris, imò tantorum DD. nomina; interim, quia liber est, *Nemo tenenetur alterius Doctoris adhærere sententia.* non autem Angeli,aut aliorū Thelogorum servus non velle suum intellectum in Angeli obsequium captivare. Sanè Angelum, & qui ab ipso sunt probabiliter loqui non negat,festa enim sunt instituta etiā propter salutē animarū. Cæterùm,quia opposita Opinio à D.Th.*in 2.2.q.122.a.4.*Suar.*disp.5. de char.sect.3.n.1.* Sanch. *lib.2.Decal.c.35. n.8.*Ægid.*disp.24.dub.3.d.42.*Castro.Palao *tr.6.disp.1.punct.4.n.6.* Leandr. *1 p.tr.5.de pœnit.disp.1.q.33. & de Fide,tr.2. disp.2. q. 35.*& *tr.3.de Spe,dis.2.q.5* & *de Char.tr.4. disp.2.q.17.* Caiet.Soto,Navar.& aliis Viris magnis defenditur: vult Franciscus in suo sensu abundare, & D.Thom. decis. adhærere. *Quotquot docent unā Opinionem probabilem, si docti sint, tenentur dicere,non posse tutâ conscientiâ adhærere contrariæ.* Et se hoc ipsissimum prudenter velle probat ex P.Ioan.Poncio, qui tametsi Franciscanus sit, & contrariæ opinioni adhæreseat, nihilominus *in 3.dist.37. q.unic. pag.200.b.§.Objicies.* proponit cōtra se hoc argumentum.[Fideles non solent confiteri, se nō adimplevisse hoc præceptum diebus Dominicis:Ergo signum est,quod non existimenta dari talem obligationem. Sed non est verisimile, quòd in re tanti momenti tā communis esset ignorantia.] Et illud dissolvit his verbis. *An, & cur nō confiteātur Fideles se non elicuisse actum amoris Dei dieb. festis.* [Respondeo,fideles communiter non solere id confiteri, nec etiam eos existimare ad hoc obligatos (se esse) quia sequūtur Opinionē probabilē Aduersariorum, quæ communior esse videtur [a] & sufficit ad excusandos ipsos ab illâ obligatione,quamvis reverà daretur.] Ecce Fráciscus, Thomistarum probabili Opinioni subscribens, ipsorum Scotistarum suffragio eruitur à peccato. Ergo nondum bene probavit Ludov. Franciscum habere obligationem eliciendi actum amoris Divini diebus festis.

a] Ecce Pōcius tenet sententiam, quā minùs communē, adeóq; minùs probabilem, esse fatetur.

Sed qualiter tandem, sententiam suam persuadere debebit Ludovicus, ut Franciscus sub mortali obstringatur: Debebit,ratione tam certa & probatione tam plenâ,ut omnem saltem probabilitatem excludat, & donec demonstratio (Realis, aut Moralis) adducatur, Franciscus in Libertatis suæ possessione certâ manutenebitur: quoniam in omni Iuris aut facti probabilitate, dubióve, *Beatus ille qui possidet.* 335 *Quando aliquis possit admitti peccati condēnari?*

Hic excursus videtur mihi manifestè concludere,& paritati fori externi & interni insistendo, hoc argumentum,quod attētè legi & considerari desidero,cōcinno.

[Charitas incipit à se ipsâ.Ergo ego non debeo ante operationē strictiùs legem intelligere, quam post illam meus Superior intelliget,ut me laudet,aut puniat & vituperet.Sed,si agamus de irregularitate Iudex me non potest declarare irregularem, nisi casus sit expressus in Iure. [*cap.is qui, de sent.exc.in 6.*ibi: *Irregularitatis tamen* (*cùm id non sit expressum in Iure*) *laqueum non incurrit.*] non me pōtest ad restitutionē condemnare, nisi de debito certò constiterit: & universaliter loquendo, non me potest legis violatione condemnare, nisi dari talem legem, & sic esse intelligendam, certum sit. Ergo imprudens ero, si me judicem irregularem, in casu non certo, & expresso in Iure: ero, si me debere restituere judicem, ubi incertum est debitum: & ero, loquendo universaliter, *Nemo privatim tenetur leges admittere,quas publicè Iudices nō admittunt: & nemo tenetur illas strictius privatim intelligere,quā Iudices publicè intelligunt.*

si me obstringi & obligari lege Iudicem, cuius vel exiſtentia eſt incerta, vel ſenſus eſt incertus & dubius.]

Rationem hanc bene pendi à Candido Lectore deſidero, mihi enim videtur evidenter concludere, & ſolutione opportunâ carere.

RESOLVTIO.
Omni præiudicio ſepoſito conſiderentur Concluſiones ſequentes.

HIs præmiſſis ponamus quatuor Concluſiones, quæ ſecuriſſimæ & certiſſimæ ſint, & ſuis ſuccollent humeris Forum interius & exterius in materiâ Morali.

336
CONCLVSIO I.
Cur actio evidenter bona ſit licita?
Quid ſit ratio formalis?
An certitudo de noninterdictione actûs, ſit ratio formalis ob quam eſt licitum?

CONCLVSIO I. *Hæc propoſitio*, Licitum eſt operari, id quod certò ſcimus non eſſe prohibitum, *Vera eſt, ſed non eſt Theologicarum moralitatum radix.* Et demonſtratur ſic. Ratio formalis eſt, quâ poſitâ ponitur effectus formalis, & aufertur ſublatâ: eſt, inquam, ſine quâ non datur effectus formalis. At ſine certitudine de veritate ſententiæ datur conſcientiæ ſecuritas. Ergo hæc Certitudo non eſt ratio formalis, quæ reddit conſcientiam ſecuram. Probatur minor; quia tutâ etiam conſcientiâ fieri poſſunt, quæ probabilior, aut etiam probabilis ſuadet opinio; & tamen probabilitas, aut etiam probabilioritas certitudini opponitur. Ergò tametſi operemur licitè, quando actionem elicimus, quam non eſſe interdictam certò ſcimus, hæc ipſa ſcientia, ut ſub initium dicebamus, eſt concomitans, & non eſt ratio formalis bonitatis, aut honeſtatis, quæ in noſtrâ operatione invenitur.

337
CONCLVSIO II.
An probabilioritas ſit ratio formalis bonitatis.

CONCLVSIO II. *Hæc propoſitio*, Licitum eſt operari id, quod probabilior opinio non eſſe interdictum ſtatuit, *eſt vera, ſed non continet radicem moralitatum Theologicarum.* Et hæc concluſio poteſt ſicut prima probari: nam hoc, quod eſt reddere conſcientiã ſecuram, omni, non autem ſoli probabiliori ſententiæ convenit: & tamen ratio formalis deberet omni & ſoli cõpetere.

CONCLVSIO III.
An probabilitas ſit ratio formalis bonitatis.

CONCLVS. III. *Hæc propoſitio*, Licitum eſt operari id, quod (*æquè, aut minùs*) probabiliter opinamur non eſſe prohibitum, *vera eſt, ſed nec ipſa cenſeri debet Theologicarũ moralitatum radix.* Et oſtenditur, quia tametſi operemur licitè in caſu, quo probabilitate gubernemur, notitia hæc probabilis, quæ concomitatur, nõ eſt ratio formaliis honeſtatis: ſæpe enim licitè operamur ſine illâ, cum videlicet, aliquid operamur, quod non eſſe interdictum certum eſt.

338
An Concluſio communis inferri poſſit ex fundamento ſpeciali?

Ex his tribus propoſitionibus patet, non benè paſſim Ethicos dialecticari, ſiquidem ex fundamẽto ſpeciali doctrinam communem deducunt: nam, qui ex certitudine, aut ex probabilioritate, aut ex probabilitate naſci conſcientiæ ſecuritatem, probant, inferunt ex uno fundamento rem omnibus tribus (certitudini, probabilioritati, & probabilitati) communem. Et ut ſcias quanti fiat apud Doctos, hic error, hanc hiſtoriam

An Scaliger ſicut & Archimedes fuerit ad incitatus?

ſcribo. Ex Dodecagoni doctrinâ Ioſephus Scaliger intulit attributa aliis etiam Figuris communem & Mathematicos contra ſe concitavit; quibus ipſe, ut reſpondeat, non ait ſe bene fuiſſe ratiocinatum, ſed commiſiſſe errorem, qualem olim Archimedes cõmiſerat. Eius verba ſunt hæc *Archimedi nunquam de paralogiſmis ſuis ſuboluit, qui in*

N. B.
Multæ propoſitiones a-

primâ propoſitione libelli περὶ μεγέθους κύκλου concludit de Triangulo Orthogonio propoſito, quod de omni alio Triangulo Orthogonio, ſive maiore ſive minore, concludi poteſt. In quo longè παραλογιστικώτερον ab eo peccatum, quam à me in Decagono. Ita ille *in Appendice ad Cyclometrica pag.4.* Olim ergo Archimedes, nuper Scaliger, & paſſim Ethici, cum v. gr. inferunt hanc vel illam ſententiam eſſe in conſcientiâ tutam, quia eſt probabilis, ſunt ſimiles illi, qui diceret, Hominem eſſe ſenſibilẽ, quia eſt riſibilis: licèt enim, omne riſibile, ſẽſibile ſit, nõ ideò homo eſt ſẽſibilis quia riſibilis eſt. Ergo, ut tandẽ ad radicẽ honeſtatis & bonitatis perveniã, ſic diſcurro [Plantæ arbores, piſces, aves, quadrupedes, & homines, aluntur, creſcũntque, Ergo ſiquidem *ali, & creſcere* reperitur in omnibus ratio formalis ex quâ provenit *ali, & creſcere,* debet etiam in omnibus neceſſariò inveniri. At rationalitas non reperitur in omnibus. Ergo licèt homo alatur, creſcátque, non alitur & creſcit propter rationalitatem ſibi propriam & ſpecialem, ſed propter aliam rationem aliis univerſis cõmunem. Sed neque ſenſibilitas reperitur in his omnibus. Ergo licèt equus, ex. g. alatur, creſcátque, non alitur, & creſcit propter ſenſibilitatem ſolis animantibus ſpecialem & propriam, ſed propter aliã rationem illis univerſis communem. Ergo hæc eſt quærenda ratio. At vita vegetativa, & nulla alia, plantis, arboribus, piſcibus, avibus, quadrupedibus & hominibus cõmunis eſt. Ergo vita vegetativa eſt ratio illa formalis, ex quâ provenit, quòd plantæ, arbores, piſces, aves, quadrupedes, homines, &c. alantur, creſcãtque.] Hic diſcurſus eſt bonus, & concludit ſecurè. Ergo, ſi eadem teneatur forma, etſi mutetur materia etiam bene & ſecurè concludet. Veniam igitur ad ſecuritatem cõſcientiæ, & ſic inquam. [Sententia Certa, Probabilior, æquè Probabilis, & minùs Probabilis, tutâ cõſcientiâ eliguntur in praxi. Ergo, ſiquidem hoc, quod eſt *eligi tutâ conſcientiâ*, reperitur in omnibus iſtis Sententiis, ratio formalis, ex quâ provenit, *eligi tutâ conſcientiâ.* debet etiã in omnibus neceſſariò inveniri. At Certitudo (quæ ſententiam Certam conſtituit, & à Probabili diſcernit) non reperitur in omnibus (nam Sententiæ minùs, æquè, aut magis Probabiles, nõ ſunt Certæ) ergo licet Certa Sententia tutâ conſcientiâ eligatur in praxi: ratio illa formalis, ob quam tutã conſcientiâ eligi poteſt, non eſt Certitudo, ſibi uni ſpecialis & propria, ſed alia cæteris aliis communis. Sed neque Probabilitas in ombus his ſententiis reperitur (quæ enim Certæ & indubitatæ, ad cenſum Probabiliũ non pertinent.) Ergo licèt Probabilior ſententia, v.g. tutâ conſcientiâ eligi poſſit hoc non habet propter Probabilioritatem ſibi propriã & ſpecialem, ſed propter aliam rationẽ quæ Certis & Probabilibus Sẽtentiis ſit communis. At nec minor, nec maior, nec æqualis Probabilitas eſt ratio etiam reſolutionibus Certis cõmunis: Ergo quærenda eſt aliqua, quæ cõmunis omnibus ſit. At nihil aliud Certæ, Probabiliori, æquè Probabili, & minùs Probabili commune eſt, quàm non

liæ veræ redduntur falſæ ſi particula cauſalis addatur: hæc enim eſt vera, Baſilius fuit Græcus & Sanctus, falſa autem hæc Baſilius quia fuit Græcus fuit Sanctus, & ſic ſimiliter hæc propoſitio. Sentẽtia hæc probababilis eſt licita, eſt vera: falſa autem hæc. Sẽtentia hæc, quia probabilis eſt, licita, quoniam probabilitas non eſt ratio formalis licitatis.

Quo modo ratio aliqua formalis poteſt inveſtigari?

Cur nec rationalitas, nec Senſibilitas ſit ratio, ob quã nutriantur, creſcántque homines & animantes?

Efficacia Dialectica à materiâ nõ pendet. Si forma ſit bona, cõcludet bene in quacumque materiâ.

Quæ ſit ratio formalis, ob quam una ſentẽtia tuta conſcientiâ eligi poteſt, & alia non poteſt.

Quærenda eſt ratio aliqua, quæ omnibus & ſolis ſecuris ſententiis ſit communis.

Quid Sentẽtiæ ſecuræ nomine intelligatur?

non opponi aut contradicere Resolutioni Certæ. Ergo ratio formalis, quæ constituit sententiam securam (hoc est, talem, quæ in praxi tutâ conscientiâ eligi possit) est opposita Non-Certitudo.] Hic discursus est similis præcedenti: & ex illo deducitur nostra.

Conclusio IV. Exponitur quænam sit ratio boni tactu formalis.

CONCLUSIO IV. *Hæc propositio.* Licitum est actionem quamcumque elicere, quæ certò interdicta non sit, *est non solùm vera, sed continet & exprimit rationem illam formalem securitatis, quam quærebamus: nempè rationem illam à quâ promanat practica conscientiæ securitas.* Et ut hanc quartam Conclusionem bene intelligas, adnotato, me Certitudinis nomine, quamcumque: (realem, moralem, aut etiam civilem) intelligere: nam, si certum sit dari præceptum, qualicumque certitudine id certum sit, illi obedire necessariò debemus.

Quid certitudinis nomine intelligendū sit?

339 VT intelligatur hæc Conclusio operæpretium erit exponere, quid CERTITUDINIS nomine intelligamus.

Rem vno verbo expedio: sic inquam. illud in quocumque genere (reali, morali, virtuali, &c.) dicitur *certum*, cujus oppositum in eodem genere non est probabile. Consono Angelo Mariæ Vericellio, qui *quæst. Moral. tract. 2. quæst. 13. pag. 65. b.* his verbis Moralem Certitudinem nobis exponit [Id dicitur moraliter certum cujus oppositum non est probabile. Ita Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 4. c. 15. num. 21.* Hurtad. *de matrim. disp. 10. diffic. 9. n. 37.* & id fortè voluit Caietan. *in sum. verb. Opinionis vsus, n. 2.* ubi sic scribit: *Non enim propterea aliquis opinione tenetur; quia diversi Doctores contraria sentiunt: quoniam cum huiusmodi contrarietas stat, quòd vna pars sit ratione sufficiente ad Moralem Certitudinem fulta; & iam non est Opinio apud capientes rationem illam; sed, quia nesciunt multi discernere inter Certitudinem Moralem, & Mathematicam, omnia quodammodo locant sub Opinionibus.* Ita Caietanus: qui dum ait, *non esse opinionem apud capientes rationem illam,* supponit eam rationem ita convincere intellectum apprehendentis illam, ut credat esse certum, & oppositum esse falsum, & non probabile.] Sic etiam Moralem Certitudinem à Metaphysica distinguit Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 12. n. 39. & 40.* agens de certitudine adulterij, & asserens moralem sufficere ad separationem à thoro.

Non est certum, cuius oppositum probabiliter dicitur, aut negatur.

An Certitudo Moralis & Mathematica different inter se?

An Etiam Moralis & Metaphysica distinguantur?

340 Ego autem inter Mathematicam & Moralem Certitudinem intersero Physicam; Metaphysicâ enim & Mathematicam colloco in eodem gradu. Et sic illas definio.

Certum Metaphysicè est, *quod necessariò verum est: quod de absolutâ Dei potentiâ aliter se habere non potest.* Et in hoc Certitudinis gradu ponitur hæc Propositio, *Duæ contradictoria non possunt esse simul vera.* Si hæc ipsa certitudo in lineis aut numeris sit, à materiâ dicitur *Mathematica.* Et tales sunt istæ Propositiones, *Omnis numerus par est in partes æquales divisibilis. Triangulus constat tribus lineis. Totum est maius suâ parte,* &c.

De Certitudine Metaphysicâ, seu Mathematicâ.

Certum Physicè est, *quod de potentiâ Dei ordinaria aliter se habere non potest, sed de absolutâ potest.* Et in hoc Certitudinis gradu constituo hanc Propositionem, *Est in mundo una civitas, quæ vocatur Constantinopolis.* Et hanc vocant plurimi *Moraliter certam.* at ego illam *Naturaliter certam,* non enim eius certitudo dependet à moralitatibus. In nostro Telarcho, Artic. II. dilucidans, hoc utebar exemplo. Habeo in pileo centum talos (Hispan. *cien dados.*) iacio illos in mensam, & dico: *Non omnes exprimunt numerum senarium:* & assero, hanc meam Propositionem esse physice certam: quia, tametsi Deo nihil tale impossibile sit, consideratis variis positionibus, quas in pileo ipsi habent; & consideratis diversis motibus, quos, cùm pelluntur, subeunt, ut omnes senarium exprimant, realiter impossibile est. Ergo similiter, consideratis variis apprehensionibus hominum, in re, cuius cognitio à sensu pendet, omnes, nemine dempto in unum mendacium convenisse, realiter impossibile est. At hoc ipsum non esset impossibile, si Deus absolutâ potentiâ uteretur: nam sicut fecit, quòd Raphaël Tobiæ, & omnibus homo esse videretur, sic posset facere, quòd una Sylva hominibus appareat civitas, & tunc omnes sine mendacio, ibi talem civitatem esse dicerent, & tamen ea in rerum naturâ non esset.

De Certitudine Physicâ.

An hæc propositio, Datur Constantinopolis, sit certa realiter?

Certum moraliter est, *quod non solùm divinitùs, sed etiam humanitùs, se potest aliter habere: non autem possum dicere,* fortassis aliter se habet, *quia non habeo rationem, quâ possim hanc ipsam suspicionem fundare.* Sanè Propositiones certæ moraliter ex terminorum non connexione admittuntur, nec probari iubentur; tolerant tamen, ut probentur Contrariæ; & donec hæ suadeantur, suam illæ Certitudinem retinent. Et ad hunc Certitudinis gradum pertinent omnes Præsumptiones Iuridicæ, quæ supponuntur, non probantur: non tamen contrariæ partis probationem excludunt. Hæc propositio, *Immemorialis possessio est legitima.* Est certa moraliter: & à Iure præsumitur: &, quia non repugnat id, quod ab immemoriali tempore possidetur, cum alterius iniuriâ possideri, si quis contra Petri ex. g immemorialem possessionem agere in tribunali velit, non poterit inauditus dimitti. Constat ex lege Atiniâ, quæ antiquissima est, & Ius Naturale reponit; ait enim. *Quod subreptum erit, eius æterna authoritas esto.* Vide Agell. *lib. 17. cap. 7.* Similis est huic propositioni hæc, *Ille, qui transit per plateam, quem non cognosco, est vir bonus.* Etsi enim moraliter certa: quia tametsi eum esse malum, non repugnet; cùm non habeam rationem sinistrè suspicandi de illo, debeo præsumere esse bonum, donec ratio superveniat, quæ suadeat illum esse malum.

De certitudine Morali.

Certæ moraliter propositiones, supponi debent, non probari.

An admittant contra se probationem?

Quales sint præsumptiones Iuridicæ?

Petis, *Vtrum Moralis Certitudo excludat omnem formidinem oppositi?* 341 Vericel. *loc. cit.* amplectitur Ioannis Gerson. *p. 2 Oper. tr. de prep. ad Miss. consider. 4* Alex. Pesantij *in 1. 2 q. 92. art. 5. disp. 2. in fin.* sententiam, non omninò formidinem à morali Certitudine exulare

An, qui habet Moralē certitudinē, adhuc formidinē habeat?

exulare asserentem. Et posteà pronunciat rejiciendum esse Merollam, quoniam *tom. 1. disputat. 3. cap. 4. num.* 249. scribit actum moraliter certum debere excludere omnem formidinem subjectivam. Et, ut videamus se iustè Merollæ opinionem reiicere, eius verba subscribit: videlicet. *Vt subditus non possit obedire, debet esse moraliter certus de malitiâ rei præceptæ: id est, debet excludere omnem formidinem subiectivam, seu ex parte subiecti* (omne dubium, quod ipse prudenter habere possit) *licèt non excludat obiectivam, cùm non sit omninò evidens. Vnde subditus debet illi parti ita adhærere, ut nullam formidinem* (nullum prudens dubium) *de opposito habeat, quamvis oppositum sit possibile.*] Et Ego auderem dicere Merollam, ut erat ingeniosus, Veritatem perspexisse, sed non bene explicasse. Ergo contra Verricellium, Gersonem, Pesantiumque, & fortè ex partè contra Merollam sit nostra RESOLVTIO: *Certitudo Moralis formidinem omnem excludit.* Quæ, si bene intelligatur certa est.

An teneatur obedire subditus in materia probabili?

342 Et, ut hæc Veritas meliùs intelligatur, operæ pretium erit primò, Quid formido sit, explicare: & posteà Certitudinem cum Probabilitate componere, & ab ipsâ distinguere. Attende.

Quid sit formido?

Formido, dinis, φόβος, δέος [unde verbum *Formido, as.* ὑφορῶμαι, δειλιῶμαι.] est metus gravis. Cicero 4. Tusc. *Formidinem, metum permanentem definiunt.* Et habet locum in rebus incertis tantummodò; quando enim res est certò eventura, nemo timet, ut fit; nemo, ne fit. Vnde scitè. 3. *Æneid.* Virgilius.

An sit metus gravis? an permanens? An de re dubia?

Tum verò ancipiti mentem formidine pressus obstupui.

Et *in Asin.* Plautus. *Formido miser, ne hic me tibi arbitretur suasisse, sibi ne crederes.* Transeamus ad secundum (ad Probabilitatis & Certitudinis comparationem quoniam de primo (de Formidine) sermo redibit paulò inferiùs.

Certitudinis & Probabilitatis collatio.

Vt inter Probabilem & Certam Propositionem aptè collatio fiat, oportet priùs cognoscere, quam vocemus *Probabilem. Vt ab Angelico Magistro* 2. 2. q. 1. art. 4. c. & à cæteris doceor, *Probabilis Sententia est,* (1) *quæ gravi aliquâ ratione (particulari, aut generali) fulcitur: & tamen* (2) *potest aliter se habere; &* (3) *fortassis aliter se habet.* Et quam, quæso, Sententiam moraliter Certam vocamus. Attende. *Sententia moraliter Certa est* (1) *quæ gravi aliquâ (particulari, aut generali) ratione fulcitur: & tamen* (2) *potest aliter se habere:* (3) *non tamen habeo, unde prudenter suspicer, quod aliter de facto se habeat.* Convenientiam, & discrimen perpende, & has duas Assertiones considera.

Quid Probabilis sententia sit?

Et quid sit moraliter certa:

343 I. *Hæc materia prima existit existentiâ formæ.*

II. *Hic Pater amat suum filium.*

Prima est probabilis, & secunda Certa moraliter. *Vtraque* (1) habet rationem gravem: prima specialem: quæ fuit sufficiens, ut D. Thomæ, & omnium eius Discipulorum, qui multi & doctissimi sunt, extorqueret assensum: secunda generalem, quia unusquisque amat semetipsum: & parentes se reperiunt in filiis, & ideò illos adamant tenerrimè. Quò respiciens Adamus (ipse est Hebraicæ linguæ Nomenclactor) à radice אבה *Abah*, quæ *velle* seu *amare* significat, אב. *Ab.* nominavit *Patrem.*

Conveniũt, quia utraque habet rationem gravem.

Nomenclator Hebraica linguæ Adamus fuit.

אב. AB.

Vtraque (2) potest aliter se habere: quoniam repugnare materiam-primam, quæ propriam existentiam habeat, nunquam demonstrarunt Thomistæ: & vidimus parentes saturno similes, qui odio habuerint suos filios; &, si non eos realiter, civiliter, moraliterque devoraverint.

Pater: *unde dicatur?*

Conveniunt iterum, quia utraque potest esse falsa.

Verùm enim verò (3) tametsi de materiâ primâ Thomistarum possim dicere, *quòd forsitan aliter se habet*, nam rationes graves Scotistæ suppeditant, ut suspicari prudenter possim, non esse veram Thomistarum sententiam; hoc autem de hoc patre nequeo dicere: nam ex doctrinâ generali colligo eum amare suum filium & non habeo rationem aliquam particularem, ex quâ possim suspicari contrarium. Ergo Propositio Certa (si loqui accuratè velimus) excludit omnem formidinem: & in hoc à Probabili differt, quæ formidinem essentialiter habet. Sed in quo consistit hæc formido? Vbi Certitudo non adest. Pono exemplum. *Idem Iubilaum possum lucrari bis.* Est probabilis (1) quia habet rationes & Authores graves: & tamen (2) potest aliter se habere: & (3) forsitan aliter se habet. Hæc tria Probabilitatis attributa considera. Supra illam partem, *Habet rationes graves*, &c. non cadit formido: nisi enim eam habere graves rationes certum sit, non erit certum illam esse probabilem. Sed neque cadit supra illam *Habet graves Authores.* Hæc enim est similiter certa [nam Acacius *tom. 2. verb. Indulgentias, resol.* 95. *pag.* 216. Sic inquit. *Aunque uno haya hecho las diligencias en la primera semana para ganar el Iubileo, le puede tambien ganar en la segunda. Assi lo sienten Navarro* de indulg. not. 34. *Rosella, y Angelo* verb. indulgencia. *Henriquez* de indulg. lib. 7. cap. 42. Diana 1. part. tract. de dub. Regul. resol. 126. *Vega* lib. 4. cas. 81. *&c.*] Supra alteram partem, videlicet, *Potest aliter se habere*, non cadit practica formido; nisi enim aliter se habere posset, esset metaphysicè aut physicè certa, & non esset probabilis: cadit autem formido speculativa, quæ non est sufficiens ut vir prudens formidet in praxi. Cadit igitur formido practica supra illam ultimam particulam, *aliter se habet*, quoniam propositio probabilis ponit supra illam unum *forsan*, quo explicat, se habere speciales rationes dubitandi. Et hoc *forsan* (N.B.) ponitur propter sententiæ oppositæ probabilitatem. [Vnde *loc. cit.* Acacius. *Aunque algunos Doctores tienen lo contrario, se puede seguir lo que esta dicho, y poner en pratica*, &c.] Hoc autem *forsan* nulla Propositio Certa potest ponere; quia nulla, quæ opponitur Certæ est Probabilis.

Differunt in formidine.

In quo illa ponatur?

344 *An unum & idem Iubilaum, iterum & iterum lucrari possim?*

In Propositione Probabili formidinem exprimit adverbium forsan, *& hoc non cadit supra possibilitatẽ, sed supra existentiam falsitatis.*

Hoc

Quid P. Ioann. Poncius dicat de Certitudine Morali?

345 Hoc Certitudinis genus cognovit P. Ioannes Poncius, *in 2. dist. 39. quæst. 1. n. 33. pag. 960.* dicens. [Quando (1) una pars apparet probabiliter illicita; & (2) altera non apparet licita probabiliter; quamvis (3) appareat licita possibiliter, apparentiâ fundata in incertitudine alterius partis non licet facere, quod apparet illicitum. Probatur ex dictis: Quia, si bonum est facere, quod apparet probabiliter bonum, quando non apparet altera pars probabiliter mala (*adde*, etsi appareat possibiliter mala) sine dubio malum erit facere, quod probabiliter apparet malum, quando altera pars non apparet probabilter bona.] Non moror Probationem, nam à licito ad illicitum non valet argumentatio. Peccat enim in Moralis Logicæ Canones hæc Consequentia, *Licitum est facere, quod probabiliter non est interdictum: Ergo illicitum erit facere, quod probabiliter est interdictum.* Solum Conclusionem considero: in qua, ut video, Poncius obludit terminis, & *Probabile* vocat, quod *Certum* deberet: quia ut bene paulò antè nos monuit Verricellius, Certum est, cuius oppositum non est probabile: unde Doctores passim hanc methodum argumentandi observant. *Scriptor N. hanc sententiam iudicavit probabilem; nam oppositam, quam ipse sequitur, probabilem (aut, probabiliorem) appellat.* Est ergo Certum moraliter id, de quo hîc agit Poncius. Quod, ut meliùs intelligas, verbis, quibus utitur Poncius (aut abuti turveriùs) Certitudinis gradus destinguamus.

An à licito ad illicitum valeat argumentatio?

Quid Certum sit?

An id, quod Certo opponitur, possit esse probabile?

Vera Certitudinis definitio, & divisio.

CERTUM universim illud dicitur, cuius Oppositum est improbabile. Et erit, vocabiturque, si Oppositum	*sit impossibile, etiam de potentiâ Dei absolutâ.*	Certum Metaphysicè, *seu* Mathematicè.
	Sit impossibile de ordinariâ, sed possibile de absolutâ.	Certum Physicè, *seu* Naturaliter.
	Sit possibile etiam humanitùs.	Certum tantùm Moraliter.

Memoriâ retineri debet inter Possibile & Probabile data distinctio.

Sciè Iurisperiti inter Possibile & credibile in examine testiû destinguunt.

Hæc distinctio inter Possibile & Probabile (quæ certè valde utilis est) admittitur passim à Iurisperitis, qui asserunt non sufficere, ut ea, quæ à testibus dicuntur, sint possibilia, sed requiri omninò, ut sint credibilia: nam omnia illa crimina, quæ contra S. Athanasium obiiciebant Ariani, erant possibilia (quis de hoc dubitet?) non autem erant credibilia, quoniam non erant probabilia: & nunquam fuerunt credita, quoniam nunquam fuerunt probata.

346 HÆc omnia debuerunt ante explicationem, & probationem Quartæ Conclusionis præmitti. NUNC EAM EXPONO. Dico igitur Primò. *Eum, qui præceptum metaphysicè, physicè, aut moraliter certum violat, committere peccatum certum est.* Dico autem Secundò, *Eum, qui operatur contra præceptum, quod nec metaphysicè, nec physicè, nec moraliter est certum, nullo modo peccare, certum est.* Sunt certa metaphysicè illa præcepta, in quibus Deus nequidem de potentiâ absolutâ potest dispensare. Quorum plurima sunt in scholâ Thomisticâ; valde pauca in Scoticâ: & in Ochameâ aut Nominali nulla. Sunt certa physicè, quæ tametsi secundum naturalem rerum cursum stent, possunt non esse (hoc est, admittere dispensationem) de potentiâ Dei absolutâ. Sunt certa moraliter, præcepta humana, quæ fuisse lata; certò constat; & posse per humanam dispensationem desinere, etiam constat: at supervenisse aliquam dispensatio em, improbabile est.

An alia præcepta metaphysicè, alia autem physicè, & alia moraliter certa dicantur?

Hæc tria Præceptorum genera cognovit & dilucidavit meus Bernardus *tract. de præcept. & disp. cap. 2. & 3.* ubi, præceptum, quòd nos *certum* dicimus *necessarium* appellat: Necessitatemque in Incommutabilem, Inviolabilem, & Stabilem dividit. Porrò præc ptum necessarium & incommutabile (mihi, Certum metaphysicè) est [quod Divinâ ratione constat ita firmatum, ut nullâ ex causâ possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub hoc
genere est omnis illa Sermonis Dominici 347
in monte habiti spiritualis traditio; & quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque Virtutibus, tam in Novo, quàm in Veteri Testamento spiritualiter observandum contraditur. Hæc quippe talia sunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Eo siquidem immobiliter, quo naturaliter bona, nunquam nisi innocenter, nunquam nisi salubriter, aut imperantur, aut observantur. Omni tempore, omni personæ, mortem contempta, custodita salutem operantur; &c.] Et in huiusmodi præceptis, nemo quæret, an concessa fuerit dispensatio, quam impossibilem esse supponit. Præceptum autem necessarium inviolabile (mihi, Certum physicè) est [quod non ab homine traditum, sed divinitùs promulgatum; nisi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur: ut ex. gr. *Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies.* Et reliqua illius Tabulæ legiscita: quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit: Dominus tamen horum, quod voluit, & quando voluit, solvit, &c.] Et hîc, qui aliquem videt homicidium sine causa committere, illum violavisse Decalogum & mortaliter peccavisse dicet, sine erroris formidine; quia tametsi certum esse supponat, Deum dispensare posse, ad formidinem possibilitas mera non sufficit, sed requiritur probabilis aliqua ratio, quæ non suggeritur impræsentiarû. Et tandem Præceptum necessarium stabile (mihi, Certum moraliter) est [quod ita est necessarium,

An hæc duo ...nû tradiderit S. ...nardus?

... Præceptis ...taphysicè ...o.

...a sunt Bernardò ..., duo ...ra præ...ta Primâ ...bula.

De Præcepto physicè certo.

De Præceptô moraliter certo.

348 *Quarta Cõclusio demõstratur.*

quod non cuilibet hominum illud mutare fas sit, nisi solis Dispensatoribus mysteriorum Dei, [id est, Præpositis] Pontificibus, Episcopis, Abbatibus, & cæteris Prælatis, si Ecclesiasticum Præceptum sit: Imperatoribus, Regibus, & aliis Principibus, si sæculare. Et hoc, tametsi humanitùs laxari queat, si constet fuisse latum legitimè, donec probabilis ratio superveniat, quæ valorem eius elidat, illud perstare erit certum moraliter.

An præcepta tollant libertatem moralem?

Pergo ulteriùs, & eamdem Quartam Conclusionem Sic probo. Sum in meæ Libertatis possessione Reali, & Morali [quoniam, ut superiùs vidimus, sicut Chiragra ex. gr. non tollit libertatem realem, sed præstat, ut vel non scribas, vel male delineatos characteres efformes; sic Præcepta inhibentia [a] non tollunt libertatem moralem: (quando enim quis peccat, moralem libertatem exercet.) Sed præstant, ut vel non opereris, vel male & peccaminosè opereris.] Et hoc est certum, & tam certum, ut non admittat ullam dubitationem. At nemo potest propter rationem incertam certâ & legitimâ possessione privari. Ergo, nisi præceptum certum sit, ego in libertatis possessione, & in iure faciendi quidquid velim, remaneo. Manuteneor, inquam, in meâ possessione: non, quia præceptum non dari probaverim (non enim, qui possidet, aliquid probare tenetur) sed quia Adversarius nondum certo, manifesto, pleno, & nulli Probabilitatis aut Incertitudinis aleæ obnoxio ratiocinio præceptum adesse persuasit.

a] Repeiio claritatem, omnia præcepta esse negativa asserendo: hac tamen lege, ut alia actum, alia omissionem inhibere dicantur. Sed de hoc uberiùs alibi.

OBIECTIO.

349 *An ad conscientiæ securitatem positiva honestatis probatio requiratur?*

Dices, hanc doctrinam expresſè opponi S. Paulo, qui *ad Rom.* 14. certitudinem postulat, non est contentus illâ inhibentis præcepti non-certitudine, quam Tertia Conclusio protrudit, Apostoli verba sunt hæc, *Omne, quod non est ex fide peccatum est.* Et illa Glossa hoc Scholio dilucidat. *Fides nostra vult, ut homo agat hoc quod bene intelligit esse agendum: & peccatum est, quod aliter fit, quàm probatum est.* Ergo tam Textus, quam Glossa diruunt Conclusionem. Et primò Textus: nam *Fidei* nomine *sincerum dictamen* intelligit, ita ut sensus. Sit, *Quod non est secundum sincerum dictamen peccatum est.* Dictamen est actus positiuus, Ergo, ut quis operetur licitè, non sufficit non probari actum, quem elicere vult, esse illicitum, sed esse licitum debet positivè probari. Sed & eamdem Conclusionem diruit Glossa: non enim vult, ut possit homo facere, quod non intelligit, aut scit esse omittendum; sed quod positivè & non qualitercumque, sed bene, intelligit fieri posse aut debere.

Quid Fidei nomine intelligendum sit?

Quid sit dictamen?

350 *Ad securitatem conscientiæ ratio quidem requiritur, at specialis non requiritur, nam generalis est positiva & sufficit.*

Respondeo multos in intelligentiâ Tertiæ Conclusionis allucinari existimantes nullam à nobis rationem positivam requiri, cùm tamen nos dicamus nullam specialem requiri. Relege Conclusionem, quam num. 87. §. *Necessitate*, reperies. Assero ergo omnem operationem meam ex Fide (ex dictamine) esse nempè ex istâ (ex isto.)

Ergo tutâ conscientiâ possum facere, quidquid non sit certò interdictum.

Sed sumere in collatione diei ieiunij octo uncias v.g. non est certò interdictum.

Ergo tutâ conscientiâ octo uncias in collatione diei ieiunij possum sumere.

Probatur. Maior. *Nam sum in certâ meæ libertatis possessione, & per præceptum probabile non possum, sed certo debeo possessâ libertate privari.*

Hæc autem ratio non est specialis in materia ieiunij, sed est omnibus actibus humanis, qui liciti censentur, communis.

351 *An ubi non est expressa veritas periculosè resoluatur?*

Hinc patet, quid respondendum sit ad authoritatem S. Thomæ, qui *quod. lib. 9. quæst. 7. artic. 15.* Sic inquit. *Omnis Quæstio in quâ de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur; quia error, quo creditur esse peccatum mortale, quod non est peccatum mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculosum est, ubi Veritas ambigua est, quod in hâc quæstione accidit. Cùm enim hæc quæstio ad Theologos pertineat in quantum dependet ex Iure Divino, vel ex Iure Naturali, & ad Iuristas in quantum dependet ex Iure positivo inveniuntur in ea Theologi Theologis & Iuristæ Iuristis contrariè sentire.* Nam ex his verbis multa possent argumenta formari: tu autem hæc Tria proponis. Primo *enim argumentaris sic.* In omni Quæstione in quâ non habetur certa & expressa Veritas, periculosè determinatur. Sed, ubi est Non certitudo de existentiâ præcepti, certa & expressa veritas non habetur: quoniam Certitudini opponitur Non-certitudo, & positiva aliqua ratio, quâ suadeatur Veritas, non postulatur. Ergo ubi est Non-certitudo de existentiâ præcepti, periculosè determinatur. At in totâ hâc Dialexi Non-certitudo præcepti pro Regula morum adsumitur. Ergo Casus, qui ex hac Regula deciduntur, periculosè determinantur. Præterea, Nihil certi inferri potest ex fundamento, quod non est certum, nam est Non certitudo. Ergo nil certi inferri poterit ex huius Dialexeos doctrinâ. Denique. Omnis Quæstio Practica Theologico-Iuridica est, [nec enim Canones & leges sine Iuris Divini seu Naturalis (quæ enim in Decalogo exstant, à Deo latæ sunt leges) notitia possunt intelligi; & Ius Divinum iam sæpè generale est, sine Canonico aut Politico potest determinari.] At in Quæstionibus Theologico-Iuridicis, & Theologi à Iuristis, & hi ac illi inter se contrariè sentiunt. Ergo in omni Quæstione Practica Theologi à Iuristis, & hi ac illi inter se contrariè sentiunt. At ubi est sententiarum contrarietas, nulla est certitudo. Ergo in Practicis nulla est certitudo.

An Iurium Divinorum & Humanorum cognitio sit connexa?

An de Non-certitudine possit haberi Certitudo?

352 *An ex præmissis incertis aliquid certi inferri possit?*

An Humanæ leges determinent legem Divinam?

De Theologorum nec non Iuristarum dissidio.

353 Horum trium argumentorum dissolutio, & firmabit Dialexeos nostræ Decisionem, & dabunt lucem aliis difficultatibus.

AD

Ubi sunt duæ vel plures circumstantiæ potest de una haberi certitudo quin habeatur de altera.

AD PRIMUM argumentum respondeo concedendo maiorem: certum est enim in Omni Quæstione, in quâ non habetur certa & expressa veritas periculosè determinari: videlicet de eâ circumstantiâ de quâ certa & expressa veritas non habetur: bene enim stat, certam & expressam veritatem de unâ circumstantia non haberi, & haberi de alterâ. Progredior, & distinguo minorem. *Ubi est Non-certitudo de existentia præcepti, certa Veritas non habetur.* Distinguo de Veritate actûs, concedo: de bonitate, nego. Et eodem modo distinguo consequens: nam de veritate non autem de Bonitate actûs periculosè determinatur. Sed hoc ipsum *à num. 119. c. dilucidabitur.*

In actibus Moralibus semper bonitas à veritate est distinguenda.

354 *Bonitatem actus nostra Dialexis ratione positivâ non speciali sed generali persuadet.*

Ad illa verba. *Positiva aliqua ratio, quâ suadeatur veritas, non postulatur.* Sub distinctione respondeo; quia tametsi specialem hæc Dialexis non postulet, generali, quæ sumitur à Iure possessionis, munitur, & hanc asserit irrefragabilem.

AD SECUNDUM respondeo concedendo maiorem & minorem negando; quia, si rem bene examinemus, non solùm Non-certitudo, sed etiam Incertitudo, Mendacium, Falsitas, &c. multa habent certa & indubitata prædicata: hæ enim Propositiones veræ sunt: *Non-certitudo (aut etiam Incertitudo) nisi aliquid certum addatur, non potest intellectum prudentis hominis determinare. Mendacium est actus indignus Viro probo. Falsitas afficit propositionem, quæ enunciat rem aliter quam est in se, &c.* Ergo his similis eris hæc. *Ad conscientiæ securitatem sufficit non certitudo inhibentis præcepti.*

De ipsa Incertitudine multa certa & indubitata possunt dici.

355 *An cætera specialiter militent contra Dialexim.*

AD TERTIUM dico esse generalia, quæ in illo argumento ponuntur, & non concernere specialiter nostram Dialexim: interim, quia, ut ipsa ponerentur, occasionem præbuit Angelici Doctoris authoritas, & non omnes illa volunt accuratè perpendere, etiam illa explicabo.

Quid sit lex naturalis an sit libera?

Dico itaque primò legem naturalem esse legem Divinam, latam liberè à Deo saltem quoad secundam Tabulam: quæ est Melliflui Doctoris sententiâ, quàm posteà fuit amplexus Scotus & Ego pluries dilucidavi.

An leges humanæ existant existentiâ Divina.

Dico secundo omnes humanas leges (Pontificias, Cæsareas, Regias, &c.) existere existentiâ Divinæ; vel tolle Decalogi quartum præceptum, & leges humanas ostende: ideò enim obedimus præpositis, quia Patres (reales & morales) Deus amore, reverentiâ, & obedientiâ honorare præcepit.

An & quomodo Humanæ Divinas determinent.

Dico tertiò, Divinas, nam latiùs patent per humanas determinari & restringi, Dies festos coli, tertium Decalogi præceptum indicit: at hos esse dies festos & non illos; hoc modo esse potiùs sanctificandos, quàm illo, exponit Apostolica Authoritas.

356 *An sit aliquid in quo Theologi universi co[n]veniant?*

Dico quartò certum esse in multis Quæstionibus Doctores (Theologos & Iurisperitos) contrariè sentire, sed esse saltem unicam, in quâ *erit terra labij unius & sermonum eorumdem*, illam videlicet, quæ inquirit, *Quid faciendum ubi utraque sententia est probabilis?* Si enim excipias paucolos, milleni & milleni in hac Decisione consentiunt, *Alterutra tutâ conscientiâ admitti potest.*

Qualis Incertitudo ab Opinionum varietate nascatur?

Hinc igitur veniendo ad argumenti formam, omnes tres prioris syllogismi positiones concedo; & illam subsumptam minorem, *Ubi est sententiarum contrarietas, nulla est certitudo*, distinguo: nulla est certitudo de Veritate actûs concedo: nulla est certitudo de Bonitate actûs nego. Et quid importet hæc distinctio *num. 119. c.* dicetur.

ARTIC. II.

Edisseritur Ratio gravissima, Doctrinam præcedentem persuadens.

Exornatur Caput *Laudabilem*, in quo definitur Impotentem, probabilem consummandi Matrimonium spem, non debere deponere, nisi triennium experientiæ à Sede Apostolicâ præscriptum elabatur.

357 *Quàm certa sit doctrina de Non-certitudine, quam tradimus, & dilucidamus?*

EST tam certa hæc nostra *de Non-Certitudine* Doctrina, quam impræsentiarum proponimus & demonstramus, ut sine ipsâ non possit subsistere Pontificia & Canonica, quam in praxi universa Episcoporum Consistoria observare tenentur. Est tam certa & indubitata doctrina Pontificia & Canonica, ut nemo Catholicus sit, qui insultare audeat Præscriptis Sanctæ Matris Ecclesiæ. Quam ob rem, si demonstra vero Cœlestinum III. *in cap.* Laudabilem. *5. de frigidis & malefic.* Et Honorium III. *in cap.* Literæ. *eod. tit.* & cæteros Summos Pontifices, qui Iura Canonica approbarunt, & in praxi observari præcipiunt, Doctrinâ *de Non-Certitudine*, quam tota hæc Dialexis dilucidat Decreta sua fuccollasse, videbor Demonstrationem absoluisse. Non ergo in gravissimâ materiâ festinemus, sed paulatim pergamus. Et, ut expediamus clarè singula, præmittamus Protheoremata pauca & certissima. Dicamus ergo

An à summis Pontificibus in suis Decretis supponatur?

Quàm grave peccatum sit pollutio?

Primò. *Pollutionem propudiosum & gravissimum peccatum esse.* Acacius *tom. 2. verb. Luxuria, q. 209. pag. 435. à n. 2.* Sic inquit. *La polucion voluntaria es pecado gravissimo, y puede ser de diversa especie accidentariamente; porque si la persona que la tiene, está deleitandose, y pensando en otra, a la polucion se le añade nueva malicia, segun la circumstancia de la persona representada: por lo qual se debe explicar en la confession, como dizen communemente los Doctores.* Et, ut vides, tria dicit Vir doctissimus: videlicet, Pollutionem voluntariam, esse crimen gravissimum: per accidens transire in novas species: & illas à personâ cogitatâ desumere. Primum est certissimum: etiam Secundum, nam aliter se polluendo laicus, & aliter Sacerdos peccat. Interim illud Tertium, tametsi probabilissimè à Navarro in

An, & unde transeat in diversas species?

in Summ. cap.16. num.6. Sà *verb. Luxuria num.11.* & aliis afferatur, probabiliùs negatur à me *in Theol. Regul. num.1039.* ubi sic inquam [sequi decrevi Vasquez *in 1.2. tom.2.disp.112.cap.2.* Sayrum *in Clavi Reg. lib.9. cap.7. num.10.* Reginaldum *tom.2. lib.12. cap.2. num.13.* Et Dianam *de circumst. aggrav. resol 42.* &c. quod probabile iudicavit Lessius *lib.4. cap.3. dub.15. num.123.* Filliucius *tom. 2. tract.21. cap.8. num.301.* Bonacina *de matrimon. quæst.4. punct.8.num.19.* Bassæus *in Flor. num.234.* ubi me citat,& defendit.]

An coniuges possint seminare extra vas?

358 Secundò. *Seminationem voluntariam extra vas, etiam in matrimonio, esse peccatum mortale:* Cotonius *in Summ. verb. Copula coniugalis num.2.* [Si coniuges voluntariè foras semen emittant, peccant mortaliter. Dixi *voluntariè*;nam notat Poncius *lib.10. cap.11. num.5.* id aliquando contingere posse absque culpâ: ut, si vir calidus,dum congredi conatur, semen extra emittit:illa enim festinatio naturæ est, non voluntatis. Ita Diana *part.3. tract.4. resolut.204.§. Addit.*] Persuadetur Conclusio: quia tunc tantùm excusantur coniuges, quando cum spe intus seminandi conveniunt: quia hac spe deficiente, etiam deficit causa, quæ actum illum excuset. Hinc Vincentius Tancredus asserit fœminam quæ certò moraliter probat impotentiam mariti statim separandam esse, nec posse exspectari triennium: sed debere Canonem congruâ interpretatione dilucidari, *nam, si absolutè intelligeretur textus, contineret errorem intolerabilem: cùm matrimonium si vera est impotentia, esset nullum, & coniuges in eo permanere cogerentur.* Consonat Bonacinæ *de matrim.quæst,3 punct.13.num.21.* Riccio *decis.239* Hurtado *disp.22. de matrimon. diff.11. num.38.* Rebellio *de Iust. lib.3. quæst.16. à num.6.* Filliucio *tract.10.part.2. cap.4. à num.105. ad 111.* Paulo Layman *tract.10. part.4. cap.11.num.5.* Coninchio *disp.31.dub.7. num.1.* Iesualdo à Bononiâ *part.1. Theol. Moral. tract.24. cap.7. à n.33.* Aversæ *de Matrim. quæst.13.sect 2. & 5.* Basilio Poncio *lib.7. de matrim. cap. 66. num.2.4. & 7.* & multis aliis. Interim videtur Canonem non legisse Tancredus, quoniam expositio illa, quam ipse adhibet, ne Canon errorem contineat, expressè ponitur in ipso Canone, ibi. *Si frigiditas probari non possit, cohabitent per triennium.* Non ergo hoc, si illa probari possit.

An hæc seminatio soleat præter intentionem accidere?

Iniuriã facit legislatori, qui ita legem interpretatur, ut errorem cõtineat.

Quia autem aliqui de rebus naturalibus ad instar Civilium philosophabantur, dicebantque, fœminam, quæ non reclamavit tempestivè, in pœnam ad experientiam triennalem cogi;hos doctè impugnat Ioannes Sancius [apud Tancredum *de matrim. lib.7. disp.109. pag.221. a.*] his verbis, *Non enim in pœnam non reclamantis, cogi oportebat fœminam matrimonij invalidi partes fovere, cum Naturali Iuri obsit illos coniunctos perseverare, qui ad coniungendum se carnaliter inepti sunt,* &c.

Est contra Ius naturale manere in matrimonio invalido.

359 Sed quid, si voluerint cognitâ impotentiâ cohabitare? Respondet Pontifex, *Romana Ecclesia consuevit in consimilibus iudicare, ut quæ tanquam uxores haberi non possunt, habeantur ut sorores.* Ita Lucius III. *in cap. consultationi, de frigid. & malef.* Quæ verba præceptiva non sunt sed permissiva, ut Riccius 4. *d.34. artic.2.* 10.de Fib. *Summ. lib.4. tract.16. quæst.21.* Navarrus *cap.22. num.60.* Gae. *rep. c. ad limina. 31.quæst.1.§.4.quæst.228.num.531.* Bartholomæus de Ledesma *dub.48.concl.1.* Eos Eunuchos, qui bonâ fide contraxerant, si castè viverent, cohabitare permittit, & si libidinentur inter se, separari iubet Sixtus V. & ait. *Eos autem, quia iam sic de facto contraxerunt, si appareat eos non ut castè vivant, contraxisse, sed ut actibus carnalibus & libidinosis dent operam, simulve in uno & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire convincantur, omninò similiter separari cures.* Adhæret Tancredus, qui *disp.97. quæst.1. pag.187. a.* Sic ait. [Quando matrimonium est bonâ fide initum, & posteà fuit cognita impotentia; tunc possunt coniuges remanere tanquam fratres: licèt ut plurimum sit periculosa talis cohabitatio ob periculum incontinentiæ, &c. Sotus *in 4. dist.34. quæst. unic. art.2.* Petrus Ledesma *quæst.58. art.1. dub.3.* Canedo *collect. ad decret. coll. 38. num. 2.* At, si incontinenter viverent, & non se abstinerent à tactibus inhonestis, &c. non sunt permittendi simul cohabitare.] Consonat Malletus *malleat.56. bract.61. pag.597. b.* dicens. [Quia talis cohabitatio censetur periculosa, principaliter, si sint iuvenes, ideò non facile Iudex debet permittere, ut simul cohabitent. Navarrus *lib.4. consilior. tit. de frigid.*]

An impotentes possint ut fratres cohabitare?

Est periculosa hæc cohabitatio: ideoque non consulenda: &, si inconvenientia probentur, ab Episcopis non toleranda.

Tertiò, *Possessio, quam habet maritus quando de eius impotentiâ disputatur, non est quieta & pacifica.* Patet: quia est similis illi; qui recepit de facto equum, ex. gr. ex emptionis aut donationis contractu, de cuius valore disseritur. Et videtur esse externa tantummodò aut esse incerta. Aliud enim ius habet maritus, præscribendi uxori, ne se vivo alteri viro nubat: & aliud petendi ut consummetur matrimonium. Quoniam in primo casu vir est verus maritus, & est in possessione habendi illam, ut suam: in secundo autem, quando, utrum adsit impedimentum impotentiæ examinatur, agitur de copulâ, ut inde sciatur, an matrimonium fuerit validum. Ergo non est in certâ possessione;siquidem dubitamus; an tale matrimonium existat in rerum naturâ. 360

An marito, de cuius potentiâ disputatur, iuvet illa Regula generalis, Beatus qui possidet?

An habeat possessionem incertam.

Cùm autem imperfecta hæc possessio tantam det viro authoritatem & potestatem in corpus fœminæ: prudentes viri à fortiori discurrent, ut alia iura & privilegia veræ possessionis exponant. 361

An possessioni, etiam incerta, privatâ authoritate prævidicari possit?

Quartò, *Quando impotentia est certa, si ante Matrimonium præcesserit, non est exspectanda experientia triennalis, ut declaretur matrimonium nullum, sed statim est declarandum nullum; & qui sic contraxerunt debent statim separari. Si subsequuta sit, debent coniuges ab usu matrimonij cessare.* Ago

Si certò constet de impotentiâ debet statim matrimoniũ

dissolui, & impotentes separari.

Ago de impotentiâ certâ, quæ ſeminandi intra vas, excludit omnem ſpem probabilem. Tunc enim, qui deficiente hac ſpe extra vas ſeminaret, voluntariam pollutionem admitteret, & peccaret mortaliter. Ita Leander *part. 2. tract. 9. diſp. 21. quæſt. 42. pag. 317. b.* inquit enim. [Reſpondeo certiſſimè (experientiam triennalem) non requiri, ſed tunc abſque morâ ullâ temporis expectatâ diſſolvendum eſt matrimonium. Tum, quia *cap. Laudabilem*, ubi triennium experientiæ ad concludendam frigiditatem requiritur, excipitur, niſi ea probari poſſit. Tum etiam quia conſtante impotentiâ, ac ſubinde matrimonij nullitate, contra Ius Naturæ eſſet (N. B.) copulam permittere, cùm tantùm bona fides potentiæ excuſare poſſit maritales actus. Sanchez *lib. 7. diſſ. 107. num. 3.* Baſilius *lib. 7. cap. 66. num. 1. & 2.* & omnes apud Palaum *diſp. 4. punct. 14. §. 9. num. 3.*] Hæc doctrina eſt tam vera, ut ex illâ Leander *ibid. quæſt. 19. pag. 312. a.* reſolvat ſenes, qui omninò impotentes ſint ad perfectam copulam, eſſe incapaces ad matrimonium contrahendum. Quam ſententiam nos docet *ibi* Roſella, Angelus, ſylveſter, Guttierrez, Scotus, Petrus, & Bartholomæus de Ledeſma, Angles, & alij uſque ad triginta octo Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez, quibus adhærent Bonacina, Hurtadus, Candidus, Torreblanca, Filliucius, Barboſa, Didacus de Narbona, Caſtro Palaus, & alij.

Aliàs contra Naturâ ſordeſcere permitterentur.

Non poſſunt ſenes convenire, ſi certũ ſit ſeminaturos extra vas.

362 Firmat præcedentem doctrinam Reſolutio 44. quam ipſe Leander habet *diſp. 25. pag. 356. b.* ibi enim agens de ſenibus, qui erant potentes quando matrimonium contraxerunt, illudque, ſi velis, conſummarunt, & poſtea ingraveſcente ætate aut ſuperveniente morbo ſunt redditi abſolutè impotentes, ſic inquit. [Si ſenes certò ſciant, ſe non poſſe intra vas fœmineum ſeminare, quia tunc non poterunt uti copulâ, quamvis uti poſſint oſculis, amplexibus, &c. [a] periculo ſecluſo pollutionis. Hoc totum patet à ſimili in impotentibus, quibus conceditur triennium ad experiendum, an potentes ſint: Nam quamdiu dubia impotentia eſt, licitè poſſunt; imò & debent copulari (cùm hoc impedimentum experimento ſolo cognoſcitur) quamvis ſæpe contingat extra vas ſemen effundere, donec certo conſtet impotentia, nam tunc iam erit copula mortalis. Sic Sanchez *diſp. 17. num. 20.* Baſilius *cap. 11. num. 6.* Bonacina *quæſt. 4. de matrim. punct. 6. num. 17.* & penes ipſos, Navarr. *cap. 22. num. 60.* Henriquez *cap. 16. num. 7. & cap. 15. num. 4.* Reginald. *lib. 31. num. 334. concl. 6.* & alij. Quos ſequuntur Palaus *diſput. 1. punct. 4. §. 3. numer. 7.* & Trulleuch. *lib. 7. cap. 11. dub. 5. num. 6.*]

N. B. Mihi non videtur ſecura iſta ſimilitudo: nam inter impotentes, quibus cõceditur experiẽtia triennalis, tactus & oſcula ad copulam futuram ordinantur: at, ubi ceſſat hæc ſpes, nõ niſi ad pollutionẽ tactus & oſcula, & ſpirituũ commotio ex illis proveniens ordinantur.

363 Proderit audire P. Raphaelem Averſa, *de matrimon. quæſt. 21. ſect. 5. pag. 653. a.* dicentem. [Si vir procurans habere copulam, ex accidẽti ſemen extra vas fundat, etiamſi hoc periculum antecedenter adverteret, dummodo tamen haberet etiam ſpem intus fundendi, nequaquam peccat, nam per ſe conatur ad actum licitum, quem ſperat perficere: & per accidens, ac præter intentionem ſequitur ille effectus, ob quem non proinde tenetur deſiſtere ab actu per ſe licito & convenienti. Idque verum eſt, ſive talis difficultas superveniat poſt matrimonium, ſive anteceſſẽrit. Nam in dubio impotentiæ antecedentis, Eccleſia concedit ſpatium triennij ad experientiam; utique ſciens & conſiderans, poſſe interim in tali conatu eum effectum contingere. Quare ſufficit, ſi adſit vel modica ſpes, quamvis maior ſit probabilitas & frequens caſus de contrario effectu. Quando tamen nulla ſupereſſet ſpes, ſed certus eſſet contrarius eventus; tunc ſanè non liceret ampliùs niti ad impoſſibile & vetitum. Ad iudicandum autem quamdiu ſubſit aliqua ſpes, nulla commodior regula tradi poteſt, quam illa aſſignata ab Eccleſiâ, de experientiâ triennali.] Sic ille.

Non requiritur certitudo, ſed ſufficit probabilitas ſeminandi intra vas.

Non imputantur, quæ præter intẽtionem eveniunt.

Et ſufficit ſpes minùs probabilis, etiamſi maior probabilitas ſit à parte contrariâ.

Ubi autem omnis ceſſat ſpes, debent à conatu ceſſare.

Quintò. *Maritus, qui integro menſe, aut anno tentavit habere copulam cum ſuâ uxore, nec tamen potuit penetrare vas, non eſt dicendus carere ſpe probabili matrimonij conſummandi, aut habere moralem certitudinem quod nunquam illud conſummaturus eſt.* Patet: quoniam Pontifex *in cap. Laudabilem*, triennium integrum poſtulat. SANE, ut matrimonium validum ſit requiritur, non ſolum, ut vir vas fœmeninum penetret, ſed etiam ut in illo ſeminet, nam ſeminis deciſio extra vas contra naturam eſt, & non ſufficit ad matrimonium. Amicus *tom. 9. de Matrimon. diſp. 24. pag. 229. b.* Quod non ſolum impotens ad penetrandum, ſed etiam ad ſeminandum intra vas, ſit ad matrimonium inhabilis, conſtat: nam ea potentia ad matrimonium deſideratur, quæ per ſe idonea eſt ad prolem gignendam. Hæc autem non eſt ſola potentia ad penetrandum, ſed etiam ad ſeminandum intra vas, ſine cuius ſeminatione nequit fieri mutua ſanguinum commixtio, & conſequenter aptum principium ad prolem gignendam, ad quam matrimõnium ordinatur. Hanc rationem inſinuat Cœleſtinus III. *cap. Laudabilem, de frigid.* ubi declarat iudicandos eſſe inhabiles ad matrimonium, qui per triennium, quod ad potentiam coëundi probandam conceſſum fuit, *nunquam per carnis copulam una caro effecti fuerint.* Fiunt autem una caro coniuges per ſeminum mixtionem.] 364

An maritus ante triennij finem ſemper habere rationabilẽ ſpem cõſummandi matrimonium cenſendus ſit?

Quò triennalis hæc experientia reſpiciat?

Non tendit ad ſeminationem tantùm, neque ad vaſis penetrationem tantùm: ſed ſimul ad penetrationẽ, & ſeminationem intra vas.

Sed à quo die hoc triennium debet computari? Textus eſt clarus. Cæterùm, ſi non obſtante, quod in textu legamus *à tempore celebrati coniugij*, admittendæ ſint Theologorum ſententiæ, quæ illud poſt intentatam litem numerant, à die videlicet quo placeat Iudici; illi enim, qui duobus,

Unde initiũ ſumere debeat experientia triennalis?

duobus, aut tribus annis convixerunt, adhuc triennio debent convivere, ut habeatur Canonicum experimentum: ut volunt Sanchez *lib.3. disp.*110. Poncius *lib.*7. *cap.* 66. Aversa *quæst.*13. *pag.*526. *a.* Et, si matrimonium ob impotentiam dissolutum restauretur, adhuc aliud triennium addendum est. Audi Aversam, *quæst citat. pag.*528. *b.* dicentem. [Constitâ demum potentiâ per copulam viri cum aliâ fœminâ, aut fœminæ cum alio viro, & inde restaurato matrimonio, si adhuc in attentandâ copulâ inter se non possint perficere, solet adverti debere illis denuò præfigi experientiam triennalem. Et aliqui addunt, si per triennium non possint consummare matrimonium, atque ideò iterum separentur, si rursus coniux putatus impotens, inveniatur cum aliâ personâ potens debere demum primum matrimonium restaurari, & sic in infinitum. Vel saltem usque ad tertiam vicem. Sed rectè alij non nisi unâ vice, restaurandum esse matrimonium concedunt.] Sed cur secunda aut tertia tantum? Hoc impedimentum est Naturale, & non purè Canonicum, & ideò ab hominum placitis dependere non potest.

N. B. Ex his Aversæ verbis constat, esse valde difficile, & periculo obnoxium, quando de Impotentiæ impedimento disseritur, agere Iudicem, & sententiam Definitivam pronunciare.

Ex hac doctrinâ, hunc possem casum in examen proponere. [Titius per annos tres in matrimonio cum Franciscâ habitavit: &, quia matrimonium consummare non poterat, ad triennalem experientiam condemnatur à Iudice. Elapso hoc tempore; declaratur per sententiam impotens, & matrimonium invalidum. Separatur: & post separationem rem habuit cum Antoniâ: & ideò restituitur Franciscæ; & quia neque nunc copulam habere potest, subiicitur iterum experientiæ triennali. Et hoc post duo triennia.] Sed quia tanto dierum numero non indigeo, sufficiat experientia triennalis, ut ex illâ argumenta opportuna deducam. Et triennium hoc initium sumat à die, quâ tu volueris, aut legitimus Iudex præscripserit. Vnum triennium habet 1095. dies. Et peto, an vir post mille dies, post mille aut plures vices sine peccato possit tentare copulam? Et respondebunt omnes, triennium illi concedi, & posse usque ad ultimum diem. Ergo, qui per mille vices habere copulam tentavit, & semper seminavit extra, quin vas fœmineum penetrare potuerit, nondum potest despondere animo, & perdere matrimonij consummandi spem, siquidem illam non perdiderunt prudentissimi Summi Pontifices, qui pronunciarunt & confirmarunt Canones, qui triennalem experientiam præscribunt. Malleus *malleat.* 56. *bract.*60. *pag* 596. *a.* [Si ante triennium exactum alter coniugum recedat propriâ authoritate cogendus est ad cohabitandum. Ratio est, quia non valet exceptio quam adlegat impotentiæ in altero coniuge non præmissâ experientiâ triennali.] Ergo *Certitudinis* (realis, aut moralis) nomine aliquid grandius intelligitur, quàm vulgò creditur. Quia, si ubi dantur mille testimonia pro unâ parte, & nullum pro alterâ, ne quidem moralis certitudo invenitur, plura ad Certitudinem requiruntur, quam putabamus.

365 *Casus propositus.*

Cùm marit. concedatur triennium, & hoc habeat dies 1095. quæritur, An post mille illos dies, non expectato triennij fine damnari possit?

An ante triennij finẽ alter se possit separare?

Quid certitudinis nomine intelligatur?

His positis, peto à Lectore Candido, ut mihi non per Ambages sed directè respondeat. Titius, qui iam per mille dies frustra matrimonium consummare tentavit, & nondum vas penetrare potuit, sed semen extra effudit, quia triennium absolvere ab Ecclesia iubetur, & sponsa sibi solvi debitum postulat, copulam habere conatur. Et interrogo, An peccet? Respondebis, quod non. Est enim Iuris Regula, *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.* Sed, cur non peccat? nam illis mille vicibus, si causam excusantem non habuit, semen extrà vas prodigendo, scelus contra naturale commisit: & idem hîc & nunc faciet, nisi ratio sufficiens eius dictamen dirigat, & conscientiam componat. Dicetur non peccat? Non peccat, ais, quia obêdit Superioribus. At hoc non est respondere, sed mutare materiam. Nam, cùm Superiores (Pontifex, Episcopus, Vicarius Generalis, &c.) non possint in Iure Naturæ dispensare; & tamen iubeant, ut triennalem experientiam absolvat, rationem habent propter quam id iubere possint. Et hâc Ego discere opto: hanc inquiro. Hîc & nunc Titius, qui fortè semen profundet extra vas, potest conari ad copulam. Ergo quia hæc ipsi propositio, *semen infundam intra vas*, Est certa, aut probabilior, aut æquè probabilis, aut minùs probabilis: aut tandem, quia non est certò falsa: vel aliam rationem adsigna. Ergo sumus in viâ: & citò ad Veritatis penetrale veniemus. Primò illa Titio propositio non est certa: nec enim realiter nec moraliter habet, quod Certitudo requirit. Tantùm abest profectò, ut sit certò vera, ut elapso triennio (ad cuius complementum pauci supersunt dies) falsa certò moraliter dicenda sit. Secundò nemo illam Probabiliorem, aut Æquè probabilem dicet: qui eventuum contingentias sciat librare. A præteritis add futura argumenta sumuntur: & Ego hîc in vitâ præteritâ non reperio legitimas præmissas, ex quibus hanc consequentiam. *Ergo Titius hac nocte semen infundet intra vas*, probabiliùs, aut æquè probabiliter inferam.

366 *Anto triennij finem, qui spem habet semen fundendi intra vas, etsi seminet extra, non peccat.*

Reg. XXIV.

Quid marito, de cuius impotentiâ agitur, præcipiatur?

In his, quæ contra Decalogũ sunt, nulli creaturæ possumus obedire.

367 *Hoc Pertalemma bene consideretur.*

An à præteritis ad futura argumentum procedat?

SECTIO I.

Vt Obiectioni quam Sect.2. exhibebis, materiam præparet, de Sagittariis disputat.

An, & quando παρέκβασις (digressio) sit utilis?

HIc hærere me iubet Heribertus, ut ad alia animus divertatur. Et, si Disputationem hanc, esse valde seriam, respondeam, & summam attentionem requirere; & negem illam distractione iuvari: reponit Digressionem, quæ παρέκβασις fit, &. Quintiliano *lib.*4. *cap.* 13. ad causæ intelligentiam profundiorem conducat, opportunam censeri. Adquiesco: assentior: digrediatur: dicat, quidquid velit attendo.

Ecce

Se recreant & exercent explodendo in scopum Germani.

Ecce famus Augustæ, ait, & transit Sagittariorum cohors: sequamur istos, quia vadunt ad palæstram publicam, ut de magno pretio ad scopum collimant. Qui sint præcipui, interrogas: & quia mihi universi sunt noti, exponam de tribus aut quatuor, quid scio. Singulis diebus festis in eum locum conveniunt: & quia toto hoc triennio interfui, possum tibi recensere, quæ vidi. Tantâ in scopum (in psittacum) dexteritate sagittam Chinchius dirigit, ut nunquam illum non tetigerit. Centies à Ridurio psittacum vidi deiici, at quinquagies sagitta illo intacto transivit. Est mediocriter doctus in hac facultate Tilius; nam, si decies explodat, quinquies aut sexies sagittam in scopum immittet. Aliquando etiam est Fortuna à Florentio, nam licet trigesies pretium me præsente perdiderit, octies aut decies illud fuit cum applausu lucratus. At ibi cursitat Lubrius, cuius nondum memineram. Semper est in arenâ: cum quibusque certat: semper perdit: &, quia sagittæ ipsius clementissimæ sunt, nec unam plumam psittaco decireinarunt. In Sagittario Gymnasio moris est, ut si intersit aliquis nobilis peregrinus, concertationem interponat (illa *traviesa* Hispanè dicitur, quòd quasi transversim ineatur) concertationes istæ, quæ ab exteris interponuntur, non fiunt secundum Arithmeticam æqualitatem (ubi enim inæqualia sunt merita mera iniquitas esset iudiciorum æqualitas) sed fiunt [*b*] servatâ proportione Geometricâ. Ad te accedent: singuli exponent centum (tantum est enim huius palæstræ symbolum) tu cogita, & re bene perpensâ vide, quantum debeas opponere. Ecce adest Chinchius. Nescio, quid velis facere: nam contra suos centum aureos ego nec auderem exponere unum assem: hunc enim, si exponerem, securissimè & certissimè perderem. Non desponderem animo, si acturus essem cum Ridurio: nam licèt probabilius sit illum victurum esse; potest fieri spei & metûs compensatio; ita, ut psittaco transfosso, tantùm lucretur quinquaginta, perdat centum intacto. Cum Tilio poteris æquo Marte pugnare: ab ipso enim æquè spero, atque timeo: nam apud ipsum sunt fortunæ & infortunia valde æqualia. Sed, quia adhuc Florentius audet, aude & tu: contra centenos eius aureos, ducentenos confidenter expone. Sed quid de Lubrio, qui ludibrio fuit populo, & adhuc non despondet animo, sed victoriam sperat, tibi potero dicere? Alberstadius rebellium hæreticorum Dux, qui pluries fuerat victus, cùm urgeretur ab amicis, ut arma, quæ experiebatur infelicia deponeret, cudit monetam militarem, cum hoc lemmate, *Adhuc semel & amplius.* Et sic Bellonæ valedixit. Et, ut audivi, Lubrius, triennio expleto, si nullam victoriam obtinuerit se subtrahet, & repudij libellum, potiùs, quàm dabit, à Palæstrâ recipiet. Satis recreationis iam est. Animi relaxatio esse debet in vitæ decursu parenthesis, quæ, nisi claudatur, Orationis est vitium. Claudamus ergo nos istam: habeat finem distractio: revertamur ad lineam, Titiumque iterum cogitemus.

368 *Opponi pro scopo solet Psittacus.*

N. B. Ergo certò moraliter Chinchius, probabilius Ridurius, æquè probabiliter Tilius: minùs probabiliter Florentius, & improbabiliter Lubrius dicet, se hic & nūc psittacum deiectum esse.

369 *Quid apud Hispanos in concertationibus Traviesa sit?*

b] Vbi perdendi periculum est maius, quàm lucrādi spes, non est æqualitas in concertatione: & omnis in ludo inæqualitas, est iniquitas. Fit tamen compensatio, si etiam exponantur inæquales pecuniæ, ita ut plures recepturus sit, si lucretur, qui se exposuit maiori periculo.

Vide nostræ Matheseos Biceps Syntagma VI. à pag. 972.

370 *Militaris moneta ab Alberstadio cusa inscriptio.*

Parenthesis ne Orationi sit vitio, debet claudi.

NOn sine causâ aut secunda intentione hac omnia Heribertus præmiserat, ut hinc contra Caput *Laudabilem* argumentum, ut putat, valde forte conformet. Omnia, quæ dixerat, causæ impotentium applicat; & ad Lectorem oculos & orationem dirigens, sic exclamat. 371

SECTIO II. Ex Digressione præcedente difficilis infertur Obiectio.

Dic mihi, quæso (Lector Optime) Candorem tuum adiuro: quicum Titium, de cuius impotentiâ in Episcopali Consistorio disputatur, compones? Dic, si Nemesim diligis, suntne æquè veræ istæ Propositiones.

Titius & Chinchius comparantur.

Titius nunc semen effundet intra vas.

Chinchius deiiciet psittacum.

Rides, & multum mihi subridendo respondes: & infero. *Ergo illa prior*, Titius nunc semen, &c. *non est certa moraliter.* Pergo ulteriùs, & dico.

I. *Titius nunc semen effundet intra vas.*

Est propositio, de quâ impræsentiarum dissseritur. Et, ut reiciam, in quo certitudinis gradu ponenda sit, has subiicio.

II. *Ridurius scopum attinget.* [a]

III. *Tilius scopum attinget.*

IV. *Florentius scopum attinget.*

V. *Lubrius scopum attinget.*

a] Posueram prædicata synonyma, ut eloquutioni aliquid darē: sed quiâ āmo claritatem, illa oblitero, & unum in omnibus quatuor rescribo.

Et, ut video, noles illam primam cum hac secundâ: hoc est, noles Titium cum Ridurio componere: nam compositio exigeret, ut Titius è mille vicibus quibus tentavit copulam, sexcentis aut pluribus illam habuisset, quod non accidit. *Ergo illa propositio*, Titius nunc semen, &c. *non est probabilior.* Ergo de Probabilioristis actum est. Sic enim arguo. [Ex Catholicæ Ecclesiæ præscripto, sic præcipientibus Summis Pontificibus: Iure Canonico indicente, & Episcopis doctissimis & sanctissimis adnuentibus, & iuxta hanc legem iudicantibus, præcipitur Titio, ut, in materiâ gravissimâ, adhæreat opinioni, quam non esse probabiliorem (immò, nec æquè probabilem, ut statim videbimus) evidenter cognoscit. Non ergo Ius Naturale homini præcipit, ut sequatur opinionem magis probabilem. Patet: quia, si hoc illud præciperet, non possent oppositum præcipere Summi Pontifices. Consultò *Ius naturale* dixi: scio enim posse & solere Superiorem committere subdito, ut quod certius iudicaverit, faciat. Alij quod sit utilius fieri præcipiunt: [*a*] & inter probabilius, & utilius summam ego differentiam invenio: poterit enim contingere, ut minùs utile sit, quod probabilius indicatur.

An Probabilioristarū Opinio Capiti Laudabilem. Manifestè opponatur?

a] Iudices si agatur de facto certā, si de iure probabiliorem sententiam eligere debent: Medici probabiliorem. Eam Confessarius, quæ sit conscientiæ pœnitentis utilior.

Procedamus ulteriùs, & primam illam propositionem cum hac tertiâ (hoc est, Titium

tium cum Tilio) componamus. Et esset ipsi similis, si tot vicibus plus minùs legitimam copulam habuisset Titius, quot fuisset suo voto frustratus. At hoc non verificatur de Titio. *Ergo illa propositio*, Titius nunc semen, &c. *non est æquè probabilis.*

Spes Titii nõ est æquè probabilis.

372

An minùs probabilis vocari poterit? an cum quartâ componi? An Titium & Florentium in eodem gradu componemus? Minimè. Quoniam, ut quarta Propositio iudicetur minùs probabilis, habeo testimonia particularia; nam, si triginta Florentium condemnabant, octo vel decem ab eo stant; & suadent, ne eius causa omninò desperata credatur.

An saltem sit minùs probabilis?

Huc usque Heribertus disserendo pervênit: & nunc audientior redditus, recognoscit universa quæ dixerat, & altiore voce insolescens, sic inquit. [Hæc Propositio, *Titius nunc (hac vice) semen effundet intra vas*, non est certa moraliter, ut iam vidimus; non est probabilior; non æquè, aut minùs probabilis. Superest igitur, ut sit improbabilis: aliud enim prædicatum, subministrat sufficiens partium enumeratio. Sed maritus, qui ex improbabili habendi copulam spe cum uxore suâ libidinatur, & semen extra vas effundit, peccat mortaliter. Ergo Cœlestini III. doctrina, quam cap. *Laudabilem.* tradit non est laudabilis; quoniam improbabilis est.]

Polylemma à sufficiente partium enumeratione procedens.

373

Peccat maritus impotens, si ad uxorem accedit sine spe probabili seminandi intra vas.

Hoc argumentum confirmat Heribertus, Titium cum Sagittariis comparando. Non potest componi, ait, cum Chinchio, non cum Ridurio non cum Tilio, aut Florentio. Ergo superest, ut comitetur Lubrium; & isti duo (Titius, & Lubrius) æquali spe excitari dicantur. At Lubrius nullam habet spem. Igitur Titius nullam habet. Probatur minor. Quia, si mille vicibus ad scopum explosit, & nunquam illum tetigit, quis erit ita stolidus, ut pro eo, (nempe, pro veritate huius propositionis, *Nunc scopum attinget*) in concertatione velit exponere vel unum aureum. Porrò, si hæc, *Nunc (hac vice) Lubrius scopum attinget*, omnium iudicio est improbabilis. Etiam hæc, *Titius nunc (hac vice) semen effundet intra vas*, etiam omnium iudicio improbabilis erit. Ergo iterum dicendum est doctrinam, quæ in cap. *Laudabilem.* à Pontifice traditur, non videri laudabilem.

Titium Heribertus cũ Augustanis Sagittariis compon.t.

374

An Lubrius, & Titius in casu omni spe probabili sint destituti?

Confirmat secundò suum argumentum Heribertus, & sic arguit. Si est vera doctrina capitis. *Laudabilem.* Falsa sunt omnia, quæ à Theologis dicuntur de peccandi periculo. Et hoc inde conatur persuadere; quòd periculi cognitio ab experientiâ desumatur, & nullam in casu habeat experientiam Titius, ex quâ probabilis aliqua consequentia inferatur. Audire Suarium proderit, qui *lib. de Charit. disp.9.sect.2. num.*8. Sic inquit. *Sequitur contra Sotum nemini licere propter aliorum salutem exponere se morali periculo peccandi mortaliter, ex illâ regulâ Ecclesiast. cap.3.* Qui amat periculum, peribit in illo. *Nam in Moralibus idem est committere & se exponere morali periculo committendi: quod maximè verum est, quando periculum est in determinatâ materiâ, in quâ aliquis fragilem se expertus est. Si verò in confuso, non potest certa regula tradi, sed pro ratione necessitatis & periculi pensanda res erit.* Et citat me Heribertus; nam *in Theolog. Prateritt. num.*3199. *pag.*184. *a.* sic scribo: *Suarius nobiscum sentit. Non licere se exponere morali periculo peccandi affirmat, & affirmo. Illud morale ab experientiâ esse petendum docet, & doceo: ubi nulla est experientia, nullam regulam certam esse statuit, & statuo*, &c.

Periculi cognitio desumitur ab experientiâ.

An possit quis se exponere peccandi periculo?

Quid indicaturus ille sit, qui experientiam non habet?

Hac doctrinâ præmissâ sic argumentatur Heribertus. Periculi, & spei ratio & magnitudo ab experientiâ sumi debet. Ergo (1) impotens, qui de suâ impotentiâ experientiam non habet, nec peccat, uxorem ducendo, nec unâ aut alterâ nocte copulam attentando. Ergo (2) si postquam mille vicibus Titius copulam procuravit perficere, & semper extra vas seminavit, adhuc dicendus est habere probabilem spem seminandi intra vas: & propter hanc ipsam spem etiam dicendus est, posse licitè progredi, & procurando copulam non peccare; necessariò sequitur, ut dicamus Aurelium, qui mille vicibus invisit suam amasiam, & semper cum illâ peccavit, posse reverti ad illam, & habere probabilem spem non peccandi mortaliter: & propter hanc spem (quam probabilem vocat) graviter non peccare. At hoc non admittunt Theologi. Ergo neque illud ex quo inferebatur. Quoniam non patitur bona Dialectica, ut in formâ legitimâ consequens falsum ex vero antecedendi inferatur. Rebus igitur bene perpensis, Titius post mille vices (cur non etiam post centum?) si semper effuderit semen extra vas, nullam spem probabilem habere potest. Et, si illam habeat, ipsa, ut à peccato excusetur, non sufficiet; nam, ut communis sententia fert, mortale peccatum est, se exponere periculo proximo & certo peccandi mortaliter. Ita *in Theolog. Praterit. num.*3181. *concl.*6. *pag.*182. *a.* Et est ita recepta hæc doctrina, ut si quis se periculo exposuit, & posteà peccavit (saltem, si notabilis mora inter periculum & peccati commissionem intercessit) duo peccata committat, teste Sanchez *in Summ. tom.* 1. *lib.*1. *cap.*8. *num.*4. Dianâ *part.*1. *tract.*7. *resol.*44. & Coronio *in summ. verb. periculum, num.*1. &c. Et sic argumentatur Heribertus.

375

An qui pluries iverit ad demum Amasiæ, & semper peccaverit, redire tutâ conscientiâ possit, dicēs, se habere probabilem spem non peccandi?

An verum ex falso sequatur?

An, qui se exponit peccandi periculo, si posteà peccet, duo peccata committat?

Ego autem, ut instantiæ in §. *Hucusque* positæ respondeam, hanc Propositionem, *Titius nunc (hac vice) semen effundet intra vas*, nec moraliter certam, nec probabiliorem, nec æquè probabilem esse concedo: nego autem illam esse improbabilem: est enim verè probabilis, tametsi minùs probabilis, quam negativa. Pro Titio enim, etsi nulla ratio particularis adducatur, militat ratio generalis: & hæc sufficit.

376

SECTIO II. Occurritur præcedenti Obiectioni.

sufficit. Vnde sic inquam: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius:* verisimilius esse dicimus, *quod plerumque fieri consuevit.* Ergo de Titio, donec contrarium constet, sicut de plerisque hominibus debeo philosophari. At homo, sicut, quia rationalis est, habet tres potentias, Memoriam, Intellectum, & Voluntatem: &, quia sensitivus est, habet quinque sensus externos, & aliquas potentias interiores; sic etiam, quia vegetativus est habet tres aut plures potentias: Generativam, Nutritivam, Augementativam, &c. At, qui diceret, Petrum esse delirum, aut cœcum, deberet hoc probare: quia contra Regulam generalem non admittitur, nisi probetur, exceptio.

Regul. XLV. *Quod regulariter fit, præsumi debet, donec probetur contrarium.*

Delirium, aut cæcitas probari debent.

377 Ergo Titij vxor, quæ impotentiæ eum accusat, & habere potentiam generativam læsam asserit, (cum plures in mundo fatui, & cæci, quam impotentes sint: natura enim majori conatu specierum conservationi prospicit, quam ornatui) debet id, quod dicit, ea probare: nam aliàs actricè non probante reus (Titius) necessariò absolvetur. [Dixi impotentes paucissimos & rarissimos esse: & pauciores, quàm deliros & cæcos esse, addidi; & ut hoc asseram, longâ experientiâ in Tribunalibus habitâ manuducor. In Pragensi Consistorio, coram Officiale, Prædecessore meo, duæ tantùm causæ fuerunt de impotentiâ agitatæ, & in neutrâ maritus condemnatus fuit. Quinquennio tribunali illi præfui, & nullam litem de impotentiâ expedivi. Et in Campaniensi Episcopatu, cui ab annis jam quindecim servio, de impotentiâ nemo fuit accusatus. Ergo, si Regulæ XLV. directioni nos credimus, faciliùs aliquem esse delirum aut cœcum, quam impotentem suspicari poterimus. Ergo, ut Iudex aliquem esse impotentem per sententiam definiat, probationes habere debet valde claras.]

Ergo idem dici de Impotentiâ debit.

Cur impotentes sint tam pauci?

An sint deliris & cæcis pauciores?

Quàm raræ de impotentiâ causæ in Episcoporum Consistoriis agantur.

Porrò, donec plenè probetur impotentia, habet de impotentiâ accusatus, potentiam, si non certam probabilem: & licèt omni speciali ratione careat, sufficit ipsi generalis. Hinc patet providè à me Probabilitatem in Negativam, seu Generalem, & in Positivam, seu Particularem distribui. Voco *Negativam* seu *Generalem*, non eam, quæ nullam pro se rationem habet, sed quæ nullam particularem, sed tota pendet à ratione generali & communi. Quoniam Opinio, quæ nec ratione speciali, nec generali probatur, improbabilis ab intrinseco est. Voco *Positivam* seu *Particularem*, eam, quæ præter rationem generalem etiam ratione aliquâ speciali suadetur. Pono exemplum. *Petrus est homo. Ergo & vivens. Ergo potest generare.* Est ratio generalissima. Et est eidem similis hoc, sed specialis. *Petrus est iuvenis, & fortis, nulloque modo præpeditur, ergo est aptus ad generationem.*

Potentia præsumitur, ubi impotentia non probatur?

De Probabilitatis in positivam & negativam divisione.

An, & qua Probabilitas possit recipere magis & minus.

Ad quot classes debeant rationes speciales reduci?

378 Rationes, speciales ad tres classes reduci possunt: vel enim certò probant potentiam esse expeditam, vel certò probant esse impeditam: vel tales sunt, quæ vtrumque reducant in dubium. Hæc doctrina speculativè indubitata est, tametsi valde difficile sit rationes, quæ occurrunt, suæ classi vel loco consignare. Hoc Thom. Sanchesium *de imp. impot. disput.* 107. non præstitisse Ioannes Sancius *in select. disputat.* 56. *num.* 1. conqueritur, sed nec ipse præstitit id in quo defectus alterum accusabat.

Quomodo hæ classes secernuntur.

Antequam in forma argumentis ab Heriberto positis satisfaciamus, videndum & 379
examinandum est, an triennium prudenter Ecclesia accensuerit examini, an debuerit tempus istud contrahere? Resolutio videtur experientiâ fundari, & hanc potiùs exigere, ut protrahatur terminus, quàm ut contrahatur. Latus à Cœlestino III. erat Canon. *Nos in præsenti consultatione sentimus ut à tempore celebrati conjugij, frigiditas primo probari non possit, cohabitent per triennium,* &c. Ita ille *in cap. Laudabilem. de frigid. & malef.* Vbi, tametsi exterior litera postulare videretur, ut triennium inciperet *à tempore celebrati conjugij*, tamen Rota Romana sæpe declaravit *à die reclamationis, & intentatæ litis* tempus illud computari debere. Et sic Rotam decidisse Farinaciis *vol.* 1. *consil. decis.* 27. *&* 277. *& volum.* 2. *cons. decis.* 192. *&* 226. Riccius *in praxi decis.* 277. Sanch. [a] *lib.* 7. *disput.* 110. *num.* 4. & alij Viri Docti testantur. Proderit hic audire Ludovicum de San Iuan, *de matr. quæst.* 6. *art.* 15. *dub.* 1. *pag.* 994. qui rem ipsam recenset per hæc verba: *Paulo V. santissimo Vicario de Iesu-Christo, Señor nuestro, y successor legitimo de S. Pedro, haviendo la Rota declarado esse triennio deverse entender* à die reclamationis, *su Santidad approvo la tal decision, y declaro sêr assi verdad: y viòse claro sêr asse iustissima sentencia, pues haviendose tratado de separar à ciertos Duques, vasallos de la Iglesia, habitantes en Roma, que antes de reclamar havien estado juntos mas de tres años, dada la dicha sentencia, de que habitassen otros tres años* à die reclamationis, *fuè Dios servido, que al fin de los tres años sobredichos se hizo preñada la dicha Duquesa con increble gozo del pueblo Romano, de los Rotantes, y de su Santidad.* Consonat Basilius *lib.* 7. *cap.* 66. *num.* 4. Leander *part.* 2. *tract.* 9. *disputat.* 21. *quæst* 47. *pag.* 318. *b.* Castro-Palaus, & alij. Ergo, cùm stet pro Potentiâ præsumptio, & ipsâ ratione illâ generali fulciatur, neuter ante sententiam Iudicis poterit copulam perfectam desperare, neuter alterum conjugem deserere; &, si propriâ alter authoritate se subducat, debebit ad cohabitationem per Iudicis mandatum compelli.

An triennium sit tempus nimis longum?

An contrahi ab Ecclesiâ deberet?

Cœlestini Canō à Rotâ exponitur.

a] Sanchez testatur sic respondisse Rotam, at ipse adhæret Opinioni cōtrariæ: non enim putat Rotā bene respōdisse.

Pauli V. declaratio.

Si ante sententiam Iudicis alter se ab impotente privatâ authoritate separet, debeat cogi, ut revertatur.

Hinc ad Heribertum redeamus. Et quæ dixerit & objecerit bene consideremus. 380

Omnia, quæ *παρέργως* dicta, nam ad apparatum adducuntur, possunt illi concedi.

Conceduntur ista παρέργως.

Quæ autem in Objectione ponuntur, perpendantur.

Fateor hanc propositionem, *Titius nunc (hac vice) semen effundet intra vas:* non

An propter Impotentiæ impedimentum, de Probabilioristis sit actum?

esse certam, nec probabiliorem: Ergo condono, quæ §. *Dic mihi*: adducuntur: *Condono*, & non *concedo* dico; nam argumentum, quod à comparatione Titij cum Chinckio aut Ridurio procedit, non concernit hanc rem, ut statim videbimus. Sed & illam consequentiam, *Ergo de Probabilioristis actum est*, quæ mihi est certissima, libentissimè admitto.

381 Fateor similiter illam eamdem Propositionem, *Titius nunc (hac vice) semen effundet intra vas*, non esse æquè probabilem: non quia id evincit §. *Procedamus*; aut Titij cum Tilio comparatio; sed propter rationem, quam jam propono.

Quid pura Probabilitas sit?

Dico igitur esse purè probabilem, nec oppositum per §. *An minus*, aut §. *Hucusque*, persuaderi efficaciter. [*Nota illud purè*, quoniam vt Articulo X. demonstrabitur, maior & minor Probabilitas non habent locum ubi sola ratio generalis præscribit, & absunt rationes & authoritates speciales.]

An inter Titium & Lubrium sit paritas?

Pergamus ulterius; nego enim Heriberto omnia quæ *in* §. *Argumentum* comminiscitur. Nego, inquam Titium, cum Augustinas. Sagittarius debere vel posse componi: tantum enim abest, ut argumentum hoc rationis identitate procedat, ut nulla inter Titium & Ludibrium admittenda sit paritas, sed dicendum argumentum à contrario decurrere. Titius substantia vegetativa, sensitiva, & rationalis, est:

An illorum causa sint contraria.

Ergo sicut præsumitur non esse mente captus, nec potentiâ visivâ privatus, sic neque præsumi poterit virtute necessariâ ad copulam habendam destitutus. Ergo est in possessione præsumptio; &, nisi superveniente certitudine, à possessione ejici nequit. Et, quia triennalis experientia à Cœlestino III. ad hanc ipsam certitudinem posita, fuit interdum delusa, & debuerunt redintegrari matrimonia nonnulla, Paulus V. prudenter terminum hunc protraxit, ut triennium à die reclamationis computetur, præcipiens. Ecce in homine præsumimus potentiam generativam esse illæsam, & adesse ad copulam & generationem requisitas virtutes; nam hæc vegetatiuam animam necessariò sequuntur. Et necessariò homini adsunt, nisi ab extrinseco ipsas impediri contingat. At scientiæ (inter quas recense sagittariam) non nascuntur cum homine, non necessariò rationalem animam concomitantur, sed summo labore & constantiâ [*b*] adquiruntur, ut enim testatur Aristoteles, anima, quando infunditur (& forte [*c*] etiam quando homo nascitur) est sicut tabula rasa in qua nihil descriptum est. Et huc respiciens Bonifacius VIII. tulit Regulam XLVII. in 6. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Ergo, sicut erat pro Titio Potentiæ præsumptio, cujus debet in omni dubio manuteneri possessio: sic contra Lubrium (immo etiam contra Florentinum, Tilium, Ridurium, Chinckium est in possessione Ignorantiæ præsumptio, & debet manuteneri in omni prudenti judicio, quousque probabiliter aut certò persuadeatur contrarium. Ergo inter Titium & Lubrium nulla est paritas.

Potentia generativa est congenita: scientiæ adquiruntur.

b] Christophori Plantini, excellentiss. Typographi, Stēma fuit CIRCINVS quem manus *Labore & constantiâ* circumducebat:

c] Videtur possibile, ut anima fœtûs in ventre matris aliquas species (vel notitias) adquirat.

An hac doctrina improbet omnia quæ à Theologis de proximo & probabili periculo passim dicuntur.

382 Transeamus ad §. *Confirmat*, & §. *Hac doctrinâ*, in quibus agit Heribertus de peccandi periculo; & putat se argumentari à pari, & ego demonstraturus sum, eum ab opposito iterum ratiocinari. Titium, qui mille vicibus conatus est habere copulam, & tamen semper effudit semen extra vas, cum Aurelio, qui millies ivit ad amasiam, & semper peccavit cum illâ, jubet componi; & ait, si hæc propositio, *Titius nunc (hac vice) semen effundet intra vas*, est probabilis, etiam hæc erit probabilis, *Aurelius (hac vice) etsi amasiam invisat, non peccabit.* Ergo sicut propter spem probabilem Titius à mortali excusatur, propter eamdem Aurelius excusari debebit.

Impotens conari potest ad copulam, donec certū sit eā haberi non posse.

383 Respondeo primò, negando paritatem: nam Titius consentit licitè in copulam, & eam habere desiderat, & potest ad eam habendam conari, donec nulla probabilis affulgeat spes. At Aurelius nec potest consentire in copulam, nec se exponere consentiendi periculo. Vnde Titium probabilitas eximit à peccato; quia, ut peccet, requiritur, ut eum effusurum semen extra vas, certum sit: at Aurelium peccati condemnat probabilitas (si illa ibi daretur) quoniam graves authores dicunt, esse peccatum certum, se exponere probabili peccandi periculo. Cotonius *in summ. verb. periculum, num.* 3. [Cum Villalobos *tom.* 2. *tract.* 40. *diff.* 16. *n.* 5. contra Palaum *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 11. *&* 13. dicendum est, non licere Chirurgo verenda fœminæ curare cum periculo mali consensûs, si expertus sit illam concupiscere aut voluntarie pollui, Neque Confessario confessiones mulierum audire, si occasione peccatorum carnalium confessorum idem periculum expertus sit: quamvis vterque firmiter proponat non consentire.] Asserit tamen Diana *part.* 3. *tr.* 5. *resol.* 5. & *part.* 7. *tract.* 11 *resolut.* 29. non peccaturos, quando adesset solius pollutionis, non autem consensûs periculum.

An se exponere probabili peccandi periculo, peccatum sit?

An aliud sit, se exponere pollutionis periculo, & aliud consensûs in pollutionem periculo?

Quid proximi periculi nomine intelligatur?

384 Respondeo secundò, iterum negando paritatem: nam etiam stando prudentissimæ sententiæ, quam tradit Bassæus *tom.* 2. *Flor. verb. Absolutio, num.* 22. *pag.* 24. *b.* §. *Sed circa*, dicens: [Periculum, ut censeatur proximum, debet esse evidens physicè aut moraliter: si enim tantùm sit probabile, periculum morale nō est, nam probabiliter etiam censere potes periculum nullum subesse, &c. citátque Caramuelem *in Reg. D. Bened. disput.* 70. *num.* 1056.] Cui consonans assero, Aurelium debere experientiam consulere: &, si tot vicibus sine peccato ingressus fuerit illam domum, quot ad probabilitatem sufficiant, poterit probabiliter dicere, *Hic nunc non peccabo.* At hòc impræsentiarum nequit Aurelius dicere, nam si millies ivit, & semper peccavit, illum etiam nunc peccaturum, si eò vadat, certum, & indubitatum est: illumque non esse peccaturum, est omninò improbabile.

Quomodo debeat homo propriam experientiā consulere & examinare.

ARTIC.

ARTIC. III.

Quatuor proponuntur Objectiones, quarum dissolutio omnes tollat Scrupulos, qui pungere possint virum probum & doctum.

385 *Cur hæ objectiones addantur?*

Egerunt præcedentem doctrinam Viri Eximij, & quia aliqua objiciebantur, quæ erant prorsus absurda, & ex nostrâ doctrinâ videbantur inferri, providè rem ita clarè digeri, ut nulla maneret adlucinationis occasio, postularunt; & hanc ob rem has addidero lineas, quæ eorumdem votis & desideriis satisfaciant. Sit igitur.

An conscientia dubia ad securitatem sufficiat?

Objectio I. Catholicæ vitæ sinceritas postulat, ut condemnentur omnes, qui dubiâ conscientiâ operantur. At coscientia non certa nihil est aliud, quam conscientia dubia. Ergo ad securitatem non sufficit non certa conscientia. Probatur major. Qui enim imprudenter procedit, non procedit sincerè. Qui autem adhæret incertæ, aut non certæ doctrinæ non procedit prudenter. Ergò non procedit sincerè: probatur minor; quia objectum Prudentiæ est certum, adeóque incertitudinem aut non certitudinē omnem excludit. Ita ex Aristotele *lib.6. Ethic.c.3.* & *lib.2. de anim. text.*182. & ex S.Thom. 1.2.*q.*57.*artic.*2. *ad* 3. colligunt Caietanus *in* 2.2.*quæst.*47. *art.*3. Azorius 1.*part.lib.*3.*cap.*25.*quæst.*2. Medina *in* 1.2.*quæst.*19. *artic.*6. Alensis *in summ.*1.*part.quæst* 16. Salmanticenses *in* 1.2.*quæst.*57. *art.*5. Mercorus 1.*part. Praxis opinion.art.*7. Quibus consentiunt universi Doctores, qui profundè Quæstionem hanc sunt meditati.

Quandò requiratur, ut aliquis prudenter procedat?

386 *An Certitudo ad Conscientiæ securitatem requiratur?*

Objectio II. Conscientia secura, est conscientia certa. At tam incertitudo, quam Non-certitudo certitudini opponuntur. Ergo involuit repugnantiam in terminis, quod incerta aut non certa conscientia esse certa & secura dicatur.

An judicia temeraria sint licita?

Objectio III. Quia, si esset licitum, quidquid incertum, nulla damnarentur temeraria iudicia; quemcumque hominem obvium possem iudicare, & asserere furem, proditorem, adulterum; non enim habeo certitudinem, quod nihil sit furatus, nec certò scio eumdem esse fidelem, nec mihi certò constat, quod castè vixerit, &c. Et si eadem obtineret dialecticandi forma possem dicere, [Non scio certò hanc hostiam, quæ publicæ venerationi exponitur, esse verè consecratam: non enim scio, an Presbyter, qui illam cōsecrasse dicitur, legitimam intentionem habuerit, ergo non tenebor eam adorare. Ergò potero illam in terram projicere, & pedibus terere.] &, si hic discursus bonus est, cur non etiam erit & iste bonus? [Non teneor credere dari præceptum, nec teneor illud observare, donec certò probetur, Ergo nec tenebor credere me esse ritè baptizatū, nec ritè ad Sacerdotium promotum donec certo probetur. At nunquam poterunt hæc certo probari. Ergo nunquam illa tenebor credere. Ergo debebo rebaptizari, & ad Sacros Ordines iterum promoveri: suadetur minor. Quia ad Sacramenti valorem intentio Ministri requiritur, quæ est actus purè internus, & soli Deo cognitus, & humanitùs nequit probari.]

An hostia publicè exposita debeat necessario adorari?

An possim aut debeam rebaptizari; anne ad Sacerdotiū iterum promoveri?

Objectio IV. Omnis nova doctrina est falsitatis suspecta. At doctrina de Non-certitudine, quæ in Dialexi hac defenditur, est nova, & in Scholis inaudita. Est igitur falsitatis suspecta. Maior est manifesta & supponitur à S. Hieronymo *contra Origenem epist.*33. dicente: *Cur post quatuor centum annos docere niteris, quod antea nescivimus? cur profertur in medium, quod & Paulus edere noluit?* & Augustinus in Iuliano Pelagianos universos refellens, *lib.*3.*cap.*3. ex novitate intulit falsitatem: scripsit enim: *Mira sunt quæ dicitis; nova sunt; falsa sunt.* Quæ verba, in forma reposita construunt hoc ratiocinium: *Mira sunt, ergo nova* (nemo enim ea, quæ adspectat quotidie, miratur) *Nova sunt, ergo falsa.* Vbi prima consequentia est certa: & altera ad Augustini mentem est primæ similis. Claudant hanc objectionem Mellei Doctoris verba, qui *epist.*174. exclamat: *Novitas mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.* Quibus Vir Sanctissimus & eruditissimus huius Dialexeos Genealogiam nobis repræsentavit. Habet matrem, sororémque: & non unicam tantùm; sed multas soboles procreabit. Sanè ex ratione Gravi nascitur Prudentia & Probabilitas, quæ in procelloso Mundi Oceano, sunt actuum humanorum Cynosuræ: ex Levi omnes Doctrinæ Novæ, nam Antiquæ stant suâ mole & gravitate. Et, si rē acu tetigit Quintilianus, [a] ubi somnia cum superstitione composuit, aut Cicero, ubi physicam constantemque rationem superstitioni contraposuit, adnata est huic ipsi Dialexi superstitio, cui somnia & fabulæ aniles accrescunt: unde nemini mirum videri poterit si ab ipsâ aboriatur temeritas, quot enim ad illam actiones humanæ eliminentur, tot ab illâ profluent Temeritates.

387 *An novæ Opiniones sint falsæ? Et, an nostra esse nova dicenda sit*

Anno Christi 380 scribebat Hieronymus.

Novitatis Genealogia à S. Bernar. descripta. An ipsa Dialexi huic conveniat?

Probabilitas est Cynosura.

a] Quintilianus. *Somniorum superstitionūque coloret.* & Cicero 3. de Natur. Deor. *Neque id decerit superstitiosè & aniliter, sed physicè, constantique ratione.*

Puto has esse præcipuas difficultates, quæ contra doctrinam hanc moveri possunt. At illarum solutio, ut videbis nostram doctrinam confirmabit.

ARTIC. IV.

Objectiones propositæ enervantur.

388 *Monitum Scholasticū, ante responsionem cōsiderandum.*

Et ego ante Responsionem Lectorem eruditum admoneo, ita eum uti præcedenti doctrina, ita his, vel quibuscumque aliis Objectionibus respondere debere; ut semper illæsum maneat illud Fundamentale Protheorema, *Beatus, qui possidet:* in omni causâ alias incertâ (quæcumque illa sit, & ad Iustitiam, aut ad aliam quamcumque Virtutem pertineat) manutenendus est, qui possidet, donec supervenerit

veniat ratio sufficiens, ob quam possessor à possessione expellatur. Quamobrem, sicut possessioni in qua tu es, nemo ex causâ incertâ (etiam probabili) potest præindicare. Sic ne tu possessioni, in quâ alius est, ex causâ incertâ poteris præiudicare.

Quanta sit possessionis efficacia?

Hac doctrinâ generali, & summè necessariâ præmissâ.

Respondetur Objectioni I.

De Entis attributis, quot sint & qualia?

389 SVpponendum est, Entis (tam Realis, quàm Moralis) attributa esse, Veritatem, Bonitatem, & Vnitatem, de quibus uberiùs egimus in Metaphysicâ. Quæ tametsi Prædicamenta universa percurrant, in unâ illa Propositione meditabimur. In hoc intellectûs actu, *Deipara est sine labe concepta.* Omnes illæ Entis passiones inveniuntur: quoniam ille ipse actus verus est, Bonus est, vnus est. Omittendo igitur vnitatem, quæ entis proprietas, quia magis nota, minùs hodie necessaria videtur, vt prima dissolvatur Objectio, de Veritate, & Bonitate differamus. Ergò reponendo eundem actum, *Deipara est sine labe concepta*, inquirimus, an sit verus, & qualiter? Responde esse verum probabiliter tantùm: caruisse enim originariâ labe Virginem, nec naturali ratione demonstratur, nec expressè in sacrâ Scripturâ aut aliquo Concilio definitur. Vnde tametsi hodie Apostolica Sedes minùs piam sententiâ verbo aut scripto asseri aut defendi vetuerit, nemini tamen præcipit, ut sic sentiat; aut aliter, immo præcipit, ne, qui piam opinionem tuentur, eos condemnent, qui assentiuntur contrariæ. Et qualiter est bonus hic actus? Esse sanè, non iam probabiliter, sed certò bonum, certò honestum, certò pium, certò laudabilem esse responde, hæc enim propositio, *Probabile est eos peccare, qui dicunt Deiparam fuisse sine labe conceptam,* improbabilis est. Ergo (& hic te esse attentum desidero) potest contingere, ut in eodem actu certitudo & Probabilitas concurrant, ita ut illâ Bonitatem, & hæc Veritatem afficiat. Cui (doctrinæ) *non omninò refragatur Mercorus* in suâ Opinion. probab. examinatrice Praxi. part. 1. art. 15. *ubi docet, posse aliquod obiectum opinabile secundum diversas rationes* (nos Bonitatem, & Veritatem ponebamus) *dici simul certum & probabile. Sicut enim in speculativis alia est certitudo Logica, & alia Physica, sic etiam in Moralibus aliam esse certitudinem Logicam, aliam verò Moralem.* Et hæc sunt verba D. Augustini Redingi tom. 2. quæst. 9. art. 4. controvers. 2. pag. 256. a. Sicut in hoc actu, Deipara caruit peccato originali, seu mente, seu labio, seu calamo exprimatur, est Veritas tantùm probabilis: & tamen est certa & indubitata Bonitas & Honestas; sic in hoc actu, *Deipara originariam culpam habuit,* si externus sit (puta, si linguâ exprimatur, aut calamo) tametsi sit probabilis Veritas, post Pontificum Bullas, quæ pro piâ sententiâ prodierunt, erit malitia certa & indubitata.

De veritate huius propositionis Deipara est sine labe concepta.

De Eiusdem Propositionis bonitate & honestate.

Potest contingere, ut quis habeat probabilitatem de Veritate actûs & simul habeat certitudinem de Bonitate & honestate.

Immo etiã, ut de Veritate habeat probabilitatem & de Malitia certitudinem.

Vt altius hanc doctrinam intelligas, *Adnotato primò*, actus Morales, vel esse Speculativos, vel Practicos. Ad illos pertinent Propositiones (mentales, vocales Scriptæ) affirmantes, negantes. Ad hos autem spectant omnes actus, qui legum imperio subduntur; nam omnes liberi (interni, externi) legibus gubernantur: Lex enim imperat, ut alij fiant & alij non fiant; unde, qui consonant legi, sunt boni; & qui dissonant legi, sunt mali. In actibus speculativis veritas dicit consonantiam inter ipsos & legem, sunt enim veri practicè, qui sunt verè legitimi, qui secundum legem eliciti, videlicet, qui legem (præcipientem, aut etiam consulentem) exæquant. 390

Actuum alij sunt Speculativi & alij Practici.

De actibus bonis & malis.

Adnotato Secundo, in omnibus rebus humanis (caducæ enim sunt) priùs esse non esse, quàm esse. Et hanc ob rem est Theorema certissimum. *Præsumitur rem non esse factam, ubi illam esse factam non probatur,* leg. sive possidetis, C. de probationib. Infert Bonifacius VIII. Regul. XLVII. in Sext. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Et nos eidem Logicæ insistentes, dicemus, *Præsumitur Libertas, ubi obligatio non probatur.* hoc est, *Præsumitur legem non esse latam, ubi esse latam non probatur.* Et iterum, *Præsumitur innocentia, ubi malitia non probatur.* hoc est, *Præsumitur reum esse innocentem, & culpam, de quâ accusatur, non commisisse, ubi eum esse nocentem, & illam commisisse, non probatur.* Ergo, cum omnis actus humanus malus priùs (ratione aut tempore) fuerit non interdictus, primum prædicatum Practicum quod ipsum in mente Viri prudentis afficiet, erit hoc *non est interdictus*, & iuxta hoc prædicatum Iudicium Practicum de illo actu erit verum aut falsum. Et maioris claritatis gratiâ hoc Prædicatum primum & fundamentale, vocemus *Criticum*, quia illud adsumimus, ut de Practicis Iudiciis iudicemus. 391

An & ubi fit prius non esse, quàm esse?

Actibus humanis accidit interdictio.

De primo prædicato Practico: cur appelletur Criticum?

Cvm igitvr alij actus humani sint certò non interdicti, ut Amor Dei; alij certò interdicti, ut mendacium, & alij probabiliter interdicti, & probabiliter non interdicti, ut detectio complicis in confessione; sequitur, ut Veritas Practica suos gradus habeat, & Iudicia Practica de Veritate actuum Moralium, sint aut certò vera; aut certò falsa: aut etiam magis, æquè, & minus probabilia. Ex qvibvs patet, Quæstiones Morales non fuisse hucusque bene propositas, nam primò Quæstio deberet his verbis proponi. *An actus A. sit interdictus?* Et posteà sententia benigna videlicet quæ *Actum A. non esse interdictum*, asserit in examen vocari, & examinari an sit vera? & posteá an sit bona, & quæ tutâ conscientiâ possit reduci ad praxim. Opinio enim Practica, quæ est certò vera, est certò bona: & etiam illa, quæ est probabiliter vera, est certò bona. Vnde. 392

An in Veritate Practica suos gradus habeat Certitudo?

An malè Quæstiones Morales proponantur? An & quo illæ modo proponi deberent?

Adnotato Tertio Malitiam esse solius Falsitatis certæ inseparabile adtributum 393

tum: & assere Mendacium esse malum, quia hæc Propositio Practica, *Mendacium non est interdictum* (cuius prædicatum est illud, quod iussimus vocari *Criticum*) est certò falsa. Malitiæ opponitur Bonitas, & Bonum practicè dicitur, quidquid certo interdictum non est. Est autem Bonitas duplex: negativa & positiva: illa in actibus, qui nec interdicuntur, nec consuluntur, nec præcipiuntur, ut deambulare, hæc autem, quæ in actibus, qui non interdicuntur, sed tamen consuluntur aut præcipiuntur, ut attentio interna in Horarum lectione, quæ in aliorum opinione consulitur, & in aliorum præcipitur. [Et hanc Bonitatis in negativam & positivam distinctionem admitto: quia existimo dari actus in individuo indifferentes. (hi enim sunt boni negativè, hoc est, non mali) & addo (N.B.) ex hypothesi quòd non dividitur, illos, qui vulgò indifferentes asseruntur non malorum, sed bonorum actuum censui adiudicandos: Potentias enim, non ut otio torpescerent, sed ut illis uterentur, hominibus concessit Deus; Ergo ex hoc ipso capite, nisi interdictio specialis superveniat exercere potētias divinitùs concessas bonum est.] Cum igitur Malitia sit individua comes Falsitatis certæ solius; & quidquid malum non est, positivè aut negativè bonum sit, sequitur omnes actus bonos, esse certò bonos; & omnes malos, esse certò malos; adeoque repugnare actus probabilter bonos, aut etiam probabiliter malos; & per consequens maiorem, æqualem, aut minorem probabilitatem, habere locum ubi de Veritate practicâ humanorum actuum (an videlicet interdicti sint, aut non sint?) non autem quando de Bonitate practicâ disputatur. Nam in Practicis est certò bonum, quidquid est probabiliter verum: hoc est, quidquid probabiliter non est interdictum.

Quid sit malitia & cuius sit passio?

Quid sit Bonitas: & quorum ipsa passio sit?

De Positiva & negativa distinctione.

An dentur actus indifferentes in individuo?

394 *Cum agitur de Bonitate & malitiâ actuum non habet locum Probabilitas.*

395 Adnotato quarto, posse eumdem hominem respectu eiusdem actùs in individuo habere probabilitatem de Veritate Practicâ, & certitudinem de Bonitate Practicâ. Nam, si agamus de moribundi absolutione, v. gr. de quâ diversæ sunt probabiles Theologorum sententiæ; &, si tu illam impertiaris infirmo, ille tuus actus (absolutio concessa) habebit Veritatem practicam probabilem, sed bonitatem certam: quoniam hæc Propositio, *Absolutio in tali casu non est interdicta*, est tantùm probabiliter vera. Et tunc hæc altera Propositio, *Hic absoluendi moribundum in eodem casu, actus est bonus, est licitus, est honestus*, est certa.

Potest etiā practicè esse Veritas probabilis, & Bonitas certa in eod. m actu.

396 Et quidem eumdem intellectum habere Certitudinem de Bonitate unius actùs, & tamen nondum illius Veritati assentiri, sed adhuc quærere & disputare, nos Apostolus docuit, nam cap. 2. vers. 15. Romanos instituit, his verbis: Ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ Νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως: καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορουμένων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων. *Ostendunt opus Legis* (quid faciendum sit ex præscripto Legis) *Scriptum in cordibus suis; contestante* (testimonium perhibente) *ipsorum conscientiâ*: (etsi) *interse invicem rationibus accusantibus & defendentibus.* Ecce Anima duos habet oculos: alterum Practicum, & alterum Speculativum. Ille Συνείδησις *Conscientia* dicitur, hic Λογισμὸς *Ratiocinatio*. Prior ille Bonitatem, hic autem Veritatem considerat; & contingit interdum, ut hic & nūc Conscientia quieta & secura sit, & de sui actùs honestate non dubitet; & tamen Ratiocinatio irrequieta vacillet, & circa veritatem actùs hinc inde cogitet, nec ubi pedem firmet, reperiat. Proderit Scotum audire, qui *in 3. sent. dist. 25. quæst. 1. liter.* E. Interroganti, *Quid debeat homo facere, quando sunt diversæ Doctorum Sententiæ, ut si quis dicat, sic mercari licere; & alius resoluat, non licere?* respondet. *Tunc tutius est non procedere sic, nec sic; sed exspectare quousque veritas pateat aliunde.* Prudens sanè consilium, quod tamen raro habere poterit locum; nam sæpe nulla affulget spes ad Veritatem perveniendi. Sed quid, si periculum in morâ sit, & debeas statim operari, nec habeas tempus, ut doctiores interroges? Et pono casum, qui non patitur moram. Iussit Petrus iam moribundus, ut Confessarius advocetur, nam vult expiare conscientiam. Cùm Confessarius advenit, reperit sensibus destitutum ægrotum. Consulet alios? minimè, nam infirmus festinat, & citò moriturus est. Confessarium, si absolutionem impertiatur mortalis sceleris incriminantur Aluarez *in 1. 2. disp. 80. per totam* Petrus Fay, Coquetius, Luysius Turrianus, Lavorius, & alij apud Dianam *3. part. tract. 3. resol. 4.* nec non Navarrus, Scotus, Archangelus, Canus, Ledesma, Abulensis apud Vasquez *quæst. 91. art. 2. dub. 1. num. 2.* Conradus, Nugnus, Avila, Grassis, Angles apud Leandrum *1. part. tract. 5. disp. 5. quæst. 38. & 43.* Et eumdem Confessarium, si absolutionem negare audeat, peccati mortalis incusat D. Thomas *Opusc. 65. §. de Extr. Vnct.* quem D. Antoninus, Sylvester, Paludanus, Ioannes de la Cruz, Vasquez, Valentia, Montesinus, Lugus, Basilius, Corduba, Naldus, Megala, Molfesius, Fagundez, Diana, Palaus, Trullench, Bannius, Bonacina & Leander *loc. cit. quæst. 43.* & alij Doctores sequuntur. Et quid, quæso, in hoc est Casu Confessarius facturus? *Tract. de Conscientiâ disp. 28. dub. 6. concl. 3. num. 579.* Ioannes Ildephonsus Baptista respondebit. *Aliquando*, ait, *talis se potest offerre occasio operandi promptè, ut maior notitia, vel certior opinio haberi non possit: vel tale periculum vitandum, ut pro tunc, ne exponatur salus corporis & animæ periculo, illa parva sufficiat probabilitas: tunc enim attentis circumstantiis loci, temporis, personarum, & periculi, debet censeri probabilior possibilis illa parum probabilis sententia.* Ergo tunc, quia non habet rationem certam Confessarius, ob quam negare absolutionem debeat, habet certam, ob quam debet illam concedere:

a] Græcorū genitivi absoluti in Ablativos absolutos apud Latinos convertuntur.

Quomodo Συνείδησις *&* Λογισμὸς *hoc est* Cōscientia & Ratiocinatio *distinguantur.*

397 *Quid homines agere debeant, ubi quid sibi liceat aut non liceat ignorant?*

Et quid, si sit periculum in morâ?

An peccent, qui absenti Confessario signa contritionis exhibenti & confitenti volunt, possit absolvi?

398 *Quādo maior notitia haberi nequit, illa debet sufficere quam actu habemus.*

dere. Et in actu Abſolutionis, quam impertitur, à Veritate Bonitatem diſtinguit: & licet dubitet, an verè pœnitentem abſoluerit? nam de valore & Veritate huius Abſolutionis docti differunt; non tamen de ſui actûs bonitate & honeſtate dubitat: nam præceptum Charitatis eſt generale, & præcipit, ut proximo in extremâ neceſſitate conſtituto faveat, qui poſſit: & unuſquiſque poteſt, donec certum præceptum, aut certa incapacitas hanc potentiam reſtringat.

Abſolutio in hoc caſu data, eſt certò actus bonus & honeſtus, & tamẽ hæc eadem abſolutio non eſt certò vera.

Scio communiter Doctores Συνείδησιν,
399 & Λογισμὸν *conſcientiam*, & *Ratiocinationem* confundere; & *Conſcientiæ* nomine intelligere utramque: quorum nos dialecto uti etiam aliquando debebimus, ut eos intelligamus, & exponamus.

An Συνειδήσεως, *Conſcientiæ* nomine, etiã Λογισμὸς *Ratiocinatio* intelligatur?

Hinc patet, quid reſpondendum ſit his Quæſtionibus: videlicet, I. *An liceat operari cum conſcientiâ dubiâ?* II. *An cum probabili?* III. *An cum probabiliori?* IV. *An peccet, qui non operatur cum certa?* Quoniam ante Reſponſionem nomen *Conſcientiæ* bifariam poſſe ſumi aſſevero: nam ſumitur ſtrictè pro Συνειδήσει, aut largè pro Λογισμῷ, aut aliter vel enim ſumitur pro Intellectu, pro ut actûs Bonitatem & Honeſtatem, vel ut Veritatem concernit. Et eum I. qui elicit actum de cuius honeſtate dubitat: II. Et illum, qui de ſui actûs honeſtate probabiliter opinatur: III. Immò & illum, qui pro ſui actûs honeſtate reſoluit probabiliùs, peccare abſolutè pronuncio: & IV. Eum tantummodò à peccato excuſo, qui actum elicit, de cuius honeſtate certitudinem habet. Et hoc ſenſu

400 loquitur S. Thomas, cuius meminit S. Antoninus *titul. 3. cap. 10. de Conſcientiâ, pag. 69 paragr. Regula moralis*, locum illum Eccl. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*, dilucidans, inquit enim, *B. Thomas & alij dicunt, quod ille, qui agit id de quo eſt dubium, utrum ſit mortale, vel non? peccat mortaliter; quia periculo ſe exponit mortalis. Cum ergo in aliquâ materiâ morali ſunt variæ & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur ſe exponere periculo mortalis, quia agit in dubio, cum poſſit Opinio illa eſſe falſa, & contraria vera.* Ergo non ſufficit probabilitas de Bonitate actus, ſed certitudo requiritur. Addo nihilominus hominem in caſu, quo de honeſtate ſui actûs habeat certitudinem, etſi de Veritate eiuſdem actûs ſit incertus (quod vel probabiliori, æquè aut minus probabili aut etiam dubiâ opinione ducatur) bene operari. Pono exemplum. Præcipiunt Canones, ut horas attentè & devotè legamus: & quæritur, an debeamus internam attentionem aut etiam devotionem habere? Petrus dubitat; Ioannes Ægydio Coninchio ſubſcribens, probabilius exiſtimat externam tantummodò præcipi: Antonius internam putat probabiliùs requiri. Interim omnes tres, etſi circa præcepti Veritatem diſſentiant conveniunt in hoc, quod recitatio horarum cum attentione interna facta (præcepta ſit hæc attentio interna aut non) ſit certò honeſta. Conveniunt etiam omnes, ſi velint bene philoſophari, neminem habere obligationem internam ponendi attentionem, quouſque certò conſtet illam fuiſſe præceptam.

An homo habere debeat certitudinem de ſui actus bonitate & honeſtate?

N. B. Multæ adlucinationes & Scholaſticorum diſſidia tollerentur, ſi vellẽt Doctores in humanis actibus diſtinguere à Veritate Bonitatem.

De Divini Officij lectione.

An interna attentio præcipiatur?

Et his præmiſſis ſic in formâ ad primam Obiectionem reſpondeo. *Catholicæ vitæ ſinceritas poſtulat, ut condemnentur omnes, qui dubiâ conſcientiâ operantur.* Diſtinguo maiorem. Si dubium & incertitudo cadant ſuper honeſtatem actûs, concedo: ſi ſuper veritatem, nego. *At Conſcientia non certa nihil eſt aliud quam Conſcientia dubia.* Tranſeat minor: tametſi enim latiùs pateat Non-certitudo, quam Dubium Philoſophicum: poterunt coincidere, Si *Dubium* ſumatur Grammaticè. *Ergo ad ſecuritatem non ſufficit non certa Conſcientia.* Diſtinguo conſequens. Si bonitatem & honeſtatem actûs non certitudo illa reſpiciat conſequentiam concedo: Si Veritatem (reſpiciat illa non certitudo) nego. Ad probationem dico, maiorem illam, *Qui imprudenter procedit, non procedit ſincere*, ut diſtingui poſſit ſine periculo poſſe concedi. Illa autem minor, *Qui adhæret non certæ aut incertæ doctrinæ non procedit prudenter*, debet iuxta priorem diſtinctionem diſtingui; nam, ſi Non-certitudo, aut incertitudo afficiat bonitatem doctrinæ concedenda erit minor: Et, ſi ſolam veritatem erit eadem minor neganda. Et ſtando eidem diſtinctioni, Conſequentia illa, eodem ſenſu admittitur & approbatur.

401 *An, & quãdo damnanda ſit dubia Conſcientia.*

An Non certitudo à Dubio diſtinguatur?

An procedat prudenter, qui ſectatur Opiniones incertas?

Reſpondetur Obiectioni II.

OCcurro ſubſequenti argumento diſtinguendo maiorem: nam Cõnſcientia ſecura certitudinem poſtulat, non de Veritate, ſed de Bonitate & Honeſtate ſui actûs. Iudex enim qui Petrum, Actore non probante, innocentem declarat, non habet certitudinem de Veritate huius Propoſitionis *Petrus eſt innocens*: accuſabatur enim de homicidio, quod fortaſſis admiſit, licèt defectu teſtium puniri nequeat. At de eiuſdem Propoſitionis, *Petrus eſt innocens*, quæ ſententiam complectitur definitivam, Bonitate & Honeſtate habet certitudinem claram & manifeſtam, qui cum erroris formido aut ſuſpicio non capitur. Et tranſeundo ad minorem, tam Incertitudinem, quàm Non-certitudinem Certitudini opponi; ſi agatur de eadem re, concedo: ſi de diverſis, nego. Licèt enim eſſe non poſſit ſimul certa & incerta latæ ſententiæ Veritas: & licèt eſſe non poſſit certa & incerta latæ ſententiæ Bonitas, Honeſtaſque: nihilominùs illa à Iudice prolata ſententia (videlicet, *Petrus eſt innocens*) certam & indubitatatam Bonitatem & Honeſtatem habere poterit: nec non veritatem incertam. Et tandem ad Conſequentiã perveniendo, Certitudinem & Incertitudinem (aut etiã Certitudinẽ & Non-certitudinem) in eodẽ ſubiecto repugnare concedo; in diverſis nego.

402 *An, quomodo, & quando Incertitudini, aut etiam Non-certitudini Certitudo opponatur?*

Sententia Iudicis, quæ ſecundum allegata & probata pronunciatur, non ſemper habet certã & indubitatam veritatem. At verò habet certam & indubitatã Bonitatem & Honeſtatem.

Non

Non enim repugnat illum actum *Petrus est innocens*, tametsi habeat veritatem incertam, Bonitate & Honestate certis, & indubitatis esse præditum.

403 Hanc inter Veritatem & Bonitatem distinctionem cuius notitia est in Theologiâ Morali maximè necessaria, exploratam habebant Veteres Summi Pontifices, ex quibus Iuniores Regulas, quæ in sexto leguntur, collegerunt. Proponam aliquas.

De possessione iniusta.

404 REGVLA II. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Ecce, qui malâ fide possidet, verè & realiter possidet, sed male possidet. Ergo in iniustâ possessione Veritatē Bonitas & Honestas minimè comitātur.

De consilio, si male succedat.

Hadrianum Imperatorē multitudo Medicorum occidit.

REGVLA LXII. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Hadrianus Imperator ex prudentum Medicorum consilio, cùm valetudinem anxius quæreret, mortem hausit in pharmacis; & exclamavit moriens Πολλοὶ ἰατροὶ τὸν βασιλέα ἀπώλεσαν, *Turba Medicorum Cæsarem perdidit.* Dionys. [Immò id sepulchro inscribi iussit, si credendum est Zuinglio *in Theatr.*] Ergo in pharmaci præscriptione distinguenda est Veritas à Bonitate. Ille actus, *Tale pharmacum restituet valetudini Cæsarem,* antequam illud sumeretur à Cæsare, erat probabile, propter authoritatem asserentium: eumdem autem fuisse falsum, demonstravit eventus. At ille ipsissimus actus fuit certò bonus, certò honestus; non enim è malo dolo, sed è bono animo, & sincerâ voluntate processit. Et Medici, tametsi suo consilio occiderint Imperatorem, nullo modo obligantur, non enim dederunt consilium fraudulentum.

An male processerint? An potuerint de parricidio accusari.

405 Stat igitur in actibus humanis (& in omnibus opinionibus & Propositionibus, quæ de illis à Theologis formari solent) posse & debere Bonitatem à Veritate distingui? immò & separari aliquando, ut posita persuaserunt exempla.

Respondetur Obiectioni III.

SECTIO I. Proponitur prima Obiectionis Tertiæ Solutio.

Legis attentè, quæ in Obiectione ponebantur; &, ne novis implicceris difficultatibus, eadem omnia, quæ ab argumentatore esse absurda asseruntur, & ut inconvenientia ponuntur, transire iubes; aut, si velint, concedis.

An mala suspicari de proximo peccatum sit?

Loci, qui citantur, paulò post exhibentur.

PRIMVM relegis DVBIVM, & te posse, respondes, mala semper suspicari de proximo, nec tales suspiciones esse peccata: nam ad iudicium temerarium assensum firmum & determinatum requiritur, quale in suspicione minimè reperitur, ut docent Caietanus, Laymanus, Ioannes de la Cruz, Armilla, Lopez, Diana, Fagundez, Navarr. & alij. Addis præterea, Iudicium firmum de Viro ignoto non esse temerarium; *quia inspici debet in incertis, quod est verisimilius; & est verisimilius, quod plerumque fieri consuevit.*

Regul. 45.

Cùm igitur multi in mundo homines mali, sint; & pauci boni [unde Ioannes Ovvenus cecinit,

Versus sunt homines, scis unde colligo? nāque
Sunt, sicut versus, plurimi in orbe mali.]

Ratio dictat, ut ignotum quemcumque potiùs malum iudicemus, quàm bonum.

An Prudentia dictet, ut male semper suspicemur de proximo?

Præterea, Politica est Facultas Reipublicæ maximè necessaria, & tamen inter Practicos Canones ponit, *Debere omnes, tam Principum, quam aliorum actiones, accipi in malam partem.* Et quid aliud claves & seræ in portis, & seris significant, quàm nos domesticis & vicinis diffidere, & de ipsis pessimè iudicare; in penetrali enim, ad quod nemini patet aditus, nihil custodimus sub clavi. Et sanè, ipsæmet suspiciones, si ingeniosæ, suam gloriam habent: & inter alios Historiographos Cornelius Tacitus, quia in ὑπονοίαις malignitate eminuit, est Author celeber, & numeratus inter classicos. Nec debet reiici, quòd fuerit Ethnicus: Nam Naturalis & Divina lex, est Ethnicis & Christianis communis; & præcipui Iurisprudentiæ Canones (ut in Pandectis Iustinianæis videre est) ab Ethnicis fuerunt desumpti. Ergo, si nil velis Cornelij Taciti authoritati deferre, subsistituam aliquem Christianum, qui nos doceat, quo debeant Viri prudentes modo de aliorum actibus iudicare. Et dicas, Quæso, Quæ persona maiori habenda est reverentia, quam proprius Rex: & tamen in dubio purè negativo, quando de tributorum iustitiâ aut iniustitiâ nulla ratio redditur, posse iudicari contra Regem, & tributa non solvi, ait Molina *de iustit. tom. 3. tr. ct. 2. disp. 274. num. 15.* [quia in dubio melior est conditio possidentis: & gabellæ novæ semper præsumuntur iniustæ, donec contrarium constet. Vnde *in cap. quanquam. de censur. in 6.* tributa regulariter dicuntur contraria Iuri Canonico & Civili. Et *in cap. pervenit. de censur.* ait Pontifex, priùs cognosci debere censûs iustitiam, quam solvi. Neque verò præsumendum pro Rege, cùm de eius interesse agitur.] His verbis Molinæ sententiam ediderit Antonius Cotonius *in Summ. verb. Gabella, num. 15.* Vide Dianam *part 4. tract. 3. resol. 39.*

Quid Politica doceat?

Cur tanti fiat, Cornelius Tacitus?

406 *An, etiam quando nulla apparet ratio contra Regem & tributa sine temeritate iudicare possimus?*

An hostiæ, quæ cultui publico exponuntur, sint probabiliter consecratæ?

AD SECVNDVM DVBIVM transis; & hostiam, quæ publicæ adorationi exponitur, esse tantùm probabiliter consecratam, asseris. Et probas, quia S. Thomas negat ibi certitudinem esse. Quoniam 2. 2. q. 1. *artic 3.* his verbis argumentum quartum proponebatur. [Vnum de pertinentibus ad Fidem est, ut aliquis credat sub Sacramento altaris verum corpus Christi contineri. Potest autem contingere, quando non rectè consecratur, quod non est ibi verum corpus Christi, sed solùm panis. Ergo Fidei potest subesse falsum.] Et quidem S. Thomas, si omnem hostiam esse ritè consecratam putaret, & sub illius speciebus corpus Christi contineri crederet, in minorem positā animadverteret: at illam transire permittit, & his verbis proposito argumento satisfacit. [Dicendum, quod Fides credentis non refertur ad has species panis, vel illas, sed ad hoc quod verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quādo rectè fuerit consecratum. Vnde, si non sit rectè consecratum, Fidei non suberit propter hoc falsum.] Sanè posset fieri hoc argumentum.

Verùm Fidei Theologicæ possit subesse falsum?

An sit de Fide hanc numero hostiam esse consecratā?

In omni hostiâ ritè consecratâ est corpus D. N. Iesu Christi.

At hac hostia quæ publicæ adorationi exponitur, est ritè consecrata.

Ergo in hac hostiâ, quæ publicæ adorationi exponitur, est corpus D. N. Iesu Christi.

An Vrbanū VIII. ex gr. fuisse summum Pontificem de Fide sit?

Et posteà componi cum isto.

Omnis legitimè electus est Pontifex.

Vrbanus VIII. fuit legitimè electus.

Ergo Vrbanus VIII. est Pontifex.

Hanc Conclusionem esse de Fide docent communiter Thomistæ, quos citat & sequitur P. Philippus à Sanctissimâ Trinitate *in 2.2 disp.1. dub.5. pag.20. b.* Thomistis adhæret Valentia *disp.1. quæst.6. punct.7.* Tannerus, & alij contra Bañesium *in 2.2. quæst.1.art.1. dub.2. ad 2.* Et probant sic. Quando una præmissa est de Fide, & altera certa Consequentia est de Fide. At in prædicto syllogismo, Maior illa, *Omnis legitimè electus, est Pontifex.* Est de Fide: & Minor illa Vrbanus VIII. fuit *legitimè electus*, est certa. Ergo consequentia est de Fide. Et hinc transeundo ad priorem syllogismum sic urges. Maior illa, *In omni hostiâ*, &c. Est de Fide. Et tamen Consequentia, videlicet, *Ergo in hac hostia*, &c. non est de Fide, ut inquit S. Thomas. Ergo illa minor. *At hac hostia*, &c. non est certa: nam, si ipsa esset certa, esset consequentia de Fide. Quam ob rem, si non est certa, etsi probabilis, etsi probabilior dicatur, semper manet in suo pristino rigore difficultas relinquitur. Et, quia certum est, posse Christianum sequi minus probabilem, & minùs tutam opinionem relictâ probabiliori & tutiori, te posse existimas hostiæ expositæ, etsi sit probabilius consecrata, nullam exhibere reverentiam; aut etiam conculcare pedibus, præscindendo ab scandalo: licitè enim potes adhærere sententiæ, quæ docet non esse consecratam: & si consecrata non sit, erit merus panis, & ideò sine sacrilegio poterit pedibus conculcari. Et quidem non esse plusquam probabile, illam hostiam, quæ publicæ adorationi exponitur esse consecratam, asserit Ioannes Poncius *in 3. dist.25. quæst.2. num.356. pag.99. a.* Nam agens de Fide Supernaturali, iudicat Iuniores nimios esse, cùm certitudinem in illâ tantam postulant, quantam nec ratio probat, nec securitas exoptata requirit; &, ut ostendat, quàm certa sint, quæ Fides Orthodoxa nos docet, ad Eucharistiam & Baptismum recurrit, aitque [Iudicio prudentissimo quis ducitur ad adorandum Eucharistiam post consecrationem Sacerdotis in missâ adoratione latriæ. Sed illud iudicium non fundatur in motivo infallibili, nec est in se infallibile, & materia est gravissima. Ergo ut aliquis velit aliquid facere prudenter, etiam circa rem gravissimam, sufficeret iudicium valde probabile, quamvis non sit certum moraliter.]

An sit de Fide consequentia deducta ex Præmissis, quarum altera certa, & altera de Fide est.

An minùs probabilem sententiam amplecti securè possimus?

407 *An tanta sit Fidei Christianæ certitudo, quantam Recentiores requirunt?*

An hostiam adoremus prudenter?

An in illâ esse corpus Christi infallibile sit? An moraliter certum? An tantùm probabile?

408 *Quânam securitate habere de suscepto baptismo possimus?*

Ad tertium Dubium respondes, te de tuo Baptismo, non habere maiorem certitudinem, quàm de verâ hostiæ expositæ consecratione. Et siquidem non habes maiorem probabili, te posse, ais, de tuo Baptismo sentire alterutrum. Et iterum adducis Ioannem Poncium, qui *loc. cit.* sic ait. [Iudicium, quod quis habet de suo Baptismo, est sufficiens, ut quis se gerat tanquam verè baptizatus, & abstineat à quærendâ aliâ baptizatione sub conditione, quia non nisi imprudenter secundum omnes, quæreret: & tamen certum est rem illam, circa quam versatur illud indicium, esse graviorem & maioris momenti centies, quam velle credere Fide Divinâ huic vel illi mysterio, etiam necessario ad salutem; quia, si erraret in illo iudicio, perderet salutem regulariter; sed quamvis erraret circa aliquod mysterium Fidei, imprimis non peccaret, quia cùm proponeretur ipsi probabiliter, rem esse sic, ut crederet ipsam, excusaretur ob ignorantiam invincibilem, & esset infidelis tantùm materialiter: quod non multum refert, nec ullo modo impedire potest per se salutem, &c. Ergo iudicium probabile potest esse sufficienter prudens in materiâ gravissimâ, &c.] 409

Vnde maius damnū immineret homini; an, si invincibiliter erraret, credendo se esse baptizatum; an, si invincibiliter erraret, credendo Deum non esse trinum?

Ecce Pōcius nihil plus in Fide postulat, quàm iudicium probabile.

Relegis locos ex Poncio productos, & ex illis in formâ pro tuâ responsione argumentū iudicio tuo tam forte cōstruis, ut illud ἀποδεικτικὸν vocare audeas. Sic enim ais.

Ratio ἀποδεικτικὴ.

Est licitum unicuique Christiano, in materiâ probabili, eligere opinionem, quam velit. Ita Poncius.

Hanc hostiam esse consecratam est probabile. Me esse baptizatum est probabile. Fidei Articulos esse à Deo revelatos est probabile. Ita etiam Poncius.

Ergo licitè possum adorare hanc hostiam. Ergo licitè possum putare me esse Christianū, & non agere de secundo Baptismo. Ergo licitè possum Articulis Fidei assentiri. Omnia concedit Poncius.

Ergo etiam licitè possum credere & asserere hanc hostiam non esse consecratam, & illam pede terere. Ergo licitè possum credere, me non esse Christianum, & iterum Baptismum suscipere. Ergo licitè potero credere Fidei Articulos à Deo revelatos non esse, & illos ut falsos decredere. Et hæc Poncius debebit necessariò concedere.

N. B. Esset argumentum ad hominem, & contra Ioannem Pōciū demonstrativum, si ille simpliciter Maiorem concederet: at quia ipse illā admittit cum aliquâ limitatione hic Syllogismus nil evincit.

Sic tibi placuit Tertiæ Obiectioni respondere.

Et Ego te male respondere pronuncio nam Certitudinem moralem cum Probabilitate confundis.

Sectio II. Præcedens Solutio impugnatur.

De primo Dubio, sic habeto. Deus non iubet hominibus, ne iudicent, sed ne temerè iudicent: nam rationales sumus, & ratio postulat, ut ratiocinari permittamur. Ex certis inferre Iudicium certum, actus temerarius non est. Ergo ex gravibus habere potero suspicionem gravem, ex levibus levem, & ex nullis nullam. Nec plus Navarrus, Fagundez Ioannes de la Cruz, Armilla, Lopez Layman, Diana, & Caietanus admittunt, contra quos Turrianum, Bañes, Molinam, Villalobos, Sotum, & alios, quos producit, & sequitur Acacius March. de Valesco *tom.1. verb. Falsos testimonios. resol.324. pag.637.*

An omnia iudicia hominibus interdicantur?

410 *Quid de suspicionibus dicendū sit?*

Variant Authores.

Paulò post locos dabimus.

An possint ad concordiam reduci?

Quando mala, & quando bona suspicio sit?

pag. 637. citare possem, sed puto hos, quos ego cito, & illos quos tu produxisti, posse ad rationabilem concordiam reduci, si dicamus, suspiciones esse bonas, & malas, de illis tuos, & de his meos Authores agere. Suspicio mala dicitur, quæ temeraria: quæ videlicet gravis est, & ex nullis aut levibus indiciis deducta: hanc tui Authores non dicent esse licitam: sicut nec mei damnabunt gravem gravibus, aut levem levibus fundamentis innixam.

An intellectus in dissensu fallatur?

Dices. Intellectus est liber quoad exercitium, at est necessitatus quoad speciem. Ergo tametsi ex datis præmissis exorbitantes consequentias inferre labio possit, mente non poterit. Ergo nunquam poterit temere judicare. Ergo intellectus, qui præmissis probabiliter assentitur, nunquam poterit consequentiæ firmum adhibere consensum.

Præmissæ aliæ ponuntur, & aliæ deberent poni.

Respondeo concedendo antecedens: & quia in consequentiis fit præmissarum iterum mentio, assero duo me præmissarum genera reperire. Aliæ enim sunt, quæ de facto existunt, & aliæ quæ non existunt de facto, sed existere de facto, antequam inferretur Consequentia, deberent. Si agatur de præmissis existentibus, semper Conclusio illarum veritatem exæquat. At quando non deducitur, ex quibus deberet est temeraria & præceps. Pono exemplum.

In eo consistit judicij temeritas, quod ante præmissarũ examen cõsequentia (quæ est cõtra proximi honorẽ sententia) inconsideratè infertur.

Qui committit homicidium peccat mortaliter, & fit irregularis.

At Isidorus occidendo Ioannem homicidium commisit.

Ergo Isidorus peccavit mortaliter, & factus fuit irregularis.

Si considerentur præmissæ, quæ ponuntur, nulla est in consequentiâ temeritas: At illa nihilominus temeraria est; quia præcox; quia infertur, antequam quæ poni deberent, ponantur. Nam Major est incompleta, suas enim patitur restrictiones & limitationes. Et Minor etiam est incompleta: nam, si dantur circumstantiæ in quibus sine peccato & irregularitate aliquis possit alium occidere, ante Consequentiæ illationem examinandum fuerat, an homicidium ab Isidoro admissum subsit his aut aliis circumstantiis similibus. Et ideò iudicium, quod ante examen præmissarum infertur, meritò *temerarium* vocatur.

411 *An, & cur de ignoto viro debeamus judicare?*

Virum ignotum esse probum, nisi ratio aliqua particularis contrarium suadeat, iudicare debemus: & qui contrarium fecerit, est temerarius Iudex; &, si in materiâ gravi iudicium illud fiat, erit culpa lethalis. Nam licèt verum sit nullum hominem carere maculâ: unde Christus ait, *Qui sine culpâ est, mittat primum lapidem.* Hæc generalia sunt, &, quia frequentius levia non dedecorant animam: *nullus enim sanctus & iustus caret peccato; nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem*, ait Ambrosius *de Ecclesia dogmatib.* At de peccatis levibus, & communibus non agitur in Obiectione: nam in illa de furto, proditione, & adulterio agebatur. Et sanè hæ propositiones *Plerique omnes sunt fures, Plerique omnes sunt proditores, Plerique omnes sunt adulteri, &c.* Sunt falsæ. Ergo nulla ex ipsis potest consequentia deduci.

Dari genus peccati gravis, in quo omnes delinquant, falsum est.

Præterea, suspicari singulos esse improbos Politica Christiana non docet: nec hanc ab eâ indulgeri licentiam persuadent seræ & claves; quoniam ego possum me securum ab omni periculo reddere, quin de aliquo in particulari male iudicem. Claudo scriniorum seras domi, & cùm egredior portas: nec tamen meos famulos, aut vicinos, aut alios esse fures suspicor: sed me securum reddo, ne fortè aliquis (puta individuum vagum) velit mihi, & meis rebus nocumentum inferre.

412 *Cur seris & clavibus utamur?*

In Cornelio Tacito ingenium & eruditionem commendo: eloquentiam etiam non mediocrem: non autem severitatem illam, quâ actiones, quæ possent excusari, condemnat.

413 *Quanti habendus sit Cornelius Tacitus?*

Nec favet Molina suspicionibus Cornelij Taciti; est enim vir doctissimus, & de iudiciis temerariis, & suspicionibus strictissimè statuit: nec contrarium insinuant, quæ de gabellis asserit; nam, si in tributorum materiâ laxè loquitur, non est censendus dicere levia fundamenta sufficere, ut contra Regem, & tributi iustitiam præsumatur: sed requiri gravissima, & tamen se gravissima habere. At puto, cùm illa scribebat Molina fuisse in aliquo loco, ubi exactorum crudelitas in Principis dedecus & ignominiam redundaret: quoniam plerique Reges amant populum, sed Ministri non rarò in causâ sunt, ut hunc amorem subditi non experiantur. Et, si agamus de Hispaniâ, non loquuntur cum P. Molinâ alij Hispani. Suarez Hispanus fuit; quo tributa modo imponerentur & solverentur, vidit, & *de legib. lib. 5. cap. 18. num. 20.* Sic scribit. [Superior imponens tributum, est præferendus, tanquam possidens principalius ius: ut ergo contraria sententia in praxi sit secura, videtur intelligenda, quando rationes contra iustitiam tributa sunt valde urgentes; ut præsertim, si iuvantur publico rumore, & famâ, vel suspicione etiam virorum Sapientum.] Hispanus etiam fuit P. Acacius March. de Velasco, & agens de Valentiæ tributis, *tom. 2. verb. Gabelas, resol. 1. pag. 7. b.* leges, quæ illas præscribunt asserit obligare ad peccatum & pœnam. Secundum ea, quæ in Belgio viderat, tributorum solutionem in conscientiâ obligare tenet Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 8. n. 64.* Belga etiam fuit Bassæus, & *tom. 2. Florum Moral. verb. Gabella, num. 2.* Tam strictè procedit, ut etiam Christianos obliget ad solvenda tributa Principi infideli, si in eius dirione negotiantur.

An contra tributorum iustitiam sint motiva gravia?

Præsumi prò æquitate Principis in Tributorum materiâ iubet Suarez.

414 *An leges de tributis obligent in Valentiâ?*

An in Belgio?

An infideli Principi tributa solvere debeant Christiani?

Porrò bene de Principe (& loquendo universim, de quocumque Superiore) iudicare, debemus omnes: & hoc debitum, non solùm Principi, sed nobis prodest. Sæpe non habemus aditum ad Superiorem; & Ἀνάγκη iubet, ut licentiâ implicitâ vtamur. Sed qualis erit hæc licentia, quæ so

De superioribus honorificè sentiendum est.

so, si nostrum Superiorem esse tyrannum & crudelem asserimus, & minime subditorum compati necessitatibus? Sæpe licentiam precibus obtinuimus; & quia supra verum causam exaggeravimus, & subticuimus aliquid quod Abbas Petrus, non deberet morari tanquam Abbas & tamen, si scivisset, licentiam negaret, tanquam Petrus. Tuum ego negotium facis subdite, quando de tuo Prælato bene judicas: si enim clemens & suavis est, ut illum honores tuo judicio, meretur: si autem crudelis, non teneris hic & nunc judicare eum esse, qualis erat, sed qualis esse debet.

Subditorum interest bene sentire de Prælatu.

Quid Vincentia præcipiat?

Audi Ægidium Coninckium *de Sacram. disput. 3. dub. 6. n. 58. pag. 835. b.* qui agens de illo, qui in dispensationis petitione aliqua falsa inseruit, & dubitat an valida sit: inter causam finalem & impulsivam distinguit; aitque [Communiter causam finalem definiunt, quam rescribens præcipue spectat, & quâ rationabiliter movetur, ut postulata concedat; & sine quâ ea, aut nullo modò, aut non nisi cum quibusdam conditionibus ac limitationibus concederet. Impulsivam verò vocant, ob quam rescribens faciliùs quidem petita concedit: ita tamen, ut sine eâ illa esset secundum rectam rationem & causæ merita eodem modo concessurus. Quæ addo [N. B.] quia communiter in hac re, non ita curandum, quid per accidens ratione alicujus privati per affectûs aut conditionis ipsi causæ extrinsecæ rescribentem moveat ad aliquid concedendum, quàm quid recta ratio & conditio causæ intrinseca postulet: Quia, cùm similes concessiones fiant a personâ publica, nisi constet de contrario, semper præsumitur concedentem in iis velle procedere prout Iustitia Distributiva, sive merita causæ exigunt.]

Etiam de malis Superioribus sentire bene possumus, & debemus.

In dispensationum, aut quarumcunque gratiarum concessione causa finalis ab impulsivâ est distinguenda.

Vnde scire possim an hoc vel illud Superior si ab ipso peteretur concederet?

Et hic obiter nota illud *nisi constet de contrario:* est enim generalis doctrina, quam tota hæc Dialexis edisserit, quamcumque rem me licite posse facere, *nisi constet de contrario*, hoc est, nisi certò constet esse mihi interdictam.

Doctrina generalis ex illis verbis, nisi constet de contrario, deducitur.

Ad secundum dubium, quod in in Objectione ponebatur, assero D. Thomam non tangere Quæstionem hanc determinatam. Vtrum hæc hostia adoranda sit, an non? Sed manere in terminis conditionatis: quamobrem, si ipse assereret Consequentiam ex alterâ de Fide, & alterâ certâ deductam, esse de Fide; quod negat Bañez, etiam diceret, hanc hostiam esse consecratam, esse de Fide. Et hanc ob rem pronuncio te male asserere hostiam cultui publico expositam, esse probabiliter consecratam; esse enim illam rìtè consecratam, est moraliter certum, ut statim probabo. Pergo ulteriùs, & addo, te non juvari P. Ioannis Poncij authoritate, qui exest à viâ communi, & singulares de Certitudine & Probabilitate opiniones proponit, quas nemo poterit Theologo docto, & exercitato persuadere. Subjungo ex Poncij doctrinâ non sequi, hostiam venerationi expositam posse licitè non adorari: nam concede illam esse consecratam probabilius, hoc enim innuit Poncius, & postea audi, quo ille modo de eo, qui non sequitur probabiliorem opinionem statuat: ipse enim *in 2. dist. 39. q. 2. n. 33. pag. 960. a.* hanc conclusionem defendendam adsumit: *Quando una pars apparet licita, & altera apparet illicita probabiliter, nec ex sequela partis licitæ apparet aliud damnum committi posse probabiliter, quam commissio actûs peccaminosi moraliter, licèt sequi partem licitam, non solùm quando magis probabiliter apparet licita, quam altera illicita, aut æquè; sed etiam quando minus, si non possit omittere minus probabilem absque detrimento aliquo considerabili. Non licet autem eam sequi, cum posset omitti absque ullo probabili detrimento.* Sed cur tot verba? Omnia ad hæc pauca reduco. *Vbi probabile est me non posse sine gravi detrimento minus probabilem opinionẽ deserere eam possum sequi.* Et hic statim examinandum ocurret. (1) Quantum debeat esse detrimentum, ut notabile aut grave dicatur. (2) An in casu hoc detrimentum damnúmve debeat imminere probabilius, an satis sit, si minùs probabiliter imminere censeatur. (3) An, & cur lex Dei, v.gr. de cuius existentiâ disputant eruditi, si damnum non immineat, lata sit; &, si illud immineat, lata non sit? (4) An, & cur eadem lex, quæ probabiliùs lata, si ex eius observatione detrimentum Albinus patiatur, Cornelius non patiatur, ego dicere Cornelio possim, & debeam, *Non datur talis lex*, & Albino, *Datur talis lex:* cùm impossibile sit simul dari, & non dari. Omitto alia, quæ etiam peterent eruditum & maturum examen.

D. Thomas non examinat nostram difficultatem.

An conclusio ex unâ de Fide & alterâ certa deducta, sit de Fide?

An Poncius de Certitudine & Probabilitate pronunciet bene?

An permittat Poncius hostiam expositam non adorari.

415 *Quid Poncius sentiat de electione Opinionis Probabilis?*

Quæ clarè demonstrare deberet?

Plerique omnes concedunt me posse facere, quod probabilius est nõ interdictũ.

Posuerat Conclusionem Poncius, & subjungit, *Hac est communissima sententia quoad primam partem; qua scilicet dicit, quod liceat sequi partem licitam, quando habet opinionem probabiliorem aut æquè probabilem, quod sit licita.* Et quis de hoc dubitat? Solùm, quæritur de minùs probabili: & me posse illam sequi sine ullâ restrictione aut limitatione est ferè omnium Theologorum sententia: & opinio de illâ restrictione & limitatione, quam ponit Poncius, est singularis, & tam singularis, ut in terminis non reperiatur apud alium.

An sit hæc eius doctrina singularis?

Dixi te non juvari Patris Ioannis Poncij authoritate, nam ipse, si ei Ratio illa, quam voluisti nominari Συλλογισμόν, proponeretur, negaret absolutè majorem & illam Conclusionem reformando, diceret, illud idem Ratiocinium, ut Συλλογισμὸς sit, debere ad hæc verba reduci.

Ratio hæc, de quâ hic agitur, ponitur n. 709.

In quæstione morali, si materia gravis sit, & non sim grave detrimentum passurus, si probabiliori Opinioni subscribam, illi debeo adhærere sub peccato mortali. 416

At hanc hostiam esse consecratam est probabilius.

Nullum grave detrimentum passurus sum, si illam esse verè consecratam credam & asseram.

Ergo hanc hostiam esse consecratam debeo credere

Hostiã cultui publico expositã, debeo esse consecratã credere sub mortali.

crede sub peccato mortali.

Et quidquid de Poncio sit, debeo sub peccato mortali hanc hostiam esse consecratam credere; ut persuadebo statim.

An similiter me esse baptizatum debeam credere?

Ad tertium Dubium dico, quidquid de Poncij mente sit, te debere credere te esse ritè baptizatum, & hoc modo sub peccato mortali. Et quia voluisti Poncium facere tuæ sententiæ consortem, à te stare permittam, & te in illo impugnabo. Ad eum itaque orationem convertam, & sic discurram.

417 Sect. III. Argumentatur contra Poncium.

In Fide Divina & humanis actionibus Prudentia majorem Certitudinem requirit, quam tu asseris, & probarè conaris; & ideò huic Ratiocinio respondere digneris.

Quàm multa inconvenientia ex Poncij doctrinà inferantur?

Quoties aliquis notabile malum passurus est si sequatur probabiliorem opinionem tutà potest conscientià eligere minùs probabilem. Sic tu expressè nos doces.

At hanc hostiam esse consecratam, Ioannem esse baptizatum, & Articulos Fidei esse à Deo revelatos, est probabilius. In his majorem certitudinem non vis admittere.

Ergo, si Tyrannus Iulio ut hostiam pedibus tereret, Ioanni ut rebaptizaretur, Titio, ut Deum esse Trinum negaret, præciperet sub pœna capitis, notabile damnum paterentur, si probabiliori vellent opinioni adhærere. Est certa & clara.

An detur casus, in quo non adorare hostiam, iterum baptizari, negare Trinitatem, &c. licitum sit?

Ergo in casu, ne plecterentur capite, minùs probabilem amplecti possent. Sequitur manifestè ex præmissis.

Ergo, Iulius hostiam cultui publico expositam tutà posset conscientià pedibus terere. Ergo tutà etiam Ioannes rebaptizari. Ergo tutà similiter Titius Trinitatem in Divinis negare. Et non video, cur non debeat has tres consequentias concedere.

Hoc est argumentum ad hominem, & ἀποδεικτικὸν vocari poterit, quousque congrua responsione solvatur.

An rebaptizari debeat, qui minùs probabiliter est baptizatus, non autem, qui magis probabiliter est baptizatus?

Accedit alius adhuc scrupulus, nam *in 2. dist. 39 quæst. 2. pag. 962. b. num. 42. 6. Probatur.* Sic ait: [Peccaret baptizando secundum sententiam minùs probabilem: Quia, si illa pars non esset à parte rei tuta (certa) Baptizatus incurreret notabile & irrecuperabile damnum; quia non esset revera baptizatus, nec capax aliorum Sacramentorum, & fortassis æternum damnaretur.] Vnde colligo, iuxta minùs probabilem sententiam baptizatum sub conditione iterum baptizari debere. At idem est periculum in probabiliori sententià: quia potest esse falsa, & forsitan de facto est falsa; &, si esset falsa, ex probabiliori eadem, quæ ex minùs probabili pericula & miseriæ sequerentur. Ergo baptizatus secundum probabiliorem Opinionem deberet rebaptizari. At in Poncij sententià de Baptismi suscepti veritate meram probabilitatem habemus: &, si centies rebaptizemur, semper remanebit probabilitas, semper æternæ damnationis periculum. Ergo ad maiorem securitatem deberemus pluries, & pluries rebaptizari: & tamen nunquam certitudinem adsequeremur.

Eadem manent pericula probabiliùs baptizatum, quæ minùs probabiliter baptizatum.

Stat igitur non sufficere Certitudinem, quantam in huiusmodi rebus ponit Poncius, nam periclitatur Fides, Moresque nisi major ponatur.

In rebus Fidei & morum, major, quam quæ à Poncio ponitur Certitudo requiritur.

Dices, tantam debere poni, quantam probent rationes, quæ illam suadent. Sed illæ majorem dari non probant. Ipsa igitur (quidquid sequatur, aut non sequatur) non est major.

Respondeo in his materiis, quas Tertia hæc Objectio concernit, Probabilioritatem non sufficere, sed Certitudinem requiri. Et probari clarissimè Moralem Certitudinem dari. Legitor ergo Sectio subsequens.

Quantà nos concedamus.

Nego rotundè (Primò) ex Doctrinà, quam Dialexis hæc tradidit deduci posse esse licita temeraria judicia: quoniam temerè iudicans, in se ipsum & in proximum peccat. Porrò Iudicium temerarium, *est firmus assensus de aliquà re malà ex levibus indiciis.* Ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 60. art. 3.* Reginaldus *lib. 24. n. 21. & 24.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 5.* Petr. Navarrus *lib. 2. cap. 4. num. 445.* Acacius March. de Velasco *verb. Falsos testimonio, resolut. 324. pag. 637. a.* Sanè in se ipsum peccat, qui temerè iudicat: quia, ubi debebat Deo summas gratias agere, & cùm Prophetà Rege dicere, *signatum est super nos lumen vultùs tui Domine:* hoc naturale lumen sciens & volens obtenebrat, & rationi vim inferens ex præmissis levibus & infirmis, unde non nisi levis suspicio inferri posset, gravem & firmam consequentiam deducit. Peccat etiam in proximum, cui infert manifestam injuriam: quoniam Fudamentale illud Protheorema, quod in omni Morali Discursu à Possessione exordium sumit, omnia temeraria judicia, & male fundatas suspiciones condemnat. Insistere necessariò debemus prudentissimo Regulæ XLVII. Corollatio: videlicet, *Innocentia præsumitur, ubi crimen non probatur.* Porrò, si agamus de actualibus culpis, infantes innocentes sunt: & utrum posteà aliquis liberi arbitrij lumine fuerit abusus, est Quæstio facti. Ergo donec probetur oppositum, hominem quem video, quem aliàs non cognosco, nec furem, nec hæreticum, nec adulterum esse, potero iudicare. Et quid, si id iudicem? Irrogabo illi injuriam, etsi hoc judicium in intellectu se contineat, & nullo externo signo manifestetur. Sylv. *in sum. verb. dub. n. 3.* [Habens malam opinionem de aliquo absque causà sufficienti, iniuriatur ei, & illū contemnit, quod sine causà sufficiente nemo facere debet. Et ideò, ubi non apparent de malitià alicuius manifesta indicia, debemus illum habere bonum (*Hispan.* tener por hombre de bien) id, quod dubium est, in meliorem partem interpretando. Et melius est aliquem falli frequenter habendo bonam opinionem de homine malo, quàm falli rarò habendo malam de bono: quia ex hoc fit injuria proximo, non ex primo. *de Regul. Iur. estote.* Et Lancellotus, qui Additiones adscripsit

418 Sect. IV. Vera objectionis tertiæ satisfactio.

Quid sit temerarium Iudicium?

Qui bene servet leges Logicæ, non potest iudicium temerarium cōmittere. Psal. 4. 8.

An sit peccatū temerè judicare?

An, & cur innocentia præsumi debeat, ubi crimen nō probatur. Leg. sicut possidetis, C. de prob.

419 *An internū judicium, si temerarium sit, sit peccatum mortale, etsi nullo signo externo manifestetur?*

An, & quãdo temerè judicans teneatur ad restitutionem?

scripsit, *verb. Iudicium*, ait: [Erit peccatum mortale, si ex levibus judicces malum grande de proximo. Sic Bañes. Et, si iudicium temerarium verbis explicatur, restituenda est fama.] Quæ sententiæ, & ferè per eadem verba formalia *in summâ Tabiena, verb. Dubium, num.* 2. leguntur. Nec mirum, est enim doctrina communis. Illam nuper tradidit & dilucidavit Acacius, qui *loc.cit.* sic inquit: [Enseñan los Dotores citados, que quando alguna affirma y deliberadamente iuzga, temerariamente y sin fundamento, algun pecado grave de su prozimo; tal, que sabido, pudiera causarle deshonra, o privarle de algun gran bien [*a*] peca mortalmente contra Iusticia; porque se le haze gran agravio al proximo, en tenerle por malo sin sufficiente causa.] Et, ut hanc doctrinam, tametsi certam & communem, affirmet, Ioannem Sancium *in select. disp.* 5. *num.* 8. §. *plur.* Clavim Regiam *lib.* 21. *cap.* 3. Filliucium *tract.* 4. *num.* 6. Fagundez *lib.* 8. *cap.* 11. *n.* 8. & alios Doctores adducit. Et multi tam severè in hac materiâ procedunt, ut suspiciones etiam, si materia sit gravis, mortalis peccati condemnent. Ita Villalobos *part.* 2. *tract.* 14. *diff.* 19. *num.* 3. Sotus *de Iustitia. lib.* 3. *quæst.* 4. *art.* 3. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *diff.* 1. *dub.* 3. *num.* 7. Bañes *in* 2. 2. *quæst.* 60. *artic.* 3. Molina *tract.* 4. *de iust. disput.* 17. *num.* 10. contra Navarrum *in cap. inter verba, cap* 4. *num.* 458. Fagund. *in Decalog. præcept.* 8. *cap.* 11. *num.* 20. Caietanum *in* 2. 2 *quæst.* 60. *art.* 3. & *in summ. verb. iudicium.* Laymannum *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *punct.* 2. *num.* 6. Ioannem de la Cruz, Armillam, Lopezium, & alios, quibus adhæret Diana *part.* 3. *tract.* 5. *miscell. resol.* 31.

a] Temerarij iudicij, sicut etiam mendacij, gravitas, non sumitur à gravitate peccati, quod accensetur proximo; sed à damno & dedecore, quod ex illo proximus consequeretur.

An suspiciones etiam sint peccata mortalia?

Illustrissimus Acacius *loc. cit.* de his duabus sententiis, sic statuit: [Estas dos sentencias tengo por probables, assi por la gravedad de los Authores, que entrambas tienen, como por las razones, en que se fundan. Pero por quanto me haze mas fuerza la razon, que trahe la primera sentencia; me inclino mas a ella, y la tengo por mas cierta.] Ergo Acacius & Authores pro prima sententia relati certitudinem in præmissis postulant, ut contra Virum honestum inferatur suspicio. Et cur? [Porque qualquier hombre honrado (ait Acacius) llevarà muy mal, que se sospeche del, que es ladron, o que se emborracha, o que es hereje, mucho mas, que no, que se haga juizio del, que està amancebado, o que hâ muerto un hombre, &c.] Quam doctrinam tam certam judicavit Ægidius Coninck *de Sacram. disput.* 19. *de Extrem. Vnct. dub.* 5. *pag.* 649. *b.* §. *Vbi, num.* 19. ut dixerit: [Quare, etsi nemo vtens ratione possit hoc Sacramentum suscipere qui non credit probabiliter se esse in gratia, possem tamen illud dare phrenitico, quem scio esse adhuc in peccato mortali, modò credam esse attritum: quod de quovis Catholico in tali statu
420 præsumendum, nisi moraliter constet de contrario, ut si inter peccandum subitò destitueretur sensibus, antequam posset

An in unâ materiâ majorem iniuriâ ignominiam & dedecus inferre possunt suspiciones, quàm in aliâ temeraria Iudicia?

Quænam dispositio in recipiente Extremam-Vnctionem requiratur?

humanitùs loquendo atteri. Vide Suarez *disp.* 42. *sect.* 1. *num.* 10.] Hinc patet multum Charitati indulgeri. Quoniam, ut aliquem non peccavisse iudicem, sufficit me non scire, quod ille peccaverit: quoniam est in suæ innocentiæ possessione, & ut manuteneatur Iustitia rigorosa requirit. Vt autem illum quem peccavisse scio, & utrum resipuerit nescio, agere pœnitentiam existimé, non me obstringit iustitia, nam est in possessione peccatum. At quia nec Iustitia postulat, ut iudicem impœnitentem illum esse, suadet Charitas ut eum egisse pœnitentiam iudicem, nisi oppositum certò constiterit. Stando igitur Iustitiæ terminis, me nescire quod Petrus (homo publicus sit, privatusve) peccaverit, est ratio sufficiens ut tenear judicare eum non peccavisse? Et hùc respiciens, *cap. bona*, 1. *de elect.* & *cap. sicut*, *de sentent. & re iudicata*, Pontifex ait: *Pro his, quæ a Iudice sunt acta, præsumitur, quòd omnia ritè fuerint celebrata.* Et cur? Quia non habere rationem, ob quam damnare acta illa possimus, est sufficiens ratio ut illa esse legitima censeamus. Hoc præcipit Iustitiæ rigor. Cæterùm stando Charitatis privilegiis, vt Ioannem quem peccavisse scio, egisse pœnitentiam præsumam, sufficiens ratio est, illum esse impœnitentem & pertinacem me nescire.

An, & cur præsumere debeam, esse pœnitentem eum, quem certo peccavisse cognosco.

An, & quãdo ad asserendum aliquid ratio sufficiens sit, non scire contrarium?

421 Ad rationem, quæ Hostiæ publicæ expositæ adorationem negabat, respondeo hunc discursum formando. [Suppono (& debeo necessariò supponere) hanc Hostiam, quæ publicæ venerationi exponitur, esse verè consecratam. Ergo illam debeo religiosè adorare. Ergo nec illam in terram potero sine sacrilegio projicere, nec pedibus terere. Probatur antecedens. Debeo præsumere non esse sacrilegum Sacerdotem, qui hanc Hostiam dicitur consecrasse, donec oppositum probetur. At oppositum non probatur. Ergo, &c. Tunc sic. Debeo supponere Sacerdotem illum in huius Hostiæ consecratione sacrilegium non commisisse. Ergo debeo supponere illam esse ritè consecratam. Ergo illam adorare debebo.]

An, & cur supponere debeã hanc Hostiã fuisse ritè consecratam?

Ad alteram, quæ Baptismum & Sacerdotium concernebat, eodem modo respondeo. Assero enim, & Parochum, qui me baptizavit, & Episcopum, qui me consecravit, legitimam intentionem habuisse. Et unde hoc scio? Quia non scio contrarium. Quia Deus mihi iubet, *innocentiam præsumere, ubi culpa non probatur.* Et ego, quando obedio Deo, securâ conscientiâ procedo. Ergo, siquidem sum ritè baptizatus, nec debeo, nec possum iterum baptizari. Ergo, siquidem sum ritè ordinatus, non est, cur cogitem de Sacerdotio iterum suscipiendo.

An, & cur debeam supponere, me esse ritè baptizatũ, & ritè ad Sacerdotium premotum?

422 Nondum quiescis & adquiescis, sed ais: [*Hac consequentia Hostia.* A, prudenter proponitur & exponitur, ut adoranda; Ergo illam certò adorare debeo: *est similis huic.* Actus B. prudenter proponitur ut interdictus. Ergo ab illo certò abstinere debebo. *Ergo, si prior est bona, etiam erit bona posterior.*

Duæ consequentiæ, quæ viderentur similes examinantur.

posterior. Ergo huius Dialexeos doctrinam destruit instantia, quæ ab adoratione huius hostiæ A. desumitur,&c.

Respondeo tantùm abesse, ut illa, quæ opponebantur, huius Dialexcos doctrinam expugnare dicantur, quin illam potiùs firment; nam eodem legitimæ Possessionis Principio, quo tota succollatur Dialexis huius Obiectionis Tertiæ solutiones firmantur. Et agendo in particulari respondeo in formâ, negando has duas consequentias esse similes: & patebit earum dissimilitudo, si singulæ propositiones expendantur. Porrò in illâ *Hostia A prudenter proponitur, & exponitur ut adoranda.* distinguo illud *prudenter.* Si enim agatur de prudentiâ proveniente à certitudine, concedo: Si de prudentiâ proveniente à mera probabilitate, nego. *Ergo illam certo adorare debeo.* distinguo consequens: quia antecedens est verum primo modo (prudentiâ natâ ex certitudine) concedo: nam, si esset verum secundo modo (prudentiâ natâ ex probabilitate) consequentiam negarem, aut saltem in illâ illud *certò*. Et, ut Responsionem hanc intelligas, adnotato hominem prudenter operari, tam cùm certâ, quàm cùm probabili sententiâ gubernatur. Et adverte eum, qui populo hostiam adorandam exponit, uti prudentiâ, quæ certo iudicio dirigitur. Nam eum, qui illam hostiam consecravit, esse in possessione suæ innocentiæ, sui honoris, suæ famæ, certum est: & fore indicem temerarium, & peccaturum mortaliter, qui eum sine intentione consecrandi missam legisse diceret, certum est. Ergò, si ego sine temeritate & mortali peccato non possum hanc hostiam non esse consecratam dicere, illam certò adorare debebo. Interim, si ego scirem illam hostiam esse merè probabiliter consecratam (vel, quia materiâ, aut forma fuerat tantùm probabilis, aut quia Sacerdos, erat mere probabiliter ordinatus, &c.] præscindendo ab scandalo, sicut opinari possem alterutrum (videlicet illam consecratam esse, aut non esse) sic & illam possem adorare, aut non adorare. Et hinc transeundo ad posteriorem consequentiam, in illo antecedenti, *Actus B. prudenter proponitur ut interdictus.* distinguo, ut priùs, illud *prudenter.* Si enim agatur de prudentiâ, quæ à certitudine proveniat, nego antecedens: si autem de prudentia, quæ proveniat à merâ probabilitate, concedo. Et posteà nego consequentiam, quia prudentia, quæ probabili iudicio regitur, nec in me, nec in alio potest inducere certam obligationem.

Prudentia est duplex: natā vel certitudinem, vel probabilitatē comitatur.

423

Non probabilitate, sed certitudine regitur, qui hostiā populo adorandam proponit.

De hostiâ probabiliter consecratâ an adorari debeat?

424 *De lege merè probabili an observari debeat.*

MOnebam sub initium hæc argumenta, quæ contra obiiciebantur, si bene solvantur & intelligantur, doctrinam meam firmare, quoniam eodem fundamento nituntur. Et, ut bene omnia intelligas sequentia ratiocinia considera.

An omnes hæ Obiectiones meā doctrinam confirment?

Ego sum in legitimâ possessione meæ libertatis. Ergo censendus sum liber donec præceptum manifestè probetur. At hic & nunc non probatur id certo. Sum igitur censendus liber. Ergo & concedendæ sequelæ omnes, quæ ex hac consequentia necessariò inferantur.

Cur possim cuicumque probabili Opinioni adhærere?

425 Ioannes (vocetur sic Sacerdos, qui hostiam publicæ adorationi expositam consecravit) est in legitimâ possessione suæ innocentiæ. Ergo censendus est innocens donec sacrilegium ab eo fuisse commissum; manifestè probetur. At hîc & nunc non probatur id certò. Est igitur censendus innocens; Ergo & concedendæ sequelæ omnes sunt, quæ ex hâc consequentiâ necessariò inferantur. Ergo Ioannes censendus est ritè hostiam consecrasse. Ergo & hæc erit censenda verè consecrata: ergo & necessariò adoranda.

Cur adorare debeam hostiam, quæ publicæ venerationi exponitur?

Parrochus, qui me baptizavit, & Episcopus, qui me consecravit sunt in legitima possessione suæ innocentiæ. Ergo censendi sunt innocentes, donec sacrilegium ab eis fuisse commissum manifestè probetur. At hic & nunc non probatur id certò. Sunt igitur censendi innocentes. Ergo censendus est Parrochus me ritè consecrasse, & Episcopus me ritè ordinasse. Debeo ergo asserere me esse ritè baptizatum, & ritè ad Sacerdotium promotum. Ergo nec rebaptizari, nec iterum potero ordinem recipere Sacerdotalem. Et hæc considerabat Acacius, cùm *tom.1.verb.Bautismo resol.89. num.5. pag.180. a.* dicebat: *Aunque tenga uno grande sospecho, si esta bautizado, y esto le cause grandes congoxas, no se puede (hazer) bautizar secretamente* sub conditione, *haviendo nacido entre Christianos: que para esto son menester evidentissimos argumentos, come dixe el Concilio Tridentino* sess.7. num. 9. *assi lo sienten Soto* in 4. dist. 3. artic.1. *Villalobos* de Baptism. diff.1. *Suarez* 3.part.de Baptism. *y communmente los Dottores*,&c.

Cur non possim rebaptizari aut reordinari?

An, & quando rebaptizari possit, qui dubitat, an sit baptizatus?

426 Et modo peto, Amice Lector, vt digneris legere P. D. Clementem la Ficarra, qui de Famâ doctissimum Tractatum edidit: & in illius *par.1.colloq.29 pag.124. b.* sic inquit: *His ego addam, quod in omni Iure, in dubio melior est conditio innocentis* (suam innocentiam possidentis) & ideò paulò ante dixerat, *Sanchez, & Sancius supracitati retorquent in Adversarios rationem illam ab illis adsignatam: nempe, quòd in dubio melior sit conditio possidentis: nam aiunt, quod in hoc dubio damni dati, non stat possessio pro te, sed pro damnum passo; ex tua enim actione iniusta præceptum proculdubio transgressus es, præceptum ergo est in possessione, unde in dubio melior est conditio præcepti: atque adeò in dubio ad restitutionem tenêris.* Et postquam hæc doctè scripta attentè legeris, suppone mecum (1) innocentem esse in possessione suæ famæ. (2) iubere mihi, & universis Deum, ne temerè contra innocentem iudicemus. (3) hoc Dei præceptum esse in indubitatâ possessione: & posteà hæc tria ratiocinia meditari digneris, & dicere, an ovum ovo possit esse similius, quàm ipsa inter se. Ergo duo posteriora non sunt

Homo est in sua innocentiæ possessione. Præsumi debet innocens, donec oppositum probetur.

Præceptum de non iudicando temerè est in possessione. Consistis in negativo Temeritas. Ergo iudicare non possum, nisi superveniente iudicandi ratione, illud negativum tollatur.

dicenda primum destruere, sed illud roborare & firmare.

427 Adduxit P. Antonio Marinario ista veritas; at illam clariùs videtur intellexisse, quam exponere: in Opusculo enim de Opinione Probabili *cap.* 18. *pag.* 183. sic inquit: [*Opinio impropriè, & genita ex probabilibus ut simul iunctis* [a] *cùm tamen eriatur à causâ remotissima & communissima, non obstat, & est impossibilis cum Certitudine Morali: ad modum, quo licèt Parrochus, quà homo potuerit deficere in me ritè baptizando, si me baptizasse contigerit exclusa intentione baptizandi ad verum baptismum essentialiter debita, sum tamen certus moraliter me ritè esse baptizatum, quia homo ille* [b] *qua Parrochus, testatur me ritè baptizasse. Sic in proposito. Vnde Moralis hæc Certitudo, quia talis dicitur* Opinio vera [c] *Adversariorum Opinio probabilis dicitur.* Opinio *simpliciter, sic eam distinxit, ad intentum satis congruè Sylvester* verb. opinio in fin. paragraph. 2. *inquiens.* Ideò quædam Opinio dicitur *certa & firma*, quædam verò *Opinio* simpliciter, *&c.*] Est quidem certa & firma Marinarij Conclusio, at verò eius probatio non est firma: non enim est secura hæc Consequentia. *Parrochus, quà Parrochus testatur. Ergo est certum moraliter.* Primò, quia si à Parrochi testimonio Moralis mea penderet certitudo, Ioannes, v. gr. cuius Parrochus non fuit interrogatus, & nihil testatus est, sicut Parrochi testimonio, sic & Certitudine Morali destitueretur: quod dicendum non est. Secundò, quia si Parrochus qua homo potuit deficere, etiam potuit quà Parrochus, & nunc potest mentiri, &c. Et, si mentiatur, deceptio non oriretur à causâ remotissimâ & communissimâ, sed à proximâ & specialissimâ; nempe, ab ipso Parrocho. Ergo Conclusio nostro debet ratiocinio suaderi. Si dicerem, *Parrochus non habuit intentionem me baptizandi* peccarem mortaliter. Ergò in hac materiâ est certitudo. Sed in quo? *lib.* 2. *contra Manich.* Augustinus: *Sunt quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & malo & bono fieri possunt: de quibus temerarium iudicare, maximè est, vt condemnemus.* Et ibid. *Temerarium iudicium cavere debemus, cùm incertum est, quo animo quid factum sit.* Consonant universi Theologi. Cotonius *in Sum. Diana, verb. Iudicium temer. n.* 1. [Iudicium temerarium fit, cum quis absque sufficiente causâ iudicat malum de proximo suo: cúmque apud se vilipendit. Estque ex suo genere peccatum mortale. Et cur? Quia unusquisque est in possessione suæ innocentiæ, & debet censeri innocens donec crimen probetur. Ergo, si est certa hæc Propositio, *Ego peccarem mortaliter, & essem temerarius Iudex si caruisse intentione Parrochum, cùm me baptizavit, assererem.* Erit etiam certa hæc,

Me esse ritè baptizatum, est certum moraliter.

a] Putat ex multis probabilib. posse certum colligi. Oppositum docemus nos.

b] Nec sufficit, nec requiritur, quod dicat Parrochus.

c] Etsi sit Opinio CERTA *aliquando, non tamen potest vocari* CERTITVDO.

428 *An Certitudo moralis quam de meo baptismo habeo, à Parrochi testimonio dependeat?*

Quæ possunt bene & male fieri, debemus bene fuisse facta putare.

Iudiciū temerarium in materia gravi est mortale.

Respondetur Objectioni IV.

SAtisfacio vltimo argumento concedendo Christianam Fidem, à Christo institutam, & ab Apostolis traditam, suâ esse antiquitate venerabilem: & ea sola esse bona, quæ ab usque primo initio Ecclesia Catholica nos docet; & quæcumque nova, quæ definitionibus Orthodoxis audent cōtrariari, esse mala. Et hoc sensu S. Hieron. contra Origen. contra Iulianum & cæteros Pelagianos, Augustinum, & contra sui temporis heterodoxos Bernardum, & quotquot Novitatem incriminantur, loqui certū est: nam & hodie apud nos in Fidei materiâ *Hæresis*, & *Novitas* sunt duo nomina, & una res: passim enim *Hæretici*, qui nova Religionis cudunt Dogmata, *Novatores* vocantur. At hæc objectio Nos non tangit: non enim de fide Orthodoxâ disserimus; sed de aliâ materiâ toto cœlo diversâ, quæ tametsi gravissima, sine hæreseos periculo in partem utramque disputatur. 429

Interim, tametsi supponam in materiâ Fidei nullam esse novam sententiam admittendam, etsi rationes denuò inventæ plausibiles sint & probabiles: non gravabor monere, hoc olim observatum non fuisse: nam, tametsi in Capitis 1. Genes. expositione Patres qui ante August. floruerunt convenissent [Pererius: *Hac enim sententia ferè omnium PP. & DD. Ecclesiæ, quotquot fuerunt ante Augustinum.*] ipse, quia ingeniosam & probabilem Expositionem invenit, suam tametsi novam, & in materiâ gravi, veteri & communi anteposuit. Alias etiam in eodem singulares & antiquioribus ignotas opiniones reperio, sed illam unicam insinuasse sufficiat.

In Christiana religionis materiâ ea sola sūt vera, quæ antiqua à Christo & Apostolis tradita, & quæcumque cōtra à iunioribus cusa, sunt falsa.

Quinam in Ecclesiâ Novatores dicantur.

An in sacra Scriptura expositione nova possint Interpretationes admitti?

ERgo siquidem extra Fidei Positiones tota hæc nostra Dissertatio agitatur, ut quartæ Objectioni directè satisfaciam, dico Majorem, nec esse veram, nec ad rem. erat illa, *Omnis nova doctrina est falsitatis suspecta.* Et eam non esse certam ostendi in Apologemate clarè, & alibi fusè demonstraturus sum. Eam non esse veram, supponit Aristoteles: quoniam φυσικῆς ἀκροάσεως lib. 1. cap. 9. doctrinam suam commendaturus, esse antiquam dixisset, si ab antiquitate authoritatem conciliari putasset: at omni nisu contendit persuadere esse novam, ergo in Philosophicis speculationibus ipsamet Novitas suam gloriam habet. Habet in titulo, ὅτι ἅπαντες μὲν τὸ τῆς ὕλης λέγουσι καὶ στερήσεώς τινος, οὐχ ἱκανῶς δέ· *Neminem ante se de rerum Principiis ita sensisse, aut ea penitùs vidisse, quæ sunt exposita.* Et quia ipse tria esse docebat entis Materialis Principia (Privationem, Materiam, & Formam) & non pauci etiam Veteres tria constituerant (Privationem, Magnitudinem, & Parvitatem) actum de suâ gloriâ fuisse credidit, si ipse Priscorum vestigiis censeretur hærere; & ideò, vt se ab hac notâ emacularet, hanc Protestationem interposuit. ὡς παντελῶς ἑτέρου ὁ τρόπος αὐτοῖς τῆς τριάδος, καινὸς, &c. *Quare modus hic Trinitatis diversus ab illo penitùs est*, &c. Ergo sicut Aristot. contendit suam doctrinam esse penitùs novam, & à nullo antiquiore desumptam possem ego

430 SECT. I. *An, quæ nova, sint falsa?*

An, & ubi nova opiniones laudem & gloriam promereantur?

An Physica Aristotelis fuerit omninò nova, & non ex Priscorum Positionibus sumpta?

De Naturalium Principiorū numero.

An nostra ætas sit antiquâ eruditior?

ego permittere; vt hoc ipsum de meâ Adversarij assseverent: & addere, inde illam ab eisdem commendari, unde condemnari putaverant. Possem & addere à multis iam annis cecinisse Davidem, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam:* ut sciamus, hodiernum diem hesterno multo doctiorem esse, & esse nunc multas rerum notitias, quas veteres omninò ignorarunt. Vnam aut alteram volebam in specie proponere, sed me moratur Eruditissimus Mendoza, qui *in Viridarij, probl.6.* sic inquit: *Si observemus omnes bonarum artium Cultores, inveniemus eos semper se opposuisse Antiquitati, eiúsque opinionibus explosis novas invenisse. In Oratoria Tullius veterum Oratorum vitia cavillatur; in Poëtica Mantuanus ab antiquorum Vatum consuetudine procul recedit: in Medicinâ Hippocrates, & Galenus priorum Medicorum aphorismatis exclusis nova & recentia moliuntur: in Mathematicis Ptolemæus, & Hispanorum Rex Alphonsus plures Astrologorum, quàm Astrorum errores deprehendunt. In Ethicis Plato quantis se Maiorum classibus opposuit. In Physicis Aristoteles, quot veterum Philosophorum catervas à Philosophico ludo eliminavit? In Theologiâ Magister ac Diuus Thomas quot pristina falsitatis tenebras diffusâ, novâ Veritatis luce expulerunt.* Hinc Angelus Maria Verricellius *Quæst. Moral. tract.2. quæst.5. pag.48. b.* hanc prudentem Consequentiam deducit: *Nostrum sæculum effœtum esse, præstantiora Ingenia priores ætates tulisse, vetus calumnia & impostura est: ut præclarè ostendunt noster Aresius Episcopus Dorthonensis* in libr. de generat. in prolegom. disputat. 1. quæst. 1. sect. 4. *& Alexander Lancellotus* de Deo Opifice, disputat.10.sect.8. *Verissimè enim* Dialog. de Orator. 9 *scripsit Tacitus*, Vitio malignitatis humanæ, vetera semper in laude, & præsentia in fastidio sunt: *Et Sanctus Hieronymus* epistol.108. *queritur*, ingenium, quasi vinum, ab antiquitate probari: *& Propertius* libr. 3. elegant.1.

An doctissimi Viri semper invenerint in antiquiorum libris, quid castigare, & notare deberent?

Cicero, Mantuan. Hippocrat. Galen. Ptolem. Rex Alphons. Plato, Aristotel. Magister S. Thom. & alij in exemplis ponuntur.

An nostra ætas sit effœta, & non possit grandia Ingenia producere?

431 *An mortui sint meliores vivis?*

> Omnia post obitum fingit maiora vetustas:
>
> Maius ab exsequiis nomen in ora venit.

An mutatum sit rerum temperamentum? An alteratus Stellarũ influxus? An aliter hodie artes suas animãtes exerceant?

Si enim à temperamento Ingenium, quid prohibet eodem ac meliori temperamento homines nasci? Si à syderibus: ea pari cursu & infatigabiliter influunt. Sed quis adeò stolidus, ut dicat hirundines nostris temporibus minori artificio nidificare, apes mellificare, araneos telas ordiri, quàm antiquis temporibus? Quod si hæc in illis, invariata perseverant, cur in homine non eadem gignuntur Ingenia?

Quousque vetum Verricelli perveniat?

Pergit ulterius Author.

Ecce paucis vult esse Verricellius contentus: Si ipsi huius sæculi Ingenia Antiquis esse paria concesseris, quiescit, & nil ulteriùs comminiscitur. At ego pergo, & demonstrare volo, non solum nostri ævi homines, esse priscis doctiores; sed sæcula, quò posteriora, procreare Ingenia subtiliora & meliora. Si enim antiquas scientias promovisse, Canonum profundiorem notitiam habere Recentiores persuadet: quid dicemus de scientiis, & Artibus nostro sæculo inventis, de quibus Veteres ne obscuram quidem suspicionem habuerunt? Non Antiquorum, sed Iuniorum inventum est Typographia scientiarum omnium fautrix; vi cuius libri in multa millia breviter propagantur, & per literarium orbem distribuuntur; ut, qui in suo musæo scribit, ubique terrarum legatur. Majori ingenio & felicitate inventa fuit heri Logarithmitica; quæ Geometriam Arithmeticæ inserens, tam pulchra & expedita suggerit in obscuris ratiociniis compendia, ut vnâ horâ perfectè & exactè hodie supputare possimus, quæ veteres uno mense non possent. Et quid dicam de Batavico tubo, qui nos in Cælum transtulit, ut cominus prospectemus stellarum myriadas; quas, ne quidem rimari eminùs licuit priscis Astronomis. Hoc Galilæus instructus, Satellites Iovis detexit: hoc Venerem, Mercuriumque circa Solem convolvi, & sicut Lunam iam pleno coruscare jubare, iam imminui, & in cornua attenuari suspexit. Hoc adjutus, Solares maculas mensus est Scheinerus, quem alij plurimi sequuti sunt. Hoc Selenographiam à Galilæo, Langreno, & aliis dudum inceptam, promóvit Ingeniosus Hevelius. Et huius etiam ope Medicæas Ephemerides doctissimus Hodierna edidit; Lunam Saturniam Hugenius Orbi literario proposuit. Et iam tandem universi observamus Zonam illam æthéream, quam *Lacteam viam* dixerunt veteres, indicium oculorum sequuti, stratam esse splendentibus stellulis; quarum tanta ubique occurrit multitudo, ut solus ille numerare ipse possit, qui omnibus eis nomina vocat.

De scientiis & Artibus nuper inventis.

De Typographiâ.

432 *De Logarithmicâ.*

De Telescopio.

De Satellitibus Iovis.

De motu & faciebus Veneris, & Mercurij.

De Solis maculis.

De Selenographiâ.

De Saturni Satellite.

De viâ lacteâ.

Ergo, si additæ sunt antiquo Parnasso novæ Musæ, & Scholasticæ Encyclopædiæ novæ Scientiæ; &; illæ ipsæ Facultates, quæ olim serpebant, ad tantam sunt hodie eminentiam evectæ, detractio iniqua potiùs est quàm obiectio, quæ ab ætate desumitur. Illi, qui totâ vitâ, velut clausus in carcere, domi suæ manet (illi, inquam, qui aliquam Scholam professus, unam cogitat, & aliarum Doctores, librósque, nec auscultat, nec legit) omnia sunt nova, omnia sunt mira: illi autem, qui studendi & proficiendi desiderio omnes doctos, quos potest, vivos in suis Academiis, mortuos in libris audit, legit; & eorum, digna calamo Placita, in suis Palinpsestis scribit, nihil novum, nihil mirum sub Sole. Huic esse similis volebat Seneca: & quia videbat suas sententias & calamum insolentiæ & novitatis argui, coactus ἀπολογίαν accuratam componere: hoc Protheorema, *Discipuli non sunt mancipia*, ut primum Eruditionis fundamentum adsumens, suam mentem nobis proponit istis verbis: *Nihil magis præstandum est*, inquit, *quàm* ne

433 *Concaudi(?)um, calumniâ veriùs, quàm obiectionem esse, quæ ab ætate desumpta.*

Quinam illi sint, quibus omnia nova & mira videntur?

Seneca Placita & oratio insolentia & novitatis appellantur. Quo se emaculet modo?

An discipuli mancipia sint? an magistri sint domini?

N. B. Omnia etiā hodie in mundo ad similitudinē fiunt (Gallic. a la mode. Hisp. al uso) Est in Adagio, Comer a gusto, y vestir al uso; & nos sententias, nō ut cibos, sed ut vestes habemus: quæ aliis gratæ admittimus, reprobamus, quæ placent, ut ad similitudinem philosophemur.

ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non quò eundum est, sed quà itur. Atqui nulla nos res maioribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorum exempla multa sunt. Nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magnâ evenit, cùm ipse se populus premit; nemo ita cadit, ut non alium in se adtrahat. Primi exitio sequentibus sunt. Hoc in omni vitâ accidere, videas, licet: nemo sibi tantùm errat, sed aliis erroris causa, & author est. Nocet enim adplicari antecedentibus; & dum unusquisque mavult credere, quàm iudicare, nunquam de vitâ iudicatur, semper creditur. Versat nos & præcipitat, traditus per manus error; alienis perimus exemplis; sanabimur, si modo separemur à cœtu. Hæc Seneca *libro de Vita beata cap.* 1. Et iisdem affectus apprehensionibus, ut sibi consonet, sic scribit. *Qui ante nos ista moverunt* (noverunt, & docuerunt) *non domini nostri sunt, sed duces.*

434 a] Hoc respiciebam cū Lovanij nō sine applausu dixi, *Admitto Aristotelem, ut lucem, non ut ducem:* nam id ipsū quod Seneca concedit volui negare. Vide meā Logicam.

[a] *Patet omnibus Veritas: nondum est occupata* (Erit igitur primò occupantis) *multum ex illâ,* (non nobis tantùm, sed) *etiam futuris relictum est.* Ita Eruditus Philosophus *Epist.* 35. Et tam certum & indubitatum ipsi fuit, multa Veteres ignoravisse, ut *Epist.* 45. noluerit interrogare: *An illi omnia sciverint?* quod videntur hodie multi è nostris supponere; sed, *Cur ignorarint tam multa, & nobis quærenda, & invenienda veriùs, quàm disputienda & examinanda reliquerint?* Et respondet. *Nam illi* (Veteres) *non inventa, sed quærenda nobis reliquerunt: & invenissent forsitan necessaria, nisi superflua quæsivissent. Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit, & captiosæ Disputationes, quæ acumen irritum exercent.* Consonat Philosopho Cordubensi Lactantius [apud Timannum Gesselium *tom.* 1. *Hist. in Præfat.*] dicens: *Dedit omnibus Deus pro virili portione Sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec, quia nos temporibus antecesserunt, Sapientiâ quoque antecesserunt; quæ, si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecessoribus non potest. Illibabilis est; tanquam lux & claritas solis; quia, ut sol oculorum, sic Sapientia lumen est cordis humani. Quare, cùm sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum, Sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo iudicio inventa Maiorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur.* Et, quia ita etiamnum agitur, dum superflua quærimus, non invenimus necessaria: & dum alios, qui oculatissimi non fuerunt, sequimur, tinnit in aurem nostram illud Scholasticum Monitum,

Cur tā multa Veteres ignorarint, & nos etiānum ignoremus?

An veteres iunioribus doctiores sint?

An laude digni, qui alios sequū tur more pecudum.

435 quod *Matth.* 15. 14. & *Luc.* 6. legitur in Evangelio; videlicet, Τυφλὸς δὲ τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον ἐμπεσοῦνται. *Cæcus autem cæcum si per viam ducat, ambo in foveam incident.* Etiam hoc ævo, etiam in nobilissimis Academiis multum temporis verborum eripit cavillatio. Multi ex condicto significationes vocum alterant, ut Dissertationes Scholasticæ, quæ de rebus sublimibus agere videbantur sub initium, essent de lanâ caprinâ sub finem; & in λογομαχίαν fastidiosam desinerent. Inter alios, qui metonymiâ & conversione significationum delectantur, mihi recensendus est Gilbertus Iachæus, qui *rationem causandi* id dicit, quod Peripatetici omnes *causalitatem:* & contrà, quod hi *rationem causandi,* ille causalitatem vocat. Proinde necessè est, unum ex ratione ex cæpis, alterum ex alliis [b] de eâdem re disputare. Hinc res eo rediit hodie, ut nemo ferè cum altero intrepidè disputare possit, nisi prima actio instituatur *de nomenclaturâ & acceptione terminorum,* satis imperiosâ authoritate subinde hoc ingeminato [c] *Sic ego acceptum volo hunc terminum, non aliter. Sic volo, sic iubeo.* Verba sunt Ioannis Adami Scherzeri in Manualis Philosophici Dedicatoria ad Hulsemannum. Cui Iachæo adiungere possum meum Arriagam, cuius sublime ingenium verborum cavillatione non indiget, & interim metonymiâ perpetuâ delectatur, ut ubi nova docere creditur, antiqua reponat aliis verbis. Distinctionis conceptum in exemplum propono. Virtualem, quæ vix egressa erat ex Ethicâ, in Realem Philosophiam protrudit, & in Maiorem & Minorem dividens Maioris nomine illam intelligit, quam Scotistæ nominant *ex natura rei.* Et Minoris nomine illam, quam Thomistæ *præcisionem obiectivam* appellant. Et cur hoc? Vt nos exemplo suo moneat, non esse inglorium Novas (si pulchræ & bene fundatæ) invenire sententias, siquidem tantus Vir, eas, quas sciebat esse Antiquas, ignotis exornavit nominibus, ut viderentur Novæ; etsi non essent.

Pleraque quæstiones, etiam graves in Grāmaticam tandem exo-

nerant, & ad vocum significationē reducuntur.

b] Τίς χρεία κρεμμύων; *Quis usus cæpa?* dicebant Veteres de re inutili: ex cæpis & alliis in re gravi, ut vides, utitur Scherzerus; cui tamen melioribus vocabulis uti debuisset & potuisset.

c] In nostrâ Logicâ legitur hæc à nobis dicta aliquando responsio. *Possum,* dicebat. *Vocē sumere in significatione, quâ voluero.* Distinguo. *Si velis bene loqui, nego: si velis male loqui, concedo.*

Arriagæ ingenium celebratur.

Quid apud illū Distinctio Virtualis, maior, & minor sit?

436 SECTIO II. An nostra doctrina sit nova?

PROGREDIAMUR: & transeamus ad alteram Obiectionis partem. Clamabant Adversarij, *Omnis nova doctrina est falsitatis suspecta.* Respondebam, *Hanc Maiorem, nec esse veram, nec ad rem.* Illud prius (videlicet, *non esse veram*) iam persuasi: & impræsentiarum hoc posterius; (nempe, *non esse ad rem*) demonstrare debebo.

Vnde sic argumentor. Fuisset ad rem Maior illa, si nostræ Dialexeos doctrina esset nova. At ea non est, sed antiquissima. Ergo, quæcumque contra Novitatem conglomerent nunc Adversarij, non sunt ad rem. Probat minorem hanc Philosophorum priscorum, qui ante Christum scripserunt, authoritas; Patrum Antiquorum, qui sanctissimis & doctissimis libris Primævam Ecclesiam, & Academiam, aut etiam Peripatum [d] honorarunt, consensus: & tandem τῶν veterum, iuniorumque Theologorum, & Iurisprudentium ἀξιωματικῶν. Plura Articulo V. producturus hunc Paragraphum claudam testimonio Platonis, quem ob eximiam rerum cælestium scientiam, passim *Divinum* nominant, qui sic exclamat, *Cùm ergo, ô Socrates, multa de Diis* (loquitur Hebræorum more, qui nomine אלהים, *Elohim*, quod plurale

d] Schola & secta Platonica nominabatur ἀκαδημία, Suidæ ἀκαδήμεια: & Stephano ἀκαδήμιαι. Aristotelæa autem περίπατος. Patres veteres fere fuerunt Academici, nam Peripateticis adhæserunt perpauci.

Cur Plato Divinus vocetur?

plurale est, Deum significabant? nam ipse Deum esse unum cognovit, & frequenter asseruit) *Mundique generatione à multis dicta sint, ne mireris obsecro, si rationes de his probatissimas exactissimasque afferre non possim, satis enim factum putare debebis, si non minus probabiles, quam quivis alius, rationes attulerim. A quum est meminisse, & me qui dixeram, & vos, qui indicabitis, homines esse, & si probabilia dicentur, nihil amplius requiratis.* Ecce Philosophus Divinus homines distinguit ab Angelis, & licet illis concedat alibi perfectissimas rerum notitias, hos probabilibus iubet esse contentos, & existimat non posse sæpe ab ipsis sublimiores & certiores requiri. Et cur sibi & nobis se satisfecisse putat Plato, quando probabiles rationes adducit? An, quia hæ gravis ponderis sunt? an quia tam fortes, ut prudentis Viri assensum extorquere sufficiant? Posset hoc fortè dicere, sed rationem profundiorem proponit, ultra quam frustra in examine Veritatis proceditur. Quid ergo dicit Plato? se verisimiles & probabiles rationes assumere, quia nec alius potuit, nec ipse potest afferre certissimas & exactissimas. Nota illa, *nec potuit, nec potest.* Non enim eum ignorantia Veritatis excusat, qui potest, si velit, adhibitâ diligentiâ opportunâ exactè veritatem cognoscere. Vide Scotum *in 3. sent. distinct. 25. quæst. 1. Liter. E.* Fatetur ergo Plato, se ideò pro alterâ contradictionis parte potuisse licitè & laudabiliter ex vi probabilis ratiocinij resolvere, quia nihil certi potuit reperire pro parte contrariâ.

Nostra hæc doctrina est antiquissima.

An eã Plato docuerit

An, & quã do mens humana possit supra probabilitatẽ adscendere.

Eum, qui potest Veritatem cognoscere nõ potest ignorantia excusare.

437 HAc doctrinâ præmissâ, Testimoniis contra Dialexim hanc productis sic in terminis & formâ respondeo.

An Dialexeos doctrina sit nova?

Succlamabas mihi ex Hieronymo: *Cur post mille sexcentos, aut plures etiam annos, docere niteris, quod Patres Antiqui nescierunt?* Et me non novam, sed veterem, & à Patribus traditam doctrinam hic docere respondeo, & me bene respondere, Articulo V. persuadebo.

Addebas ex Augustino, *Mira sunt, quæ dicis ergo nova: nova, ergo falsa.* Et dico, Lectoribus, qui sint in Patrum veterum, & Theologorum juniorum lectione versati, doctrinam huius syntagmatis non esse miram: nam eam passim in libris antiquis & novis reperiunt. Addo illam Consequentiam, *Sunt nova, ergo falsa:* ab Aristotele, & sinceris Philosophis negari debere, ut vidisti.

An, & quibus sit mira?

An falsa omnia, quæ nova?

Tandem ex Bernardo huius nostræ Dialexeos Genealogiam deducis: eámque Levitati, parenti periculosæ, adoptas; superstitionis esse sororem iubes; obstetricarísque, ut Temeritatem parturiat. At ego, quia rem exactiùs didici, eius Genealogiam sincerè & breviter repræsentabo. Si vis itaque Dialexeos Parentes dignoscere: lege, & attende. [Videbam passim, in paucorum illorum libris, qui pro Probabilioritate scripserunt, repeti & inculcari illa Augustini verba, *Tene certum, & dimitte incertum*, quæ, tametsi æquè contra nos, ac contra illos militare videntur (nam probabilior opinio non est certa) erant magnâ reverentiâ admittenda, & oculatissimè consideranda. Volui igitur illa eadem verba in ipso fonte haurire, ut ex contextu genuinam nancíscerer intelligentiam. Sancte Deus! Legi; obstupui: & perspexi illos bonos homines verbis abuti Sancti Patris, & illi opinionem imponere, cuius oppositam ibi (in eâdem homiliâ) velut indubitatam tradebat ipse populo in Ecclesia Hipponensi. Divinus in ea concione Antistes disserebat de his, qui pœnitentiam agere in mortis differebant articulum; & temerarium hunc conscientiæ neglectum, incertum quoad futura, & quoad præsentia certò malum, *incertum* dixit, vocem sumendo adversativè & positivè, ita ut idem *incertò bonum* sit, ac *certo malum*, unde sententia illa (velint, aut nolint Adversarij) reddit hunc sensum, *Tene certo bonum, (agere nunc de tuis peccatis pœnitentiam) & tua Anima securitati consulens (in mortis articulum pœnitentiam differre) quod certò malum de præsenti est, & incerto bonum de futuro, dimitte.* Quibus verbis Divinum & Naturale præceptum reposuit, & exposuit; nam unusquisque tenetur suam Animam in salutis æternæ negotio non negligere. Iuniores igitur Divinam & Naturalem legem à Contextu excisam in sensum contrarium protruserunt: *& certum est, quòd committunt in legem, quia legis verba complectentes, contra legis nixi sunt voluntatem.* Illa porrò Homilia (quam accuratè legi) me docuit (1) Augustinum ad securitatem conscientiæ doctrinæ Certitudinem non postulare: & me docuit (2) nec Probabilioritatem, immò nec Probabilitatem, requirere. Quid ergo? Ipsa me docuit? (3) sufficere Non Certitudinem præcepti seu obligationis. Et tunc Ego Augustinianâ hac luce fulsus, habui Deo speciales gratias; & sumpsi calamum, ut Dialexim scriberem.] Habes historiam Lector Candide: & in ipsa Genealogiam nostræ Dialexeos. Mater ipsi est Augustini doctrina, Soror Veri Numinis gloria, & Filia conscientiæ, temerè ab aliis perturbatæ, Securitas.

Occasio scribendi hanc Dialexim.

Verba illa Augustini, Tene certũ, & dimitte incertum, Probabilioristis, quomodocunque exponantur, non favent.

Contra Sancti Patris sententiam protrudun-tur.

De his, qui pœnitentiã in mortis articulum differunt, agebat Augustinus.

438

Exponitur mens Augustini.

An de pœnitentiâ agendâ præceptum sit Naturale, & Divinum.

Bonifacius Reg 88. in 6.

Quid docuit Augustinus?

Quam parentem nostra hæc Dialexis habeat, & quã sobolem sit habitura?

ARTIC. V.

Proponitur, & dissolvitur Obiectio Quinta.

VIR quidam ingeniosus & doctus (vocetur Philomorius, si velis) qui hanc Dialexim perlegere, & aliqua contra illam dubia excitare est dignatus, argumentum proponit, quod videtur opportunâ solutione indigere: ratiocinatur enim sic. 439

In Moralibus idem est Certitudo, quod Scientia.

Ergo idem erit cognoscere certò, quod cognoscere scienter.

a] Præcindere argumentator voluit ab ignorantiâ affectatâ, quia tametsi de illâ Hurtadus eodẽ prorsus modo ac de crassâ & su-

pinâ philosophetur, alij Authores ipsi negant, quod crassæ & supinæ concedunt. Vide Leandrum *lib. de de Censur. tr. 1. diss. 9. pag 71. a.* & Hurtad. *de censur. in commun. diss. 21.*

Ergo, si leges (Humanæ, aut Divinæ illæ sint) eos tantùm obligant, à quibus cognoscuntur certò, eos tantùm obligabunt, à quibus cognoscuntur scienter.

Sed Leges, quæ illos tantùm obligant, à quibus cognoscuntur scienter, non obligant eos, qui laborant ignorantiâ vincibili (videlicet, crassâ aut supinâ quidquid sit de affectatâ.) a]

Ergo Leges (Humanæ, aut Divinæ illæ sint) non obligant eos, qui laborant ignorantiâ vincibili (videlicet, crassâ, aut supinâ; quidquid sit de affectatâ.)

At hoc est falsum, absurdumque.

Cùm igitur falsa & absurda non sequantur ex veris, sed ex falsis & absurdis tantummodò, Dialexeos doctrina, ex quâ hæc Consequentia deducitur, falsa & absurda etiam est.

440 *Quid scientiæ nomine in Moralibus intelligatur?*

Primum antecedens est certum, non enim ad Scientiam Moralem illæ omnes circumstantiæ requiruntur, quas ad Scientiam & Demonstrationem Realem in suâ Logicâ postulat Aristoteles. Ioannes Oinotomus *Institution, lib. 2. tit. 3. pag. 112. a,* de præscriptione in servitutibus disserens. [Requiritur, ait, scientia & patientia adversarij, puta domini fundi servientis. *Dasseiner mit vorwissen und geduld des Grundsher ren auff die. Feldmarckt so vil jar getriben und gehutet hat.* leg. 2. & ibi Glossa & Doctores, C. eod.] Et in Addition. [Scientia eius, contra quem præscribitur, requiritur in præscript. servit, *leg. 2. C. de servit.* Vide Balbum *tract. de præscript. 4. part. 1. num. 12.*] Et quis nesciat *scientiæ* nomine in præscriptionibus, non Conclusionem Demonstrationis, sed certam notitiam intelligi? Ad primam transeo Consequentiam &, assero, ex Antecedente præmisso bene inferri. Et, si prima bene decurrit, cur non etiam legitima censeri poterit Consequentia secunda? Subsumpta minor est communis. Non ergo poterit ultima consequentia negari. Ergo tota in eo consistit difficultas, quod minor illa, *Sed Leges &c.* bene probetur. Attende.

Philomorij de suo Ratiocinio censura.

An, & à quibus censuris excuset ignorantia vincibilis?

Quærunt Theologi, *An ignorantia crassa excuset à censuris impositis facienti talem rem scienter?* Et communis sententia affirmat. Henriquez *lib. 13. cap. 23. num. 3. init.* ait. [Si excommunicatio sub his verbis feratur, *Qui scienter*, aut *ausu temerario fecerit*, vel *qui præsumpserit*, excusatur ab illâ, qui ignorat etiam ignorantiâ crassâ.] Philomorius sumit illud *scienter*; quia non sua intersunt alij duo modi imponendi præceptum. Citat Henriquez Caietanum *verb. Excomm. cap. 77.* Sylvestrum *eod verb. 7. num. 34.* Cardinalem *Clement 1. de privil. quæst. 38.* Medinam *lib. 1. Instruct. cap. 11. §. 2.* Covartuviam *in cap. Alma, 1. p. §. 10. num. 7.* Navarrum *cap. 27. num. 141. & 155.* Huic sententiæ ut certæ subscribit Leander *de Censur. tract. 1. disp. 9. quæst. 18.* monens Authores ab Henriquez productos subobscurè loquutos præter suum Navarrum, cuius verba sunt hæc. [A pœnâ istius Clementinæ sola ignorantia facti probabilis excusat, secundum Glossam *verb. scienter*, quam dixit *singularem* Propositus [a] *in cap. ex parte 1. colum. penult. de appell.* contra quam (Glossam) tenui prælegendo illam Salmanticæ, & nuper consulendo in Sacro Pœnitentiariæ Prætorio cum Ioanne Imol. & Bonifacio *super ead.* Tum, quia dicta Clementina non loquitur simpliciter, sed de contrahente *scienter*, & lex puniens facientem aliquid scienter, requirit dolum, *leg. sed si lege, § Scire, ff. de pet. hæredit.* à quo quælibet ignorantia, etiam crassa excusat. *leg. igitur, ff. de liber. caus.* & *leg plagij, Cod. ad leg. Flaviam. de plag.* ubi Glossa hoc dicit, citans in id alias leges, *verb. iusta.* Tum, quia aliàs nihil referret [b] an lex diceret simpliciter, *qui contrahit*, vel, qui *scienter contrahit*, quod est contra mentem omnium. Tum, quia certum est, quod quâcumque ignorantiâ quis aliquid faciat, verè non facit scienter, & ita verè non continetur lege latâ [c] contra facientem scienter. Quamvis quoad forum exterius aliud interdum præsumi posset [d] sed hic de foro conscientiæ agimus.] Hæc Navarrus, cuius doctam sententiam ibi Leander Sanchezij, Petri de Ledesma, Candidi, Villalobi, Bonacinæ, Laymani, Avilæ, Basilij, Curielis, Hurtadi, Molinæ, Filliucij, Dianæ, Merollæ, Anguiani, Machadi, Castri-Palai, &c. roborat authoritate. Hanc sententiam eò promovet, aut etiam protrudit Hurtadus *de Censur. in comm. diss. 21.* ut etiam ad affectatam ignorantiam extendat, quæ enim ex ignorantiâ, quæcumque illa sit, fiunt, non fiunt scienter. Ratio pro hac sententiâ, nec alia debet quæri, nec dari, quàm illa eadem, quam Navarrus proponit. Quia, cùm legislator prudentissimus fuerit, non est dicendus deviasse à modo communi loquendi, nisi aliquid specialiter intendisset, quod communis modus loquendi non exprimeret; ergo est necessariò adsignanda differentia inter has duas fulminandi censuram formulas, *Qui contraxerit*, & *Qui scienter contraxerit excommunicationem incurrat.* Ergo non omnes, qui contrahunt, scienter contrahunt. Sed prima formula omnes, qui laborant vincibili ignorantia includit, Ergo posterior non omnes, qui laborant vincibili ignorantiâ, includit. Ergo, quidquid sit de affectatâ, saltem illi, qui ignorantiâ crassâ & supinâ laborant, in casu excommunicationem non incurrunt.

a] Multa hîc addisces. Glossa est fax quæ Lectorē illuminat & manuducit. Et tamen eligit hic singularem sententiā. Non repugnat igitur, quod singularis sententia illuminet & manuducat. Præterea, hæc Glossa, quam singularē appellabat Præpositus, hodie est valde communis, nō ergo repugnat, ut opinio, quæ olim est singularis, transeat etiam in communē.

Ut quis dicatur peccare scienter, debet peccare cum dolo.

b] Non sunt æquipollentes hi termini, *facere*, & *facere scienter*.

c] Ecce exceptionem à Legislatoris voluntate desumit.

d] Christophorus Porcius *in lib. 2. Institut. tit. 25. fol. 45.* Quilibet præsumitur scire, non modò quæ sunt, sed quæ communiter accidūt. Ideoque dixeris Glossam, quæ appellatur singularis per Doctores in *d. leg. si iuter*, quòd notitia eorum, quæ communiter fiūt præsumatur, nō esse singularis, quia hæc concordat cum ea, quam ipsi non allegant.

Subsumitque Argumentator. *Atqui universæ leges his omnibus & solis imponuntur, qui eas esse latas certò sciunt. Illis nimirum, qui si illas violaverunt, scienter violaverint.*

Quid tandē ex dictis inferat Philomorius?

Infert: *Ergo illis, qui crassâ aut supinâ ignorantiâ laborant, leges non imponuntur. Ergo, qui ex crassâ & supinâ ignorantiâ illas violant, non peccabunt.*

Ante

Ante Responsionem.

441 *An Navarri sententia sit communis?*

FAteor doctrinam Soti *in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. §. ex his primum*, inter censuras latas ab Ordinariis, & latas à Summo Pontifice distinguentis fundamento carere: quod ipsemet Sotus *dist. 22. quæst. 1. art. 2. §. Quare distinctio*, confiteri videtur. Vide Conink *de Sacr. disp. 13. dub. 11. pag. 557. a. §. Secunda:* ergo de alterutris eodem prorsus modo philosophandum est. Fatebor etiam hanc Navarri sententiam transivisse in communem, & ita communem ut opposita videatur à suâ probabilitate excidisse. Leand, ait: *Vt mihi certum respondeo excusare.* Ecce *ut certum*, & non *ut probabilius* dicit. At ego, si Navarri tẽpore de hac quæstione fuissem interrogatus, respondissem cum Glossâ, *in cap. final, de Offic. & potest. Iudic. in 6. verb. scienter.* Videntur adhærere Glossæ præter Authores, quos citat Tiraquellus, *tract. de pœn. temp. caus. 13. num. 22.* etiam alij: nempe, Præpositus, Francus, Rosella, D. Antoninus, Sylvester, & Tabiena apud Sanchez: quibus Adde Alterium, & Toletum, quos apud Leandrum invenies. Nec ipse Navarrus, qui post se omnes rapuit, suæ semper opinioni constitit, nam *in Summ. Latin. cap. 27. num. 73. declar. 1.* invincibilem ignorantiam asserit excusare à censurâ: & ibi aliquid de his, qui excusantur à crassâ, dixisset; si tunc eam habuisset sententiam, quam hodie negare non possumus esse communem.

An Navarrus semper illam tenuerit?

442 *Scientia seu notitia rei duplex, realis, & virtualis.*

Nec ratio adducta à Navarro tam est evidens, ut nequeat enervari. Dico enim bifariam contingere, ut rem aliquam Franciscus sciat; realiter, & moraliter (aut meliùs loquendo, realiter & virtualiter) scit rem Franciscus realiter, cùm actu & revera illam scit, & nullâ ignorantiâ laborat. Scit rem moraliter, aut virtualiter, cùm habet obligationem illam sciendi, cùm illam libere (vincibiliter) ignorat; atque ideò ita se habet, ac si realiter sciret. Ergo, cui erit iniurius, qui cum Glossâ adverbium illud *scienter* intelligat realiter vel virtualiter? Et quo Navarrus modo persuadebit, semper tantùm realiter, & nunquam moraliter aut virtualiter intelligendum esse.

Vox virtualiter posita in legibus, quomodo interpretanda sit?

Hanc distinctionem expressè me docet Coninch. *de Sacram. disp 13. dub. 11. pag. 556. b. num. 93.* dicens [Quarta (ignorantia) est affectata, ut quando aliquis studio omittit veritatem inquirere, ut possit liberius peccare.] Hæc realiter differt à præcedentibus: at in genere moris est-ne inter hanc & vincibiles aliàs discrimen? Respondet. [Huic quod ad rem præsentem attinet Doctores communiter æquiparant eam, quæ ita crassa ac supina est, ut ea laborans possit quodammodo dici, rem scire [e] ut, si quis ignoret ea, quæ hic & nunc apparent omninò clara, sive quando homini occurrunt tales rationes, cur debeat credere rem esse prohibitam, ut quamvis hîc & nunc eum non omninò convincant, tamen omninò sit temerarium contra eas facere.] Nota illa verba, *Eâ* (*ignorantiâ*) *laborans possit quodammodo dici rem scire.* Æquivalent enim his. *Eâ laborans dicatur rem scire virtualiter.*

e] Qui rem sponte ignorat, ita se habet, & ita peccat & damnatur, ac si sciret. Ergo, qui rẽ sponte ignorat, illam virtualiter scire cẽsendus est.

Et ut hac doctrinâ bene utamur, adnotato, Contumaciam plusquam scientiam dicere, nam contumacia Scientiam, Superbiam, & Temeritatem includit: quoniam in eo à Constantiâ distinguitur, quòd hæc det operam rei bonæ, & illa malæ. Porrò, dicitur *constans*, qui in re, quam scit esse bonam; & *contumax*, qui in eâ, quam vel esse malam scit, vel scire debet, immobili animi resolutione persistit. Vnde Critici nomen *Contumax*, aut à contemptu, aut à tumore, hoc est, à superbiâ derivant. Seneca Epist. 84. *Hæc contumacissimos, & iugum recusantes, in alienum egit arbitrium.* Cicero pro Rosc. *Est tua contumacia, arrogantia, vitaque universa vox.* Et in Verrem. *Vt contumacia nihil aliud sit, quàm habitus oris superbiâ atque arrogantiâ quâdam inflati & intumescentis.* [*Contumaciter repudiare morem patrium.* Cicero 2. de Divin.] Et Columellâ libr 6. cap. 2. *Contumaciter spernere validiorum imperia.*

Quomodo differant Contumacia & Constantia?

Vnde Contumacia dicatur?

Hanc inter *scire realiter* & *scire moraliter* debere Leandrum distinctionem admittere, & eâ admissâ suam obliteraturum opinionem ostendo; quoniam *tract. 1. disp. 9. quæst. 17.* interrogat, *An ignorantia crassa seu supina tam facti, quàm Iuris liberet à censurâ?* Et omnem censuram contrâ contumaces fulminari supponens, pro asserente parte adlêgat Baunium *tract. 1. de cens. quæst. 18.* dicentem. [A censurâ excusat ignorantia eius crassa, quando est causa antecedens, *sine quâ non* violandæ legis, quæ aliquid prohibebat vel iubebat sub comminatione Censuræ: id est, quando ignorans eam non violasset, si scivisset latam esse censuram contra transgredientem. Causa est, quia non est contumax, nec incorrigibilis, cùm sola eum monitio emendare, ac in bonam frugem revocare potuisset, &c.] Ipse tamen absolutè, & sine ullâ distinctione tanquam certum respondet; Nullam ignorantiam crassam aut supinam (sive antecedentem sive comitantem) excusare à censurâ. Et probat rationibus, quibus ego mox utar; volo enim priùs videre, quomodo respondeat Baunio. [Nec obstat, ait, fundamentum Stephani Baunij, quo motus fuit ad primum suum dictum tuendum. Negandum namque est, quod transgrediens ex ignorantiâ crassâ aut supinâ aliquam legem prohibentem aliquid sub censurâ, non sit contumax aut incorrigibilis. Est namque satis sufficiens ad censuram contrahendam: quia licèt non ita expressè & directè, sicut est ille, qui transgreditur legem ignorantiâ affectatâ, est tamen virtualiter & indirectè contumax, & inobediens, cùm negligat legem, aliàs satis publicam & omnibus notam, ut tam crassâ ignorantiâ illius laboret.] Modò attende, & considera, an bene utar hac ipsâ responsione, ut Navarri ratiocinium enervem. Sic inquam. [Nec obstat fundamentum

An, & quæ ignorantia liberet à censurâ?

An, qui ex ignorantia peccat, sit contumax?

443 *Contumacia est duplex; nempe directa & indirecta; nec non expressa & implicita.*

Et iterum illa duplex est: formalis nimirùm, & virtualis.

mentum Navarri, quo motus fuit ad suum dictum tuendum. Negandum namque est, quod transgrediens ex ignorantiâ crassâ aut supinâ aliquam legem prohibentem aliquid sub censura contra scienter illam violantes fulminandâ, non sit sciens & certò legem & censuram cognoscens. Est namque satis sufficiens ad censuram contrahendam; quia licet non ita expressè & directè, sicut est ille, qui transgreditur legem ex ignorantiâ affectatâ, est tamen virtualiter & indirectè sciens & legem & censuram cognoscens, ac proptereà inobediens, cùm negligat cognoscere legem publicam & omnibus notam, & ideò tam crassâ illius ignorantiâ laboret.]

Leandri verba contra Navarrum retorquentur.

444 *An ignorantia eodem modo excuset à peccato & censurâ?*

Confirmo hanc doctrinam, & sic arguo. Ignorantia, quæ non est sufficiens excusare transgressorem à peccato mortali, non est sufficiens excusare à Censurâ. Sed in casu à Navarro proposito ignorantia non excusat à peccato mortali. Ergo nec à Censurâ. Hac formâ argumentandi utitur Leander *quæst. cit.* 17. §. *Secundo*, & §. *Tertiò*, & desumitur ex Coninchio, qui *ubi supr.* Sic inquit. [Tertia sententia docet, nullam ignorantiam excusare à Censurâ, quæ non esset sufficiens, ut excusaret à peccato mortali, si ea absolutè ignoraretur rem esse illicitam. Ita Suarez *disp.* 4. *sect.* 10. *num.* 10. Ratio ipsius est, quia omnis ignorantia, quæ non sufficit ad excusandum à peccato mortali, in Iure dicitur *crassa*, aut *supina*, aut *affectata*.] Vbi iterum, ut conspicimus, Ignorantias crassam, supinam, & affectatam, etsi realiter aliquo modo differant, asserit tamen in Iure (hoc est, quoad regimen morum) coincidere.

An ignorantia crassa, supina, & affectata coincidant?

445 *An sit peccatum mortale ignorare Censuras?*

Probata illâ maiori, *Ignorantia, quæ non est sufficiens*, &c. ad minorem, videlicet, *Sed in casu à Navarro proposito ignorantia non excusat à peccato mortali.* descendo, & illam probo, Quia ignorantia crassa aut supina censurarum est peccatum mortale. Ergo probatâ maiori & minori, illæso pede consequentia decurrit, ut liceat cum Coninchio dicere, *Videtur incredibile Ecclesiam nunquam velle punire eam negligentiam, quæ committitur in censuris cognoscendis, quæ præcisè sufficit ad peccatum mortale, cùm in inferno pœnâ æternâ puniatur à Deo.*

446 *An ignorantia affectata excuset à censurâ lata contra eos qui legem violaverint scienter?*

Vt iterum eamdem confirmem petò à Leandro, an affectata ignorantia excuset à Censurâ in nostro Casu: nempe, à Censurâ imposita facienti aliquid scienter? Respondet *tract.* 1. *disp.* 9. *quæst.* 21. *pag.* 71. *a.* non excusare. Et, si dicas. Ille solus potest innodari hac censurâ, qui illam incurrit scienter. Sed qui affectatâ ignorantiâ præpeditur, non operatur scienter. Ergo, qui affectatâ ignorantia præpeditur, non innodatur hac Censurâ. Respondet. [Ignorantia affectata, quâ ignorans eligit nescire, quò liberius peccet, non minuit, sed potiùs auget culpam, & facit actum directè & per se voluntarium, cùm per se & directè eligatur, ut docet D. Thomas *quæst.* 6. & *quæst.* 76. *art.* 4. Ergo non excusabit à Censuris, scientiam, temeritatem, aut præsumptionem exigentibus.] Dixerat eiusdem *disp.* 9. *quæst.* 1. b. *pag.* 61. [Bene explicuit D. Thomas 1.2, *quæst.* 19. *art.* 6. & *quæst.* 76. *artic.* 3. per hæc verba. *Ipsa ignorantia est voluntaria, vel directè vel indirectè: ut, cùm aliquis studiosè vult nescire, ut liberius peccet: vel indirectè, sicut enim aliquis propter laborem, vel propter aliquas occupationes, negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam esse voluntariam & peccatum.* Sic Angelicus Doctor, & ex illo Bauny *tract. de Cens. in commun. quæst.* 18. Sanchez *lib.* 1. *Summ. cap.* 16. *num.* 6. Candidus *disquis.* 22. *art.* 31. *dub.* 2. Cornejus *de Censur. in gener. disp. ult. dub. ult.* &c.] Ecce, qui ignorans legem violat, si ignorantiâ vincibili obnubiletur, peccat: quia virtualem scientiam habet directè, si fuerit affectata ignorantia; indirectè, si crassa vel supina. Ergo omnis ignorantia vincibilis est scientia & notitia virtualis. Quod hoc ratiocinio poterit confirmari. *Nihil volitum, quin præcognitum: & nullus actus est de re malâ, quin de re volitâ. At actus, qui fit ex ignorantiâ vincibili est malus. Ergo est de re malâ volitâ. Ergo de re malâ cognitâ. At non de re cognitâ realiter, Ergo de re cognitâ virtualiter. Ergo in omni ignorantiâ vincibili scientia virtualis reperitur.* His itaque uberiùs discussis, Conclusiones sequentes subscribamus.

An augeat culpam affectata ignorantia?

De ignorantiâ voluntariâ directè & indirectè.

Quãdo quis directè, & quando quis indirectè, velle legem nescire censeatur?

In omni vincibili ignorantiâ scientia virtualis reperitur.

PRIMA. *Omnis lex, quæ violatur, scienter (hoc est, cum scientiâ & notitiâ reali aut morali) violatur.* Patet: quia omnis ignorantia voluntaria est virtualiter scientia: nam, tametsi realiter scientia non sit, ita se habet, ac si scientia esset. 447

An scienter violentur omnes leges?

SECVNDA. *Omnis lex, quæ violatur, ipsa semper cum audaciâ, præsumptione, & temeritate (reali aut morali) violatur.* Est expressa Innocentij *in cap. Cùm medicinalis. in fin. de sentent. excommun.* Et illam nos docet, his verbis: [*Quia ergo per Canones cautum erat, in excommunicatis celebrantibus Divina Officia scienter & in contemptum clavium, ut irregularitatem incurrant*, ut 11. quæst. 3. Si quis Episcopus damnatus. Si quis Episcopus in Consilio. *Extenditur hoc ad suspensos optima ratione: quia quoad exsecutionem Divinorum non est differentia inter excommunicatos & suspensos, quia isti, & illi excluduntur à Divinis: Sed sicut in excommunicatis requiro contemptum ut irregularitas incurratur, quod notant illi Canones, nam unus dicit, ausi fuerint, alius dicit,* præsumpserint. *Sic & in suspensis, nisi eos reddat probabilis ignorantia excusatos; crassa, & supina, vel erronea habilitat ad dispensandum.*] Declarat ergo prudentissimus & eruditissimus Pontifex dubium hoc, & has duas nostras Conclusiones magno suæ dignitatis & doctrinæ authoritate & suffragio decidit. Asserit enim eos, qui crassâ, & supinâ vel erroneâ ignorantiâ legem Ecclesiæ violant, scienter, & in contemptum clavium, nec non cum audaciâ & præsumptione procedere.

An qui vincibiliter ignorant legem, illam scienter, cũ præsumptione, & ausu temerario semper violent?

Probabilis ignorantia illa est, quã nos invincibilem diximus.

Hinc

Hinc patet non penetrasse ignorantiæ vincibilis realitatem & virtualitatẽ Leandrum *tract.1. de Censuris, disp.9.quæst.20.* ubi interroganti, *An ignorantia crassa & supina à Censurâ Canonis latâ sub his verbis.* Si quis præsumpserit, vel Siquis ausus fuerit, *vel* siquis ausu temerario fecerit, *excusare dicenda sit?* Sic inquit. [*Vt certum respondeo excusare. Quia minime dicitur* præsumere, *aut* ausu temerario facere, *qui ignorantiâ crassâ aut supinâ aliquid facit: eò quòd præsumptio & audacia temeritatem & dolum importent. At sic est, quod Canon petit dolum. Ergo non satis est ignorantia crassa seu supina, ut latè probat Sanchez* lib.9.de matrim.disp.32. num.36.37. & 38.] At eumdem Sanchez legit, & aliter intellexit Coninch. *de Sacram. disp.13. dub. 11. pag.557.* nam adhuc minorem crassâ & supinâ ignorantiam existimat dolum involvere. Eius verba sunt hæc. *Omnes ignorantes excusantur à censurâ incurrendâ, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina: atqui non omnis ignorantia, quæ non excusat à mortali potest dici* crassa *aut* supina *(quia in Iure hæ æquiparantur dolo, ut ibidem* (idem Sanchez) *latè docet) Ergo non omnis illa sufficit ad incurrendam Censuram.* Ergo (1) habes ex Sanchez & Coninch. contra Navarrum & Leandrum crassam & supinam ignorantiam æquivalere dolo in Iure. Et (2) habes Coninchium inter vincibilem leviter peccaminosam, & crassam seu supinam interponere quandam aliam, quam quintam vocant, non quod post quartam collocetur, sed quod post quartam cognita sit (sed qualis ipsa?) & hanc esse crassâ vel supinâ minorem, ad mortale committendum sufficere, non autem ad incurrendas Censuras in casu, quo præsumptionem aut ausum temerarium requirant.

448 *Sanchez à Leandro & Ægidio legitur, & aliter ab uno, & aliter explicatur ab alio.*

N. B. Coninchius quinque vincibiles ignorantias admittit: videlicet (1) levem, quæ sit tantum peccatum veniale. (2) Gravem, cũ culpâ mortali coniunctam. (3) crassam. (4) supinam; & tandem (5) affectatam. Nos primam reiicimus, & quatuor alias coincidere debere existimamus.

An leges pœnales sint Definitivæ?

T E R T I A. *Leges, quæ delictis pœnas præscribunt; sunt Definitivæ: & ideò, quantum est ex se, etiam obstringunt eos, qui laborant ignorantiâ invincibili.* Porrò pœna distinguitur à pœnalitate: nam illa est relativa culpæ, hæc autem sine ullâ culpâ infligi potest. Repugnat ergo, ut iusta sententia pœnâ mulctet eum, qui non commisit culpam. Leges Præceptivæ eos, qui laborant ignorantiâ invincibili, non concernunt; at Definitivæ à subditi non dependent notitiâ. Quam ob rem sicut, qui sine septem testibus testamentum condidit, etsi invincibiliter ignoraverit, septem testes ad valorem testamenti requiri, invalidum profectò condidit, quia est lex Definitiva, quæ numerum testium præscribit: Sic, qui furtum commisit, etsi invincibiliter ignoret legem, quæ fures damnat laqueo, laqueo suspendi potest; nam ignorantia Iuris (nempe, definitivi) non excusat. At puniri non posset, si invincibiliter ignoravisset rem, quam abstulit, esse alienam: aut furtum non esse peccatum. Et non solùm debet committi peccatum, cui lex talem pœnam præscribit, sed committi cum circumstantiâ, quam lex postulat, ut pœna incurratur. Vnde, quia excommunicatio Canonis, *Siquis,* non cuicumque percussioni universim, sed percussioni Clerici imposita est, ut quis illam incurrat, non solùm debet scire se percutere, & se hominem percutere, sed etiam se Clericum percutere. Et huc respiciens Pontifex. *cap. si vero 2 de sentent. excommunic.* Sic definit. *Si vero aliquis in Clericum nutrientem comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse clericum ignoraverit.*

An eos etiã obligent à quibus invincibiliter ignorantur?

An fur suspendi laqueo possit, si legẽ nesciverit?

Vt quis incurrat censuram, debet crimen sub illâ circumstantiâ committere, quam requirit censura.

Q V A R T A. *Potest Princeps, quando fert legem Præceptivam (à quâ Natura ipsa invincibiliter ignorantes exclusit) vincibiliter ignorantes excludere: & quando fert Definitivam, potest invincibiliter ignorantes (nam à lege Definitivâ hi ex Naturâ rei non excusantur) nolle obstringere: immò etiam, si velit, vincibiliter ignorantes in suâ lege non includere: & eos tantum, qui legis realem notitiam habuerint concernere. Et,* [f] *si vera sit Ignorantiæ in crassam, supinam, & affectatam divisio, potest excludere ignorantes crassè, & non ignorantes supinè & affectatè: aut etiam excludere crassè & supinè, non autem affectatè ignorantes: aut tandem excludere quomodolibet (hoc est, tam crassè, & supinè, quàm affectatè) ignorantes.* Ergo ex verborum tenore colligendum est, quos voluerit, aut noluerit excludere.

An, & quos ignorantes possit Princeps eximere à lege, quam pronunciat?

449 f] Tametsi illâ ego divisionẽ falsã esse existimem, quia multi eam admittunt, debui conditionatam Resolutionẽ ponere, quæ universis prodesset.

Lucem accipiet hæc conclusio à P. Ioannis Poncij Resolutione, quam *in 2. distinct.43. in fin. numer.49. pag.1070.a.* proponit videlicet. [Nec ignorantia vincibilis culpæ, nec ignorantia vincibilis aut invincibilis ipsius pœnæ excusat à pœnâ, modò aliàs peccetur peccato, ob quod pœna inflicta est. [N. B.] Nisi constet, quod mens Legislatoris aut legis sit, non obligare ad pœnam, nisi peccetur, & etiam ulteriùs cognoscatur, aut deberet cognosci talem pœnam esse inflictam, &c.]

450 *Potest Legislator nolle eos obligare qui legem ignorant.*

Hinc patet PRIMÒ quid respondendum sit interroganti, *An ignorantia invincibilis, non quidem præcepti, sed pœnæ, excuset ab illâ pœnâ.* Conveniunt Doctores agendo de pœnis Civilibus, & asserunt, non excusare. Veniendo tamen ad censuras seu Canonicas pœnas, dissentiunt inter se: Quoniam analogiam servandam esse, & de utrisque eodem modo esse philosophandum, docent Viri doctissimi: & cum aliis Avila apud Bonacinam *disp.1 quæst.2. punct.1. num.13.* Vasquez *tract. de excommunic. dub.16. num.7. & 8.* Hurtadus *de censur. in comm. diff.22.§.Addunt.* Luysius *lib de censur. disp.5. dub.3. §.Mihi sane.* Ledesma 2. *part.4. quæst.24. art 6. in fin.* Medina *in 1.2. quæst.76. art.3.in fin.* Corduva *lib.2. q.25. in princ.* Driedus *lib.2. de libert.Christ.cap.9.in fin.* & tam constanter Covarru.ut *in cap.Alma mater.par.1.§.10.*

451 *An à pœnâ eximat ignorantia invincibilis eiusdem pœnæ.*

num.9. asserat, opinionem contrariam esse manifestum errorem, maximam vel pudendam oscitantiam. Et apud P. Gabrielem à S. Vincentio *disp.1. quæst.20. n.267. pag. 106. a.* sic discurrit. [Qui committit homicidium, vel occidit Clericum, verè peccat contra legem Ecclesiasticam: Ergo verè dignus est pœnâ Ecclesiasticâ, ac proinde incurret illam. Hoc ultimum probat, quia ad incurrendam pœnam nulla requiritur scientia illius, ut notum est: nam etiam Ius Civile punit suspendio occisores, tametsi ignorent hanc pœnam.]

Quàm certa sit sententia negativa?

452 *Apostolica Sedis clementia ab incursione pœnarum invincibili ignorantiâ laborantes excludit.*

Stando rei naturæ hos Authores bene discurrere, indubitatum est: sed Conclusio Quarta me monet, ut examinem, An ex Legislatorum clementiâ aliquid benignius inferatur? Nihil sanè, ob quod remitti debeat rigor Conclusionis III. in Iure Cæsareo reperio: at in Pontificio probat *cap. ut animarum. de constit. in sext.* in quo Pontifex sic statuit *Vt animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Ergo ex hoc textu duo addiscimus, alterum, præscindendo à clementiâ Pontificis, à censuris non excusare illarum ignorantiam invincibilem: alterum, nunc de facto excusare, non quia sic postulat natura rei, sed quia sic disposuit Apostolica Sedes.

De censuris impositis cōtra eos, qui legem violaverint scienter.

Et hinc patet SECVNDÒ, quid respondendum sit interroganti, *An ignorantia vincibilis (crassa, supina, & affectata) ex Legislatorum clementiâ excuset à pœnâ eos, qui legem violaverint scienter?* Omitto Ius Cæsareum; non enim aliquid occurrit speciale, quod Quæstionem propositam concernat, aut exornet. Et ideò converto ad Pontificium oculos, &c.

An huiusmodi censuras incurrāt præditi ignorantiâ affectatâ?

Dico (1) non est mens Summi Pontificis à rigore legis eximere laborantes ignorantiâ affectatâ. Et probo *ex cap. eos, qui de temp. ordin. in 6.* ubi scire censentur, qui præpediuntur affectatâ ignorantiâ. Pontificis verba sunt hæc. *Eos, qui Clericos parochiæ alienæ, absque Superioris Ordinandorum licentiâ scienter, seu affectatâ ignorantiâ, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumpserint ordinare, per annum à collatione Ordinum decernimus esse suspensos.* Ita Gregorius X. Et Glossa *ibi. in Summ. verb. affectata.* [Æquipollent ergo scientia, & affectata ignorātia *de cland. desp. Cum inhibitio.* Et dicitur *affectata*, ex quo scire potuit, sed noluit, immò dissimulavit, *C. de incest. & inutilis nupt. leg. qui contra.*]

An Scientia & affectata ignorantia æquiparentur?

Dico (2) ignorantiam affectatam præsumptionem complecti. Constat ex verbo illo *præsumpserit.*

An præsumptionem contineat?

Dico (3) non ignorat crassè, vel supinè, qui scire voluit, & non potuit, Crassè ergo & supinè ignorat, qui scire potuit, & tamen noluit. Atqui ille, qui scire non vult, vel potiùs ille, qui nescire voluit, [g] teste Glossâ laborat ignorantiâ affectatâ. Ergo, qui crassè & supinè aliquid ignorat, laborat ignorantiâ affectatâ.

De ignorantiâ crassâ & supinâ. An sit affectata?

g] Lege nostrum Herculem Logicum, qui

Dico (4) si non est mens Summi Pontificis ab obligatione legis eximere laborantes ignorantiâ affectatâ: &, si omnis ignorantia vincibilis, tam crassa, quàm supina est affectata, dicendum est, non esse mentis Summi Pontificis eximere laborātes crassâ vel supinâ ignorantiâ. Interim scias probabilissimam esse sententiā, quæ ignorantes crassè & supinè excusat: & adhuc esse probabilem, quæ excusat affectatè ignorantes.

nolitiones negat, & probat, hanc vocalem propositionem, *Nolo legere*, v. gr. in Volūtate esse *Volo non legere.*

Responsio.

453 *Enervatur Philomorii argumentum.*

HAc doctrinâ præmissâ, argumento sub initium posito satisfaciamus. Et ut clariùs possimus, singulas propositiones recognoscamus.

In Moralibus idem est Certitudo, quod scientia. Concedo: bene enim ab Adversario probatur.

Ergo idem erit cognoscere certò, ac cognoscere scienter. Concedo, nam necessariò deducitur ex præcedenti.

Ergo, si leges (Divinæ, aut Humanæ illæ sint) eos tantùm obligant, à quibus cognoscuntur certò (hoc enim tota hæc Dialexis persuadere conatur) *eos obligabunt tantùm, à quibus cognoscuntur scienter.* Etiam hanc Consequentiam concedo.

Subsumebat, *Sed leges, quæ illos tantùm obligant, à quibus cognoscuntur scienter, non obligant eos, qui vincibili (crassa, supina, quidquid sit de affectatâ) ignorantia laborant.* Et ego hoc ipsum subsumptum distinguo. Si agatur de Præceptivis, aio esse de subiecto non supponente; nam, quidquid sit de possibili, non dantur tales leges Præceptivæ de facto. [*b*] Si autem agatur de Definitivis; & præcipuè de illis, quæ pœnas peccatis præscribunt; dicam, hoc Subsumptum à Viris negari doctissimis. Illud rotundè negat P. Gabriel à S. Vincentio *lib. de censur. disput. 1. quæst. 23. pag. 105. b. num. 265.* his verbis: [*Ignorantia affectata, supina & crassa non excusat ab incursione censuræ, tametsi in lege, vel statuto, &c. dicatur; qui scienter, vel qui præsumpserit, vel qui ausu temerario.* Hæc Conclusio ab omnibus tenetur, exceptis illis paucis citatis, & clarè constat ex textu citato *cap. ut animarum*, ubi hæc ignorantia excipitur. Ratio potissima est, quia ignorantia affectata, crassa, & supina [*i*] pro scientiâ habetur, etiam in pœnalibus, ut per Tiraquellum *de retractu lig. §.35. gloss.4. num.35.* tenet Barbosa *cap. innotuit, de elect. & electi potest.* Honded. *consf.87. num.41. lib.1.* Seraphim *de privileg. iuram. privil.4. à num.102.* Mascardus *de probat. conclus.869. num.31.* Costa *de facti scient. & ignor. insp.81. num.9.* & Farinacius *frag. crim. part.2. liter. I. num.167.* Vnde Tiraquellus *de pœnis temp. casu 13. num.22.* notat, quòd adscita (id est affectata) ignorantia nunquam prodest, cùm scientiæ comparetur.] Negant idem subsumptum Glossâ *in cap. final. de offic. & potest. Indicis de leg. in 6. verb. scienter.* Alterius *2. tom. de censur. disp.11. de suspens. cap.5. §. hoc autem. pag.201.* Toletus *lib.1. Summ. cap.48. n.4. §. Quarta.* Et iterum Tiraquellus *tract. de pœnis*

b] Non est legis Præceptivæ formula, *Nulli scienter occidūto. Nulli scienter furantor. Nulli scienter missam die solemni omittunto.* At est Definitivæ, nam pœna solet sic definiri, *Qui scienter hāc legem violaverint excommunicationem incurrunto.*

An, & qua ignorantia pro scientia habeatur?

i] Vides, quomodo meā firmet sententiam suâ authoritate Vir doctissimus, nā, si ignorantiæ crassa, supina, & affectata realiter considerentur, fortè in aliquâ circumstantiâ differre poterunt: cæterùm, si considerentur Canonicè, aut Politicè, coincidunt, & habentur pro sciētiâ.

*pœnis tempor. cauſ.*13. *n.*22. Nec non Præpoſitus, Francus, Roſella, D.Antoninus, Sylveſter, & Tabiena apud Sanchez *lib.* 9. *de Matrimon.diſp.*32. *num.*36. & *lib.*2. *Summ. cap.*10. *num.*38.Et in hanc ſententiam inclinat Navarrus *tom.*1. *conſil. lib.*1. *de conſtit. conſ.*2.

454 Dices, non ſatisfieri argumento, etſi illud ſubſumptum à Theologis citatis negetur: quoniam à Sanchez, Petro de Ledeſmâ, Candido, Villalobos, Bonacinâ, Laymano, Avilâ, Baſilio, Curiele, Hurtado, Molina, Filliucio, Dianâ, Merollâ, Anguiano,Machado,Caſtro-Palao,& aliis, quos citat & ſequitur Leander *de cenſur. tract.* 1 *diſp.*9.*queſt.*18.*pag.*69. *b.* conceditur. Et illud tam indubitatum indicat ipſe Leander, ut dicat, *Vt mihi certum reſpondeo; Excuſare.* Et Tu ſic inſtas.Cùm illud ſubſumptum, de quo agimus, non ſit certò falſum, aut erit certò verum, ut Leander aſſerit: aut ut minimum erit probabiliter verum; nemo enim audebit negare tot & tam illuſtres Doctores ſufficere ad Probabilitatem. Quidquid dicatur, manet in ſuo antiquo robore & vigore argumentatio Philomorij. Ergo poſtquam multa ſunt dicta, victrix manet argumentatio. Quid dicemus.

Si Opin.a eſt probabilis, eius Probabilitati minimè trahi dicabitur, cùm centeni Doctores pro contrariâ adducantur.

455 Si aſſeramus illud ſubſumptum eſſe certò verum, inſurgis & argumentaris ſic. In illo Philomorij diſcurſu, quem examinamus, forma eſt legitima, & omnes propoſitiones, quæ præmittuntur, ſunt certò veræ.Ergo ultima Conſequentia erit ſimiliter certò vera. *Ergo leges (Humanæ, aut Divinæ illæ ſint) non obligare eos, qui vincibili (craſsâ, aut affectatâ) ignorantiâ laborant, certum eſt.* Conſequentia eſt legitima. Conſequens eſt abſurdum. Ergo & Antecedens:nimirum, Dialexeos doctrina, hanc enim illud, & non aliâ complectitur.

Quid conſequatur Philomorius, ſi illud ſubſumptum eſſe certum dicatur?

Si aſſeramus illud ipſum ſubſumptum eſſe probabile, ſimile formatur argumentum. Ex præmiſſis, quarum aliæ ſunt certæ, & una probabilis, ſi ſit forma legitima,Conſequentia inferetur probabilis, At in Philomorij diſcurſu Antecedens,& duæ ab illo deductæ Conſequentiæ ſunt certæ, & ſubſumptum probabile. Ergo Conſequentia, quæ ab illis infertur, erit probabilis. Ergo Leges (Humanæ, aut Divinæ illæ ſint) non obligare eos, qui vincibili (craſsâ, *aut ſupinâ, quidquid ſit de affectata) ignorantiâ laborant, probabile eſt.* Conſequentia eſt legitima.Conſequens eſt abſurdum, & omninò improbabile. Ergo & Antecedens,ex quo ſequitur. Ergo hæc ipſa Dialexis:nam ipſa in illo Antecedenti clauditur.

Quid, ſi dicatur eſſe tantùm probabile?

Qualis ſit conſequentia ex unâ præmiſsâ certâ & ex alterâ probabili illata?

Sequitur debiliorem partem.

456 Oportet ergo tandem, ut non ſolùm Philomorio,ſed etiam Tibi ſatisfaciamus.Ergo iterum reſumimus Philomorij argumentum. Sicque reſpondemus. *In Moralibus,* &c.Cócedimus Antecedés. *Ergo idem erit,* &c. Etiam hanc primam Conſequentiam concedimus. *Ergo,ſi leges,*&c.Concedimus etiam hanc ſecundã.Veniamus ad ſubſumptum,*Sed leges*, &c. illud enim diſtinguimus. Si agamus ex naturâ rei, eſſe certò falſum aſſerimus: ſi ex Legiſlatoris clementiâ, ſubdiſtinguimus, ubi Legiſlator ſuam expoſuerit voluntatem,eſſe verũ concedimus;ubi non,eſſe verũ negamus. Cùm autẽ nullibi Legiſlatores declaraverint,nec ex eorum verbis Doctores collegerint,dari aliquam legem Præceptivam,quæ vincibiliter ignorantes non obliget, & cùm ea, quæ de legibus Definitivis, quæ pœnas peccatis præſcribunt, non militent contra noſtram Dialexim, quæ non de Definitivis, ſed de Præceptivis agit legibus, illud ſubſumptum,*Sed leges, quæ, &c.* iterum diſtinguimus, dicimuſque illud,ſi agatur de Præceptivis,eſſe de ſubiecto non ſupponẽte;nõ enim dantur tales leges Præceptivæ. Si autem agatur de Definitivis, quæ pœnas, quibus expianda ſunt peccata, definiunt,ſubdiſtinguimus,& illud eſſe de ſubjecto non ſupponente in Iure Cæſareo, & Civili cum Covarruviâ aſſeveramus;in Iure autem Canonico dicimus eſſe merè probabile,nam, ut vidimus, à multis negatur, & à multis conceditur. Cæterùm, ſive admittatur, ſive negetur, non eſſe ad rem aſſerimus, non enim de Definitivis, ſed de Præceptivis tantùm legibus in noſtrâ Dialexi diſputamus.

Philomorij argumento datur vera reſponſio.

Diſtinguitur illud Subſumptum.

Iterum diſtinguitur.

Quidquid de legibus Definitivis dicatur, non eſt ad rem, nam ex Definitivis ad Præceptivas conſequentiâ non valet.

ARTIC. VI.

Proponuntur Teſtimonia Philoſophorum & Theologorum, qui authoritate ſuâ doctrinam hanc roborant & confirmant.

VLtima Articuli ſecundi Obiectio, quam Tertius in fine diſſoluit, poſtulare videtur,ut perſuadeam hanc de Non-Certitudine doctrinam, in Dialexi hac aſſertam & dilucidatam, fuiſſe, & eſſe antiquiſſimam & communiſſimam:& ideò, ut obligationi huic ſatisfaciam convertam ad Philoſophos veteros oculos & à Platone incipiam;& poſteà ad Theologos veniẽs S.Pauli Apoſtoli,Græcorum & Latinorum Eccleſiæ, nec non recentiorum Doctorum verba conſiderabo:omnes enim expreſſè in hanc unam veritatem conſpirant. 457

Cur præſens addatur articulus?

An Dialexeos doctrina antiquiſſima ſit?

Plato.

GRæcos Philoſophos ab Hebræis plurima didiciſſe in confeſſo eſt. Genebrardus in Chronic.pag.77.ad annũ Mundi 1670.Sic inquit.[Hunc Moyſem uſque adeo admiratus & imitatus eſt Plato, ut Numenius Pythagoricus dixerit, *Nil aliud eſſe Platonem, quam Moyſem Atticum.* Et in lib.de Bono, *Iudæi huius dogmata ſectatum eſſe Pythagoram* Et in Epinomide.*Sciẽtiarum cauſam fuiſſe quendam barbarum.* Et pòſt, *A Syris & Ægyptiis cuncta manaſſe.* Syriæ autem pars eſt Iudæa. Denique, *Platonem & Pythagoram ſua omnia didiſciſſe ab Ægyptiis & Syris, nominato Moyſe, quem Magnum Theologum & legiſlatorem vocat,* &c.] Et ad annum 373.Vrbis conditæ

An Ethnici ſi qua benè ſcripſerunt hauſerint à Iudæis?

Plato Sacerdotes Ægyptios annis tredecim audiit: annos viginti Socratem.

conditæ [Plato, *Apis attica*, Moysis æmulus, sive Moyses Atticus ex Numenio Pythagorico, tertius Philosophorum post Anaxagoram & Pythagoram in Ægyptum descendit, ut Philosophiam, ex quâ *Divini* cognomentum est consequutus disceret. Tredecim annis fuit Heliopoli cum Sacerdotibus: annos viginti habitavit cum Socrate, natus post initia belli Peloponesiaci. E Lyceo Scholam in Academiam inter sylvas transtulit. *Suidas*] Tantæ apud Veteres Patres authoritatis fuit, ut plurimi fuerint Platonici. Ergo consuli poterit, nam per eius verba, ad Iudæorum & Ægyptiorum antiquorum sententiam pervenire poterimus. Ipse itaque in Timæo sic inquit.

Mundi pulchritudo.

Quas Christiani Divinas Ideas, Plato Exēpla sempiterna appellabat.

Est Dei imago.

Quomodo philosophandum de Deo

Quomodo de Mundo?

Cum verò & Mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & eius auctor causarum omnium optimus, dubium non est quin sempiternum sit secutus exemplum. Sic igitur generatus ad id est effectus, quod ratione & sapientiâ solâ comprehendi potest, & immutabile permanet. Ex quo efficitur, ut necesse sit hunc Mundum alicuius simulacrum esse. Rationem verò originis naturaliter explicare difficillimum est. Ideò de simulacro & exemplo sic distinguemus. Rationes utique cum his rebus quas exprimunt, cognationem quandam habere videtur. Ergò cum de re firmâ & stabili & mente comprehendendâ differitur, stabiles similiter immutabilesque, & quod maximè fieri potest inexpugnabiles rationes esse oportet. Cùm verò de ipsius rei firmæ stabilisque simulacro disputatur, verisimiles rationes sufficiunt, quæ ita se ad Superiores habeant rationes, ut simulacrum ad exemplum. Nempè quod est ad generationem essentia. Id ad fidem est veritas. Cum ergo (o Socrates) multa de Diis Mundique generatione à multis dicta sint, ne mireris obsecro, si rationes de iis probatissimas exactissimasque afferre non possim. Satis enim factum putare debebis, si non minus probabiles quàm quivis alius rationes attulerim. Æquum est meminisse, & me qui differam, & vos qui indicabitis, homines esse: ut si probabilia dicentur, nihil ulterius requiratis.] Hucusque Plato.

De rationibus probabilibus.

An & quãdo sufficiãt

Ecce docet alias rationes esse stabiles, immutabiles, & inexpugnabiles, exactissimas, & probatissimas, hoc est, evidentes & demonstrativas, ut hodie loquimur: alias autem verisimiles & probabiles.

Ratio dividitur in evidentem & probabilem

Et quidem inter Probabiliores & minùs probabiles distinxisse videtur: hoc enim insinuat, cùm dicit, *Satis enim factum putare debebis, si non minus probabiles, quàm quivis alius rationes attulerim.*

Probabilitas suos gradus habet.

Putavit etiam non posse postulari à Philosopho, ut semper probabiliores adducat, nam sufficiunt qualescumque ipsæ sint, modò sint probabiles. Constat hoc ex illis verbis. *Verisimiles rationes sufficiunt:* & ex illis, *si probabiles dicentur, nihil ulterius requiratis.* At ultra probabiles non solùm certæ, sed probabiliores etiam sunt. Ergo sensit Plato minùs probabiles sufficere, & ubi materia non subest certitudini, iniuste probabiliores postulari.

Sufficit opinio minùs probabilis.

Sed quomodo probabiles differunt ab evidentibus? Ut Imago à Veritate, ut simulachrum à Prototypo inquit Plato. Est igitur ratio probabilis, imago quædam & similitudo rationis evidentis & demonstrativæ.

Quomodo differant evidens, & probabilis?

Præter transcendentalem Bonitatem datur etiam prædicamentalis Bonitas, quam habeat res in propriâ specie: & quidem species nobiliores sicut perfectiores, sic etiam meliores vocantur.

S. Paulus.

Paulus itaque, Ethnicorum Apostolus, [in cuius Lector Ingeniosus Epi- 458
stolis omnes Rhetoricos troporum & signarum flores, omnes Dialecticas syllogismorum efficacium spinas, Physicæ fundamenta nec non profundissimas utriusque Theologiæ (Naturalis, Moralisque) Theses & Rationes inveniet, si singula eorum verba accuratè consideret.] à Corinthiis de ciborum delectu interrogatus; quos admittere possint, & à quibus debeant necessariò abstinere, recenset & exponit his verbis. Πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν, τοῦ γὰρ Κυρίου ἡ γῆ; καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς, εἰ δέ τις καλεῖ ὑμᾶς τῶν ἀπίστων, καὶ θέλετε πορεύεσθαι, πᾶν τὸ παρατιθέμενον ὑμῖν ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν, ἐὰν δέ τις ὑμῖν εἴπῃ, τοῦτο εἰδωλόθυτόν ἐστι, μὴ ἐσθίετε δι' ἐκεῖνον τὸν μηνύσαντα, καὶ τὴν συνείδησιν. *Omne in macello venditum manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: nam Domini est terra, & plenitudo eius* [a] *Si verò quis vocat vos infidelium, & vultis ire omne appositum vobis manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si autem quis vobis dixerit, Idolis immolatum est, ne edite propter illum indicantem, & conscientiam.*

An omnium Scientiarum eruditio, in Epistolis Pauli inveniatur?

1. Corinth. 10.25.

a] Citat initium Psalmi XXIII. & nomina *plenitudo*, & *universi* ita accipit, ut omnia, quæ in illâ sunt, comprehendat.

Et his verbis duas Quæstiones proponit, quarum dissolutio etiam hodie erit utilis; in Galliâ, & Germaniâ præcipuè. Iudæi enim, cùm animantes à se comedendas occidunt, interdum ceremonias & superstitiones observant: Mahometani non rarò occidendo illas immolant; & Hæretici pisces & legumina carnium inter frequentissimè condiunt. Modò hos casus propono. Viennæ in Austria Petrus emebat carnes à Iudæo lanio, ut meliores & pretio viliore redimeret: Et, quia Legati Turcici coquus etiam vendebat cibos, capreolos, non enim prostrabant alibi, ab illo Fridericus emebat. Et, quoniam in hospitio publico carnes & pisces diebus Veneris exhibentur in mensâ (nam Catholici & Hæretici simul convivunt, aut etiam si velis combibunt) Franciscus pisces appositos in hospitio sumebat. Et modò dubitant, An interrogare aliquid debeant? Respondet D. Paulus, *Nihil interrogantes propter conscientiam: nam Domini est terra & plenitudo eius.* Et tibi resolutio, & probatio sunt miræ. Nec εἰδωλόθυτον Christianum, nec carnes die Veneris Catholicum comedere posse, certum est. Ergo, si dubitat, debet interrogare. Quo ergo illos modo

An Iudæi utantur ceremoniis, quando aliquas animãtes occidunt? An Mahometani illas occidēdo sacrificent?

An Catholici cibos à Iudæis, Mahometanis, aut Hæreticis ministratos manducare possimus?

Psalm. 23.

An debeamus interrogare, an carnes nobis appositæ fuerint sacrificatæ?

modo ab interrogandi obligatione Paulus eximit? & cuius Logicæ legibus vtitur, quando ex illo Psalmi versu, se bene illos exemisse persuadet? Respondeo Petro & Friderico, Apostolum bene argumentari: nam ratio eius, tametsi non specialis, sed generalis sit, est efficax. Sic argumentatur. *Domini est terra, & plenitudo eius, &c.*
459 *Ergo omnia iure creationis sunt Dei. Sunt ergo omnia in possessione, ut non pertineant ad mensam Dæmonorum. Ergo si illos vel illos cibos aliquis propter immolationem Dæmoni esse dedicatos affirmet, quæstio erit facti, & debebit immolatio probari.* An saltem debebunt interrogare, si dubitent? Negat eos regulariter loquendo posse dubitare prudenter; & ideò, ne quidpiam interrogent, iubet. Et praxis communis a Paulo stat; multi enim à Iudæis multi à Mahometanis coëmunt, & nemo interrogat propter conscientiam, quoniam ad interrogandi obligationem dubium prudens requiritur, & hoc ex merâ potentiâ, aut ex rarò contingentibus oriri nequit. Et idem sum de Francisco dicturus. Coqui in hospitiis publicis lucrari pecunias volunt, & non irridere Catholicos; &, si esset vel minima fraudis suspicio, ad illud suspectum hospitium divertire nollent Catholici. Ergo non est interrogandi obligatio. Accedit, quod interrogando non inveniretur quæsita veritas; nam, qui vult rem vendere, non fatebitur esse in re vendibili circumstantias, quæ rem ipsam, si adessent, invendibilem redderent.

An de cibis appositis, utrum immolati sint, possit aliquis dubitare prudenter.

Vnde dubium prudens nascitur?

Non teneor interrogare illum, quem certò rem (sit vera, aut falsa) esse negaturum cognosco.

Modò ex istâ doctrinâ hanc nostram Dialexim confirmemus. Carnes Petrus, quæ fortè sunt superstitiosè occisæ, comedit: capreolos Fridericus, qui fortè fuerunt immolati Mahometo: legumina & pisces Franciscus die jejunij, quæ fuerunt fortè carnium iure condita: & omnes licitè. An, quia singuli habent speciales rationes, quæ reddant suas conscientias securas? minimè. Cur autem? Quia ipsis non est certum oppositum. Et quidem persuaderetur ipsis, & certum omninò censeretur, si unus vir, qui tantæ esset authoritatis, ut ad plenam fidem extorquendam sufficeret, diceret, se vidisse, carnes Diis immolari, & pisces iure carneo condiri. Esse enim aliquos casus, in quibus unicus testis ad moralem certitudinem sufficiat,
460 confitentur Theologi. Nam, si unicus testis, hunc moribundum voluisse confiteri asserat, antequam sensibus destitueretur; illi non solùm potest, sed debet credere Confessarius, Sancio *disp.44.n.35.* Felino *in cap. veniens, 1.num.8. de testib.* & Theologis aliis asserentibus. Vide Dianam *part.2.tract.13.resolut.13. in fin. & part.3. tract.3. resolut.5.* qui in casu putat credendum esse uni testi, etsi sit Ethnicus aut Mahometanus; quoniam, si mentiri ipse vellet, potiùs negaret, quàm assereret, infirmum Confessarium vocasse.

Ponitur ratio fundamentalis propter quam possint Christiani cibos ab Ethnicis ministratos conscientiâ securâ comedere, quin teneantur aliquid interrogasse.

An, & quando unicus testis ad certitudinem moralem sufficiat?

Hoc Pauli textu utitur P. Franciscus Bordonus *in Propugn. Opin. Probl. cap.13. pag.115.num.20.* & ex illo colligit, fuisse tempore Apostolorum duas opiniones (magis, & minùs probabilem) alteram asserentem, negantem alteram, fidelem, si fortè cum infideli vesceretur, debere interrogare, An, qui apponebantur in mensâ, essent cibi Diis sacrificati? Ego autem dico primò, nunquam fuisse tales opiniones in Ecclesiâ: tunc enim, sicut nunc, nisi ratio specialis succurrat, nemo tenetur interrogare. *Dico secundò*, si tales opiniones fuissent hoc ipsum debere aliunde, & non posse ex hoc textu probari. *Dico tertiò*, ideò Paulum consuluisse benigniorem sententiam, quonia opposita non erat certa: in casu enim, quo quis diceret, *Hi cibi immolati sunt* iubet illos non edi: quia unus vir honestus, cuius non interest mentiri, in hoc, & multis aliis casibus, ut paulò antè monuimus, ad moralem certitudinem sufficit: nam Ethnicus, si vellet decipere, potiùs diceret, Idolis immolatos non esse.

An tempore Apostolorum de idolotytis duæ fuerint opiniones probabiles?

An, & cur Paulus benignam sententiam elegerit?

S. Augustinus.

Ponam post Paulum Augustinum, Doctorem profectò post Apostolos maximum, cuius personam suspexere Pontifices, cuius doctrinam suis honorarunt Oraculis: quem sciunt Hæretici, esse columnam Religionis Christianæ; & ideò illum obtorquent, ut à se esse putetur; sciunt enim fide carituram suam Fidem, si eam adversari Doctrinæ Augustini fateantur. 461
Gloriosa sunt verba Concilij V. Generalis. *Sequimur per omnia S. Augustinum: & suscipimus omnia, quæ de rectâ Fide, & condemnatione Hæreticorum exposuit.* & propter illa Concilium Generale Florentinum sess. VII. dixit, *Augustinum, illustrissimum Latinorum Doctorem Quinta synodus consecravit.* Et nos illa iterum & iterum legendo & suspiciendo, *sequamur in hac Dialexi per omnia S. Augustinum, suscipiamusque omnia, quæ de recto Sententiarum delectu, & de condemnatione Opinationum exposuit*, mente purâ, & labio sincero dicamus. Quam ergo Regulam sibi præscripsit sanctissimus & doctissimus Hipponensium Episcopus, ut in sententiarum conflictu certò sciret, se tutâ conscientiâ operari? Ipsemet satisfaciet. *Lib.5c. hom.41.* [Et habetur *in Decreti part.2. cauf.30. quæst.3. de Pœnit.* aut si velis, *cap. si quis positus, dist.2.* in re gravissimâ ideo se operari testatur, QVIA OPPOSITVM NON ERAT CERTVM. Dabo contextum totum, ut videat Lector Candidus, quâ fide S. Pater ab Adversariis in sententiam, de quâ nunquam cogitavit, obtorto collo compellatur; ut videat etiam huius Dialexeos illum Fundamentum & Doctrinam in suâ Resolutione supponere. Attende: quoniam pronuntiat sic.

Quantus sit Augustinus?

Cur tantò illum conatu Hæretici in suas opiniones obtorqueant?

Quanti illum fecerint Ecclesia Orthodoxa concilia?

Illum duce sequamur.

Ethica S. Augustini Protheorema.

Si quis positus in vltimâ necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exit, si securus exierit. Ego nescio. Pœnitentiam dare possumus, securitatem dare non possumus. 462

Pœnitentia hic nomine S. Pater Pœnitentiæ Sacramentum, & præcipuè ipsa mmot

absolutionē (hac enim à Sacerdote datur) intelligit.

Quàm periculosum sit pœnitentiā in articulo mortis differre?

Nunquid dico, damnabitur? Sed non dico, Liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? Vis, quod incertum est evadere? Age pœnitentiam, dum sanus es, si sic agis, dico tibi quod securus es, quia pœnitentiam egisti, eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem vis agere Pœnitentiam, quando iam peccare non potes, Peccata te dimiserunt, non tu illa. Et statim cap. 3. *Agens pœnitentiam ad ultimum* (in articulo mortis) *& reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Vnde securus sum, dico, & securitatem do: unde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem non possum.* Et post pauca: *Sed unde scis, inquis, ne fortè Deus dimittat mihi? Verum dicis: Vnde? nescio. Illud scio, hoc nescio, nam ideò do tibi pœnitentiam, quia nescio: nam si scirem tibi* (absolutionem) *nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi* (confessionem) *prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum est nescio. Ergo tene certum & dimitte incertum.*

N. B. Considerētur ista verba. *Ideò do tibi pœnitentiam* (absolutionem) *quia nescio.* &c. & negari non poterit huius Dialexeos doctrinam esse expressam S. Augustini.

463 Videtur S. Pater his verbis totam hanc meam Dialexim expressisse. Textum relege: Et, si scandalo multorum dilusus, procrastinare velis & dicas: *Si quacumque die conversus fuero à via meâ pessima, Deus misericors, sicut veraciter per Prophetas promisit, omnes iniquitates meas obliviscetur; quare hodie convertar, & non cras? eat hodiernus dies, sicut externus; sit in nequissima voluptate, sit in flagitiorum gurgite, volutetur in mortiferâ delectatione; cras convertar & finis erit.* Occurret S. Augustin. his verbis: *Respondetur tibi, cuius rei finis? dicis: Iniquitatum mearum. Bene, gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis. Quid, si ante crastinum tuus erit finis? Ergo bene gaudes, quia converso tibi indulgentiam Deus promisit; sed crastinum diem tibi nemo promisit.* Et subjungit: *Ne igitur tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subitò enim veniet ira, & in tempore vindictæ disperdet te, ecce indulgentiæ dator, aperit tibi ostium, Quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti; non pulsas, & aperit, & tu foris remanes?* Et mox sic arguit: *De misericordiæ operibus*, inquit, *quodam loco Scriptura dicit: Ne dicas, vade, & revertere, cras ego dabo, cùm possis continuò bene facere; non enim scis, quid contingat sequenti die. Audisti praeceptum non differendi, ut in alium sis misericors; & differendo, in te es crudelis? Non debes differre panem daturus, & differs indulgentiam accepturus? si miserando alterum non differs, miserere & animæ tuæ placens Deo; Exhibe & animæ tuæ eleemosynam, non dicimus, ut tu ei des, sed ne repellas manum dantis.* Et quid, si nolueris hoc facere? *Iam securis ad radicem arboris posita est; omnis ergo arbor, quæ non fecit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Modò itaque, siquidem bene es mentem Augustini assequutus, ponderationes subsequentes perpende.

In sacramentorum materiâ rigorosius quā in cæteris Theologi ratiocinantur. Temerè per cæteras D. Augustini misericordiā abutitur.

August. ser. 19 de verb. Domini.

Deus promisit tibi, quòd si converteris, concedet veniam: sed vitā in crastinum usque diem se tibi daturū, non promisit.

Proverb 3.

Argumentū à fortiori.

Charitas incipit à se ipsa.

Fructus impœnitentiæ.

Matth. 3.

Omnes Theologi, rigorosè aut benignè in aliis materiis resolvant, quando ad Sacramenta perveniunt, contrahunt vela, & strictiùs decidunt, [Constat hæc veritas ex Scoto *in 4. dist. 11. quæst. 6. & 7.* Petro Soto *lib. de Institut. Sacerdot. lect. 2. de Euchar. in princip.* Dominico Soto *in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 3. in solut. ad 3.* Victoriâ *q. 54. de Sacram.* Gregorio de Valentiâ *tom. 4. disput. 6. quæst. 2. punct. 1.* Francisco Suarez *tom. 3. disput. 60. sect. 1. in fin.* & aliis.] Ergò asserere poterimus S. Augustinum (ut alibi severus sit) nullibi severiorem fuisse, quam ubi de Sacramentorum administratione & valore disseruit. Ergo qui textum præmissum bene intelligat, quibus Fundamentis S. Augustini Ethica succolletur, ignorare non poterit.

De Ethica S. August.

Porrò sacrilegium committit pœnitens, qui malè dispositus suscipit absolutionem: & sacrilegium etiam committit Confessarius, qui malè disposito absolutionem impertitur. Vnde Sanctus Episcopus, *Si scirem*, inquit, *tibi* (absolutionem) *nihil prodesse tibi non darem.* Ergóne Confessarius, ut licite pœnitentem absoluat debet scire illam à se datam absolutionem prædicto pœnitenti prodesse, adeoque eum esse baptizatum; eum reverà illa peccata commisisse, quæ confitetur; eum habere convenientem dolorem, & tandem sincerum non peccandi propositum? Et quantâ certitudine debet hæc omnia noscere? Anne debet petere testimonium à Parrocho, ut pœnitentem esse Christianum credat? An debebit experiri: & extraordinarias diligentias facere, ut resciat, an sit bene dispositus? An-ne priùs debet esse Confessarius securus, quam audeat pœnitentem absolvere? Respondeo: *Quando non est certum pœnitentem esse male dispositum, posse illi Parrochum absolutionem impertiri, certum est.* Hoc enim important illa verba, *Fateor vobis. Non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exit. Si securus exierit, ego nescio. Pœnitentiam dare possumus, securitatem dare non possumus,* &c. *Si securus hinc exit, ego non sum securus.* Ecce in hoc absolutionis actu duo sunt consideranda: Veritas & Bonitas. De veritate absolutionis quam concedit; an pœnitenti prosit? an illum ab æternâ condemnatione eripiat? dubitat Augustinus. Dubitat etiam Vrbanus II. Pontifex Maximus, qui *cap. 1. dist. 57.* relatus à Gratiano, sic inquit: *Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi fortè posteà ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum veritas exegerit.* Ergo, si Catechumenum in articulo mortis ex necessitate, & non ex voluntate Baptismum Pontifex postulare præsumit, meritò dubitat Augustinus, An Christiani, qui pœnitentiam in mortis articulum distulit, censeri debeat voluntaria Confessio. At hoc ipso dubio non obstante, de bonitate actùs, quo illi à Confessario impenditur absolutio, non dubitat: sed supponit, ut certum, esse honestum, & laudabile, & minimè peccaminosum, absolutionem in casu,

De pœnitente male disposito.

Quanā scire debeat Confessarius, ut licitè det absolutionē.

Quanta certitudine debet Confessarius cognoscere pœnitētem esse benè dispositum.

De Veritate & Bonitate absolutionis.

An Baptismo susceptio aut Confessio, si in mortis articulū differatur, voluntaria censenda sit?

Augustinus de veritate & valore absolutionis dubitat, & tamen de bonitate & honestate actus, quo ipsa conceditur, est certus.

casu moribundo impertiri. Ergo Augustinus, ubi de Veritate & valore absolutionis maximè dubitat, de bonitate & honestate actûs, quo hanc absolutionem indulget, certus est. Vt ergo pœnitenti neget absolutionem Confessarius: necessarium est, ut certum sit illum esse incapacem: nempè, aut non esse baptizatum, aut non esse bene dispositum. Vt autem illam impertiatur, quid requiritur? Requiritur-ne, ut Confessarius certò, probabiliùs, aut probabiliter sciat pœnitentem esse bene dispositum. Minimè: sed requiritur, & sufficit, ut dicebamus, quod Confessarius non sciat certò illum esse male dispositum. Ait enim Augustinus, *Ideò do tibi pœnitentiam* (absolutionem) *quia nescio* (quia non scio certò te esse male dispositum) *Nam, si scirem tibi* (absolutionem) *nihil prodesse, non tibi darem.* Expressis ergo verbis, Sanctus Pater docet ad securitatem conscientiæ sufficere, ut actum, quem elicimus, non sciamus certò esse prohibitum.

464 *Ratio sufficiens ad dandam absolutionem est, nullam esse certam & indubitatam ob quã debeat absolutio negari.*

An, & cur illa Augustini verba TENE CERTUM ET DIMITTE INCERTUM, *malè vulgò exponantur?* ILLUD QUOD VOCAT D. AUGUSTINUS *incertum*, EST INCERTÒ VERUM, SED CERTISSIME MALUM.

Et hîc obiter peto, ut attentè relegas verba S. Augustini, nam Iuniores, nec pauci, nec omninò ignorantes, illis verbis, *Tene certum, & dimitte incertum*, abusi, turbant Theologiam, & Sancto Doctori sententiam, de quâ ne quidem cogitavit, adfingunt. Nam illis verbis Sanctus Doctor suadet, ut teneas certum, hoc est, agas pœnitentiam, antequam incidas in morbum, & non differas eam in articulum mortis; nam incertum est, an tunc habiturus sis tempus; & si habueris, incertum, an tunc relicturus scis vitia, an potiùs sis relinquendus in vitiis: non enim veram censetur agere pœnitentiam.

— *Vitiis qui fortè scelestis*
Deseritur, quando fugit indignata voluptas.

Est summa temeritas pœnitentiã in articulũ mortis differre.

Hanc ob rem hæc Propositio, *Ego per veram pœnitentiam convertar ad Deum in articulo mortis.* Si agatur de eius Veritate, est incerta: si de eius Bonitate, est certò temeraria, & certò pernitiosa & scandalosa. Illa igitur S. Doctoris verba, *Tene certum, dimitte incertum, equipollent his, Tene sententiam certò bonam. Age pœnitentiam, dum sanus es: dimitte temerariam illam credulitatem*, quâ dicis: Agam pœnitentiam in articulo mortis: *huius enim propositionis veritas incerta est: malitia verò & temeritas certa est.* Ecce Augustinus non dat doctrinam aliquam universalem; sed loquitur iuxta subiectam materiam. Ergo non solùm Ecclesiæ & scholæ, sed etiam sibi ipsis iniuriam inferunt; qui contra pium laudabilemque Probabilitatum usum hoc S.Patris testimonium protrudunt.

Quomodo intelligendus sit Augustinus?

465 *Verba, quæ ex contextu facilè intelligerentur, si à prioribus & posterioribus separentur, in obscura & difficilia frequentissimè transeunt.*

Obiectio ab hoc testimonio desumpta Viris doctissimis, qui Augustini verba noluerunt in Augustino legere, molesta fuit. Attende.

[Aversa in secundâ responsione (do Poncij verba, locum statim dabo) supponit non licere partem minùs tutam sequi, quando non est certum operanti, quod possit eam sequi licitè. Vnde in formâ distingueret consequens. *Non licet eam sequi, quando non constat certò, quod possit quis licitè eam sequi.* Concedit: *quando id constat*, negat. Et iuxta hoc responderet ad confirmationem.] Breviùs, & clariùs. Dicit Aversa loqui Augustinum de formali peccato: & incriminatur eum, qui audet operari, ubi non est certum quod peccatum formale non committet. Sed hoc non admittit Poncius, qui *in 2. dist.39. quæst.2. pag.962. a. in princip.* Sic inquit. [Vt licitè quis possit operari iuxta sententiam minùs probabilem, non debet formare iudicium certum, quòd possit sequi illam. Hæc est contra Aversam.] Et *num.38. pag.961. b.* reiicit illam Aversæ responsionem, his verbis. [Hæc doctrina ex dicendis Conclusione sequenti patebit esse falsa meliùs ergo respondet aliter, &c.] Si prima responsio est falsa, etiam est mala. Et, si prima est mala, quomodo secunda erit melior. Id non urgeo: non enim omnes rigorem in Comparativis observant, sæpe enim illa adversativè sumi certum est: Transeamus ad Responsionem alteram, quam Poncius meliorem appellat.

An, ut quis tutã conscientiã operetur debeat habere certitudinem de honestate & bonitate sui actûs?

Nomina Comparativa adversativè sumi solent.

Eius verba sunt hæc: [Augustinus vult tantùm, quòd quando certa est una pars, & altera est tam incerta, ut nec probabilis sit, tunc sequendam partem certam. Hoc autem non facit ad propositum, ut patet: &c.] Et aio esse repugnantia, quæ dicit. Quando una contradictionis pars est certò vera, opposita est certò falsa: non ergo incerta. Ergo certitudo & incertitudo in Augustini verbis non afficiunt duas contradictorias: nam hæ, *Ago nunc pœnitentiam.* Et *Agam in articulo mortis.* Non sunt contradictoriæ. Et in primâ Certitudo Veritatem & Bonitatem afficit: in secundâ verò Incertitudo afficit Veritatem tantummodò, non Bonitatem, nam illam propositionem esse malam non iam incertum, sed verissimum & certissimum est.

466 *Propositio, quæ certa opponitur nõ est incerta.*

Certitudo & Incertitudo non possunt afficere duos terminos cõtradictorios.

HANC doctrinam, quâ in Sacramento Pœnitentiæ administrando utitur Augustinus, ad alia Sacramenta Theologi prudentissimè extendunt. Vt eodem modo de Baptismo philosophentur ab eodem manuducuntur Augustino. qui *tom.6. lib.1. de adulterinis coniugiis, cap.6.* Catechumeno sensibus destituto iubet administrari Baptismum, quia *non scitur, quòd sit male dispositus.* Eius verba subscribo. *Catechumenis ergo in huius vitæ ultimo constitutus, si morbo, aut casu aliquo oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant petere tamen baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis, quod eorum in fide Christianâ, iam nota voluntas est, ut eodem modo baptizentur, quod baptizantur infantes.* (Et infra) *Si voluntas eius incerta est, multò satiùs est nolenti dare, quàm volenti negare*; & cap.28. *Ego non solùm alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium coniugiis copulati, retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum; tamen, si desperati;*

DE BAPTISMO.

N. B. His Augustini verbis optimè probatus, moribũdum sensibus destitutum, qui nullo signo externo absolutionem petiit, nihilominus debere absolvi: quia in fide Christianâ iam nota voluntas est.

Quid, si adulteri sint?

desperati, & intra se pœnitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut hoc etiam peccatum lavacro regene-
467 *rationis abluatur. Quis enim novit utrùm fortassis adulterinâ carnis illecebrâ usque ad baptismum statuerat detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerint, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet.* Tametsi non nos moneret Sanctus Pater, omnia quæ de Baptismo dixerat, possemus Sacramento Pœnitentiæ appropriare. Sed modò id securius præstabimus; nos enim ipse monet, his verbis: *Quæ autem baptismatis eadem reconciliationis est causa; si fortè pœnitentem facienda vitæ periculum præoccupaverit. Nec enim ipsos ex hac vita sive arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia.* Nota verba vltima. Non enim hanc esse opinionem suam asserit Augustinus, sed sic velle, immò sic debere velle nostram Matrem Ecclesiam. Suadet ne differatur Pœnitentia; & meritò: sed illo ævo etiam differebatur Baptismus. Quanto autem hoc periculo? Timannus Gesselius *in Hist. ad ann.* 337. [Constantinus morti vicinus, vt habet Eusebius, & Ambrosius etiam in Oratione funebri Theodosij testatur, baptizatur. [a] quod & filij illius imitati sunt: nam Constantius in agone ferè voluit baptizari: Constantinus & Constans interfecti sunt antequam baptizarentur. Idem affirmat Baronius ex Ambrosio de Gratiano & Valentiniano Imperatoribus, &c.] Hodie, ut occurratur huic periculo infantes, cùm primùm possunt, baptizantur. Et consuetudo transivit in legem, & obligat sub mortali. Ita Leander *part.* 1.*tract.* 2.*disputat.* 5.*quæst.* 13. *pag.* 23. qui citat Sotum, Tabienam, Bellarminum, Henriquez, Fillīucium, Ochagaviam, Pesantium, Dicastillum, &c. & plures alios posset, nam est sententia hodie communis. Dicendum igitur est baptizandos infantes esse, cùm primùm possint. Sed difficultas est in exponendo illo *cùm primùm.* nam hodie de diebus disputatur. Iuvat nos Petrus de Ledesma, qui *cap.* 7.*de Baptism.in fin.* prudentissime scribit: *Peccan mortalmente los Padres, quando dilatan el bautizar sus hijos pequeños por largo tiempo fuera del uso y de la costumbre, o constitucion; que ay en la Iglesia, o en el Obispado. Lo que se dize de los Padres, se ha de dezir de aquellos, que tienen los niños a su cargo, quando no tienen Padres. Llamase largo tiempo, el que los hombres discretos y prudentes juzgaren sêr largo, y demasiado. Quinze o viente dias sera muy largo tiempo, conforme a lo que se vza en la Iglesia. De suerte, que sera peccado mortal dilatar el Bautismo por mas tiempo, si no huviesse alguna urgente razon.* Cui sententiæ videntur universi subscribere. Vide Dianam *part.* 9.*tract.* 6.*resol.* 1.

Responderet affirmativè S.Pater: quis enim novit utrùm fortassis adulterinâ carnis illecebrâ usque ad tempus, quo deberet confiteri, & nō ulteriùs detineri statuerat?

Olim Baptismus magno cum discrimine in mortis articulum differebatur.

a] Baronius cum communi sententiâ asserit Romæ Constantinum à Sylvestro Papâ fuisse baptizatum.

An debeant infantes cū primū possint, baptizari?

An differre Baptismum sit mortale?

Consuetudo obtinuit ut intra quatuor, vel sex dies baptizentur infantes.

Eadem Augustini doctrina observatur passim in Confirmationis Sacramento: non enim Episcopus examinat, an adulti, qui ad chrisma suscipiendum accedunt, aut sint confessi, aut actum contritionis elicuerint, sed eos bonâ inungit fide: supponens illos esse rite dispositos, *oppositum enim non scit.* Mazedus *in Opere de Clavib. Petri, lib.* 4. *cap.* 4.*pag.* 27.. *a.* sicut Augustinus de absolutione, ita de Confirmatione discurrit. [De illis, ait, qui aliquando usum rationis habuerunt, nemo dubitat, quin confirmandi sint, uti docet Suarez & Layman citati, cùm præsertim non constet eos in peccato mortali esse, in dubio autem præsumitur eos non esse in peccato.]

De Confirmatione.

Quid requiratur in adulto, ut possit ei conferri Confirmatio? Suarez *disp.* 35. Layman *c.* 5.

De Pœnitentiæ Sacramento iam dixi: absolvi, ut docet Augustinus, ille potest, *quem esse male dispositum Confessarius non scit.*

De Pœnitentia. *Vide quæ sub initium dicebantur.*

In Eucharistiâ eadem ratio procedit. Neganda est publico peccatori: at bene considerandum est, quis debeat, aut possit publicus peccator censeri; in quo multi possunt errores ab incautis committi. Non est certò impœnitens, qui in articulo mortis, quantum permittit tempus aut confitetur, aut signa contritionis exhibet. Leander *part.* 2.*disp.* 7.*quæst.* 55. *pag.* 125.*a.* [Si peccator publicus sit in articulo mortis, satis erit, si pro temporis oportunitate aut necessitate, vel confiteatur, vel signa contritionis exhibeat; quia tunc temporis propter periculum & urgentem necessitatem non est maior diligentia exhibenda, quam (quæ) commodè exhiberi possit: & alioqui de quolibet fideli præsumendum est, in eo articulo facere, quod potest, ut se bene disponat. Ita Suarez *disput.* 77. *sect.* 2. Villalobus *tract.* 7. *diff.* 38. *num.* 1. & alij. Quid autem agendum est in dubio? Poteritne, aut debebit Sacerdos negare Eucharistiam homini, de quo dubitat, an peccator sit? &, si esse peccatorem sciat, dubitat tamen, an publicus sit? Leander *ibid.quæst.* 58. [Respondeo nullo modo esse illi negandam, *quia in pari causa & delicto melior est conditio possidentis* [a] *suam libertatem.* Sed sic est, quod huiusmodi peccator possidet in dicto casu suam libertatem accedendi ad hoc Sacramentum. Ergo non est illi denegandum.] Et citat Ochagaviam *tract.* 1.*de Euchar.quæst.* 10.*num.* 4. Petrum de Ledesma *in summ. de Euchar. cap.* 12. Villalobum *tract.* 7. *differ.* 38. *num.* 5. Ludovicum de S. Iuan *q.* 7. *de Eucharist. art.* 8. *differ.* 1. *pag.* 166. Dianam *part.* 4.*tract.* 3.*resol.* 54. & addit, hanc esse doctrinam communem. Eam contrahit *loc.cit.* Villalobus, ait enim oppositum esse dicendum, *quando la sospecha fuesse tan grande, que haga certidumbre moral (que llaman los Iuristas* violenta præsumsumpcion, &c.) At in tali casu non esset dubium, & quæstio proposita cessaret. Ergo ubicumque de malâ pœnitentis dispositione, aut de publicitate eius peccati *certitudo (realis, aut mortalis) non sit,* Eucharistia debet administrari.

De Communione. *An neganda sit publico peccatori?*

Et quid, si in articulo mortis ipse sit?

An de quocumque Catholico præsumendum sit, quod velit sanctè mori?

An in dubio publico peccatori communio administranda sit?

a] Reg. 65. ex Canonico Iure desumpto.

468 *In dubio ministro peccatori communionem,* quia eū esse peccatorem non scio: & *in dubio, an sit publicus, etiam ministro,* quia eū esse publicū peccatorem non scio.

Avgvstinvm etiam sequimur in Extrema-Vnctione. Pueri, antequam libero fruantur arbitrio, ungi non debent: si autem doli capaces sint, hoc debent Sacramentum

De Extrema-Vnctione.

De Extrema Vnctione.
An, & qui pueri debeant illam recipere?

etsi nunquam confessi fuerint, aut communicaverint; quia maior discretio ad hæc Sacramenta, quàm ad Extremam-Vnctionem suscipiendam requiritur. Ita Hurtad. *de Sacr. Extrem. Vnct. diff.* 10. contra Sotum *in 4. dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2.

Quid in dubio faciendū sit?
Quid si dubitetur, an habeat liberum arbitrium.

Quid autem faciendum est in dubio? Si dubitetur, an habeat vsum rationis? debet ungi sub conditione, *si capax*, &c. Ergo hic sufficit *Non-certitudo*. Ita Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 169. *& part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 85. & ex eo Cotonius *in summ. verb. Extrema-Vnctio, num.* 16. Ita etiam Sancius *disp.* 27. *n.* 17. & Lugo *de Euch. disp.* 13. *sect.* 4. *n.* 41. & alij.

Quid, si dubitetur, an peccaverint?

Si dubitetur, an peccaverit? debet in dubio inungi, quia est probabilissima sententia, quæ docet non requiri, quòd peccaverit, sed sufficere, quod peccare potuerit. Ita Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resolut.* 172. *&* 181. *& part.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 6. Suarez *tom.* 4. *disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 10. Præpositus *in* 3. *p.*
469 *quæst. vnic. de Extrem. Vnct. dub.* 7. *num.* 6.

Et quid tādem, si dubitetur, an bene dispositus sit?

Et quidem Sancius, tametsi *disp.* 27. *n.* 18. oppositæ sententiæ adhæreat, tamen *n.* 28. asserit moribūdo, qui in articulo mortis baptizabatur, administratam Madriti anno 1620. fuisse Extremam-Vnctionem, tametsi nullum peccatum post Baptismum cōmiserit. Si in adulto de dispositione dubitetur, debet Sacramentum istud administrari, sufficit enim *non sciri*, *quod sit male dispositus*. Cotonius *in summ. loc. cit. num.* 19. [Immò etiam absque, eo quod confessus fuerit [b] ut, si ita morbus eum prævenerit, ut nec signa pœnitentiæ dare possit. Immò, quantum est ex ordine Sacramentorum, potest regulariter ungi peccator absque præviâ Confessione. Nam ad hoc Sacramentum dignè suscipiendum, ad summum satis est contritio, vel attritio putata contritio. Ita Filliucius *tract.* 2. *part.* 5. *cap.* 5. *num.* 114. Barbosa *de offic. Parrochi, cap.* 22. *num.* 36. Diana *p.* 5. *tract.* 3. *resol.* 92. &c.] Cùm autem Parrochus moribundum sensibus destitutum, qui hoc Sacramentum non petierat, inungit, procedit tutâ conscientiâ, *quoniam esse male dispositum non scit.*

b] Ergo in opinione illorum, qui moribundo sensibus destituto, &c. negant absolutionem, non potest negari Extrema-Vnctio.

Quæ dispositio ad hoc Sacramentum requiratur?

De Ordinis Sacramento.
Qui possint ad tonsuram admitti?

VIDERETVR Augustini doctrina non habere locum in Sacramento Ordinis propter Concilium Tridentin. quod *sess.* 23. *cap.* 4. eos solos admitti ad tonsuram permittit, *de quibus probabilis conjectura sit, eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

An, licitè tonderi possit, qui nolit ad Ordines majores ascenderet

Ledesma *tom.* 2. *tract. de Sacram. Ordin. cap.* 7. *conclus.* 2. hæc verba esse præceptiva supponens infert, eum, qui initiatur, ut fruatur privilegiis, Statui Clericali concessis, sine intentione Ordines majores suscipiendi, peccare mortaliter. Et consequenter deberet dicere, Probabilitatem positivam requiri, ut licitè ordines conferantur. Ego interim ab Augustino sto, & assero incapacitatem ad Ordines duplicem esse;

Requiritur duplex dispositio.

nimirum intrinsecam & extrinsecam: requirit enim susceptio altiorum Ordinum, ut susceptutus sit in gratiâ: & hoc tanquam intrinsecam dispositionem: & quòd non sit coniugatus, excommunicatus, irregularis, &c. & hoc tanquam dispositionem extrinsecam.

Externa examinatur, & interna supponitur.

De rebus extrinsecis, quoniam resciri possunt, fiunt informationes, & non sufficit impedimentum ignorari ab Episcopo. At verò de indispositione internâ non formantur processus, supponit enim Episcopus eos in gratiâ, *de quibus contrarium non scit.*

Quo modò Concilij verba intelliguntur?

Argumentum ex Concilij verbis desumptum non urget, nam eius verba Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 7. *disput.* 31. *num.* 16. *&* 17. Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resolut.* 20. & alij esse hortativa asserunt, non præceptiva. Immò, si essent præceptiva, dicerent illam tunc positivam probabilitatem non ex naturâ rei, sed ex præcepto requiri.

470 *De Matrimonio.*

TANDEM Augustini doctrina locum habere potest in Matrimonio si fortè Sacerdos esse in eo Minister asseratur. Franciscus Sylvius *in* 3. *part. D. Thom. quæst.* 42. *art.* 1. & iterum *in Addit. ad* §. 5. *Enchirid. Petri Binsfeldij.* [Hæc ita sunt accipienda, vt secundum probabilem multis Authoribus opinionem Minister Sacramenti Matrimonij non alius sit quam contrahentes, nec alia forma, quam ipsorum verba. Cæterùm aliis non minùs probatis Authoribus meritò videtur, quod huius Sacramenti, sicut aliorum, Minister sit Sacerdos, eiúsque verba, forma.] Consonat Theologis Provincialis Concilij Coloniensis; Estio *in* 4. *dist.* 26. §. 1. *pag.* 73. Cano *lib.* 8. Guillelm. Parisiensi, & aliis. Audiri poterit Leander, *part.* 2. *tract.* 9. *disput.* 4. *quæst.* 10. *pag.* 230. *b.* tametsi contrahentes esse Ministros asserat, postquam multos Authores citaverat sic inquit. [Ex quibus alij oppositam (Sylvij) sententiam *improbabilem*, alij *nota dignam*, alij *temerariam* appellant: Ego verò solum *longè minus probabilem* cum Nuño *in* 3. *part. tom.* 1. *quæst.* 64. *art.* 6 *diff* 1. *concl.* 2. & cum docto P. Albiz *tract. de matrim. disput.* 2. *dub.* 5. appello: immò & cum Sanchez, cum ipse in Summario disputationis citatæ hanc nostram & suam sententiam *veriorem* tantùm appellet.] Et quidem, si Sylvij sententia esset vera posset Parrochus licitè Matrimonij Sacramentum administrare, etsi positivè non sciret sponsos esse in gratiâ, quoniam *contrarium non scire* sufficeret.

N. B. Contra Sylvij doctrinā militāt matrimonia, quæ ante Tridentinū validè sine Parochi præsentiâ celebrabantur: & quæ hodie in locis, in quibus non est illud admissū de facto validè celebrantur

471 *An pro Dæmonibus & animabus damnatis orandum sit?*

AB INTERDICENTIS præcepti Non-certitudine sui actûs honestatem S. Augustin. ut vidisti, deduxit: & eamdem omninò ratiocinandi methodum in multis aliis locis observat. Nam *lib.* 21. *de Civitat. Dei, cap.* 24. nec esse orandum pro Dæmonibus, nec pro damnatis animabus affirmat:

An, & cur pro viventibus orare possimus?

& rogatus, An pro præscitis orare quis possit, aut debeat? negat. Et, si scire velis, an pro Caio, qui nunc vivit, orandum sit? affirmat. Et cur an quia certò aut probabiliter opinatur illum esse prædestinatum? minimè non enim humanitùs potest prædestinatus à præscito secerni.

Futura solus cognoscit Deus.

Quoniam ipse Hipponensis Præsul *libro secundo contra Manichæos*, sic

Quando cõmittat temerarium iudicium? Est ratio ad orandum pro vivo, nõ dari rationẽ propter quã pro illo non orare debeamus. Daretur, si Deus eius reprobationẽ revelaret.

scribit: *Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cavere debemus, cum incertum est quo animo factum sit: vel incertum est, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet.* Ergo, si nescit Augustinus, An Cains prædestinatus sit, cur pro illo orat? Quia illum nescit esse præscitum. Eius verba sunt hæc: *Denique, si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licèt adhuc in hâc vitâ sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso.*

Vt sciamus sibi hanc morum Regulam præscripsisse, ubicumque S.Doctor de peccatis agit, præcepti certitudinem exigit.
472 Ipse itaque *lib.de fid. & operib.* cap.7. (habetur 34.*quæst*.2.) sic inquit: *Si Virgo nesciens viro nupserit alieno, hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera. Si autem sciat iam ex hoc incipiet ex quo cum alieno viro sciens cubaverit.* Ergo ut adulterium committatur, scientia & certitudo requiritur: ut non committatur, non exigitur, virgo certò sciat, virum, cui nubit, esse liberum: sed sufficit illum esse coniugatum non scire, nec maiori certitudine matrimonia celebrantur de facto: nam servatis omnibus diligentiis, quas Canones & Synodalia statuta præscribunt, hominem coniugatum vivente primâ ducere secundam vxorem, non rarò vidimus.

Excusatur virgo, quia nescit.

Interdum in nescientia fundatur matrimonij securitas.

S. Cyprianus.

HAnc sententiam habuit S.Cyprianus, & Scotus, quia ex illa S.Patrem defendit: ipse enim *in 4.dist.5.q.1.* asserit ab
473 Hæreticis baptizatos, si servata fuerit materia, forma, & intentio Ecclesiæ, iterum baptizandos non esse: & subiungit, *Nec obstat de Cypriano Martyre, qui aliter sustinuit: quia non fuit hoc punctum suo tempore definitum. Et ideò non peccavit nisi venialiter, nimis persistendo in hâc Opinione, nullâ authoritate vel ratione cogente, quamvis oppositam sententiam paratus esset affirmare, si Ecclesia determinaret.* Ergo Cyprianum non excusat à peccato ratio aliqua cogens, quæ pro sua sententiâ militabat, sed excusat non fuisse certitudinem ex parte contraria: non enim erat materia, in quâ Mathematica aut Scholastica demonstratio suppeteret, & ideò Certitudo solùm poterat provenire ab Ecclesiâ. Ergo Cyprianus teste Scoto discurrebat hoc modo: *Non habeo certitudinem partis contrariæ, nam nihil definivit Ecclesia: Ergo tuta conscientia ab Hæreticis baptizatos potero rebaptizare. Mutabo dictamen, si forte olim contrarium definierit Ecclesia.*

An baptizati ab Hæreticis debeant rebaptizari.

Oppositum S Cyprianus tenuit.

An & cur à mortali excusetur?

Ideò opinionem ille suã tuta consciẽtia sequi poterat, quia opposita non erat certa.

S. Bernardus.

474 MEum Mellifluum Doctorem libentissimè lego, & semper ab eo aliquid disco; nam polluit fœlicissimo ingenio, & fuit in difficultatibus obscuris divinitùs illuminatus. Assero itaque Bernardum rejicere sententiam, quæ ad conscientiæ securitatem Probabilioritatem requirit: & addo, illũ non cognoscere transgressionem & culpam, ubi præceptum non est certum.

Quantus D Bernard. sit.

Quid ille sentiat.

Vt prius illud persuadeam, producam testimonium *ex lib.de precept.& disp.c.20.* ibi enim lego: *Tutius tuam sine dubio ad id, quod putasti melius, sequutus es conscientiam, quam si in priori bono & loco contra conscientiam permaneres*, quamquam *securè id posses* Ergo, licet ego cognoscam, quænam sit tutior & melior opinio, potero asserente Bernardo relictâ tutiore & meliore eligere minùs tutam, & minùs bonam: sive quod idem impræsentiarum est, ergo licèt ego cognoscam quænam sit probabilior sententia, potero illâ neglectâ eligere minùs probabilem.

An iubeat, ut sequamur tutiorẽ aut probabiliorẽ Opinionem.

Vt autem persuadeam posteriùs, ob oculos Religiosum proponam, in quo S.Bern. 475 duas diversas possessiones reperit & dilucidat. Et in primariâ possessione liberum arbitrium, & in secundariâ Regulâ S Bened. & ideò exclamat: *Prælati iussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec enim ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi, vota mea nec augeat, sine meâ volũtate, nec minuat sine certa necessitate.* Et cur non augeat? Quia est in possessione antiqua mei arbitrij libertas. Et cur non minuat? Quia est in possessione voti observandi necessitas. Ecce S Doctor, ut obstrictus censear certam obligationẽ postulat: &, ut obtinere possim dispensationem, certam postulat necessitatem. Hæc habet S.Doctor *lib. cit. cap.*10. & *in cap.*9. dixerat *Si professo secundum illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentaverit, quod non sit secundum Regulam, aut etiam, quod non sit secundum istam (Instituta verbi causa Basilij, Augustini, Pachomij) quænam mihi quæso in hâc re necessitas imminet obsequendi? Solùm à me posse exigi arbitror, quod promisi* Et nullus ligneus Iudex pronunciabit, ut ego certò solvere debeam, si debitum probabile sit. Vnde in eodem libello ait, *Quod probari (plenè) non potest mihi (iuxta meam sententiam) infectum (non factum) est.* Ergo *preceptum, quod plenè probari non potest, latum non est.* Ergo *promissio, quæ probari plenè non potest, facta non est.* Ergo *dispensatio, quæ plenè probari non potest, concessa non est.* Et omnes hæ consequentiæ sunt civiliter veræ & ex S. Doctoris verbis necessariò inferuntur.

An causam certam ad valorem dispensationis requirat?

N. B. Monachi Benedictini non profitentur, absolutè, sed secundũ Regulam tantũ Superiori obedire.

An etiam præceptum certum ad obligationẽ S.Doctor requirat.

Quod probari non potest, mihi infectum est. Ergo aut nõ dantur, aut inutiles sũt informationes semiplenæ.

Cap. 9. num. 19. hanc Conclusionem proposuerat. *Prælato iubenti ea, quæ sunt certo contra Deum, obediendum non est.* Et illam his verbis dilucidat. *Sive enim Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. Quod si contigerit, pergendum indubitanter consilio in Petri sententiam*; quia obedire oportet Deo magis quam hominibus, *Actor.* 5. *cap.* Et posteà numero 21. probat hanc, *Prælato præcipienti, quæ non sunt certò contra Deum obediendum est* his doctissi

Quid debeat facere subditus, cui præcipiũtur, quæ sunt certò & manifestè contra Deum?

Et quid ille, cui præcipiuntur dubia, quæ non certò & manifestè sunt contra Deum? Quid, si errori fuerint? Subditus obediendo nō errat.

doctissimis verbis: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omninò accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim interest, utrum per se, an per suos Ministros, sive homines, sive Angelos hominibus innotescat* (notificet) *suum placitum Deus. Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es, præsertim cum teneas de Scripturis*, Quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirunt: quia Angelus (Nuncius Interpres) Domini exercituum est. *Requirunt, dixerim, legem, non quam vel authentica ulla Scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit (de huiusmodi quippe, nec preceptor exspectandus, nec prohibitor auscultandus est.) sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, Veruntamen Deus, sic aut aliter fortè velit, si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore Angeli* [Nuncij, seu Interpretis) *Domini exercituum certum reddatur. A quo denique Divina potiùs consilia requiruntur, quàm ab illo cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus.*

Malach. 2. b.

ἄγγελος, ut S. Greg. testatur, officij nomen est, non naturæ.

Non suo, sed Dei nomine Superiores imperant, ferunt leges, & sententias pronunciant.

477 *Quid requiritur, ut aliquid certum vocari possit?*

Considera illa verba, *quod non sit tamen certum.* & *de rebus dubiis*, & *conscius non es.* & *quod ita latere aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium*, &c. Et hinc collige, quæ in Mellei Doctoris Lexico vocentur *certa*, & quomodo ab *incertis*, seu *dubiis* distinguantur. Sunt enim ex Fide certa, quæ Divina Scriptura tradiderit, & sunt à ratione certa, quæ ratio manifesta probaverit. Et tunc propositio aliqua dicitur manifestè probari, cum tam certa redditur, ut opposita sit improbabilis. Ita Verricellius *quæst. Moral. tract. 2. quæst. 13. pag. 63.* Suarius *de Relig. tom. 4. lib. 4. cap. 15. num. 21.* Hurtadus *de Matrim. disputat. 10. difficult. 9. num. 37.* Cajetanus *in Summ. verb. Opinionis usus, num. 2.* & ego *suprà, artic. 1. § Rem uno verbo.* Videant ergo Iuniores, quam temerè certa esse ducant, quæ nec in sacris sunt Scripturis revelata, nec reali aut morali demonstratione persuadentur. In omnibus ergo, quæ non sunt ita certa, asserente Bernardo, debet subditus obedire. Ergo ubi est *Non-certitudo* de Divinâ inhibitione, potest Prælatus præcipere; non enim tenetur obedire subditus in his, quæ Prælatus jubere non potest. Ergo in eâdem *Non-certitudine* potest operari Prælatus; quia enim *Præsulis exemplo totus componitur Ordo*, omnia, quæ Abbas potest suis Religiosis præcipere, potest & ipse facere.

Assertio, quæ contra dicit certa est improbabilis.

Sæpe Iuniores summâ temeritate certa dicūt, quæ ne quidem probabilia sunt.

Ea, de quorū malitiâ est Non-certitudo, Superior potest iubere & facere.

S. Thomas.

Eadem est SS. Thom. & Bonavent. sententia.

EOdem prorsus modo fuisse philosophatum S.Thomam asserit D. Antoninus Reg. 4. ubi Quodlibet. & quo passim Iansenistæ abutuntur, exponens: inquit enim, *Hæc autem verba D. Thomæ non possunt intelligi, nisi de his ubi manifestè patet ex Scripturâ, vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei & non de illis intelligit, ubi non apparet* (manifestè videlicet) *aliàs sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum.* Ergo ad SS. Thom. & Antonini mentem, ut aliquid dicatur esse peccatum, debet patere manifestè esse contra legem Dei: & ubi id manifestè non patet, peccatum inveniri non potest. Et quidem bene S.Thom. à D.Bonavent. exponi constat *ex quodlib. 3. q. 4. art. 10.* ubi habetur: *Qui ergo assentitur opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Ergo qui assentitur opinioni, quæ nec contra manifestum Scripturæ testimonium, nec contra Ecclesiæ militat authoritatem debet ab errore excusari. 478

Ut aliquid sit peccatū, debet manifestè esse contra legem.

DD. Vualenburchij.

PLacet post viros tantos Adrian. & Pet. Valenburchios, illum Adrianopolitanum, & hunc Mysiensem Episcopum, duos fortissimos milites, qui multas contra hæreticorum fraudes dederunt Ecclesiæ Romanæ victorias in aciem ducere; nam *in tr. gener. de controvers. Fidei, de Mission. c. 20. tit.* hunc præscribunt. *Axiomata indubitata apud omnes homines fidei, atque adeò naturaliter nota.* Et in corpore I. *Quidquid Deus mandat vel vetat, illud sine exceptione observandum est.* Hoc usque adeo est natura notum, ut ab atheis quoque admittatur, cum eâ conditione, Quod sit Deus. II. *Omnis lex ita præcipuè proponi debet, ut ab his quos obligat facile possit intelligi.* naturâ hoc quoque notum est: adeoque ab omnibus, qui agunt de probæ legis dotibus inter eius requisita necessaria, numeretur *Perspicuitas.* Hinc in Decretum dist. 4. recepit Gratian. hæc verba Isidori: *Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis,* manifesta quoque, *ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat.* extr. de prob. c. 2. idem, de quâlibet Scripturâ asseritur: *Si obscurè loquatur, haberi pro non loquutâ.* Imperator Cod. I I. *Leges, quæ constringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debent.* III. *Quidquid non est perspicuè propositum, illud vim legis non habet.* Hypothesis hæc sequitur ex priore, adeoque & ipsa nullâ indiget probatione. IV. *Quæcunque dependent ab arbitrio alicuius hominis, illa sciri certò nequeunt, nisi is, in cuius sunt arbitrio, mentem suam declaraverit.* V. *Multominùs sciri possunt, quæ merè sunt arbitrij Divini, nisi tantùm ex Divinâ revelatione.* Propositiones hæ duæ ab omnibus admittuntur, ac nitūtur ipsâ essentiâ liberi arbitrij. Pertinet huc illud S. Pauli 1.Cor.5.11. *Quis hominum scit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Spiritus Dei?

479 *Quales fuint D. Vualenburchij.*

Obediendū est Deo.

Lex debet esse clara.

Ubi obscurè fortassis loquitur habetur pro nō loquuta. Ergo non obligat.

Actus interni sunt occulti, nisi per externos nobis manifestentur.

Quàm certa sit nostra doctrina?

Ergo indubitata & lumine naturali nota est nostræ Dialexeos doctrina quæ docet præceptum debere esse perspicuum manifestum & certum ut obliget: Legislatorémque ubi obscurè loquitur habendum pro non loquuto.

R. P. Petrus Maria Passerius.

480 *An PP. Prædicatorum Religio sit Scientiarum Emporium.*

MEritò, & immeritò PP. Dominicanorum Religionem, *tract. de Iust. & Iure. propos.* 2. Amad. Guimenius *Scientiarum Emporium* nominavit. Meritò, nam sicut in Emporio omnes divitiæ, quæ totâ regione dispersæ, congregantur; sic omnium scientiarum splendores, qui per Orbem literarium diffusi, in hanc doctissimam Religionem concurrunt. Immeritò: nam in Emporio Gazæ prostant venales: & tametsi aliquando viderimus venire non paucorum Theologorum sententias, & velut ceram voluntati Principum attemperari; non habet locum apud Patres Dominicanos hæc temeritas; utuntur enim Theologiâ generosâ, quæ nec venditur pretio, nec constringitur metu, nec spe dilatatur. Sunt Viri selectissimi, qui diu noctúque impallescentes charitas, omnes Scientias & Artes promoverunt, librísque eruditissimis in lucem missis Athenas orthodoxas ditarunt.

De Theologiâ venali.

De sanctâ & generosâ PP. Dominicanorum in resolvendo libertate.

An P. Passerinus nostra Dialexeos Fundamentum utatur.

At inter alios plurimos, quos unius Articuli brevitas non potest capere, recensendi sunt mihi nonnulli, quorum authoritate nostra Dialexis confirmatur: & inter ipsos primo in loco Reverend. P. Magister, Petr. Maria Passer. Procurator Generalis, quem Discipuli doctissimi, quos firmavit; & ingeniosissimi libri, quos in lucem emisit, reddunt amabilem & venerabilem. Et hic Fundamento de *Non-Certitudine* ubique utitur, ut Resolutiones suas in praxi certas esse persuadeat.

Sanè ille multos libros doctos & eruditos edidit: inter quos *de Canonica electione* disserit, ingeniosè & copiosè omnes Quæstiones, quæ ab Authoribus motæ, non paucas, quæ ab eisdem non tactæ, mira claritate & facilitate dissolvit. Huius Libri pars est, quæ anno..... Sede Vacante prodiit, & Electionem Summi Pontificis dilucidavit. Edidit etiam doctissimos Commentarios in Decretalium sextum, & alios Libros, qui summo applausu & utilitate leguntur. In *cap. Vt animarum, 2. quæst. 1. art.* 22. agit de ignorãtia Iuris, non quidem purè definitivi, nam hoc ab ignorantiâ non dependet: sed merè præceptivi; aut etiam mixti qua præceptiui: & supponens Dialexeos nostræ Resolutionem; sic inquit.

Ius est, aut definitivum aut præceptivum, aut mixtum. Vocatur autem mixtũ, quod simul est definitivũ, & præceptivũ.

Ignorantia Iuris dubij obscuri, & ignorantia facti sunt similes.

[Limitatur Regula, ut Iuris præsumatur ignorantia, si Ius sit dubium, & controversum, ignorantiam enim iuris dubij & controversi tanquam probabilem excusare, & æquiparari ignorantiæ facti senserunt Fel. *in cap. de quarta, n.* 27. *de prescr. cap... dec.* 10. *n.* 19. *&* 20. Rota *in una Romana de Salomonib.* 14. *Novemb.* 1575. *coram Seraph.* & *in Romana census* 27. *Iun.* 1580. *coram Lancetano*, & *decis.* 159. *n.* 10. *p.* 6. *recent.* Idem tenent post Innocent. *cap. Per tuas, n.* 2. *de Simon.* Cardin. *in Clem. fin. quæst.* 4. de Reg. Felin. *in c.* 1. *col.* 7. *de re iudic.* Navarr. *consil.* 7. *de Regul.* Fagnan. *cap. Quoniam, n.* 33. *de constit.* Et propterea licet regulariter non præsumatur ignorantia Iuris, hoc tamen non procedere in Iure valde dubio dixerunt Felin. *cap. de quarta, n.* 27. *de præscript.* Gloss. *ult. in l. si vir.* ubi Bartol. *n.* 1. *ff. de donat.* Rot. *decis.* 214. *n.* 5. & *dec.* 561. *p.* 1. & *dec.* 132. *n.* 7. *p.* 2. *divers.* & *dec.* 662. *p.* 2. *n.* 2. & *dec.* 360. *n.* 8. *p.* 6. *recent.* ubi, quod ratione difficultatis materiæ; & quia sit controversa Iuris intelligentia potest esse, & præsumi in aliquo probabilis ignorantia.]

An ignorantia Iuris præsumatur?

An, & quãdo probabilis ignorantia excuset?

Quæ voluntaria, non excusat.

Vocatur autem ignorantia probabilis quoad se, quæ rationem aliquam probabilem comitatur: & ut audiat probabilis, debet esse invincibilis; non enim excusat, quæ est libera seu voluntaria: quando quis ignorat quia vult; puta, si vel libros vel Magistros habet, quos consulat, & non vult aut illos legere aut istos audire. Vnde pergit P. Passerinus, & ait: [Ignorantiam Iuris dubij non excusare quando possunt consuli peritiores, habetur *ex l. Regula, vers. sed iuris ignorantia, ff. de iur. & fact. ignor.* Specul. *in tit. de sum. Trin. num.* 6. Barb. *consf.* 18. quos sequitur Fagnanus *cap. quoniam, num* 49. *de constit.*]

Quæ iura esse dubia dicantur?

Existimatur autem Ius posse esse dubiũ, quando habet non parvam mixturam facti, de quo potest adesse ignorantia. Rota *decis.* 159. *n.* 13. *p.* 6. *recent.* Item si contineat verba ambigua, & quæ diversum possunt habere sensum, & non nisi ex regulâ dubiâ suscipiunt interpretationem: Sic eadem Rota *ibid. num.* 11. dixit ignorantiam iuris valde dubij procedere ex ipsa subscriptione scripturæ, quia subscribens censetur approbare omnia contenta in scripturâ, regula non est vera nisi subscribens sciverit omnia contenta in Scriptura, & tamen negari non potest, quin sub hac conclusione cadere possit aliqua dubietas. Pariter ius dubium est, si super eius intelligentia sint diversæ & contrariæ sententiæ, unde in eo præsumitur ignorantia probabilis, qui aliquam ex probabilibus legis interpretationibus, quam ipse veram existimat, amplexus fuit. Ideò Rota *decis.* 662. *n.* 7. *p.* 2. *recent.* dixit illius ignorantiam fuisse probabilem, & talem esse præsumendam, qui, sicut prius decideraт Rota coram Lancelloto, crediderat testamentum quoddam fuisse validum, & validam pariter cuiusdam institutionem.

An qui subscribit, omnia approbet, quæ continentur in Scriptura?

Quando de eiusdem legis sensu diversa dantur Opiniones probabiles, veri sensus ignorantia est probabilis.

An ubi plures Opiniones sunt, inculpabiliter nesciatur Veritas.

Pergit ulteriùs: & quæstiones proponit & edisserit, quæ de Iuris existentiâ ab Scolasticis moveri solent: unde sic infit. [Hîc distingui debet error probabilis ab ignorantiâ probabili, sicut & triplex dubium, quòd hîc potest contingere, nimirùm primò, *An lex sit?* Secundò, *An sit valida?* tertiò, *An hunc vel alium sensum habeat?* Vbi enim circa huiusmodi dubia sint de facto variæ opiniones probabiles, ut tales approbatæ in foro externo, non potest præsumi ignorantia culpabilis, si aliquis secundum aliquam ex illis opinionibus operatus

ratus

ratus fuit.] Neque tamen approbo, quod unusquisque laboret ignorātiā inculpabili, si ubi sunt plures opiniones circa legem, quamlibet ex illis sine examine illarū amplectitur, ex eo solo quod ab hoc, vel illis Auctoribus iudicata fuit probabilis; quod est ex solā fide humanā velle se dirigere; quod est illicitum ei, qui tantum hominis habet, ut ex principiis intrinsecis, & regulis Iuris naturalis aut positivi possit veritatem diiudicare. Nec enim potest dici eius ignorantia invincibilis, qui facili studio, si veritatem velit examinare, potest cognoscere ex duabus opinionibus contrariis unam falsam esse, vel certè notabiliter valde minùs veram & tutam. De quā re multa scripsi, *de stat. & offic. hom. tom.*1. *quæst.*186.*ar.*8.*inspect.*3. *a num.*236. & *pag* 691.] Hæc doctrina certissima est: & habet locum in quæstionibus facti; sæpe enim in illis ad certam Veritatis notitiam devenitur: nam, si dubitetur, an in Ascensionis profesto ieiunare debeamus, debet consuli Calendarium, cuius indubitata erit responsio. Cæterùm, si investigetur, An octo unciæ in collatione sumere possit, qui ieiunat? cùm sint diversæ Theologorum sententiæ, adlucebit hinc inde Veritas, non autem certò cognoscetur.

An, & quis sine examine possit, aut non possit amplecti quamcūque Opinionem probabilem?

Non excusat Probabilitas, aut ignorantia, ubi veritas certò potest cognosci.

An ab intrinseco possit esse improbabilis sentētia, quæ ab extrinseco probabilis est?

Sanè in Opinionum delectu, aliter Viri docti, & aliter indocti tenentur. Hanc sententiam nos docet idemmet Passerinus his verbis. [Nihilominus considerari debet; quod multæ, sunt circa intelligentiam Iurium opiniones, quæ ex principiis intrinsecis manifestè sunt improbabiles, & facili negotio à quocumque vel mediocriter perito, ut falsæ cognosci possunt. Ideò in Iurisperito, vel docto homine, vel Iudice, aut alio Officiali non præsumetur probabilis ignorantia, vel error circa intelligentiam legis, ex hoc quod sequutus sit huius, vel paucorum DD. interpretationem satis clarè verbis, & menti Legislatoris repugnantem; huiusmodi enim error imprudenter voluntarius est. Ideò si quis in praxi sine solido fundamento, & sufficienti, relictis communibus opinionibus, & approbatis, singulares sequivelit robore praxis destitutus, si contra legem agat, tenebitur se defendere, & rationabilitatem sui facti probare; quia potius in contrarium erit præsumptio, vel temeritatis in opinando, vel singularis, & crassæ cuiusdam, vel etiam affectatæ ignorantiæ.]

Opiniones, quæ claro verbis & menti Legislatoris contradicunt, etsi aliquorum Doctorum sint, non censentur Probabiles.

De Iure Iustitiæ, & Iure legis. An, & quo modo distinguantur?

Distinguere etiam opus est *Ius Iustitiæ*, cui quilibet renunciare potest, & *Ius legis* obligantis ad agendum iuxta illius præscriptum. Non enim de facili præsumitur ignorantia Iuris sui in aliquo, ut dictum est, & propterea Rota coram Seraph. *dec.* 1459. *num.* 14. docuit, quod de illis, quæ concernunt interesse plurium, præsumitur Scientia, vel eos fuisse in crassā, & supinā ignorantiā, quæ etiam in multas personas vix potest cadere, nisi sit dolosè affectata. Et nihilominùs ex hoc etiam facilius est, quod ubi Iuris sunt plures interpretationes, faciliùs unusquisque innitatur etiam irreprehensibiliter illi parti, quæ sibi favet: Quia bonum utile insensibiliter intus operatur, ut quæ favent utilitati, appareant magis; & sic magis urgeant ad sui assensum; & ex aliā parte, si quis velit sequi illam partem, quæ minus sibi favet, si in hoc decipiatur, præsumptio erit pro involuntariā deceptione, & ignorantiā.] Et quia hac doctrinā abutuntur nonnulli, cùm agitur de observantia legum: legem cum D. Thomā à ligando dici, supponens, non esse legem, quæ non ligat, statuit: inquit enim. [Circa leges considerandum est, quòd cùm lex obliget ad sui observantiam, obligat quoque potiùs ad sumendam illam interpretationem, quæ favet observantiæ legis, & ad non discedendum ad oppositum nisi ex prudenti deliberatione.]

Rarò ignorantur, quæ multas personas concernunt.

An Opinio favorabilis sit eligenda?

An, qui minùs favorabilem sequitur, censeatur decipi?

An actu ligare sit de essentiā legis?

Porrò duæ quæstiones circa valorem Iurium & Legum possunt excitari. Altera, *An in ipso initio habuerit lex omnia requisita, ut fuerit valida?* altera, *An lex, quæ fuit reverā valida, ob aliquam supervenientem circumstantiam sit invalida?* Et priorem decidit P. Passerinus his verbis. [Ubi dubium est, ān Ius sit validum, si dubium sit de Iure privatæ Iustitiæ, ut de validitate contractûs, aut testamenti, aut legati, & sit dubium positivum, & rationabile, quia ex utrâque parte sunt rationabilia motiva, locum habere poterit præsumptio ignorantiæ probabilis, cùm de facili contingere possit, & contingat sæpè, quod huiusmodi Iura sint invalida, & quod partium unaquæque adhæreat etiam prudenter illi parti, quæ sibi favet.[Posteriorem autem his. [Ubi dubium est de validitate legis, si constat de lege, præsumptio est pro legis validitate. Semper enim præsumptio est pro Principe, quod iustè agat & præcipiat. Si tamen dubium sit positivum, quia res est controversa, & est probabile legem esse, vel de materiā iniustā, vel à non habente iurisdictionem, vel ex aliā causā inducente nullitatem, an lex obliget, multi tenent subditum non teneri obedire, quod tamen ita universaliter dictum reprobavi *de stat. & offic. hom. tit.*1. *quæst.*186.*art.*8.*insp.*3.*quæst.*4.*n.*291. *& leg. pag.*711. ideò huius Iuris controversi dari poterit præsumptio ignorantiæ probabilis. Nam & hoc est considerandum, quod id, quod verè est minùs probabile, potest videri probabilius: & potest contingere, quod quis credat verius esse, quod in hoc dubio probabili non sit necesse obedire.]

Succurrentes Quæstiones circa valorem legum.

De Iure dubio.

Lex non certa non obligat.

Si lex sit publicata, & pacificè acceptata, habuisse omnia ad valorem necessaria præsumitur, nisi suadeatur contrarium.

An, quod minùs probabile, possit videri probabilius.

Omnia hæc viam præparant, ut mentem doctissimi Viri adsequamur: nobiscum enim ipse pro libertate operandi, à possessione argumentum desumit, & sic ratiocinatur. [Ubi est dubium, an lex sit, vel non sit, possessio stat pro libertate subditorum.] Monet tamen, hoc dubium non posse habere locum, quando lex est publicata legitimè. [Quoniam, ubi lex est promulgata iuxta stylum curiæ ad hoc ut obliget sufficit, quod divulgetur

Primum Moralium Resolutionum fundamentum, est *humanæ libertatis possessio.*

per fidem humanam, unde si ita diuulgetur, ut qui audit teneatur credere prudenter, iam lex non est dubia. Quantum tamen ad forum externum, & ad præsumptionem si constet de sufficienti divulgatione, præsumetur scientia legis, sicut idem erit, si communiter lex habeatur ut promulgata, quamobrem tunc solùm poterit præsumi probabilis ignorantia legis, si vel constabit, quod lex non sit divulgata, vel hoc præsumi debebit, vel aderit specialis aliqua circumstantia, quâ positâ præsumi debeat legem ab aliquo fuisse ignoratam.] Stat ergo P. Passerinum nobiscum, ut decidat Controversias Morales, ad possessionem libertatis recurrere.

De legis notitiâ.

Quando illa præsumenda sit?

Esse eum contentum Non-Certitudine partis contrariæ, constat ex his, quæ paulò antea produximus. Relege §. *Sanè in Opinionum delectu.* Et ibi nota illa verba, *Non præsumitur probabilis ignorantia vel error circa intelligentiam legis, ex hoc quòd sequutus sit huius vel paucorum Doctorum Interpretationem satis clarè verbis & menti Legislatoris repugnantem.* Ergo præsumitur (censetur, iudicatur) probabilis ignorantia vel error (adeoque sufficiens, ut in conscientiâ operantem excuset) circa intelligentiam legis in eo, qui sequutus sit interpretationem; non certò, aut satis clarè verbis & menti Legislatoris repugnantem.

Secundum fundamentū, ast partis oppositæ Nō-Certitudo.

Lex, ut obliget, debet esse certa.

Similia nos docuerat *in cap. ut animarum 2. de const. quæst. 1. art. 10. num. 220. pag 118. a.* dicens. [Advertendum est, quòd ubi consequutio præcepti particularis ad prima Principia Legis naturæ non est evidens nobis & certa, ex hoc potest faciliùs probabiliter opinari, quod tale præceptum non obligat. Inde est, quod ex hac causâ nunc in quàm plurimis materiis opposita sentiunt Doctores de similium præceptorum obligatione.] Unde concludit. [Verum est, quod Lex naturæ in omnibus suis præceptis non est nostræ inbecillitati adeò clara & manifesta, ut non sit exposita disputationi: & ita, ut propterea non sint dabiles Opiniones probabiles ad utramque partem.]

Præcepta secundaria, quæ ex Primis deducūtur, nisi certò & manifestè deducantur, non obligant.

An, & cur non omnia obligent Legis Naturalis præcepta.

Ecce (rebus omnibus consideratis) necessario dicendum est, Reverendiss. P. Petrum Mariam Passerinum Theologicas suas Resolutiones duplici fundamento substruere: nimirùm, *libertatis humanæ Possessione*, & *Non-Certitudine Partis contrariæ.*

Conclusionū conclusio.

Illustriss. D. Petrus Franc. Passerinus.

QVi dubitet, an humaniores & politiores literæ sublimioribus cohærere possint, legat, quæso, erudita Illustrissimi D. Passerini Volumina, in quibus Musæ eloquentiæ floribus Iurisprudentiæ & Theologiæ severas Decisiones exornant. Volo etiam nunc inquirere, *An sit à nobis tantus vir?* Si enim hæc nostra Dialexis illius authoritate roboretur, habebit unde æmulationem & invidiam despiciat.

An cum severioribus Scientiis possint floridiores coniungi?

Aperio igitur doctissimum illum Tractatum, qui de Ecclesiarum differit Pollutione, & quia *disp. 10. cap. 20.* ut examinet, quid de Ecclesiâ in dubio iudicandum sit, expendit doctrinam de Opinione Probabili; multa in illo erudite & curiosè decidit. Et propter alia *num. 41. pag. 47. b.* ponit Titium ob oculos, qui dubitat, *An talis actio sit interdicta?* Et quia in eo ante examen, hoc dubium est practicum; &, si post debitum examen remaneat, est tantummodo speculativum, ut hanc differentiam nos medullitùs doceat, hanc contra se Obiectionem proponit. [*Illa possessio libertatis humanæ, quæ præcessit dubium licitæ actionis, & ad quam operari volens reflectit, iam est nulla, quia per dubium practicum subsequens ablata est. Ergo non potest ad illam reflectenti, & quasi illam invocanti suffragari. Ergo in dubiis, cùm cesset possessionis ratio, recurrendum erit ad partem tutiorem.*] Et statim [*Respondeo*, inquit, *prædictam* (libertatis) *possessionem* (antequam examinetur, an ille actus, quem Titius elicere vult, sit interdictus) *verè esse impeditam, ut dictum est, in actu ipso actualis & practicæ dubitationis* (qui enim dubitat, tenetur rem examinare; & si ante examen operetur, operabitur temerè, & ideò non poterit à libertatis possessione iuvari: unde addo tunc in Titio operandi libertatem) *dormire, non tamen mortuam esse: unde nego illam impeditam esse extra illum dubitationis actum* (nempe, extra actum dubitationis de re non examinatâ) *in alio enim actu* (quando, videlicet, re providè examinatâ non, reperitur Veritas, sed adhuc manet dubium) *illa possessio certa, quæ dubium præcessit, poterit esse novum motivum, movens me ad formandum hoc novum iudicium certum, quod relicto dubio actuali & practico, mihi liceat libertatem illam possidentem sequi*, [Et hic doctè Veritatem Illustrissimus Dominus à Bonitate distinguit: in casu enim, hæc Propositio, *Hic actus est bonus*, est certa: hæc autem, *Hic actus non est interdictus*, habet veritatem incertam: nec me moratur incertitudo & dubium] *eo quòd dubium post Veritatis inquisitionem factum sit invincibile, & ignorantiæ inculpabili simile, quod proinde impedire moraliter non debet, quin ego operer aequè, ac si illud dubium nihil ampliùs esset, & nondum advenisset. Sed tunc licitè possem sequi possessionem meæ libertatis. Ergo etiam eam post tale dubium, & talem diligentiam* (inquirendi Veritatem nimirùm, si fortè reperire illam valeam) *sequi licitè potero.*] Hucusque Illustrissimus Dominus.

481 *D. Passerini liber De Ecclesiarum pollutione, laudatus.*

De Dubio Practico & speculativo.

N. B. Argumentatur in Obiectione Libertatē esse ablatam dicebat, quem loquendi modum nō pauci agendo de Morali sequuntur: at D. Passerinus, est enim Theologus oculatissimus, non auferri, sed impediri fatetur, & firmat ea, quæ *num. 79.* tradidimus.

Aliā, cuius Veritatem Licitum afficit. Bonitatem solo-nostat Certitudo.

Hinc ego in formâ eidem Obiectioni ad mentem D. Passerini respondebo. Obiectio erat: *Illa possessio libertatis humanæ, quæ præcessit dubium licitæ actionis, ad quam operari volens reflectit, iam est nulla, quia per dubium practicum subsequens ablata est.* Et ego ante solutionem intelligere volo, quid adversarius nomine *nullius libertatis* intelligat: quia præcerta, libertatem non extinguunt, aut tollunt, sed impediunt. Quamobrem, si velit dicere in casu moralem

482 *Cur iet vi dicantur nulli?*

Cur mancipia vocentur?

Quid libertatis nullius nomine intelligatur?

talem libertatem non esse: omnia negabo. Ergo, ut Adversarius in argumento pergat, eo sensu, quo servi dicuntur *nulli*, quod manucapti & impediti sint (& ideò *mancipia* vocantur) eo nos *libertatem nullam* intelligamus. Et ad Obiectionem redeundo, antecedens præmissum distinguemus dicendo. Libertas est nulla (est impedita, & quasi manu-capta) ante examen, & donec res examinetur, concedimus: est nulla, &c. post examen, subdistinguimus. Si ex examine constet, actum illum, de quo agitur esse interdictum, concedimus: si autem ex examine constet actum illum non esse interdictum, aut saltem non constet certò esse interdictum, nego. *Aliter.* Est & erit nulla (impedita, & quasi manu-capta) quamdiu duret illud dubium practicum de Bonitate actûs, concedo: erit nulla postquam deponatur hoc dubium, nego. Et addo duraturum dubium practicum, donec per congruum examen deponatur. *Ergo non potest ad illam reflectenti, &c. Suffragari.* Eodem modo distinguo. Non potest suffragari ante examen, concedo; post examen subdistinguo. Si ex examine constet actum illum esse interdictum, concedo; si autem constet non esse interdictum aut saltem non constet esse certò interdictum, nego.

Quid sit impedita, & quasi manucapta libertas?

Dubiū Speculativum de Veritate actûs semper remanet: Practicum verò de Bonitate actûs tollitur per examen.

483 Volo rem adhuc ampliùs dilucidare: & edisseram exemplum, quod D. Passerinus *num.* 40. posuerat. Dubito: an mihi in festo liceat pingere. In hoc dubio non unicum involuitur dubium. Primò enim dubito de Veritate huius propositionis, *Interdictum est pingere die festo.* Et hoc dubium D. Passerinus, & Doctores communiter, vocant *speculativum.* Hoc dubium afficit certa obligatio rem examinandi: & ipsum affectum certa hac obligatione, vocatur *dubium practicum.*

An liceat pingere die festo?

Quid sit Dubiū Practicum?

484 Et quia operari cum hoc dubio est temeritas, quia, *qui amat periculum, peribit in illo*, qui sic operetur, peccabit mortaliter. Ita & bene D. Passerinus, & apud eum Bresserus *de conscientiâ lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 17. Franciscus de Lugo *in Theol. Moral. part.* 1. *pravij discursûs cap.* 2. *quæst.* 1. *num.* 5. Bardus *discept.* 5. *cap* 2. *num.* 1. Sylvester, Corduva, Sanchez, Villalobus, Laymanus, Bonacina, Castropalaus, Suarius, Merolla, Baldellus, Lanfranchus, & alij. Ex quibus concludit D. Passerinus, *posse post adhibitam debitam diligentiam, ob aliquam rationabilem causam, deponere dubium practicè practicum* (de bonitate operationis) *licèt adhuc fortasse maneat dubium ipsum speculativum* (de Veritate interdictionis) *& inde formare iudicium certum de honestate eiusdem actionis* [a] *fortasse contrarium dubio speculativo* (de Veritate interdictionis) *adhuc permanenti in operante. Tale autem iudicium* (de bonitate operationis) *poterit esse proxima operationis Regula: cùm in nostris operationibus non teneamur operari iuxta iudicium, quod dicitur speculativum* (quod interdictionis Veritatem considerat) *sed iuxta practicum* (quod concernit operationis Bonitatem,) *&c.*

Eccl. cap. 3.

a] consultò illud *fortasse* posui, quoniã hæc iudicia, *Non est certum, quòd pingere die festo sit interdictũ*, & *Certũ est, quod pingere die festo sit licitum*, sunt de eodem subiecto, cõtraria in modo certitudinis, at *interdictio, & illicitas*, quæ passim à Doctoribus confunduntur, sunt res toto cœlo diversæ.

Sicut prudentissimè disposuerunt Imperatores, ut in contractibus, & in testamentis præcipuè, nonnullas circumstantias, quæ reverà fuerant dictatæ & scriptæ pro non dictatis & non scriptis esse habendas: sic Ius Naturale disposuit, ut in intellectu humano essent iudicia, quæ tametsi realiter existant, in morum humanorum regimine haberi debeant pro non existentibus. Talia sunt omnia iudicia incerta & dubia; quæ, ut plurimum rem examinandi obligationem inducunt; &, si post examen adhuc maneant (& manebunt, quoties Veritas inveniri non possit) debere haberi pro non existentibus. Id *ibid. num.* 4. *pag.* 42. explicat D. Passerinus doctissimè. [Cùm dubium dictamen, ait, moraliter sit nullum; quia cùm incertum sit [N. B.] non sufficienter dictat, quid agendum, vel non agendum sit: idcircò, ita se habet, ac si in rerum naturâ non esset. [a] Si abstrahatur ergo illud dubium, & reliquis, ut anteà manentibus, iudicetur, tunc semper bene iudicabitur. Sed nemo poterit non favere possessioni, quæ dubium præcessit,] deleto enim ab intellectu dubio, sola manet, quæ præcessit possessio.

485 *De circumstantiis, quæ debent haberi pro non positis, aut non scriptis.*

a] Dicitur res virtualiter non existere, quæ tametsi realiter existat, prudentum tamen suppositione & iudicio ita se habet, ac si reverà nõ existeret in rerum naturâ.

Ergo loquendo in particulari, & exemplum superiùs à D. Passerino positum iterum resumendo, introducamus Titium, qui loquatur sic. [Ego sum in meæ libertatis possessione. Vellem pingere. An insurgit dubium, an liceat? nam dies hodiernus festus est. Quid ergo faciam? Dicam. Dubium dictamen, moraliter est nullum: ergo illud dubium an liceat pingere die festo? moraliter est nullum. Et cur? Quoniam non certum est: Et ideò non debet sumi ut morum Regula; nec quod dictet, agendum aut non agendum est. Censebo igitur illud iudicium dubium non existere virtualiter: hoc est, ita se haber, ac si in rerum naturâ non esset. Auferam ergo à mente meâ illud dubium, & non certum iudicium, & reliquis, ut anteà, manentibus, iudicabo. Sed abstracto iudicio illo non-certo manet certa libertatis possessio: Iudicabo igitur pro libertatis possessione; pronunciabo, me posse pingere die festo; quia in hoc casu nemo poterit non favere possessioni, quæ dubium præcessit.]

486 *Quomodo in dubio vir prudens debeat ratiocinari?*

Iudiciũ dubium, aut non certum esse Regula morum non potest.

An, & cur debeat censeri non existere?

Clariss. D. Franciscus Verde.

EST Vir doctissimus; & in Europâ hodie celeber propter præclaros libros, quos in lucem emisit. In Neapolitanâ Vniversitate Vtriusque Iuris Laureâ cõdecoratus, quà publicè quà privatim doceat, numeroso Auditorum honoratur concursu, &c. Ipsi nostræ Dialexeos Protheorema est certum, & non semel assertum. Vnum aut alterum locum ob oculos Lectorum proponamus.

487 *Qualis sit; & quanto à discipulis accursu & applausu honoretur?*

In Positionibus Selectis contra Borgiam, *quæst.* 9. §. 7. *num.* 492. *pag.* 130. *b.* habet in margine. [Obligatio certa non oritur ex lege probabili.] Et in corpore, [Etiam patet præceptum non comedendi carnus

An obligatio certa oriri possit ex lege non certa?

carnes pro illo tempore erroris probabilis horologij, non esse certum: nam non est certum diem Sabbati, v.gr. adhuc durare, sed tantùm est probabile. Ergo non est certum, quòd tunc adsit præceptum non comedendi carnes, quod in tantum currit, in quantum est certum esse diem Sabbati. Deberet ergo Lugo clarè & evidenter ostendere adesse præceptum, &c.] Est liber editus ann. 1662. Ergo iam olim clarissimus D. Verde præcepti Certitudinem ad obstringendam conscientiam requirebat. Ergo eiusdem sententiâ, ubi non est præcepti Certitudo, ibi erit operandi libertas.

488 *De peccatis dubiis.*

Posteà *quæst.* 12. *part.* 1. interrogat, *An peccata dubia sint in Sacramentali Confessione exponenda?* quod est quærere, *An Dominus noster Iesus-Christus, cùm Pœnitentiæ Sacramentum instituit, præceperit, ut pœnitentes etiam peccata dubia confiteantur?* Ante responsionem *num.* 539. *pag.* 144. *a.* ait [Colligo illud esse in confessione explicandum, de quo id certò constet Iure Divino. Nec gratis, Christi fidelibus ponenda gravamina, &c.] Eligit negativam Caramuelis sententiam: & scribit in margine. [Lege dubiâ libertas certa non ligatur.] Et in textu. [Primum Principium est: *Onera non sunt imponenda, nisi certo constent.* Sed confiteri peccata dubia, est onus. Ergo non est imponendum nisi certò constet. Sed certè de tali onere non constat: Ergo. Minor patet: (1) quia multi de tali onere dubitant: (2) quia nulla est evidens demonstratio, nec lex, quæ tale onus imponat: (3) quia pœna certa supponit certam culpam; & gravis est iniuria, velle aliquem certam subire pœnam pro delicto, quod fortè non commisit, &c.]

An, & cur non debeant in confessione explicari?

Quæ & onera possint, & quando non possint imponi?

Obligatio in dubio non præsumitur.

Præterea *quæst.* 8. *coroll.* 93. *numer.* 456. *pag.* 120. *b.* [In dubio autem, an quis sit obligatus? non præsumitur obligatus.]

Tandem *Quæstionis* XII. *parte* V. agit de Legibus. Et, quia curiosas exhibet Resolutiones, & omnes meam doctrinam reponunt aut adfirmant, supponunt enim omnes legem, ut obliget, debere esse certam; incertam esse invalidam: & omnium probatio à possessione desumitur; quia stat pro libertate possessio. Quia, inquam, erunt, Ingenioso Lectori valde utiles, singulas breviter dilucidabo.

489 *Nemo tenetur obedire, ubi præceptum non est certum. Quid Ius ad libertatem sit?*

Paragraphus I. habet in margine. [*An standum pro libertate sit, quousque probetur obligatio?*] Et respondet in corpore. [Ius vel factum, quod inducit aliquod onus contra libertatem, in dubio non præsumitur. Ratio est: quia libertas & ius ad libertatem (hoc est, ius ad liberè operandum) est homini naturalis, & sic illo non est privandus propter ius non certum.] Ecce quàm exactè rem intelligit, & quam religiosè loquitur oculatissimus Vir. *Primò* enim tota Resolutionis ratio à libertatis possessione desumitur. *Secundò*, in libertate actus primus ab actu secundo distinguitur: sic enim illa verba, *libertatem & ius ad libertatem* intelligo. *Tertiò*, libertas tam physica, quam ethica (tam realis quam moralis) est homini connaturalis.

Libertas, vel est in actu primo, vel in actu secundo.

Etiã est vel realis, vel moralis est.

Petis. *An per præcepta & leges libertas humana tollatur?* Respondent aliqui, inter realem & moralem distinguendo: asseruntque, præcepta & leges hominem non reali, sed morali libertate privare. Hoc autem non est verum; nam homo, quando legem observat, & quando illam violat, moralem libertatem exercet. Alij subtiliùs subdistinguunt, & libertatis moralis actum secundum à legibus tolli asseverant, primum intactum relinqui: nam, ut dicunt, hæc lex Divina, v.gr. *Non occides*, non præcipit, ne possis occidere, adeoque non removet potentiam, sed actum. Sed neque hæc doctrina admitti debet; nam, si esset vera, nullum esset peccatum: qui enim peccat, in actu secundo moralem libertatem exercet. Et per consequens, nullus esset actus virtutis, qui enim aut consilium admittit, aut præceptum observat, etiam in actu secundo libertatem exercet. Et hanc ob rem Ego *superiùs num.* 79. & 801 nec morbis realem, nec præceptis moralem auferri libertatem asserui: Vtramque dixi quoad actum primum illæsam aut intactam relinqui. Subiunxi, eum, qui laborat chiragrâ nec in actu primo, nec in secundo scribendi libertate carere, at habere impedimentum propter quod, aut debeat ab scriptione abstinere, aut, si scribat, non nisi deformes realiter characteres describere: & ei esse similem, qui præpeditur legibus, nam illæ non auferunt libertatem, sed ligant (& ideò à lig[an]do dicuntur) non enim voluntatem actu primo aut secundo libertatis spoliant, sed obice iniecto præpediunt; ut, vel abstinere ab interdictâ operatione debeat; aut, si operetur, non nisi actus moraliter deformes eliciat. Hæc est doctrina vera & bona: quam D. Franciscus hîc illustrat, dicens legem, si certa sit, privare hominem iure ad libertatem. Quid autem est libertas? Cicero *in paradoxis*, ait: *Libertas est potestas* (Ius) *vivendi ut velis.* Florentinus *leg. libertas*, *ff. de statu hominum*, clariùs. *Libertas est naturalis facultas, eius quod cuique facere libet, nisi quod vi, aut iure prohibetur.* Collige ex illis verbis *vi aut iure*, tam realem, quàm moralem libertatem hîc à Iurisperito definiri. Et collige ex illis *facultas naturalis*, utramque (realem & moralem) esse homini essentialem & connaturalem. *In additam.* P. Manutius. *Latiùs etiam libertas diffunditur, cùm ius illud significatur, quod inter omnes cives æquum; nulloque fortunæ, neque dignitatis discrimine leges constituunt, ut omnes liberi sint, nemini quisquam præterquam legibus pareat.* Et nota, quæ in Cicer. 5. *in Verrem* leguntur, videlicet. *Nunquam ipsimet nobis præcideremus istam licentiam; libertatemque vivendi.*

An præcepta auferant libertatem?

An saltem auferant libertatem in actu secundo? 490

Quomodo leges humanam voluntatem præpediant, exemplo chiragræ, exactè, ut puto, declaratur.

Quid sit libertas?

An in Realem & Moralem dividatur?

An homines liberi sint, etiam cùm parent legibus?

An hæ saltem libertatem præcidant?

De libertate ut sic.

Quid, & quotuplex sit?

Ex his omnibus authoritatibus colligo, Libertatem universim sumptam esse potestatem faciendi quod volueris. Et quia materia,

materia, circa quam exercetur libertas, duplex est; realis, moralisque; etiam ipsa in Realem & Moralem dividitur. Moralis libertatis proprietas est ius operandi quidquid velis, nisi lege prohibearis. Ecce leges interdicentes [ego existimo rem totam faciliùs explicari, si omnia præcepta esse negativa dicantur: ita, ut, quæ vulgo *negativa* dicuntur, maneant: & quæ *positiva* præcepta actionis omissionem inhibere dicantur.] Ecce leges, inquam, interdicentes, tollunt libertatem moralem, nec præstant ut homo non possit operari moraliter. Quid ergo faciunt? Respondet D. Franciscus, Tollunt ius ad libertatem: hoc est, tollunt (vel, ut Cicero loquitur, præcidunt) ius ad operandum, ut velis: ita, ut debeas, aut non operari, aut iniuriè (contra ius) operari.

Ius est libertatis proprietas.

An sint negativa omnes leges?

491 *An obliget lex de cuius existentiâ dubitatur?*

Paragraphus II. interrogat, *An sit servanda lex, de quâ dubitatur, an existat?* Et D. Franciscus negativè respondet, & producit Fagundez, qui *præcept.4. Eccles. libr.1. cap.10. num.2. in fin.* utitur argumento Catholico, ut suam Desionem persuadeat. Asserit enim [favendum esse libertati, quæ fuit certa, & non est certum fuisse amissam.] Assentitur Diana, *part.4. tractat. 3. resolut.10.* cui Arriaga *part. 2. disp. 25. sect.2. subsect. 1.* adhærere videtur. [Hæc nostra intersunt. Interim doctissimus Vir, ne Lectorem notitiâ opportunâ destituat, monet Vasquezium *in 2. 2. quæstione 63. disputat.3.* Poncium *lib.10. de matrimon. cap.15. num.3.* Azorium, Navarrum, Angelum, Armillam, aliosque contrariæ opinioni subscribere.]

N. B. Hæ duæ propositiones Non est certum legem esse, & Certum est legem non esse, in regimine morum coincidunt.

492 *Non omnes solent comprehendere generalia præcepta.*

Paragraphus III. investigat, *Quid facturus sit dubitans, an ipse sub verbis præcepti comprehendatur?* Dubium istud supponit esse veram & indubitatam illam Iuris Regulam LXXXI. *In generali præcepto non veniunt ea (nec ÿ) quæ (& quibus) Superior non esset verisimiliter in specie præcepturus*, quam Prodromus II. Exponit. Et esse aliquas personas, quæ in generalibus Constitutionibus non comprehendantur, certum est: nam *in Diana Summ. verb. Cardinales, num.1.* Sic Cotonius scribit. [Cardinales ex Laudensi de Cardinal. quæst.62. & aliis non includuntur in generalibus Constitutionibus Pontificiis imponentes censuras & pœnas, nisi exprimantur. Nam Summus Pontifex volens Cardinales comprehendere in Constitut. *cap. 1. de schism. in 6.* illos expressit, &c.] Et his præmissis locum habet hæc Quæstio, quando videlicet quis dubitat, *An ipse in præcepto, quod latum esse certò constat, comprehendatur?* Dominus Franciscus *in margin.* [Respectu illius, de quo dubitatur, an comprehendatur lege, lex est dubia.] Et *in corpor.* ad Rationem Catholicam, tanquam ad anchoram sacram recurrit, inquit enim. [Non præsumitur comprehendi: quia hoc est idem ac dubitare, An lex pro illo casu lata sit; quod est facti: & in dubio contra libertatem factum non præsumitur. Henriquez *lib.4. de Euch. cap.45. num. 3. lit. P.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.2. cap.33.*

An Cardinales in Pontificiis Constitutionibus comprehendantur?

Verùm, qui dubitat, an se comprehendat lex, debeat se comprehendi iudicare?

Paragraphus IV. agit de Consuetudine: in quâ Scriptores materiâ non videntur accuratè discurrere. Consuetudo etsi centum aut mille annorum sit, si nihil aliud præter actuum frequentiam contineat, in conscientiâ non obligat: ut enim obliget, aut præceptum implicitum, aut votum implicitum continere debebit. Et multa expressa requiruntur, ut alterum, aut utrumque in illâ certò contineri dicatur. Sanè Benedictinus Ordo incepit, sub annum 520. Est in ipso perennis recipiendi hospites consuetudo, quæ est constans universalis, & nunquam interrupta fuit. Nunc annum 1672. numeramus. Interfluxerunt anni 1152. & tamen hæc consuetudo non transivit in legem, nec hodie obligat ad mortale, ut iterum & iterum Summi declararunt Pontifices ab Ordine nostro consulti. Vide *Theol. Regul. Proœm. artic. 2. num. 135. pag.3.* & *disp.134. num.1667. pag.559. a.* nec-non *pag.620. a* ubi legis *in marg.* [Semper, quando ad obligationes, quæ ex consuetudine nascuntur, venio, hæreo: sæpe enim fundamentum huius obligationis non video: hanc enim, *Ab antiquis observatur temporibus. Ergo debet fieri sub peccato*, non esse bonam consequentiam, præsens nostri Ordinis Declaratio persuadet.] Quæso, illam lege. Ergo, quia paucæ sunt consuetudines, quæ omnibus suis numeris constent, ut conscientias obligare dicantur, multæ erunt dubiæ, & ideò opportunè quæretur, *An & quomodo obliget Consuetudo, si est dubia?*

493 *Quid requiratur, ut consuetudo obliget in conscientiâ.*

Initium Ordinis S. Benedicti.

520 1672 1152

An multæ sint consuetudines dubiæ?

An obligari censendæ sint?

D. Franciscus *num.594.* [Respondetur, talem consuetudinem non obligare in conscientiâ. Quia, quando dubitatur, an obliget, dubitatur, an sim privatus libertate, quam ante tale dubium possidebam; & sic possessio non stat pro consuetudine, sed pro libertate: nam consuetudo debet tollere meam libertatem certam.] Et citat Rebellum *part.2. libr.1. de contrah. ingen. quæst. 2. sen.1. § 2. numer. 4.* Mouram *opusc. de cant. sect.1. cap.5. numer.13.* Suarium *de legib. libr.7. cap.15.* Meratium *de legib. disputat. 15. section.2. numer.3.* Bassæum *in Florib. Theol. Pract. verb. consuetud. num. 6.* & Sanchezium, qui *lib.5. cons. dub. 21.* asserit, debere omnes Doctores convenire, ut consuetudo obligare dicatur. Vnde illa, de quâ disputatur, & sunt diversæ scriptorum sententiæ, incerta est, & quia non est certa non obligat. Consono Clarissimo Domino *in Theologia Regul. proœm. artic 2. numer.135. pag.30. a.* dicens. [Siqua ex consuetudine fiant, non statim dicenda sunt obligare ad mortale; cùm non quævis consuetudo obliget in conscientiâ. Primò omnes illæ, quæ non habent vim legis, ex

494 *A libertatis possessione sumitur Resolutio.*

Consuetudo de quâ disputant Doctores, non obligat.

ex congruentiâ conducunt, & non obligant. Secundò, non omnes, quæ habent vim legis, obligant, quoniam possunt & solent aliquæ habere vim legis merè pœnalis, teste Suario *lib. 7. de legib. cap. 16. num. 3.* Manet igitur consuetudinem tunc esse obligatoriam cùm habet vim legis Divinæ aut humanæ: nempe illam, quæ certò involuit tacitum votum, aut tacitum præceptum. Consultò *certò* dixi; quia, si consuetudo dubiè involuit legem tacitam, stare debemus pro libertate operantium. Suarius *de legib. lib. 7. cap. 15.* Ludovicus Mæratius *in Summ. D. Thom. tom. 1. tract. de legib. dispnt. 15. sect. 2. numer. 3.* Diana *part. 1. tract. 10. de legib. resol. 1. & part. 4. tractat. 3. resol. 58.* & Ego *inferius, num. 1358.* Si involuat legem probabiliter, poterimus alterutri parti adhærere, &c.]

An introducta possit consuetudo quæ non obliget consuetam, ac habeat vim legis merè pœnalis?

495 PARAGRAPHVS V. postulat, *Quid dicendum in dubio sit, an consuetudo sit ex devotione?* [Respondet non obligare: quia non præsumitur introducta cum animo se obligandi: quia animus obligandi est rigorosior, & sic requirit maiorem propensionem & conatum. Quod, cùm sit facti, non præsumitur, nisi certò probetur.] Et citat Bonacinam *de legib. disp. 5. sect. 2. num. 3.* Meroliam *tom. 3. disp. 5 cap. 3. dub. 2 num. 1.* Dianam *part. 1. tract. 10. resol. 30. & part. tractat. 3. resol. 58.* Caramuelem *de conscr. dict. lib. 3. cap. 1. disput. 1. coroll. 4.* Bardum *cap. 2. §. 7. num. 3.* & Suarium *lib. 7. de legib. cap. 15. num. 13.*

An consuetudo obliget, si dubitetur, an introducta sit ex devotione?

496 Pergit ulterius D. Franciscus, & interrogat, *An Moniales, & Iuniores, qui ad maiores Ordines nondum promoti sint, teneantur extra chorum Horas Canonicas recitare privatim?* Et postquam aliorum opinionem proposuit, petenti, Quæ sit sententia Caramuelis? Respondet. [Benedictinos ante præceptum Abbatis non teneri. Præceptum esse vel expressum, vel implicitum. Videri Abbates implicitè iubere iunioribus, ut horas legant.] Vt bene intelligatur hæc doctrina, debebis scire Primò, tempore D. Benedicti paucos fuisse monachos ad Ordines maiores promotos. Constat ex cap. LXXII. Sanctæ Regulæ. Secundò, expressè iuberi, ut qui non interfuerunt choro, privatim legant. Ita habetur cap. L. Tertiò, Novitios in professione solemni non promittere observare Regulam, nec obedire Regulæ, sed Prælato in omnibus, quæ præceperit secundum Regulam. Ita cap. LVIII. Ex his infertur (1) posse Abbates præcipere Iunioribus, & Monialibus sibi subditis, ut legant privatim Horas, quas non cecinerunt in choro. Et infertur (2) hoc ipsum illos, aut implicitè, aut ex reipse præcipere. Quoniam Novitij & Iuniores nec non etiam Moniales hanc adesse obligationem docentur: & in morbis, aut in aliis occasionibus, ad Abbatem pro dispensatione obtinenda recurrunt.

An Religiosi iuniores & Moniales teneantur Horas Canonicas privatim legere?

Olim per pauci Religiosi ad Ordines promovebantur.

Regula S. Benedicti privatam lectionem indicit.

Quid in professione Benedictinus pollicetur?

497 PARAGRAPHVS VI. Vult scire, *Quid sit ille facturus, qui dubitat, an casus reservatus sit:* Respondet. [Debet credere, quòd non sit reservatus: nam reservatio est odiosa, & ideo in dubio non præsumenda.] Standum igitur pro libertate certa est, quamdiu reservatio incerta sit. Ita Cchagavia *de Sacrament. pœnit. tractat. 2. quest. num. 8.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap 5. num. 14.* Diana *part. 4 tractat. 3. resol. 4.*

De casibus reservatis.

Quales censeantur in dubio?

PARAGRAPHVS VII. VIII. & IX. Priùs homo fuit minorennis, quàm maiorennis. Ergo minor ætas est in possessione, & non debet huic possessioni derogari, nisi adesse maiorem ætatem certum sit. Hinc interroganti, *An in casu, quo inhibeatur puberibus colloqui cum Monialibus, hac includatur lege, qui de suâ pubertate dubitat?* Respondet D. Franciscus, quod non: [Quia pubertas est facti, & in dubio non præsumitur. Ianuarius, Merolla, Pellizzarius, quos citat & sequitur Diana *part. 10. tractat. 6. Miscell. resol. 49. in fin.*] Et mox volenti scire, *An teneatur ieiunare, qui dubitat, an expleverit annum vigesimum primum?* responsurus, supponit adolescentes ante hanc ætatem ad Ecclesiæ ieiunia non teneri. Ita enim docent S. Thomas *quest. 147 artic. 4.* Azorius *tom. 1. Institut. Moral. lib 7. cap. 27. quest. 2.* Durandus *in 4. dist. 15. quest. 10.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 38.* Sa *verb. ieiunium, quest. 9.* & omnes Doctores communiter. Et posteà respondet his verbis. [Nunc dubius, an (ætatem) expleverit, non tenetur ieiunare. Et hoc, quia illa expletio vigesimi primi anni, est facti, nec præsumenda in dubio. Secundo, qui possidet libertas à ieiunio. Fagundez *in 4 præcept. Eccles. lib. 1 cap. 8. num. 7.* Sancius *in Select. quest. 43. num. 60.* Palaus & alij.

498

Ætas minor est in possessione: maior debet probari.

An impuberes colloqui possint cum Monialibus?

Ieiunandi obligatio incipit post annum vigesimum primum.

499

Quid in dubio?

Interim, quia ieiunia in Ecclesiastica & Monastica dividuntur, interrogas, De utris præcedens doctrina intelligatur? Respondeo, D. Franciscum agere de Ecclesiasticis; nam Monastica, seu Regularia à professione incipiunt, & præscriptam ætatem non expectant. *In Theolog. Regul. disput. 128. pag. 519.* Sic inquam. [Ante vigesimum-primum ætatis annum nullus Benedictinus tenetur ad ieiunia Ecclesiæ. Patet; quia Ecclesia ante hoc tempus non obligat: & Ordo de ieiuniis huiusmodi nihil disponit. A die professionis tenentur (Religiosi) servare ieiunia Monastica. Ita Diana *part. 10. tractat. 16. resolut. 77. §. Item Ego.* Antonius Cotonius *in Summ. verb. Regulares, num. 14* &c.] Sed quousque pervenit ieiunandi obligatio. Ego *ibid.* Sic scripsi. [Sexagenarij non tenentur ad ieiunia Ecclesiastica. Hanc Conclusionem de omnibus hominibus intelligit noster Llamas *in Summ. part. 1. cap. 5. §. 10.* ubi asserit Pium V. consultum de hac re, ita respondisse vivâ voce. Idem docet Molfesius, Ortiz, Ioseph. Angles, Sanchez, Portel apud Dianam *de ieiun. res. 10.* De Monachis

De Regularibus ieiuniis.

Quando incipiant?

An, & quando finiatur ieiunandi obligatio?

An sexagesimo anno omnes, tam Monachi, quàm sæculares à ieiunandi obligatione liberentur?

Monachis à fortiori intelligenda venit, &c.

Susceptio Ordinum ætatem ab Ecclesiâ præscriptam postulat.

Pergit ulterius Vir Clarissimus, & ex eodem fundamento, ex quo benignè duas quæstiones præcedentes resolverat, hanc tertiam severè necessariò decidit. Quærebatur. *An dubius de legitimâ ætate, possit ordinari?* Hæc quæstio generalis est; &, quia ad diversos Ordines (minores, maiores) diversæ ætates requiruntur, locum in omnibus habere potest. Severè illam D. Franciscus resoluit, & sententiam negativam amplexus, illam probat clarissimè: [quia adventus talis ætatis est facti, & factum in dubio non præsumitur. Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. disputat.* 4. *numer.* 38. Caramuel *Theolog. Intent. libr.* 3. *de dict. consc. cap.* 1. *disput.* 1. *coroll.* 23. *num.* 1357. Sancius, Layman, Portellus, Bordonus, quos citat & sequitur Bardus *cap.* 9. §. 1. *num.* 3. *part.* 3.

An ordinari possit, qui de suâ ætate dubitat?

Privilegia & onera connexa sunt.

Est Pontificij Iuris Regula L V. *Qui sentit onus, sentire debet commodum: & contrà*, cui consonat Regula L X X V I I. *Rationi congruum est, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.* Cùm ergo, minor ætas sua habeat privilegia & gravamina, sicut minorennis, qu usque certum sit, debitam ætatem advenisse, gaudet privilegiis illi ætati debiliori concessis (puta, nunc alloquendi Moniales, & non ieiunandi licentiâ) sic debet subire onera eidem minori ætati imposita, (inter quæ nunc recensetur Ordines suscipiendi impotentia. Quoniam in susceptione Ordinum, quæ tempus, & ætatem concernunt, nec non cætera, sanctissimè ordinata sunt.

Qui altera habet, & altera debet recipere.

PARAGRAPHUS X. de Legum acceptatione disputat, & esse necessariam,

500 ut obligent illæ, supponit; & interrogat, *An de legis acceptatione dubitans, illam observare teneatur?* Et respondet [Quod non. Quia acceptatio est facti, quod in dubio non præsumitur, præcipuè in oneribus, cum nemo præsumatur velle se onerare.] Excluso ergo onere, manutenetur in suâ possessione libertas. Ita Castro-Palaus *tractat.* 1. *disp.* 3. *punct.* 7. *num.* 3. & 4. Caramuel *libr.* 3. *de dict. consc. dubia, cap.* 1. *disputat.* 1. *coroll.* 13. Moura apud Dianam *de conscien. dub. part.* 4. *resol.* 21. contra Sanchez, Bonacinam, Merollam, & alios.

Acceptatio ad legis valorem requiritur.

Quid, si de acceptatione dubium sit?

PARAGRAPHUS XI. proponit Quæstionem, quæ tametsi difficilia supponat, summâ facilitate deciditur. Supponit, rem gravem posse præcipi sub culpâ levi: aut fortè etiam levem sub gravi: & utrumque difficillimum est. Posse sanè rem gravem sub culpâ levi præcipi negat Vasquez *in* 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 158. *cap.* 3. *num.* 17. & probat; quia à voluntate Superioris nascitur obligatio, quod autem hæc sit magna vel parva, nascitur à quantitate materiæ. Sed hæc doctrina non videtur Theologis aliis satis firma: quid enim prohibet, ut res gravis sub pœnâ interdicatur levi? Ergo similiter poterit sub levi cul-

An possit Superior rem gravem sub levi peccato præcipere?

pâ; &, ut argumentum contra Vasquez 501 formetur, possunt lex. *Si quis nec causam.* lex. *Non omnes*, *ff. si certum petatur.* Et aliæ in exemplum adduci. Unde Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 96. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resolut.* 91. Cotonius *in Summ. verb lex. num.* 47. & alij Vasquezij opinionem reiiciunt. Ex eo, quod etsi Legislatorem rem gravem sub culpâ levi posse iubere dixeris, non teneberis statim inferre posse rem levem sub mortali præcipere; quoniam materia levis videtur incapax talis præcepti. Audi Cotonium, nam *num.* 35. dixerat. [Certum est, non posse Superiores, sive Ecclesiasticos, sive laicos, imponere in materiâ levi obligationem gravem; quia talis sententia esset iniqua & iniusta. Ita Sanchez *Summæ tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 47. & *tractat.* 6. *resolut.* 91. §. *Notandum est*, & *resol.* 47. [contra Sayrum, qui *ubi infrà*, oppositum de Ecclesiastico Iudice asseverat.] Solus enim Deus habet ius obligandi sub mortali in materiâ levi: ut probabile est obligasse protoplastos ad non edendum pomum scientiæ.] Et tu hîc attende. Dicit Cotonius, iniquam & iniustam fore legem, quæ rem levem sub gravi peccato præciperet; & doceri ego volo, cur esset iniqua & iniusta: vel enim ex naturâ rei iniquitatem & iniustitiam haberet, vel talis esset extrinsece, quia Deus interdixerat hominibus, ne res leves sub gravi peccato præcipiant. Neutrum potest dici. Ergo. Probo, non posse dici primum: quia, si talem legem ex rei naturâ esse iniquam & iniustam fatetur, nec potest audire Sayrum, qui *lib.* 3. *cap.* 7. *num* 17. rem levem sub gravi culpâ à Principe Ecclesiastico posse præcipi asserit: nec hoc ipse Deo potest concedere; repugnat enim Bonitati Divinæ, ut leges iniustas & iniquas imponat. Si illam iniquitatem, & iniustitiam tali legi non inesse ex naturâ rei sed à præcepto Divino inhibente procedere, dicat Cotonius, duo necessariò sequentur; alterum, debere nobis demonstrare Cotonium, dari tale præceptum; quod nunquam faciet: alterum, posse quemcumque Superiorem ab hoc Divino præcepto præscindendo, (hoc est, in casu, quo per impossibile hoc Divinum non daretur præceptum) in materiâ quâcumque levi subditos obligare ad mortale. Præterea, quod de Protoplastis dicit, non est probabile; nam præceptum illud, eis impositum, non erat de re levi. Sed cur? Audivi Lovanij D. Rampenium asserentem, illud pomum fuisse materiam gravem, & tantum, ut hodie ieiunium Ecclesiasticum frangeret: & licèt hoc ipsum ingeniosè probaret, poma Paradisi cum racemis uvarum, quos in Palæstinâ Israëlitæ invenerunt, componendo; si enim isti erant tanti, ut duo homines vix unico portando sufficerent, etiam illa possent valde magna censeri: hæc tamen responsio mihi & aliis Doctoribus

An etiam gravem rem sub levi pœnâ?

An possit rem levem sub gravi?

502

An lex, quæ rem levem sub gravi peccato præciperet, esset iniusta ex naturâ rei?

Nec Ecclesiasticus Princeps.

Nec Deus potest iniustas leges ferre.

Quantum fuerit illud pomum, quod comedit Adamus?

Quanti uvarū racemi in Palæstinâ?

nimis materialis fuit visa. Subrigendo ergo ingenium aliam meliorem & securiorem exhibeamus. Subdit ipse Cotonius [Contingere potest, ut res, in se levis, ex circumstantiis fiat gravis, & admittat obligationem gravem, &c. Ita Palaus *tom* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 14. *num.* 13. & Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 47. &c.] Ergo pomum comedere, tametsi fuerit in se res levis, fuit ex circumstantiis res gravis. De hoc argumento *lib.* 6. *ad cap.* 3. *vers.* 6. *Genes. pag.* 253. Pererius. [Illud peccatum, non unius modi, ac simplex fuit, sed multiplex, ac velut numeroso & multiformi iniquitatis fœtu fœcundissimum. Siquis enim inordinatos & pravos motus affectusque, quibus Adami mens & animus tunc vitiatus & corruptus est, diligenti cogitatione perquirat & perpendat, minimùm octo modis eum peccasse comperiet.] Non ergo Adami factum ita fuit leve, ut dicendus sit Deus illum in re levi ad peccatum grave obligasse. Illas octo circumstantias, quæ comestioni pomi malitias gravissimas, & specie differentes, addebant, legere poteris apud eundem Pererium; nam ego unam clarissimam, notissimamque dilucidabo. Videmus in templis quotidie, ut fundatores centena millia ducatorum expendant, & oblatione unius candelæ contenti sint. An-ne est res levis illa oblatio. Secundum se consideratam, rem esse levem fateor; at verò ex significationis & recognitionis circumstantiâ res censetur tam gravis, ut de ipsâ magnis expensis agantur lites, quarum decisio Pontificiâ & Regiâ potestate firmetur. Ecclesiasticus sum, & Hispanus: & quia exempla, quò notiora & clariora, meliùs rem dilucidant, siquidem unum universis Ecclesiasticis notum exhibui; addam alterum notum universis Hispanis.

An Adamo obsecit Deus grave acceptum re levi?

Quot uno actu peccata commiserit Adamus?

503 *An illa candela, quæ Fundatoribus Ecclesiarum, aut Monasteriorum in gratitudinis & recognitionis signū offertur, sit res parva?*

Qualia exempla esse debeant?

504 Arte potiùs, quàm Marte Romani subingarunt Hispaniam; non enim contra omnem ausi sunt; sed unam provinciam concitantes in alteram, sic atriverunt singulas, & tandem occupaverunt universas. Pactum fuit de tributo, & iussi Hispani sunt singulis annis offerre Romanis unum ensem. Qui, si materialiter consideretur, emi potuisset uno aureo. At hoc ipsum tributum, tametsi in seipso levissimum, ob circumstantiam fuit Hispanis tam grave, ut onus excusserint, & duello Romæ publico, contra Romanos Imperatores priùs, & posteà publico contra Germanos (qui volebant antiquis iuribus Romanorum fruisci) bello, recuperaverint pristinam libertatem. Marizius *in varia historia dialog.* 2. *pag.* 53. *b.* Sic inquit. *Em o anno* 1056. *foy Hespanha declarada por livre da Superioridade, que o Imperio de Alemanha pretendia ter sobre todos os Principes Christiãos, fazendose disto un decreto em o Concilio, que naquelle tempo se celebrou em Florencia, onde se poẽ largamente as causas, que para isto houve. E como por conselho do Cid Ruy Diaz, se negou o tributo em Hespanha, & se moveó guerra contra o Emperador. Ainda que jà havia algum tempo, que hum cavalleyro Portuguez tirára o feudo da espada, que Hespanha a os Romanos pagava, vencendo em Roma (onde elle fora em romaria) a hum cavalleyro Romano, que por parte do Emperador defendia os taes tributos & omenagẽs. Chamavase este Portuguez Dõ Soeyro Mendez o bom, irmão do D. Gonsalo Mendez da Maya, o lidador, illustre Progenitor da nobilissima Familia dos Pereyras neste Reyno, como refere M. Andre de Resende.* Ergo, si propter unum ensem sic turbatur Hispania, & mavult bellum inire, quàm illum solvere; res gravissima erat, formaliter consideratus (hoc est, recognitionis & subiectionis significatione prædictus) ille ensis.

Quomodo Romani sibi Hispaniā potuit

Unicum ensem in tributum Romanis offerebant Hispani.

Excussit onus, nam illud censebat nimis grave.

Germania Imperatoris sibi subesse omnes Principes Christianos ambiunt.

Se opponit Hispania: & eis bellum indicit.

Sed & olim illa Romano ensem pendebat.

Eamque ab hoc gravissimo tributo exemit, quidam strenuus Lusitanus.

Quis ipse fuerit?

Hinc ad Deum, Adamum, & Paradisum revertamur. Porrò, cùm Deus hominem creaverit, & pedibus eius universa subiecerit: & in gratitudinis & recognitionis testimonium hoc solum obsequium postulaverit; videlicet, ut ab illo pomo abstineret: res erat gravissima, quæ præcipiebatur; nec est, cur quæramus grave præceptum in re levi. Hæc, quæ dixi didici ab Augustino, qui *lib.* 14. *de civit. Dei, cap.* 15. Sic inquit. *Quia ergo contemptus est Deus iubens, qui hominem creaverat, qui ad suam imaginem eum fecerat, qui cæteris animalibus præposuerat, qui in paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam, salutisque præstiterat.* (Ecce quanta Adamo Deus beneficia contulerat!) *qui præceptis, nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus oneraverat; sed uno brevissimo atque levissimo* (Ecce quam facile præceptum imposuit. Sed ad quid?) *Ad obedientiæ salubritatem adminiculatus fuerat, quo super eam creaturam, cui libera servitus expediret, se esse Dominum commonebat.* (Ergo, quia hanc externæ gratitudinis confessionem, abstinendo à pomo vetito Adamus exhibere non voluit) *iusta damnatio subsequuta est. Et talis quidem damnatio, ut homo qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne spiritualis, fieret etiam mente carnalis,* &c.

Quanta homo debeat Deo?

505 *Sibi et creationis beneficium, & alios favores Adamo præstitos in recognitionis testimonium offerri illam abstinentiā voluit Deus quam Adamo imperavit.*

Hæc præmittere debui, ut haberet locum illa Quæstio, quam D. Franciscus §. XI. proponit videlicet, *Sub quo teneatur onere servare legem, qui dubitet, an Legislator illam præcipiat sub veniali?* Respondet Vasquez *loc. cit.* casum esse impossibilem; [Attende. Non dicet Vasquez repugnare, ut Prælatus pronunciet hæc verba, *Ego præcipio tibi sub peccato veniali, ut recites totum Psalterium:* sed quod hæc ipsa verba effectum, quem significant, habeant.] Non enim Legislatoris est, sub levi, aut gravi obligatione præcipere; sed præcipere. Nam præceptum habet à Legislatoris voluntate substantiam; gravitatem autem, aut levitatem à quantitate materiæ.

Præceptum à superioris voluntate habet, quòd obliget: à materia quantitate, quòd graviter aut leviter obliget.

Admittit casum D. Franciscus & respondet [teneri servare legem sub veniali: nam voluntas obligandi sub mortali est efficacior & strictior: quod est facti, & sic in dubio non debet præsumi. Accedit, quod in obscuris minimum est sequendum; & odia 506

Quomodo obliget lex de quâ dubitatur, an obliget sub mortali, aut veniali?

odia sunt restringenda, *cap. odia*, & *cap. in pœnis, de Regul. Iuris.*] quamobrem libertas in possessione suâ manutenetur. Ita Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 4.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. § 4. num. 13.* Diana *part. 2. tract. 10. resol. 20.* post Navarrum *in Enchirid. cap. 22. num. 50.* contra Layman *tract. 4 cap. 2. n. 6.* &c.

An sub veniali?

An sub nullo peccato?

Ego autem D. Francisci opinionem admitto, & ulteriùs promoveo. Attende. Prælatus rem gravem præcipit sub culpa levi: & subditus præventus opinione Vasquezij, sic inquit. Hanc rem gravem à Superiore præceptam, non teneor facere sub culpâ gravi, quia non me vult obligare ad mortale Superior. Illam ipsam non teneor facere sub culpâ levi, quia in materia gravi non me potest obligare ad veniale Superior. Ergo hanc rem neque sub gravi, neque sub levi peccato teneor facere.] Huc respiciebam cum *in Theologia Regularis num* 1845. multa, & quidem gravia, quæ in Capitulo Generali ann. 1618. Cistertij celebrato, ad veniale obligare dicuntur, asserui posse probabiliter ab omni peccato excusari: nimirùm, à mortali, quia Generale Capitulum sub tanto onere Religiosos obligare non voluit: & à veniali, quia in gravi illos materiâ leviter obligare non potuit.

Prælatus neque ubi non vult, neque ubi non potest, obligat subditos.

De Cisterciensis Ordinis Capitulo anno 1618. celebrato.

Nunc iterum casum, propositum à D. Francisco, reponamus. Dubitas, *An Prælatus, qui tibi rem gravem præcepit, habuerit intentionem obligandi ad mortale?* Et inquiris, *An sub mortali obedire tenearis?* Negativè respondebat D. Franciscus, & bene. Vbi enim non est certum Prælatum voluisse obligare ad mortale, nemo obedire tenetur sub mortali. Ergo poteris tutâ conscientiâ asserere Prælatum in casu noluisse te obligare ad mortale. Et quia Vasquez subsumit. *At in re gravi Prælatus non potuit obligare ad veniale.* infer tu. *Ergo nec ad mortale, nec ad veniale obligat illud præceptum.*

N. B. Dixi pluries ex sententiis severis benignissimas necessariò oboriri: & hoc hic videmus clarissimè. Benignitas Superioris est in re gravi leviter obligare conscientiam, & hac doctrinâ admissâ talia præcepta obligant sub veniali. Non admittit benignè hanc doctrinam Vasquez. Et quid ex eius severitate sequitur? Hæc præcepta nullo modò obligare.

Et quid, si aliquis Prælatus in re levi vellet ad mortale suo præcepto obligare? Illud præceptum sub veniali obligare vult Suarius *de legib. cap. 26. n. 6.* Diana *part. 5. tract. 6. resol. 48.* quos citat & sequitur Cotonius *in Summ. verb. lex. num. 35.* At verò sub nullo illud præceptum peccato obligare pronuncio, & utor eadem argumentandi formâ, & sic inquam. Hoc præceptum non obligat sub veniali, quia Prælatus ad veniale obligare non vult. Non obligat sub mortali, quia in materiâ levi ad mortale obligare non potest. Non ergo obligat sub ullo peccato. Et eadem utaris Dialecticâ contra eos, qui Novitium ante legitimam ætatem solemniter professum, votis simplicibus onerari asseverant: Ego enim sic discurro. [Ille, in casu, non emisit vota solemnia; quia non potuit: non emisit simplicia, quia non voluit. Ergo neutra emisit.] Nec contra illum solidè à Præsumptione argumentum desumunt? quoniam solemnis Professio est similis venditioni & emptioni: nam vi illius se Novitius tradit Monasterio, & ius ad victum, amictum, &c. adquirit. At simplicium votorum emissio, est similis liberæ donationi: ex illis enim extra Religionem mutua obligatio non exsurgit. Ergo impræsentiarum sic argumentari debemus. [Votorum solemnium emissio est similis venditioni: & simplicium emissio est similis donationi. At, qui equum v. gr. vendidit invalidè non præsumitur donasse validè. Ergo, qui vota solemnia emisit invalidè, non præsumetur validè emisisse simplicia.]

De eo, qui rem levem præciperet sub culpâ gravi.

An leviter subditos obliget?

An, qui invalidè vota solennia emisit, votis simplicibus obstrictus remaneat?

Venditioni & emptioni Professio solemnis est similis.

Est autem donationi similis simplicium votorum emissio.

PARAGRAPHVS XII. agit de illo, qui dubitat, *An sit aliquod impedimentum, quod possit matrimonium dirimere?* Et D. Franciscus respondet [Quod impedimentum, cùm sit facti, non præsumitur contra libertatem, & valorem matrimonij. Sanchez *tom. 1. de matrim. lib. 2. disput. 41. num. 46.* Sà *verb. debitum coniugale, num. 7.*] Ergo, nisi impedimentum certum sit, manutenenda est in suâ possessione libertas.

De impedimento Matrimonij dubio.

PARAGRAPHVS XIII. inquirit, *An matrimonium possit contrahi absque dispensatione in dubio de impedimento?* Respondet à dubio nasci obligationem adhibendi oportunum examen. Cæterùm [factâ sufficiente inquisitione potest contrahi. Sancius *in Select. disp. 43. num. 44.* Nam impedimentum est facti, nec præsumendum. Et in dubio nemo est privandus suâ libertate in contrahendo.]

An postulet dispensationem?

Ex his, & centenis aliis locis, quæ facilè possem adducere, patet clarissimè, D. Franciscum adsumere ut primum suæ Theologiæ Moralis Fundamentum, *Manutenenda est in suâ certâ & indubitatâ possessione libertas, donec veniat præceptum, aut alia efficax ratio, quæ illam à suâ possessione deiciat*, ut Secundum. *Præceptum, aut ratio, libertatis possessioni præiudicans, non præsumitur, sed debet probari*, ut Tertium. *Non sufficit, ut probetur argumento probabili; nisi enim præceptum (& idem dic de impedimento, aut ratione inducente aliquam obligationem) certum sit, libertatis possessioni non poterit præiudicare.*

Fundamenta, quibus Moralis D. Francisci Verde Theologia fulcitur.

P. Moya.

PRodierunt nuper Selectæ Quæstiones R. P. Matthæi de Moya S. I. subtiles, solidæ: ut in ipsis Authoris simul Ingenium & Prudentiam laudemus. Et quidem ad magnam libri commendationem conducit, non esse egressum extra Hispaniam: nam dum Salmanticæ & Compluti omnia primæ Editionis redimuntur exempla, cogitandum est de secundâ, ut satisfaciat Italis & Germanis. Librum nondum vidi, sed per literas didici à Viris Eruditis laudari. Et quia in Epistolâ Reverendissimi D.D. Antonij de S. Pedro, Ordinis nostri Generalis *num.* 1083. totam hanc meam sententiam paucis expressam lego, à me esse Virum tam doctum glorior, & eius Decisionem subscribo. 507

Non repugnat, ut solida sint etiam subtilia.

Cur P. Moya libri non reperiantur extra Hispaniam?

In dubio præcepti, quod semper manet speculativum dum non fertur iudicium moraliter (aut realiter) certum, licitè quis

Non sufficit probabilioritas, ut quis à legitimâ possessione expellatur.

pot erit practicè deponere dubium & operari ratione possessionis suæ libertatis; quâ per præceptum dubium superveniens spoliari non debet: sicut nec bonâ fides possidens in materia Iustitia re possessa est privandus propter dubium subortum, quòd sit aliena. Ita ille *in select. tract. 1. quæst. 5. num. 15.* Et, ut video, non Conclusionem nostram modò tradit, sed & illam nostris etiam fundamentis succollat.

P. Gabriel à S. Vincentio.

508 *Est S. Thom. fidelis & severus interpres.*

Est ornamentum Excalceati Carmeli, Thomista severissimus, qui multas sententias Scholæ Angelici Doctoris restituit, quæ ignotæ alibi peregrinabantur. Edidit libros Eruditissimos, & in omnibus, nisi certa lex obsit, Humanæ libertatis possessionem defendit.

De irregularitate.

Aperio illum, qui censuras edisserit: & incido *in disp. 9. quæst. 5. pag. 759.* ubi inquirit 1 *An ius, quod irregularitatem inducit debeat esse ita expressum* (ita certum) *ut dubium excludat?* & dubium Iuris à Iure facti distinguendo Controversiam ad sequentes Conclusiones deducit.

An per Ius incertū inducatur?

Prima. [Verior & communior sententia est, quod dubius dubietate Iuris de irregularitate, non sit censendus irregularis; & sic dubium Iuris excusat ab irregularitate. Colligitur expressè *ex cap. is qui. de sentent. excomm. in 6.* vbi dicitur, quod nulla datur irregularitas, nisi sit in Iure expressa. Ergo quando non est in Iure expressa, sed dubitatur de Iure, vel quoad existentiam, vel quoad sensum, vel intelligentiam [*a*] non contrahitur: irregularitas namque, de quâ dubitatur, omnibus bene pensatis, an sit? vel, an verba sonent irregularitatem? non est in Iure expressa: Ita Authores *num. 56.* relati. (Covarruvias *in Clement. si furiosus. part. 1. num. 3.* Villadiegus *de irregularit. cap. 1. à num. 16. & cap. 2. à num. 11.* Castro *de leg. pœnal. lib. 1. cap. vlt.* Azevedus *lib. 2. vers. sexta regula, tit. 1, num. 2. nova recopil.* Cardosus *in praxi judiciar. verb. irregularitas, num. 2.* Sayrus *lib. 6. c. 2. num. 14.* Suarez *disput. 14. sect. 4. & 5.* Cornejus Carmel. *disput. 2. dub. 1. & disput. 6. dub. 1.*) Bonacina *de irregularitate, punct. 3. num. 2.* qui plures alios refert.] Nec est cur aliquis velit esse nimis subtilis, & forum internum ab externo distinguere, quoniam de vtroque indifferenter intelligi debet P. Gabriel: apud quem *num. 65.* hæc legebam. [In foro exteriori nullus in dubio censendus est irregularis. Ratio est: quia Iudex fori exterioris debet ferre sententiam ex Principiis certis (N. B.) quia in foro exteriori pœnæ, quæ odiosæ sunt, restringi debent, & favores ampliandi. Vnde in hoc foro reus absolvendus est, quando casus est dubius, iuxta illud, *(Reo favendum est potiùs quàm actori in ambiguis.) leg. favorabiliores, ff. de regul. iuris. §. retinenda. Instit. de interdict. cap. cùm sunt partium iura. de regulis iuris, in 6.* Quod exornat Hippolytus *in leg. vnius, §. in eâ, à num. 6. ff. de quæst. & consil. 51. num. 41.* Alciatus *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 44.* Menoch. *in simili tract. lib. 2. præsumpt. 90.* & alij. Hanc sententiam sequuntur Abbas, Hostiensis, Ioan. Andreas, & alij Canonistæ; *in cap. Ad audientiam, de homicidio.* Idem tenet Armilla *verb. irregularitas, num. 8. & 9.* Tabiena *eod. verb. num. 1. & 3.* & Navarrus *cap. 27. num. 193.* ubi addit, quod per forum conscientiæ intelligitur non solùm forum pœnitentiæ, verùm etiam consilij, &c.] Ergo, quia de omnibus legibus, sicut de illis, quæ irregularitatem concernunt, per analogiam philosophari oportet, dicendum est [1) certò debere constare de existentiâ legis. (2) certò de eius publicatione & acceptatione, quæ enim non fuit publicata & acceptata non existit (3) certò de eius intelligentiâ, idem enim est non esse, & non intelligi. Transeamus ad quæstionem facti, in quâ Patris Gabrielis est Conclusio.

a] Ergo lex de cuius existentia aut sensu nulla est certitudo, non est expressa, & non habet obligandi efficaciam.

An aliquis irregularis sit censendus in dubio?

Nota illud ex principiis certis: nam leges incerta non sunt principia certa.

Quid per conscientiæ forum intelligatur?

An ad essentiam & existentiam legis publicatio & acceptatio requiratur?

Secunda. [Communior sententia tenet, quod in dubio facti, nullus debeat se irregularem reputare excepto dubio facti de homicidio, sic post Suarez & Auilam tenet noster Cornejus *disputat. 6. de irregularitate, dub. 2.* & alij plures, quos refert & sequitur Bonacina *de irreg. punct. 5. num. 2.* & tenent Canonistæ *in cap. significasti, eod. tit.*] Et hic nemo debet in dubium vertere potestatem Ecclesiæ: non enim pœnâ certâ condemnat culpam dubiam, sed culpam certam ex quâ dubium homicidium sequutum est, potuit certâ irregularitate condemnare. Porrò homicidio dubio accensuisse Ecclesiam certam irregularitatem negat Escobar *tract. de utroque foro, art. 11. num. 4.* apud Dianam *part. 8. tract. 7. resol. 6.* subscribit Escobari Cotonius *in sum. verb. Irregularitas, num. 61.* dicens: [in dubio facti, si agatur de homicidio non est censendus irregularis ex communi sententiâ & stylo Curiæ, Datariæ, & Pœnitentiariæ observato infallibiliter. Franciscus de Lugo, & Diana *part. 8. tract. 7. resolut. 6.*] Vtor Editione Lugdunensi anno 2654. At ego non video hanc esse communem sententiam, tuentur enim oppositam Theologi & Canonistæ communiter: & præcipuè Covarruvias *in Clement. si furiosus, p. 1. in init. num. 3.* Franciscus Ludovicus *in instruct. conscient. pars 2. cap. 22. de irreg. col. 2. & 3.* Sayrus *lib. 6. cap. 2. num. 16. & in clavi Regiâ, lib. 1. cap. 13. num. 23. & 24.* Flores de Mena *lib. 2. variar. quæst. 9. n. 18.* Vgolinus *cap. 4. §. 7. num. 3.* & alij quos *vbi sup.* citant sequuntúrque Bonacina & Cornejus. Alij denique mediam inierunt viam & homicidium iustum ab iniusto distinguunt: & in dubio irregularem dicunt, si injustum homicidium fuisset; non autem, si fuisset justum. Nam irregularitas quæ dubio homicidio imponitur, pœna est; & pœna supponit delictum. Ita Sanchez *in summ. lib. 1. cap. 10. num. 47.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 4.* Assentiuntur Ioannes Andreas *in cap. Odia, de regul. Iuris, in 6.* Dueñas *reg. 287.* Garcias Gironda *de privileg. seu exempt. explicat. num. 540.* Adde Acaclum

An obligare certò leges possint, quarum nō fuerit sensus certus?

An homicidium dubiū irregularitas certa sequatur?

N. B. Canones de Irregularitate sunt definitivi, & non supponunt pertinaciam, nec scientiam, aut notitiam sequitunt. Acacius *to. 2. resol. 105. num. 7. pag. 246. b.* sic scribit: *No se requiere contumacia para incurrir la irregularidad, como se requiere para la descomuniō.* & mox: *Para incurrir irregularidad no se requiere, que el hōbre sepa, que està en el derecho por tal, o tal pecado.* Quādo irregularitas est pœna requirit culpam.

Acacium *tom. 2. resolut.* 106 *n.* 7. *pag.* 247. *b.* qui citat Filliucium *tom.* 1. *tract.* 19. *cap.* 2. *quæst.* 7. *num.* 47. & alios : quorum sententiam probabilem iudicat Bonacina citatus.

Acacius.

509 *Qualis Acacius fuerit?* DOctrinæ similitudo postulat, ut P. Acacium March. de Velasco subjungam. Fuit ex Ordine Prædicatorum, in quo Prioris, Definitoris, & Vicarij Generalis munera dignissimè obivit : & in Vniversitate Valentinâ Theologiam professus est, donec ad Episcopatum Oriolanum (vulgò *de Orihuela*) assumptus, Clerum, quem in litteris & pietate erudivit, summâ prudentiâ gubernavit.

An liceat minùs probabili adhærere sententiæ? Hic illustrissimus Theologus *tom. 2. resol.* 316. *pag.* 584. *a.* agit de Opinione Probabili, & *num.* 7. sic infit : *La mas comun y recibida Opinion de los Dotores es, ser licito y seguro en conciencia, seguir la Opinion probable aunque sea dexando la mas probable.* Habet duas partes hæc Conclusio. Probatur prima : *Porque en siendo la Opinion probable, es conforme a razon :* Quia probabile id dicitur, quod est conforme rectæ rationi, & existimationi Virorum prudentium, & sapientium *como dize Aristoteles* (Aristoteles 1. Ethic. c. 4.) : idcircò eam sequi nulla culpa est, nã culpa est rectæ rationi difformis ; & quod rationi advertatur error est, non opinio : *y como dize Cayetano en su summa, en la palabra, Opinio.* (*An sit rationi consentaneum omnes sententias probabiles?*) Non exigit Deus ab homine plus quam conditio hominis habet : quia Divina Sapientia disponit omnia suaviter : *y como el hombre segun su capacidad, que es corta, no puede alcanzar evidencia, y certeza Mathematica de las cosas, se contenta Dios, que obre con opinion probable.*

520 *Cur non exigat à nobis Deus, ut certa semper adhæreamus sententiæ?* Multum his verbis Cajetanus, multum Acacius dicit. Attende : illos enim interrogo : *Cur non exigat à nobis Deus, ut Veritatem & Certitudinem semper sequamur?* & respondet ille : *Non exigit Deus ab homine plus quam conditio hominis habet.* & iste : *El hombre no puede alcanzar evidencia y certeza Mathematica de las cosas.* Et ego ex his duabus præmissis infero primam illam partem Conclusionis Acacij : nam argumentum ad terminos sequentes reduco.

N. B. Hodie Hæretici, qui volunt videri eruditiores negant Deũ posse iubere hominibus impossibilia. Ita Huyd. & alij.

Deus impossibilia homini nec præcipit, nec præcipere potest.
Ergo non exigit ab illo Deus plus, quàm habet humana conditio
At hæc non habet in singulis rebus evidentias aut certitudines.
Non ergo ab homine exigit Deus (immo nec exigere potest) ut operetur secundum evidentiam & certitudinem, quam ille non habet.
Et quid, si exigeret?
Impossibilia ab homine exigeret Deus.

Frustra Lovanij Iansenistæ militant contra Probabilitatem. Ecce quàm sunt connexæ inter sese istæ Propositiones! Quam ob rem Iansenistæ, ut huic Assertioni, *Deus impossibilia iubet*, quæ totam suam amplectitur Hæresim, viam patentem sternerent, volebant sub Pietatis specie in Scholam protrudere Assertionem hanc, *Ad securitatem conscientiæ non sufficit Opinio probabilis.* Sed non fuerunt permissi illam publicè propugnare Lovanij. Vide, de illis *in nostrâ Theologiâ Regulari, disput. 6. art. 3. num. 64. §. quartam.* ponuntur.

Videamus nunc, quo Acacius modo partem suæ Conclusionis posteriorem persuadeat : *Lo segundo se prueba*, ait, *porque en las materias morales es casi impossible hallar la verdad exacta, sino tan solamente una similitud y probabilidad della. Y seguirla, es lo que basta para obrar acertada y prudentemente. Y sin duda fuera cosa penosissima, y trabajo casi impossible de llevar, si siempre que el hombre huviesse de obrar alguna accion, en que se hallase diversidad de Opiniones, estuviere obligado a examinar y probar qual dellas tenia mas authoridad en su defensa, o mas fuertes razones en su favor.* Ecce rationem, qua Acacius vtramque partem suæ conclusionis persuadet, ab impossibilitate obediendi desumit. (*Nota illud, casi impossible, hoc est ferè impossibile : An ferò impossibilia præcipiat Deus?* — *Cur cuicumque probabili Opinioni adhærere possimus.*) Qui *iugum meum suave est, & onus meum leve* dixit, non imposuisse hominibus onus physicè aut moraliter impossibile (*impossible, o casi impossible de llevar*) certum est. At imposuisset impossibile physicè, si præcepisset homini, ut non nisi certæ veritati adhæreret : & imposuisset impossibile moraliter, si in omni eidem quæstione præcepisset probabiliorem amplecti. Neutrum ergo præcepit. Ergo liberum est homini amplecti quamcumque opinionem probabilem.

Videamus modò quid de Irregularitatis lege doceat Vir Sapientissimus, ut eius propagemus doctrinam, & ad alias materias secundum analogiam admissam [a] in Iure extendamus. (*a* [Analogia & rationis paritas habent locum in favorabilibus, non in odiosis.)

Ipse itaque *eod. tom. 2. resol.* 105. *pag.* 245. & quidem *num.* 1. ait : *La irregularidad es en dos maneras. Vna, que proviene de culpa : como de homicidio injusto, o de mala recepcion, o uso de ordines, &c. Otra, que no proviene de culpa, sino de indecencia, o de defecto de significacion : como en el que tiene algun vicio en el cuerpo, o en el Iuez, que Iustamente condena a muerte al reo.* (*Irregularitas est duplex : alia enim ex culpa, & alia ex indecentia provenit.*) Posteà *resol.* 106. agit de dubio. Et *num.* 3. exponit quid dubij *nomine intelligendum sit?* Et quia hanc vocem Theologi & Canonistæ diversimodè accipiunt, ut sciamus, quo sensu ille intelligat Iura, quæ dubio homicidio irregularitatem accensent, sic inquit : *Se ha de notar, que esta duda ha de ser prattica y probable : porque, si fuere solamente nacida de conjetura poco probable, o de escrupulo, no es bastante para, que uno se tenga por irregular : assi lo siente Medina* in summ. lib. 1. cap. 10. §. 11. & alij multi : *Y se prueba, porque en materia moral, siempre que se habla de duda, se ha de entender de duda prattica.* (*Dubij in Practicũ & Speculativũ divisio.* — *Quid Dubiũ Practicũ sit.*) Et mox : *Este dicho es muy provechoso puesto en prattica : y se explica : si un Clerigo sabiendo, que està descomulgado, celebrare, es cosa cierta, que queda irregular : pero, si probablemente ignora, que està descomulgado, no quedarà irregular.* (*Excommunicatus, si celebret, fit irregularis.* — *Nomine Clerici apud Hispanos Presbyter intelligitur?*)

Ignorantia probabilis. Quid sit habere ignorãtiam probabilem?

irregular. cap. Apostolicæ de Clerico excomm. ministr. *Sea pues el caso, que duda, si tiene ignorancia probable, o no: entonces dezimos, que si tiene razones probables, de que tiene ignorancia probable, puede eligir esta parte, y tenerse por libre de la irregularidad. Esto se prueba; porque este ya tenia legitimo derecho para celebrar: luego en caso de duda no esta obligado a abstenerse, ni tenerse por irregular.* Nam in rebus dubiis melior est conditio possidentis. *Confirmase esto: aunque la obligacion del Voto es de Derecho Divino, con todo el que duda si ha hecho voto, no está obligado al voto, porque está en possession de su libertad. Assi lo sienten Medina* in Summ. libr.1. cap.14 §.7. *Soto* lib.7. de iust. quæst. 3. art. 2. notab. 2. *Avila* de censur p.7. dis. 2. d. 5.

Manutenenda est in sua possessione libertas.

Votum dubium & incertum non obligat.

An dubius de homicidio sit irregularis.

Et posteà *num.7.* concludit in nullo casu dubio, nisi in solo homicidio iniusto irregularitatem incurri, quia hic solus casus est expressus in Iure *cap. 15. qui de sentent. excomm. in 6.* nam *homicidij* nomine ibi debet criminosum intelligi, ut monent Filliucius *tom.1. tract.19. cap.2. quæst. 7. num.47* & Sanchez *in Summ. tom.1. lib.1. cap.10. num.49. & 50.* & claudit Acacius Resolutionem dicens. *Todas estas cosas proceden en caso de verdadera duda: esto es, quando el entendimiento en ninguna de las partes se puede inclinar: porque, como* part. 3. tract. 5. miscell. resol. 72. in fin. *Dize Diana,* Si aliquis probabiliter opinetur non commisisse homicidium, irregularis minimè censendus erit, &c.

An, qui habet probabilitatem de homicidio sit irregularis.

Dubium dividitur materialiter, in Dubium Iuris & Facti.

Hæc est Acacij mens: quam, ut meliùs intelligas, scito Dubium esse duplex Iuris, & Facti, unde excitatur Quæstio, *An videlicet debeat se gerere ut irregularem, qui scit reiterasse verba consecrationis, v. gr. & dubitat, an huic crimini adnexa sit irregularitas: aut etiam, qui scit irregularitatem adhærere homicidio, dubitat tamen, an ipse revera homicidium commiserit?*

511 Modò (nemo enim festinare nos cogit) Acacij verba relegamus, & quid sentiat & doceat explicemus, & dilucidemus.

Votum est lex privata, quam homo sibi præscribit.

A Non Certitudine initium sumo (ea enim mea specialiter interest.) Si non sit certum me emisisse votum non obligor, sic me docet Acacius. At votum est lex, quam ego mihi ipsi præscribo. Ergo eodem modo de legibus, quas alij mihi præscribunt, philosophandum est. Ego, si non est certum legem talem fuisse latam; si non est certum fuisse promulgatam & acceptatam; si non est certum talem eam sensum reddere; & tandem, si non est certum me in eius contineri præcepto, pro meâ libertate definio. *nam*, ut scitè ait Acacius, *in rebus (incertis, &) dubiis melior est conditio possidentis:* & meam ego in possessione libertatem reperio.

An sicut de Voto, sic de Legibus sit statuendũ?

Quid sit Dubiũ Practicum: & an ab æquè probabili Opinione distinguatur?

Prætereà illa distinctio inter Dubium Practicum & Speculatiuum luce indiget: ita enim exponit Dubium practicum, ut ab æquè probabili Opinione non differat. Et quia asserit, non esse irregularem, quem tuetur Sententia probabilis, idem in Dubio practico deberet dicere.

Quid Dubium quid Probabile, quid Certũ sit?

Tu interim cum Scholasticis loquere, Dubiumque à probabili Opinione distingue: sententia enim, quam suadent rationes nullæ, aut leves, est *dubia:* & quam graves, *probabilis:* illa autem, cuius rationes, ne quidem probabilem solutionem admittunt, *certa* dicitur. Repugnat enim, ut probabilis certæ: nec non ut certa opponatur probabili. Ita Suarez *de relig tom. 4. lib.4. cap.15. num.21.* Hurtadus *de matrim. disp.10. diffic.9. num.37* Verricellius *tract.2. quæst.13. pag.65. b.* & huc adducere vult Caietanum, qui *in Summ. verb. Opinionis usus, num.2.* fuit satis obscurè loquutus.

An Certum opponatur Probabili?

An nimis severi sint Canones?

Dices. Ergo, si sic intelligatur Dubium, nimis severi sunt, ne dicam sævi & crudeles, Canones, siquidem ob rationem levem irregularitatis pœnã, quæ gravissima est, hominem puniunt. *Prætereà*, Iudicium temerarium est, quando ex levi fundamento cum damno proximi gravis consequentia deducitur. Ergo temerè iudicant Canones si in dubio (ex levi ratione) ad irregularitatis sententiam (quæ magnum damnum infert reo) inconsideratè procedunt.

An temerè de irregularitate pronuntient?

Cur sequens additus Paragraphus?

Hæ duæ Obiectiones postulant, ut hæreamus tantisper, & de homicidio dubio, & irregularitate, quæ illi adhærere dicitur disputemus: non quidem, ut Homicidium, aut Irregularitatem (neutrum enim impræsentiarum nostra interest) sed ut Dubium (hoc enim intelligere volumus) edisseramus.

512

Quæstio Incidens. An irregularitas ex homicidio dubio proveniat? Quid ipsa sit?

INcipio ab ipsâ definitione. *La irregularidad es un impedimento Canonico, que proviene de Derecho Canonico, el qual directamente impide la recepcion de las Ordenes, y el uso dellas, en quanto son Ordenes.* Ita Acacius *tom.2. resol.105 num.2 pag.245. a.*

Cur per actus internos non incurratur?

Incurritur per actum externum: non enim, qui voluit homicidium committere, si tamen illud non commisit, est irregularis. [*La razon es: porque la Iglesia no iuzga de actos interiores. De aqui se sigue que no hay irregularidad mental o interior. Assi lo sienten Cordova* lib. 5. de indulgent. quæst. 43. dub.2. *Navarro* cap. 17. num.192. *Henriquez* cap.3. num.2. *Covarruvias* in Clement. Si furiosus part.1. in init. num.4.] quos citat & sequitur Acacius *num.4.* Vbi monet in Bullis, quæ absolvendi ab irregularitate mentali facultatem concedunt, *mentalis irregularitatis* nomine exteriorem intelligi, nempe illam, quæ ita est secreta, ut nequeat in iudicio probari. Et regulariter loquendo, ut incurratur pœna à lege præscripta, non sufficit rem attentasse aut incepisse, sed requiritur rem consummasse: & sic, sicut in tribunali sæculari non plectitur capite, qui vulneravit: sic nec in Ecclesiastico, qui vulneravit, etiam cum intentione occidendi, si tamen non occidit, irregularitatem incurrit.

Quid mentalis irregularitatis nomine intelligatur?

Actus debet esse consummatus.

Actus iste externus, qui pœna irregularitatis expiatur, debet esse peccatum mortale: pœna enim gravis non correspondet levi

levi culpæ. Ita Acacius *n.6.* & apud eum Navarrus *ubi supr.num.249.disput.7.* Sotus *lib.5. de Iust. quæst.1.art.9.circa fin.* Diana *part.2.tract.16. resol.18.* & *part.4. tract.4. resolut.45.* Quando autem dicimus debere esse peccatum mortale loquimur de deordinatione exteriori, actus enim etsi ex pravo voluntatis affectu graviter deordinetur, si externa deordinatio, quam habet levis sit, non est sufficiens vt pœna gravi condemnetur humanitùs.

Et peccatū mortale externum.

Hinc transeamus ad *Dubium.* Quo nomine debet intelligi propositio, quam suadent ratiunculæ nullæ vel leves. Dubium, hoc modo expositum, non est regula morum; & ideò debet in iudicio publico vel contemni, & pro possessione certâ, quæ privato erat ante illud, omnis controversia decidi.

Quid dubiū sit? An sit Regula morū?

Dubium est duplex: Accusans, & Excusans. Qui dubitat, an peccaverit: si prudens sit, stare debet pro innocentiâ certâ, quæ erat ante peccatum dubium. Debet ergo iudicare, se non peccasse. Qui autem scit se peccasse, & dubitat, an sit confessus, peccatum reperit in possessione certâ, cui non præiudicat confessio dubia. [Si de Dubio statuitur: nam in Probabilitate, (utrimque enim via libertati aperitur) aliter philosophandum est. Quoniam peccata probabiliter admissa, necnon certò admissa, sed probabiliter confessa, sunt materia libera; possuntque in confessione explicari & taceri. Et hoc etsi eum probabilior condemnet existimatio: puta, si peccasse, aut non fuisse confessum probabilius existimet. Ita Sanchez *in summa, lib.1.cap.11.num.78.* Sylvius *in addition.ad 3.part. quæst.64. versic. quæritur 3.* Diana *part.3. tract.4. resolut.107.* Vericellius *tract.2. quæst. 28.* Suarez *de pœnitent. disput.22.sect.9.num.6.* Pitigianus *in 4.sentent.tom.2. disputat.27. quæst. vnic. art.21.* Card. Lugo *de pœnit.disput.16.n.58.& 59.* Mercurius *in 3.part.quæst.9. artic.4.num.7.* & alij.]

Notetur hac doctrina: nā multas auferet allucinationes.

Dubij in accusans & excusans divisio.

Quid dicendum de peccatis probabilibus sit?

Et veniendo ad Homicidium dubium, Dico primo, *Nullus est in Pontificio Iure Canon, in quo hac verba*, Irregulares sunto, qui dubitent an homicidium perpetraverint, *vel alia similia legantur.*

An detur Canon, qui eos, de quibus dubitatur, an homicidium cōmiserint, irregularitatis condemnet?

Dico secundo. *Authores, qui homicidio dubio certam irregularitatem accensent*, ex cap. ad audientiam, & ex cap. significasti, de homicidio, *argumentum deducunt.* Nam ratiocinantur hoc modo. Homicidia, de quibus agitur in his capitibus, erant dubia. Et tamen Pontifex reos asserit irregularitatem incurrisse. Irregularitas ergo ob dubium homicidium incurritur. Major, in quâ tota consistit difficultas, ab Escobare *tract. ab utroque foro, artic.1.num.4.* negatur: nam, ut existimat homicidia, de quibus in his capitibus agitur, sunt certa interim eadem major à P.Gabriele *de censuris, disputat.9. quæst.5.§.2.num.73.pag.769.b.* & ab Acacio *tom.2.resol.106. num.4.pag.247.a* conceditur. Et quid dicemus nos? Non bene ex illis Capitibus ad homicidium irregularitatem extendi. Et ut hoc probemus, dabimus formalia verba textûs.

An talis Canon ab aliis Canonibus per bonā consequentiam infertur?

Clemens III. *lib.5. tit.12. cap.* sic inquit: *Ad audientiam Apostolatûs nostri pervênit, quòd cùm quidam Presbyter volens corrigere quendam de familiâ suâ, cingulo quo cingi solebat, ipsum verberare tentaret, contigit quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus eum in dorso aliquantulum vulneravit: postmodum verò cùm ille vulneratus aliquandiu vixisset, & convaluisset a vulnere, aliâ graviori (ut dicitur) infirmitate percussus, viam est universæ carnis ingressus. Quia verò utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur, tuæ discretioni duximus respondendum, quod cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit iniungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret, & eidem iniunctâ pœnitentiâ congruenti, sibi poteris concedere, ut minoribus Ordinibus sit contentus. Si verò ille ex alia infirmitate obierit, poterit (sicut erat solitus) divina officia ministrare.*

N. B. Est valdè communis consideratio, si videlicet, qui casu occidit dabat operā rei illicitæ, aut licitæ Et tu notare debes illicitū sumi bifariā: nempe in genere homicidij, aut in alio. In genere homicidij est illicitum, quod est periculosum. Sic Conclvsio. *Qui dat operam rei illicitæ, sed non periculosæ ex se, si debitam adhibeat diligentiam, ne sequatur homicidium, non fiet irregularis, si casu sequatur.* Ita Sot. *lib.5. de Iustit. quæst.1. art.9.* Coin. Catm *disp.5 d.2. concl.1.* P. Gabr. de S. Vincentio *lib.1. de cēs. disp 9.quæst. 2. §. 2. pag. 821.b* Sayr. *lib.7.n.17.* qui plures prod: c.t. & iterum moneo, ut notes id benè; nam passim Canonistæ vocem *illicitum* nimis generaliter accipiunt.

Relego literam: & dico (1) homicidium, de quo agitur impræsentiarum esse certum: nam illum famulum obiisse asseritur. Dico (2) in quæstione: an videlicet ex vulnere, vel ex alio morbo obierit nihil definire Pontificem: sed hoc committere examini instituendo ab Episcopo. Cuius expeditioni prodesse potuisset Axioma illud Theologicum, quod nostra Theologia Fundamentalis *post fund.43.§.16.* edisserit. Et Coriolan. *pag. 371.* exponit videlicet: *Nullus mortaliter vulneratus, ultra quadraginta dies vivere potest.* Dico (3) Pontificem declarare, non esse irregularem Presbyterum, si ex alia famulus infirmitate periérit. Dico (4) me in tit. Capitis legere: *Homicidium casuale imputatur ei, qui dedit operam rei illicitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit.* Et, si ex illo vulnere famulus obiit, homicidium est certum; & certò ab illo Sacerdote commissum. Ergo in possessione est perpetratio homicidij. Ergo debebat homicida probare, se non habuisse animum cōmittendi homicidium: se dedisse operam rei licitæ, hoc est, non excessisse in correctione famuli limites à Prudentiâ præfixos: & tandem se adhibuisse diligentiam sufficientem, ne ex correptione illâ aliquid gravius famulo suo eveniret. Quæ omnia in homine iracundiâ percito non præsumuntur: & difficilè, aut minimè probari poterunt. Iustissima ergo fuit Clement. III. sententia. At ex illâ inferri bene poterit homicidio certo, quod tantùm excusat ratio dubia, non autem homicidio dubio irregularitatis pœnam aut censuram præscribi.

Transeamus modo ad alterum Caput, in quo Innocentius III. Episcopo Paduano, sic scribit: *Significasti nobis, quod cùm F. Clericus, equitaret, equus, cui insidebat, tam se, quam ipsum proiecit in aquam, unde Clericus ipsum graviter calcaribus stimulavit equus verò cùm existeret buccâ durus, præter voluntatē sessoris raptus in cursum, quandam mulierem*

Fortiorem casum proponunt, & benignè resolvunt PP. Cornejus, & Gabriel. loris citatis, videlicet, non esse

irregularem Religiosum equitantem contra ordinis Regulam adeoque propriam dantem rei illicitæ, si aliquem præter intentionem occidat.

mulierem obviam habuit, quàm ex improviso pedibus interfecit. Cúmque nos ab eodem Clerico fecissemus inquiri, utrùm equi vitium priùs scivisset, illud asseruit se ignorasse. Ideóque mandamus quatenus si ita est, ad cautelam injungas eidem pœnitentiam competentem: qua peracta, non impedias, quò minus in susceptis ministret ordinibus, & ad maiores valeat promoveri.

Quia licèt equitando peccet peccato inobedientiæ, non peccat peccato homicidij, non enim ad homicidium equitatio ordinatur. & citant Covarruviam *in Clemen. si furiosus p. 2. §. 4. num. 6.* Sayr. *lib. 7. cap. 6. n. 14. & 15.* Henriq. *lib. de irreg. cap. 15. §. 4.* & alios.

Sed neque hic dubium homicidium, nec homicidam irregularitatis condemnari reperio. Dicit Pontifex examinandum esse, An præsciverit illud vitium equi: & quia se nescivisse testatur, eum in susceptis Ordinibus administrare, & ad altiores promoveri permittit. Nec aliquem movere possunt illa verba, *ad cautelam injungas eidem pœnitentiam competentem*, quia hæc pœnitentia est ab irregularitate distincta; & potiùs probat in dubio irregularitatem non incurri. Ergo rem totam ad has paucas Conclusiones reducamus.. Sit

Prima. *Dubium est duplex: aliud hominem, qui erat in sua innocentia possessione, homicidij accusans: aliud hominem, quem homicidium admisisse certo constat, excusans.*

Secunda. *Si dubium primi generis sit, nemo debet irregularis iudicari.*

Tertia. *Si dubium sit secundi generis, est irregularis homicida.*

Quarta. *De homicidio, sicut de quacunque censurâ aut pœnâ Ecclesiasticâ aut Civili philosophandum est.* Ostenditur: nam, si in foro Politico lex præcipiat vltimâ sententiâ homicidas damnari: nec hanc pœnam incurret, quem accusatio dubia vel levis oneret: nec evadet, de homicidio convictus, etsi leves & dubias excusationes adleget.

Hæc ergo sufficiant ut Dubij essentiam profunde cognoscamus.

QVÆSTIO ALTERA

De ignorantiâ.

An omnes homines teneantur intelligere leges.

An omnes Religiosi teneantur leges Regulares cognoscere?

DIsputat de hac materia *to. 2. à ref. 79.* & *a pag. 172. b.* & ibi inquirit, *Quid, & quotuplex sit ignorantia?* & postquam varias illius species & modos recensuit, quænam ignorantia causet involuntarium, & quæ voluntarium, exponit, & tandem ait, *Preguntase, si los Religiosos pecean quebrantando los preceptos de su estado?* Et doctè ex doctrinâ communi, quam tradit S. Thomas *2. 2. quæst. 76. art. 2.* & Covarruvias *in reg. possessor. 2. part. §. 7. num. 7.* & alij Viri docti dilucidant: supponit primò, nec Sæculares, nec Religiosos rerum sui statûs æqualem debere cognitionem habere; nam sicut inter illos maiori debent scientiarum splendore fulgere Doctores, quàm cives privati; sic etiam in eodem monasterio maior Constitutionum Regularium notitia in Prælato, quam in subdito, major in Choristâ, quàm in fratre laico requiritur. Et hac veritate præmissa has doctas Conclusiones statuit.

Generalis Conclusio.

Ignorantia invincibilis Regularis præcepti ab omni culpâ & pœnâ Religiosum excusat: Affectata, non solum non excusat, sed culpam aggravat: Crassa aut supina culpam minuit. Ita ille *pag. 376. num. 2. 4. & 5.*

An, & qualis in Monasterio possit esse ignorantia invincibilis?

Profectò, posse & solere in vno Monasterio esse de generalibus legibus quoad earum existentiam, ignorantiam invincibilem, impossibile est: at quoad earumdem intelligentiam sunt sæpe dubia, & sententiæ probabiles: videlicet, quando aliqui Monachi docti & pij sic, & alij etiam docti & pij aliter textum Regulæ intelligunt. Quoniam in S. Benedicti Regulâ, tametsi circa lectionem non excitetur dubium alicuius momenti, omnes enim Religiosi conveniunt: circa intelligentiam sunt generalia & specialia dubia, quæ aliter & aliter à nostris Doctoribus decidi solent. Quæritur enim, v. gr. *An aliquod Caput Regulæ obliget sub mortali? an omnia sub veniali? an omnia sint merè pœnalia, & pœna obnoxium transgressorem constituant?* Præterea, quia nos non promittimus *obedire Regulæ*, sed *obedire secundum Regulam*, inquiri solet, *An Regula obliget ante Superioris præceptum?* Et in his Quæstionibus, multa nesciunt vel vel doctissimi Viri: nam, dum hinc inde probabiles opiniones succurrunt, mentes præoccupat ignorantia invincibilis & inculpabilis.

An S. Benedicti Regula obliget sub veniali?

An obedire Regulæ, & obedire secundùm Regulam differant inter se?

An in Monasteriis esse possit ignorantia affectata?

Circa Affectatam etiam Acacio assentior: raro enim in Monasteriis reperitur: nam Regula & Constitutiones publicè in Capitulo & in Refectorio leguntur, ne possint ab ullo ignorari.

[a] Dices id non habere locũ in Ordine S. Benedicti, nam in Regulâ legitur, *Octauum Humilitatis gradus est, si nihil faciat Monachus, nisi quod communis Monasterij Regula, vel Maiorũ cohortantur exempla*, ergo, cùm *Majorũ* nomine Superiores & Seniores S. Pater intelligat, qui hanc Regulam professi sumus, *hizimos profession de guardar la vida y costumbres de sus Mayores y Prelados.*

Tandem *num. 3.* convertit oculos ad relaxatos aliquorum Prælatorum mores, & & quia audit Christum dicentem, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, &c. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis servare* (esse servanda) *servate, & facite; secundum vero opera illorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt,* &c. sic scribit: [Si el modo de vivir de los Prelados y de los mayores es evidentemente contra Regla y Constituciones que los Religiosos han professado, no quedan libres los frayles subditos, y simples imitando su manera de vivir. Por la qual manda el glorioso Padre San Francisco en su Regla, que no esten obligados a obedecer en las cosas que son contrarias *evidentemente* à su Regla. Lo qual aunque en los Institutos de las otras Religiones no se exprima, se deve entender por expressamente mandado, como despues de Alexandro de Ales, y Angelo, lo tiene Cordoua *lib. 2. qq. q. 1.* & *in Reg. Fratr. Minor. Introduct. quæst. 4.* diziendo, que los subditos no hizieron professión de guardar la vida, y costumbres de sus mayores, y Prelados, sino [a] la Regla, y Instituto de su Religion. Pero esto se deve entender quando la vida, dichos y hechos de sus mayores, y Prelados son *evidentemente* malos, porque quando no lo son, y ay duda, si contra la Regla, y su professión, no pecaran siguiendolos, como lo dizen Navar. *c. 27. n. 282.* y Cord. *loc. cit.* porque en este caso la ignorancia invencible los escusa, porque los subditos en caso de duda, pueden

Vno verbo respondeo, S. Benedictũ de observãtiis Regularibus agere, nam in his nil certò malum esse potest; & idcò

exempla dixisse non scandala: qui enim Superiorum imitarentur vitia, facerent, quod Maiorum' exhortarentur, scandala.

pueden sequir loque sus Perlados les dizen, y aun es razon que los Religiosos simples se sugeten a su parecer, principalmente si son hombres, doctos, temerosos de Dios.] Nota illud *evidentemente.* Ergo ut subditus teneatur non facere, quæ Prælatus iubet aut consulit, oportet ut certò & evidenter sint contra legem Divinam. Cessat ergo hæc obligatio quando interdictionis datur *Non-certitudo.*

D. Bartholomæus à S Fausto.

Qualis ipse: & qualis eius libri sint?

MVltis & doctissimis voluminibus Reformatam Cistertiensis Ordinis Congregationem honoravit, & Romanam Provinciam Prudentissimè & sanctissimè rexit. Et, quia inter cæteros eius libros, qui *Thesaurus Religiosorum* inscribitur, est universis utilis, & præcipuè disserit de Obedientia, aliqua in eo folia percurram, ut hanc possim Dialexim exornare.

De promulgatione. An ad legis seu præcepti essentiam seu substantiam pertineat?

Libri VI. quæst.6. inquirit, *An ad rationem præcepti promulgatio requiratur?* Et reiicit Abbatis sententiam, *in cap.1. de postulat.10.* quæ negat: & asserenti subscribens asserit præceptum, nec verè esse præceptum, nec obligare subditos, nisi intimetur & promulgetur. Et citat D.Thomam *in 1.2.quæst 90.ar.4.* Caietanum *ibid.* Valentiam *tom.2.disp.7. quæst.1.part.2.* Et probat *Ex cap.in istis.d.4.* ubi habetur *Leges constituuntur, cum promulgantur.* Ergo ante promulgationem non erant constitutæ leges, Et, ut hanc doctrinam meliùs intelligas, videre proderit, quomodo Quæstionem L I. decidit. In eâ interrogat. *An, ut Religiosus teneatur suo Prælato obedire, satis sit, ut ipsius voluntas ei innotescat?* Quod dubium de omni subdito, etiam non Religioso respectu sui Superioris moveri poterit. Et respondet. [Religiosus, etsi teneatur de [a] congruo se conformare in omnibus voluntatibus sui Prælati; non tamen peccat, non id faciendo, nisi sibi de re aliquâ proponatur expressè vel tacitè formale præceptum. Sic D.Thomas *quæst.23. de verit. art. ult.* & *2.2. quæst.104. artic.1.* & *ibi* Caietanus, Toletus *de sept. peccat. mortalib.cap 15. num.10.* & Vasquez *1.2. quæst.95. art.3.disp.155. ad fin.* Qui bene addit, nec etiam teneri Religiosum obedire, etiamsi norit actum intellectûs Superioris imperantis, nisi esset voce expressus, quia homines solùm ligantur imperio, modo humano explicato, & intellecto. Ergo leges, & præcepta, ut obligent debent promulgari; & tametsi cognoscantur à subditis, ante promulgationem non obligant: sæpe enim contingit, ut decreta Principum propter incidentes rationes detineantur in Cancellaria, nec censentur habere vim legum à die quâ concipiuntur, scribuntur, firmantur, sigillantur, &c. sed à die, quâ publicantur.

An teneatur obedire subditus, si Superioris voluntatem cognoscit?

a] Ecce Vir doctissimus etiâ in Monasticis moribus leges Philosophicas distinguit à Theologicis: nam illæ de congruo, & ex decentiâ, non autem in conscientiâ obligant.

Quando leges incipiant obligare?

Ergo (N.B.) si lex scripta & sigillata habuerit quatuor articulos & non nisi duo promulgentur: solum promulgati & non alij obligabunt.

An unius & eiusdem legis possit una pars obligare, & altera non obligare?

I. Caramuelis Dialexis.

Quid facere subditus debeat quando res certò mala præcipitur? Quid, si dubitet, an res, quæ iubetur, sit mala?

Quæst. L I I. petenti, *An Prælato contra Deum præcipienti, teneatur subditus obedire?* negativè respondet: & Quæst. LIII. dubitanti, *An saltem debeat obedire Prælato iubenti contra Canones & leges Ecclesiæ?* respondet etiam negativè. Hæ duæ Resolutiones præcepta certa & indubitata concernunt, nam de incertis aliter philosophatur; & ideò Quæst. LIV. interrogat. *Vtrùm subditus, qui dubitat, an id quod præcipitur, sit licitum, teneatur obedire?* Ponit duas sententias, & ego potiùs puto subesse aliquam λογομαχίαν ex variâ acceptione vocis *Dubij* subortam: nam Dubia levia non sunt Regulæ morum, & Dubia gravia sunt, quæ Probabiles Opiniones dicuntur. Respondet D. Bartholomæus. [Pro certo tenendum est, subditum in re dubiâ teneri obedire Superiori. Ratio est, quia in dubio, an res sit licita, nec ne? melior est conditio possidentis. At Superior est in possessione iuris imperandi. Ergo in dubio potest ille suo iure uti; & per consequens subditus tenetur in tali dubio Superiori obedire.] Prorex ex. gr. est in possessione gubernandi nomine Regis; & leges fert, quæ obligant universos. Et semper præsumitur bene præcipere, quamdiu non sit certum contrarium, ut S. Augustinus *lib.22.contra Faustum, cap.74. & 75.* asserit, & communiter cum Covarruviâ *in Reg.1.p. num 5. in fin.* tenent Iurisperiti. Et peto, An prudenter quis diceret: *Tametsi impossibile sit adire Regem, & obtinere ab eo declarationem, hic & nunc nolo obedire Proregi, quia dubito. An hoc eius mandatum sit contra voluntatem Regis?*

De Dubij in grave & leve divisione.

An Superior sit in possessione imperandi?

In dubio est obediendum Proregi: aut Vicario cuicumque.

Subiicit. [Superior habet ius & potestatem præcipiendi non solùm, quæ subditus novit esse licita, sed ea, quæ non constat esse illicita.] Et *quæst.55.* [Ad officium subditi non pertinet inquirere ac investigare, sitne bonum & expediens, quod præcipitur, sed rem præceptam exequi, dum ei evidenter non constet esse malam.] At omnia, quæ potest præcipere, potest facere: immò debet in communi sententiâ, quia ex decentiâ Princeps propriis legibus obligatur. At D. Bartholomæus ait eum posse iubere, quæ non constat esse illicita. Ergo sentit eum posse facere, quæ non constat esse illicita.

An, quæ Superior potest iubere, possit facere?

Asserti pars est regulariter vera: nec casus in quibus est falsa, hue concernet?

Prætereà utitur verbis *ex cap. quid culpatur. in fin.23.quæst.1.* desumptis. Ibi enim lego. *Vir iustus, si etiam sub Rege & homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit certum non est,* &c. Ita S. Augustinus *libr.21. contra Faustum, cap.74. & 75* Ergo possumus licitè facere illa, quæ esse contra Dei præceptum certum non est.

Considera attentè illa verba, certum non est.

Adducit posteà fortissima & clarissima verba D. Bernardi, quæ ostendunt perfectum Monachum debere, aut saltem posse obedire Prælato in his de quorum Divina interdictione nulla est Certitudo. Mellei Doctoris verba *num.794.* ponuntur, & dilucidantur.

An confirmetur hæc doctrina S. Bernardi authoritate?

A a 2 Deinde

Vt quis licitè obediat sufficit, quòd in re præceptâ non sit certa malitia.

Deinde clarioribus verbis suam sententiam reponit: inquit enim. [Vt subditus possit & teneatur obedire superiori, non est necessarium, ut ipse subditus videat esse bonum, quod præcipitur; sed satis est, ac sufficit, ut ipse non intelligat evidenter esse malum: ut constat *ex dict. cap. quid culpatur, in fin.* 23. *quæst.* 1. ubi ad obedientiam solùm requiritur, ne certum sit rem imperatam esse illicitam.]

An Navarro opponatur D. Barthol.

515 Reprehendit posteà Navarrum, quòd *cap. si quis autem, num.* 114. *de pœnitent. distinct.* 7. asseruerit, opus esse, ut subditus in hoc dubio licitè obediat, ut priùs sibi persuadeat rem præceptam esse bonam, saltem quoad effectum ad quem sibi imperatur. At contra D. Bartholomæus, [Hoc non est, necessarium, ait, sed satis est, ne pro comperto (*ne pro certo*) habeat, rem illam esse illicitam (*interdictam*,) &c. Sed, si rem volumus intelligere, conveniunt Navarrus, & D. Bartholomæus: hic enim de veritate actus disputat, ille de Bonitate. Iubet mihi Prælatus aliquid facere, quod est probabiliter malum. Et tunc hæc propositio, *Hic actus non est interdictus*, non est certus: at hæc, *Hic actus est bonus*, est certa. Dicit D. Bartholomæus, *Etsi subditus non sit certus de Veritate actûs, debet obedire:* & hoc non negat Navarrus, ait enim, *Debet subditus esse certus de Bonitate sui actûs, ut possit obedire.* & hoc non negat D. Bartholomæus; ut enim bene operer, debeo scire me bene operari.

An, & quomodo possint aut doceant ad concordiam reduci.

Quanta sit superiorum authoritas?

Nec puto Azorium *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 9. ab hac omninò dissentire doctrinâ: interim, quia non eius, sed D. Bartholomæi mentem examino, huius verba subjicio. [Superior ius habet imperandi omne id quod evidenter non constat esse illicitum, &c.]

An, & cur coniux de matrimonij valore dubitans teneatur debitum reddere?

Subjicit. [Conjux opinans matrimonium esse nullum, non potest alteri petenti debitum denegare, dum non sibi certa est nullitas matrimonij; ne alterum possessione suâ spoliet; ut latè probat Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 44. *num.* 3. Ergo opinans aliquid esse malum, ac proinde Superiorem non posse illud præcipere, non potest illum suâ præcipiendi possessione spoliare, donec certò sciat illud esse illicitum. Ergo subditus contra opinionem propriam Superiori obedire tenetur.

An Religiosus cogi possit, ut Prælaturas admittat?

Et sub finem doctè & solidè interpretatur quandam Paludani sententiam: hic enim *in* 4. *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 1. ait Religiosum, iussum à Superiore admittere Prælaturam sui Ordinis, aut audire confessiones, teneri obedire, tametsi se his muneribus indignum & incapacem iudicet D. Bartholomæus ita eum interpretatur, ut de opinante, non de sciente subdito loquutus fuerit, unde ait. [Est intelligendus, quando evidenter non se cognoscit indignum [*a*,] sed dubius est; quia in dubio tenetur Prælato obedire.]

a] In incapacè voluit dicere: nam vox indignus latè patet: & indignis gratiæ, si sint capaces, solet fieri.

Quid de Probabilioristis dicendum sit?

Sed quia turbare Monasteria, aut etiam Rempublicam possent Probabilioristæ, dicendo, *id quod præcipitur est minùs probabile, non possumus Superiori obedire*, volo etiam hac in parte exponere, quid nos doceat D. Bartholomæus. Nam contra Probabilioristas Quæstionem his verbis decîdit. [Hoc idem sentio, etiam si subditus tanquam probabilius intelligat, id quod iubetur, esse malum: adhuc enim tenetur obedire; cùm assensus ille non sit certus & evidens, nec limites Opinionis excedat. Nec est necessarium, ut subditus iudicet Prælatum in præcipiendo amplecti aliam opinionem probabilem, dictantem illud esse licitum (ut volebat Azorius) nec, ut vult Navarrus huiusmodi dubium deponat, sed stante eo dubio, & ignoratâ probabilitate alterius Opinionis, tenetur subditus Superiori obedire donec eius materiæ malitiæ certus omninò sit: quia ea opinio & dubium subsunt speculativa (ego dicerem, sunt de Veritate, & non de Bonitate actûs) & operari contra dubium & propriam opinionem speculativam (quæ incerta est de Veritate actûs) licitum & obligatorium est, quando possessio alterius cogit ad formandam contrariam opinionem practicam (videlicet, de Bonitate actus) nempe, esse tunc obediendum, ne alter (Superior) iustâ possessione spolietur, dum non constat rem esse malam, &c.]

Etiamsi res præcepta probabilius sit à Deo interdicta, subditus tenetur obedire: & tunc tantum cessat hæc obligatio, cùm certum est, à Deo, aut ab Ecclesia, &c. illam rem esse interdictam.

Possem plura adhuc testimonia congerere, sed, quia brevitatem amo, & hæc sufficiunt, ut huius eximij Doctoris mentem intelligamus, non erit, cur Lectorem pluribus oneremus.

Redingus.

Qualis Dominus Redingus sit

Est P. Benedictus Redingus Ordinis S. Benedicti Theologus, habetur apud eruditos in pretio. Est ferè Thomista: raiò enim à sententiis D. Thomæ se subtrahit; verùm enim verò, cùm id facit, non nisi gravissimâ ratione perpellitur. Hic ergo Eximius Vir, vt ego frequentissime dialecticatur, quod loci sequentes persuadent. Quoniam *tom.* 2. *q.* 9. *art.* 5. *pag* 246. hanc etiam materiam edisserit; quoniá postquam asseruerat Principia Moralia generalia, vi quorum Conscientia Dubia deponi, & ad debitæ rationabilis resolutionis securum statum deduci potest, Ioan. à S Thom. *disput.* 12. *tract.* 4. *n.* 23. & Ildephons. Baptist. *disp* 209. *à n.* 1071. optimè tradidisse, illa edisserit; & primum exponit his verbis: [Primum (Principium) in eo se tenet, quod si factâ morali diligentiâ nihil potest liquidari, sed dubium manet, inspiciendum sit pro quâ parte stet possessio, oporteátque illam partem sequi tanquam tutiorem; siquidem nullus propter dubium sit spoliandus Iure suo, ac possessione. Cuius probatio desumitur ex lege. *Cùm par delictum, lege in pari causa de reg. iuris.* Item *cap. in pari. eod. tit. in* 6. ubi dicitur, *quod in pari delicto, vel causa potior sit conditio possidentis.* At licèt istæ Regulæ videantur statutæ pro foro externo, si tamen possessor sit bonæ fidei, tenet pro foro etiam interno, cũ forum internum

An Moralia Principia optimè tradiderit P. Ioannes à S. Thomâ? an etiam Ildephonsus Baptista.

An æquè in foro externo & interno in omni dubio standum pro possessione sit?

An forum internum & externū conveniant?

internum semper confirmari debeat externo, quando istud non innititur falsæ præsumptioni ex Soto *lib.*4. *de Iust. quæst.* 5. *art.* 3. *vers. Quarto arguitur*, Suarezio *de Cons. disput.* 40. *sect.* 5. *num.* 16. Castropalao *cit. disp.* 3. *punct.* 2 *num.*4 & aliis ab ipso relatis.

517 *Qui est in possessione, si superveniat dubium, debet rem bene examinare.*

Ex hac doctrinâ aliqua Corollaria deducit: & *num.*26. his verbis: [Infertur primò, Possessionem eatenus suffragari in materiâ Iustitiæ, ut dubitans, an res à se possessa sit aliena, teneatur quidem diligenter investigare Dominum, hoc tamen non comperto, possit illam retinere. Ex Covarru. *reg. possessor.* 2. *part.* § 7. *n* 4. Molinâ *tom.* 1. *de Iust. tract.* 2. *disput.* 35. *in fine.* Ioanne à Sancto Thomâ *cit. artic.*4. *num.*23. Et Castropalao, *cit. disp.* 3 *punct.* 2. *num.*4. Et pluribus ibi relatis Doctoribus contra Sotum *lib.*4. *de Iust. quæst.* 5. *art. ult. prope finem.* Existimantem; debere in tali casu rem dividi cum personâ de cuius dominio dubitatur, vel istâ non cognitâ, partem pro ratâ Dubij pauperibus distribui.

Sed quid, si post examen maneat dubium? Debetne rem totam retinere, an dividere?

.518 Et tandem *pag.*240. *b. num.*39. sic infit. [Possessio in omnibus aliis à Iustitiâ distinctis materiis est sufficiens titulus ad deponendum Dubium ex Soto *lib.* 7. *de Iustit. quæst.*43. *artic.*2. *docum.*2. §. *Sed est hic.* Suarezio *de Cens. disp.*40. *sect.* 5. *num.*15. *& tom.* 2. *de Relig. lib.*2. *de voto cap.*33. *num.*7. Et quam plurimis aliis Theologis contra Vasquezium 1.2. *disput.*62. *cap.*3. *num.*13. Ratio est. Quia in omnem Virtutum materiam cadit obligatio, contra quam stare potest præsumptio, atque adeò possessio libertatis.] Et hinc securum hoc Corollarium deducit. [Si dubium sit exortum, an pro aliquo casu subsit lex, aut præceptum aliquod, nec istud dubium diligenti inquisitioni vinci potuerit, indicandum esse pro libertatis possessione; ex Doctoribus relatis à Castropalao *hic punct.*7 *num.*1. Qui addit. *n.*2. idem prorsus esse dicendum quoties dubium fuerit, an lex, vel præceptum se extendat ad aliquem casum, de quo Prælatus consuli non potest, perinde enim fore tunc, ac si dubitaretur de lege, an imposita fuerit? Secùs tamen esse, si de lege eiusque obligatione constet, dubitetur tamen, an quis ratione necessitatis, vel alterius circumstantiæ ab eâ eximatur, tunc enim standum esse pro legis possessione, quæ exceptione dubiâ tolli non possit ex Thomâ Sanchez *lib.*1. *in Decalog. cap.*10. *num.*33. *&* 34.]

An Regula de Possessione in omni virtute admittatur?

519 *Stat pro libertate possessio; cùm, quando de legis existentiâ dubitatur: cum, quando de lege constat, & tamē dubitatur, an in ipsâ talis casus in particulari claudatur?*

Quid, si ratio à lege certâ eximens, non nisi dubia sit?

An sit in possessione lex de quâ dubitatur, an sit usu recepta?

Non autem omninò placent, quæ Redingus subiungit, inquit enim. Author (Castro-Palaus) *cap.*11. *num.*35. contra alios quosdam probat, standum esse legis obligationi, quando dubitatur, an sit usu recepta; quia tunc pro lege stat Iuris præsumptio, atque adeò possessio] At ego sic de lege discurro. Vt lex sit in possessione debet habere omnia illa, quæ sunt necessaria, ut sit valida, & obliget. At est necessaria publicatio & acceptatio. Ergo idem erit de publicatione aut acceptatione dubitare, ac de legis existentiâ dubitare. Ergo non erit in pacificâ possessione lex, de quâ disputatur, an fuerit in rerum naturâ. Cæterum, si anno elapso erat lex in viridi observantiâ, & hodie dicatur iam non esse: nam desiit esse per contrarium usum. Lex erit in possessione, & manutenenda, donec certò constet de usu contrario, & certò constet hunc contrarium usum ad legem dirimendam sufficere.

An sit in possessione, si heri fuit valida, & hodie propter contrarium usum de eius valore dubitetur?

Bassæus.

FVit Capucinus P. Eligius Bassæus; & tanti in Belgio apud Ecclesiasticos habitus, ut nulla causa gravis sine eius consilio resolueretur. Debeo illi amorem & honorem, nam multas opiniones meas suas fecit; easque eisdem rationibus, immò verbis persuasit. Ergo mea intererit ostendere hunc eximium Theologum nostris Fundamentis insistere, & huius Dialexeos Resolutione omnes suas succollare. Locos eius aliquos recognoscamus. Ipse itaque primò Moralium Florum librum edidit, quem posteà supplemento addito dilucidavit. Et *verb. dubium*, *num.*4. interrogat, *An standum pro possessione sit in omni materiâ Virtutum.* Præmittit negativam sententiam: & pro illâ citat Vasquez *in* 1.2. *disp.*65. *&* 66. Hurtadum *de matrim. disp.* 10. *diffic.*9. *num.*49. & probat, Quia alias in dubio nullum præceptum obligaret, cùm semper conditio possidentis libertatem potior esset. Resoluit tamen dicens. [Verius tamen est, in quâcumque materiâ potiorem esse in dubio possidentis conditionem: quia possessio est titulus universalis omnibus Virtutibus, &c. Ita Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 5 *num.*7. Garzias *tom.* 2. *de benef. part.*7. *cap.* 2. *num.*14 Filliucius *tract.* 21. *cap* 4. *num.*165. Sanchez *de matrimon. lib.*1. *disp.*9. *num.*11. Malderus 1.2. *disp.*85. Immò Ioannes Sancius [N. B.] *in Select. disp.*42. *num.*8. docet illum, qui habet possessionem in materiâ aliarum Virtutum habere possessionem ex Iustitiâ.] Vide Dianam *part.*4. *tract.* 3. *resol.*2.

520 *Bassæus magni ab Episcopis in Belgio factus.*

An Possessio sit titulus universalis?

An, qui in materiâ aliarū Virtutum habet possessionem, illā habere ex Iustitiâ dicendus sit?

Et *num.*10. ait [Quidam sentiunt in dubio de iustitiâ belli posse militem bellare, sive sit subditus Principis bellum indicentis, sive non. Ratio est: quia [N. B.] dum de iustitiâ belli clarè non constat, nec de iniustitiâ, semper præsumendum est pro Principe bellum indicente. Tum, quia Advocatus etiam in causâ dubia utrivis parti patrocinari potest: & famulus servire potest domino exercenti contractus speculativè dubios. Tum, quandiu miles etiam extraneus seu voluntarius, certus non est de iustitiâ belli, non peccat: immò tenetur cogitare Regem illum iustitiam habere, aliàs peccato temerarij iudicij esset obnoxius, cùm condemnet, quem sine certis indiciis iniustè bellare existimat: in dubio enim peccati proximi, etiam mihi non superioris, non licet certam ferre sententiam de malo absque peccato, &c. Ita probabiliter Petrus Navarrus *de restit. lib.* 4. *cap.* 3. *part.* 2. *dub.*12. *num.*260. Salas

N. B. An possit quis in bello, de cuius iustitiâ dubitatur, militare? Hanc quæstionem tractavi in Theologiâ Intentionali. Affirmativam dico esse viguerij 2. 2. *quæst.* 40. *art.*1. *dub* 3 *n* 50. eamque docuisse Romæ Suariū asserente Tannero 2. 2. *disp.*2. *quæst*, 6. *dub* 4. *n* 49. Negativam tenet Lorca 2.2. *sect.*3.

d ʃp. 3. n. 7 V ʃquez 1. 2. d ʃput. 61 cap. 9. n. 13 D ... A ... Tannegus, Thom. ... chez, Sylv. Valent. B... ʃiez, Iacob. Gravadus, Diana, & ... ij. Ego ... d m caʃum impoſſibilē eſſe pronun cio.

1. 2. *queſt.* 21. *tractat.* 8. *diſput.* 1. *ſection.* 26. *num.* 271. Suarez *tract. de Charit. diſput.* 13. *ſect.* 6. *num* 11. & 12. ubi pro firmandâ ſuâ ſententiâ ſex validiſſimas rationes adducit. Communior tamen ſententia diſtinguit; nam, ſi milites ſint ſubditi Principis indicentis bellum, poſſunt in dubio de iuſtitiâ belli ad bellum procedere: ſecùs autem, ſi non ſint ſubditi, &c. Ita Sylvius 2. 2. *queſt.* 40. *art.* 1. *quæſit.* 4. *concluſ.* 5. & 6. Malderus *ibid. dub.* 3. Sanchez *lib.* 6. *Moral. cap.* 3. *num.* 15. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 7 & alij multi penes ipſos.] & tota inter iſtas duas ſententia differentia parva eſt: nam conveniunt illæ agendo de milite ſubdito; differunt, quod ſecunda iubeat, ut extraneus examinet, an cauſa belli iuſta ſit, quod prima non præcipit. Sed quid, ſi poſt examen extraneus remanet in dubio? Tunc in primam recidet ſecunda opinio. Ergo, ut miles det nomen tali labaro, ſufficit ut poſt prudens examen non cognoſcat certò cauſam bellum gerendi eſſe iniuſtam. Et iuxta eoſdem Authores eodem prorſus modo philoſophatur de Advocato.

521 *De Prælat. præcept. ſi de ... electione diſputetur?*

Poſteà *num.* 11. ſic infit: [Quando dubium eſt de legitima Prælati poteſtate, v. gr. ſi dubitetur, an legitimè electus, vel confirmatus ſit, & nondum eſt talis in poſſeſſione Superioritas, tunc licet ei non obedire, donec certò id conſtet: quia cùm talis non poſſideat, ſtandum eſt pro libertatis poſſeſſione. Imò denegari poſſet poſſeſſio, donec de legitimâ actione (lego electione) aut confirmatione conſtaret.]

Quid, ſi ille in poſſeſſione ſit, & dubium poſt poſſeſſionem ſuperveniat?

Quando Prælatus eſt in poſſeſſione ex eodem fundamento contra ſubditi libertatem decidit, inquit enim. [Quando (Prælatus) eſſet in poſſeſſione Superioritatis non poteſt ob ſolum dubium ſpoliari legitimâ poſſeſſione, denegando ei obedientiam, donec certus ſit defectus, &c. Ita Sanchez probabiliter *lib.* 6. *Moral. cap.* 3. *num* 29] Et quia lectorum intereſt etiam contrarias opiniones reſcire, ſubiunxit. [Non eſt tamen improbabilis contraria ſententia aſſerens, quando dubitatur de legitimi Superioris poteſtate, non teneri ſubditum obedire. Idem dicendum eſt, quando adſunt diverſæ opiniones probabiles, &c. Ita Vaſquez *in* 1. *queſt.* 19. *art.* 6. *diſput.* 62. *cap.* 6. Salas 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *diſput. unic. ſect.* 8. *num.* 78.

An utraque ſententia probabilis?

Quid dicendum de lege ſi, de quâ ... igitur, an obliget ſub mortali

Et interrogat *verb. lex* 2. *num.* 19. quid ſentiendum ſit de lege de cuius gravitate diſputatur? & ait: [Quando dubitatur, an lex obliget ſub mortali, vel tantummodo ſub veniali? probabile eſt obligare tantum ſub veniali. Ratio eſt, &c. quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. Ergo quando dubitatur, Vtrùm, lex obliget ſub mortali, vel tantummodò ſub veniali? probabiliter indicari poteſt obligare ſolùm ſub veniali, ſi adhibita ſufficienti [a] diligentiâ ad adſequendam de gravitate obligationis veritatem, dubium perſeveret: nam tunc libertas conſcientiæ poſſidet. Ita Navarrus *in Manuali, cap.* 23. *num.* 50. Suarez *lib.* 3.

[a] ... ſi Su... ... ac dubitaur, an gravi er... an verò evite ... ſuâ lege

de legibus, cap. 15. *num.* 10. *ſub fin.* Coſmus Philarcheus *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib.* 3. *c.* 2. *dict.* 5.] Eſt hæc tamen ſententia contra Valentiam *tom.* 2. *diſput.* 7. *queſt.* 5. *punct.* 6. *dub.* 3. *in fin.* Toletum *libr.* 8. *cap.* 20. *dub. ult.* Salas *de legib. diſp.* 13. *ſect.* 1. *num.* 23. & *diſput.* 10. *ſect.* 2 *num.* 12. *in fin.* & alios. Ratio Reſolutionis eſt certa; nemo enim obſtringitur niſi certo præcepto. Ergo quia in dubiis minimum eſt ſequendum, ut habet Iuris Regula xxx. in ſext. Ergo (1) ſi dubitetur, an res ſub mortali aut veniali præcipiatur, cenſenda eſt præcipi ſub veniali. Ergo (2) ſi dubitetur, an moraliter an merè pœnaliter præcipiatur, cenſenda eſt præcipi pœnaliter (ſub pœnâ) & non moraliter (ſub culpa.) Ergo (3) ſi dubitetur, an præcipiatur, an verò conſulatur tantummodò, cenſenda eſt non eſſe præcepta, ſed conſulta.

ſubditos obligare voluerit, ſi materia præcepta gravis ſit, poſſem dicere illam legem ſub nullo peccato obligare: non enim obligaret ſub mortali, quia Superior non vult: & non obligaret ſub veniali, quia in gravi materiâ Superior ſub levi culpâ obligare non poteſt. Vide, quæ diximus ſuperiùs à n. 215.

Agebat *verb. dubium num.* 13. de abrogatione legis, & ipſe adhærens Severini ſententiæ, illam edifferit his verbis. [Quando dubitatur, an præceptum ſit derogatum alio præcepto vel conſuetudine, vel ſit diſpenſatum, non licet contra præceptum facere, quia lex poſſidet. Et idem dicendum quando conſtat de lege vel præcepto: dubium autem eſt, an in aliquo caſu ratione neceſſitatis, aut alterius circumſtantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione illius: tenetur lege vel præcepto, cùm lex poſſideat. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſput.* 41. *num.* 17. Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 7. Medina 1. 2. *q.* 96. *artic.* 6. *propoſ.* 3. & alij communiter.] Sed quia Vigilantij doctrina eſt etiam ingenioſa & probabilis, illam dilucidat his verbis. Hanc tamen (nempe, Severini) ſententiam reiicit Salas *in* 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 8. *diſput. unic. ſect.* 25 *num.* 259. dicens, in hoc caſu præceptum vel legem improprijſſimè cenſeri poſſidere. Voluntas enim ſuam libertatem anteà poſſidebat, quâ in dubio ſpoliari non debet, &c.]

522 *Quæ ſit hæc Severini ſententia num.* 197. & 939. *reperies.*

Quid dicendum ſit in caſu, quò lex ſeu præceptum ſit certum, & diſpenſatio incerta ſit

Bordonus.

523 *Vicatur ratio generalis, quæ libertatis poſſeſſione deſumitur.*

PRopugnaculum Opinionis Probabilis, liber eſt eruditus in quo copioſè & ingenioſè doctrina communis, antiqua, & præſcripta defenditur. Author eſt P. Franciſcus Bordonus, cuius ingenium Viri omnes docti magnifaciunt. Ipſe itaque *cap.* 34. *pag.* 18. *num.* 32. interrogat, *An dubius de lege, aut præcepto, an exiſtant teneatur obedire?* Et reſpondet, non teneri donec præceptum certum ſit: & probat ratione illa generali, quæ à libertatis poſſeſſione deſumitur, & à nobis *generalis* vocatur. Eius verba ſunt hæc [reſpondeo negativè, ac ſi non exiſtant, poſt adhibitam ſufficientem diligentiam. [a] Nam homo poſſidet ſuam libertatem per quam quiſque habet dominium ſuarum actionum, quas pro libito operari poteſt. Ita Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 21. *num.* 36. & *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 32. Villalobos *tom.* 1. *Summæ tract.* 1. *diff.* 21. *num.* 4. Suarez *diſp.* 40. *de cenſ. ſect.* 5. *num.* 15. Henriquez *lib.* 8. *de Euch.*

[a] *Qui non adhibuit diligentiam ſufficientem ut veritati adhæreret, non poteſt ob ignorantiam excuſari vide quæ num. ex Scoto ſupponuntur.*

Euch. cap. 45. *num.* 3. *in comment. lit. P.* ex illis Castro-Palaus *p.* 7. *num.* 1. contra Vasquez *in* 12. *disput.* 64. *cap.* 3. & *disput.* 66. *cap.* 1.] Ecce perinde est esse certum, quod lex non sit, ac non esse certum quòd ipsa
524 sit. *Et quid, si lex obscuris verbis concepta sit? An sciens dari talem legem, si tamen non certo sciat, ad talem casum se extendere, teneatur iudicare illum casum in lege contineri, & debeat in dubio obedire?* Paulò ante benignè resolverant quæstionem hanc Domini Walenburchij, & hic eodem prorsus modo Bordonus controversiam decidit. [Respondeo, ait, post adhibitam diligentiam non tenetur; quia perinde est, ac de existentiâ legis iudicare. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. Salas *tr.* 8. *disp. unic. sect.* 25. *num.* 258. Castropalaus *part.* 7. *num.* 2. Nam diligentia adhita habet rationem Opinionis probabilis, cùm ea determinet intellectum ad iudicandum non existere legem, nec casum sub eâ existentem.] Ergo Bordonus duas Certitudines necessariò requirit: videlicet esse certum, quod illa ipsa lex reverà existat; & esse certum, quod ipsa comprehendat illum casum.

An in casu dubio lex nō obligat?

An duæ Certitudines omnem actū malum præcedant?

Hurtadus.

525 SIcut non admittit peccatum ubi præceptum non est certum: sic nec admittit obligationem confitendi, ubi non est certum illud fuisse commissum. Sanè *disp.* 173. *sect.* 5. *subsect.* 2. §. 25. interroganti, *An puer primo instanti, quo utitur ratione, teneatur amare Deum super omnia?* Respondet dicens. [Præceptum de diligendo Deo obligat sub initium vitæ moralis; id est, quando aliquis cum pleno rationis usu cogitat de Deo, de eius bonitate, excellentiâ, & beneficiis. Hoc tempus non est accipiendum indivisibiliter, pro uno instanti, pro unâ horâ, aut pro uno die; sed cum quâdam latitudine, quam negativè potiùs quàm positivè definire possumus; id est, non est prætereundum multum tempus: quemadmodum enim qui Religionem vovit, non tenetur eam inire cùm primum nuncupavit votum, at tamen tenetur, non præterire multum tempus ita tenemur diligere Deum.] Sed quid fiet illi, qui nec scit, nec recordatur, an huic præcepto in illâ tenerâ ætate satisfecerit? Respondet, Neque propterea torquere se quis debet, utrum huic præcepto satisfecerit, ut enim confiteri teneretur, deberet certò scire, se illud cognovisse, & violavisse.

De actu Charitatis, quem puer elicere debet quando incipit usum rationis.

An hîc tempus, mathematicè, an potiùs moraliter sit accipiendum?

An, & quādo huius actûs omissionem confiteri teneatur?

Spinula.

526 D. Stephanus de Spinulâ Savonensis Episcopus; ex Congregatione Sumaschiâ Illustrium Virorum matre & altrice assumptus, doctissimum *de libera & prudenti agibilium electione in Moralibus* librum edidit: quem libenter & utiliter legi, & *disput.* 2 *concl* 3. totam meam *de Non-Certitudine* Dialexim ad sequens Compendium reducit. *Opinio, quæ tollit obligationem aliquid faciendi vel omittendi, ex quocumque capite oriatur obligatio, probabilis est, etiamsi nulla ratione positivâ fulciatur, dummodò solvat omnia argumenta in contrarium. Opinio autem, quæ obligat, non est probabilis nisi positivè probet, vel habeat sufficientem Doctorum authoritatem.* Et quid, si probabilis sit? æquè obstringet conscientias, ac si esset improbabilis: hæ enim præcepti Certitudine, & non Probabilitate, aut Probabilioritate ligantur.

Quid requiratur, ut Opinio probabilis sit?

An verò probabilis obliget?

Plus dicit eruditissimus Dominus, quàm nos in Apologemate. Nota illa verba, *etiamsi nullâ ratione positivâ fulciatur.* Dicimus, nos, *etiamsi nullâ positivâ speciali fulciatur*: nam generalem, quæ à libertatis possessione desumitur, non negamus: & hoc ipsum à Spinula negari non posse censemus.

An saltem generali ratione persuadeatur?

PP. Carmelitæ Excalceati.

CVm speciali reverentiâ has lineas scribo, & in eruditione proficio, nam in his sanctis Religiosis video practicè controversiam decidi, quæ in multis Communitatibus, ne dicam Ordinibus causa fuit magnæ relaxationis. Quæritur, *An Religiosi, qui addiscunt & profitentur literas, eximi debeant a ieiuniis, & observantiis Regularibus?* Et Ego ante Resolutionem sic discurro Religiosorum Congregationes sine doctrinâ stare non posse, certum est. Literas sine labore & studio non posse adquiri, etiam est certum. Indigere eos qui laborant viribus; & qui student tempore: est similiter certum. Et quid ex his præmissis inferre poterit Regularis Prudentia? An-ne Philosophiæ & Theologiæ studiosos eximendos esse à ieiuniis, ut vires habeant: à choro, ut tempus, quo literis impallescere possint? Sic infert (iam benignius; iam strictiùs) multarum Religionum Discretio. At excalceatis Carmelitis esse hæc in re singularibus placuit, & tametsi in Collegiis nervum rigoris teneant, & observantiæ severitatem non remittant, Divini Numinis adiuti gratiâ, & Parthenîâ Deiparæ intercessione fulti, vitâ & scriptis S. Teresiæ ducti, dant Orbi Literario sanctissimos & doctissimos Viros, qui libris eruditissimis in lucem missis scientias illustrant & exornant. Ergo practicè solvitur, Quæstio illa, quæ sub initium ponebatur: & monemur, qui profitemur Scientias, non obesse literarum studio Ordinis observantias, &c. 527

Authoris adversus PP. Carmelitas excalceatos affectus.

An Religiosi possint literis vacare, quin ab observantiis Regularibus eximantur?

Libros doctissimos ediderunt PP. Carmelitani.

Inter alios libros Philosophiam ediderunt Compluti, Theologiam Salmanticæ, & in utrâque D. Thomæ strictissimè adhærent, & ingeniosissimè philosophantur. Videamus ergo, quid sentiant in materiâ, quam nostra Dialexis dilucidat. 528

De Cursu Philosophico, & Theologico ab ipsis composito.

Ipsi profectò *in* 1. 2. *Tract. de Vitiis & Peccatis, disp.* 20. *dub.* 1. *num.* 43. excusant à confessione adultos, si non habeant evidentiam de non adimpleto præcepto conversionis ad Deum in primo instanti usûs rationis,

An peccata dubia aut probabilia sint in confessione necessario explicanda?

rationis. Eorum verba ſunt hæc. *Si aliquis poſt illam oblivionem* [a] *ratione & diſcurſu ſufficienter deprehendat adfuiſſe in inſtanti uſûs rationis prædictum præceptum, & adimpletionem ignoret, eâ ratione tenebitur ad confitendum tale peccatum, quâ tenetur ad confitendum alia, de quibus dubius eſt.* Sed quâ ratione tenentur Fideles ad confitendum alia peccata dubia, vel probabilia, de quorum commiſſione nullam certitudinem habent? Reſpondent. *Poterunt tamen, quotquot circa rem hanc non habent evidentiam à prædictâ confeſſione excuſari.* Et, ut vides, liberiùs loquuntur, quàm Nos: nos enim, ut obligationem præcepti confiteamur, quâcumque certitudine contenti ſumus; & ipſi evidentiam poſtulant; & hæc, ut docti ſciunt, non in quâlibet certitudine reperitur. Ergo, ne plus, quàm Nos, Patres Eruditiſſimi dixerint, eos de morali evidentiâ agere aſſeveremus.

a] Quæſtio, quæ inquirit, an ego peccaverim in primo illo inſtanti? non dependet à præcepti notitiâ, quam modò habeo, ſed ab illâ præcisè, quã tunc habui.

Quid evidētiæ nomine intelligatur?

529 Et ne quis aſſerat Reſolutionem hanc eſſe circa determinatam materiam; nempe, circa præceptum confeſſionis: nec debere univerſim intelligi; producam alium locum, in quo totam Dialexim meam, & eius fundamentum contractum ad ſynopſim reperio. Ipſi enim *num 56.* ſic inquiunt. *Vt puer peccet, adhuc venialiter, amplectendo, quod bono honeſto diſſonat, aut reſpuendo, quod conſonat, debet eſſe certus* [N.B.] *de hoc Principio, nimirùm,* Quòd tale bonum eſt faciendum, & oppoſitum malum fugiendum, *niſi enim de hoc Primo Principio haberemus Certitudinem* [N. B.] *non conſurgeret ex illo obligatio, aut reſpuendi, quod illi bono diſſonat, aut quod conſonat amplectendi.* Audivi, Vos, Viri doctiſſimi; ſed velim ſcire, quale ſit Fundamentum, ex quo hanc veſtram Reſolutionem deducatis: Rationem, quâ illam demonſtretis. Pergunt; & ſic ſe reſolvere dicunt, *Quia, cùm in dubiis potior ſit conditio poſſidentis, nulla obligatio omninò dubia* (incerta) *poteſt urgere Voluntatem ad operandum, vel omittendum illud ipſum, de quo eſt dubium* &c. Ergo non ſolùm noſtram Concluſionem ipſi habent; ſed noſtro etiam illam argumento perſuadent.

Ad omnem obligationē, etiam ad levem, Certitudo de præcepto requiritur.

Et quid, ſi non daretur hæc Certitudo?

In ſua libertatis poſſeſſione, in omni prorſus dubio eſt manutenenda Voluntas.

530 Interim, quia in fundamento differimus; & ipſi putant, ſe D. Thomam ſequi, quod alij Thomiſtæ, & etiam Carmelitæ negant, DICO PRIMO, Hoc Principium, *Bonum eſt faciendum, & oppoſitum malum eſt fugiendum*, eſt primum Principium Philoſophiæ Moralis, non autem Theologiæ Moralis: hoc autem, *Tale bonum eſt faciendum*, &c. non eſt primum, ut ipſi dicebant, ſed Conſequentia primi, adeoque Principium ſecundarium. Duabus igitur inadvertentiis præpediuntur, nam (1) Philoſophiam Moralem pro Theologiâ Morali adſumunt: & (2) Primum eſſe Principium iudicant, quod ſecundarium tantùm eſt. Et probatur: quia Bonum latiùs patet, quam tale bonum: tale enim Bonum, eſt Virtus aliqua determinata; & eſſe admittendam probatur hoc analogiſmo.

De Moralis Philoſophiæ Principiis.

Non debent confundi cũ Theologicis.

Omne bonum eſt amplectendum
Omnis Virtus eſt bona.
Pudicitia, verbi gratiâ, eſt talis Virtus.
Ergo Pudicitia eſt tale bonum.
Ergo Pudicitia eſt amplectenda. [b]
Ergo, qui illam noluerit amplecti, peccabit.

b] Soritæ nervoſi ſũt, ſi bene fiãt. Conſtruuntur in omnibus Figuris, & Modis, ut in Logicâ, editâ Francofurti, expoſuimus.

Diſtinguo ultimum conſequens. Peccabit philoſophicè, concedo. Peccabit Theologicè, ſubdiſtinguo, Virtute huius analogiſmi, nego; Virtute analogiſmi Theologici, quod ex Theologicis præmiſſis conformetur, concedo.

531 Sed qualis erit Theologicus analogiſmus, quo uti debemus, quando quæritur, an aliqua actio ſit peccatum, aut non? Illum ſubſcribo.

De Principiis Theologiæ Moralis.

Deo eſt neceſſariò obediendum: & Theologici peccati erit reus, quicumque obedire noluerit.
At Deus iubet pudicitiam ſervari.
Ergo Theologicè peccabit, qui huic Divino præcepto obedire noluerit.

Maior eſt Primum Moralis Theologiæ Principium: peccatum enim eſt *factum, dictum, aut concupitum contra legem æternam* (nempe, *Divinam.*) Ita ex S. Auguſtino *lib. 22. contra Fauſtum, cap. 27.* Illud definit D. Thomas *1. 2. quæſt. 71. art. ..* & *quæſt. 76. art. 1.* Cui æquivalet altera peccati definitio, quam ex S. Ambroſio deſumit idem S. Thomas, & *1. 2. quæſt. 109. art. 4.* dilucidat dicens, *Peccatum eſt prævaricatio legis Divinæ, & cæleſtium inobedientia præceptorum.* Vnde Scotus *in 4. diſt. 50. §. Sic ergo intelligendo, n. 9.* (quem fruſtra in oppoſitam ſententiam P. Ioannes Poncius *in 3. diſt. 37. quæſt. unic. pag. 536. b. n. 44.* contra Fabrum *in 4. diſt. 14. quæſt. 1. diſput. 1. cap. 6.* & cæteros Scotiſtas, obtorquere conatur) ſic inquit. *Quodcumque peccatum, ideò eſt peccatum, quia eſt contra præceptum Divinum.* Agit de Theologico, quod κατ' ἐξοχὴν nominatur *peccatum.* Et, quid, ſi Divina præcepta non eſſent? Reſpondet D. Paulus *ad Rom. 4. 15.* οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις. *Vbi non eſt lex, nec tranſgreſſio* (*ſive, prævaricatio.*) Quæ verba recogitabat S. Auguſtinus cum *libr. 2. de peccator. mer. & rem.* ait, *Neque peccatum erit, ſiquid erit, ſi non divinitùs iubeatur, ut non ſit*, & infrà *Quomodo dimittitur per Dei Miſericordiam, ſi peccatum non eſt: aut quomodo non vetatur per Dei Iuſtitiam, ſi peccatum eſt?* Conſonant Scotiſtæ; & in Theſibus Lovanij, dum à Patribus Franciſcanis celebrarentur Comitia Provincialia, ſub P. Antonij ab Oudenhoven præſidio propugnatis erat Sexta. *Etſi verò implicet hominem cum uſu liberi arbitrij creari, qui etiam præfixam ſibi habeat legem Naturalem, ſi tamen per impoſſibile Deus non præcepiſſet ea, quæ ſunt Legis Naturalis, nullum committeretur peccatum* (Theologicum) *in materiâ talis Legis, licèt ſciret quis, ſe agere contra naturalem* (Philoſophicam, nimirùm) *honeſtatem.* Ecce duas Leges cognoſcit Pater Oudenhovenius; Naturalem, & Divinam. Illam conſiſtere in Moralitatum eſſentiis, & repugnare, ut non ſit; hanc ſuperve

Quid ſit peccatum?

An eſſent peccata, ſi leges non eſſent?

An poſſibilis ſit homo exlex?

Qualiter peccaret, qui legem Naturalē Philoſophicam, & non Theologicam violaret?

supervenire, & præcipuos eius articulos observari præcipere asserit. Si interroges, *An lex Divina Præceptiva, necessariò supervenat?* ipse se subtrahit; at alij Scotistæ decidunt. Ioannes Poncius *in 3. distinct. 37. quæst. unic. numer. 2. pag. 528. a.* Sic scribit [Aliqui existimant illam iussionem, quæ est Lex Naturalis, esse actum liberum, sic ut Deus possit illum non habere. Ita Gerson *tract. de vitâ spirituali, part. 3. lect. 1. 2. & 3.* Ocham *2. quæst. 19.* Aliacensis *1. quæst. 14. art. 1.* Andreas de Castronovo *disp. 48. art. 1.*]

An lex Naturalis Theologica sit libera?

532 Ecce sunt duæ Quæstiones toto cælo diversæ? Alia, quæ inquirit, *An Deus necessariò tulerit leges Decalogi?* & altera, *An, si per impossibile illas non tulisset, qui tamen merè Philosophicas violarent, Theologicam culpam committerent?* In prima potest esse Theologorum dissidium; nam plerique omnes Scotistæ necessitatē legis Divinæ negant; Egoque fateor, me nunquam vidisse duas contradictorias ex Scoti sententiâ bene illatas: & multi Thomistæ illam (necessitatem) adstruunt: nempe, Medina *in 1. 2. quæst. 18 art. 1.* Victor. *in relect. de pervenientib. ad usum rationis*, & alij, quos Suarius *lib. 2. de legib. cap. 6.* & alij viri docti sequuntur. At in secundâ, sive Decalogus liberè, sive latus necessariò dicatur, puto omnes Scotistas, Thomistasque debere P. Oudenhovenio, paulò ante producto, subscribere: nam dari legem, quæ ante Divinum præceptum, hominum obstringat conscientias Theologicè, nec probat efficaciter ratio, nec in Patribus, nec in Sacrâ Scripturâ reperimus.

Quid sentiant periti que Scotistæ?

Quid nonnulli Thomistæ?

In quo debeant convenire, & in quo possint differre?

Medina.

533 **R**Ecognoscamus etiam P. Bartholomæum Medinam, Virum certè doctissimum, nam *in 1. 2. quæst. 19. artic. 6. pag. 176. b.* priùs Dubium in Speculativum & Practicum:) vel, ut nos loquimur, in illud quod Veritatem, & illud quod Bonitatem & Honestatem Opinionis concernit) dividit: & posteà sic ratiocinatur.

Dubij divisio.

[Facere contra dubium speculativum (contra dubium, de Veritate Opinionis) non est peccatum. Patet hæc Conclusio exemplis, quæ nemo, nisi stultus inficiari potest. In primis, milites possunt habere dubium speculativum, utrùm bellum quod geritur cum Gallis sit iustum: exploratum tamen habent, quod tenentur obedire præceptis sui Principis, interim quod de iniustitia belli *non constat*; nam hoc definire ad eos non spectat: Sic docet D. Augustinus *23. quæst. 1. cap. quid culpatur.*] Et hic Lectores Ingeniosi adnotanto hunc Eximium Scriptorem insinuare, se hanc doctrinam, quam nobis tradit, ab Augustino didicisse. Locus ille, quem citat, desumptus est *ex libr. 21. contra Faustum cap. 74. & 75.* ibi enim incriminatur Manichæorum hypocrisin, & sic inquit. *Vir iustus si fortè sub Rege, homine etiam sacrilego, militet, rectè potest illo iubente bellare, si vice* (lege, *videlicet*, vel

Exemplū I.

An & quādo milites, si de belli iustitiâ dubitant, servire queant?

Nota illud non cōstat

Quid sentiat S. Augustinus?

534

ut iubent alij *civica*) *pacis ordinem servans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortassè reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Et modo ingeniosi Lectores utriusque verba (Augustini & Medinæ) relegunto, & in illo τὸ *certum non est*, & in isto τὸ *non constat*, Subducunto: & ex utroque inferunto securitatem conscientiæ in actibus humanis desumi ex *Non-certitudine* partis contrariæ.

Pro si vice lege, si sit civicæ.

Nota illud certum non est.

Unde securitas conscientiæ desumatur?

Vt hanc ipsam sententiam roboret & muniat Medina, alterum exemplum proponit. Possidet quis, inquit, bona fide fundum; interim dum non scit esse alienum, si èt incipiat dubitare, rectissimè possidet; nam in iis melior est conditio possidentis. Sic affirmat D. Augustin. *34. quæst. 2. Canone. Si virgo.* Itaque non valet hæc argumentatio, *Dubito, an hic fundus meus sit*, quod est dubium speculativum (nimirùm, de veritate huius iudicij, *Fundus est meus*; *Ergo dubito, an teneor reddere*, quod est dubium practicum (de bonitate huius iudicij. *Fundus est meus*; ex quo necessariò nascitur hoc, *Ergo non teneor reddere*,) &c.] Locus ille Augustini, qui citatur, duos continet casus qui & Medinæ sententiam, & nostram Dialexim confirmant. *Si virgo*, ait Augustinus, *nesciens, viro nupserit alieno si hoc semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera. Si autem sciat, iam hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens* [a] *cubaverit, sicut in Iure prædiorum, tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur, tunc iustè iniustus vocabitur.* Ecce Primò nescit peccata materialia Augustinus; nam, si hæc darentur, materiale sine dubio adulterium virgo illa commisisset. Concedo illam commisisse hypotheticum: patravit enim actum, qui non fuit adulterium, fuisset tamen, si præcessisset necessaria notitia. Interim etsi peccata materialia negentur, poterit in casu ab Augustino proposito adulterium materiale concedi: nam Matrimonium potest philosophicè & Theologicè considerari. In primâ illa consideratione ab omni lege Divinâ & Theologico-peccato præscinditur: & illo in casu Virgo, etiam nesciens, se prostituisset viro alieno: & ideò dici posset admisisse materiale adulterium, non autem materiale peccatum. Ecce Secundò illa virgo non peccat. Sed cur? Eam potuisset Sanctus Doctor liberare à peccato, propter probabiles, & apparentes rationes, quibus præventa nupsit: at quia sciebat non esse has formalem excusationis causam, istam (nempe, formalem causam) exprimit, dicens, *ideò non peccavisse virginem, quia nesciebat illum alienum esse Virum.* Non ergo Sanctus Doctor postulat, ut virgo habeat positivas rationes, ob quas iudicet illum esse suum

535 *De possessore, qui incipit dubitare an iustè possideat?*

Beatus, qui possidet.

De virgine quæ bona fide nupsit coniugato.

Nota illud nesciens.

Nota illud ignorat.

a] *Lege cubuerit.*

An dentur peccata materialia? An hypothetica?

Ratio formalis, quæ tutam conscientiam constituit.

suum virum: sed asserit nescire (non habere ratione certas, ob quas iudicet) eum esse alienum. Et Transiens ad Ius prædiorum Sanctus Præsul, nobis exponit, quis sit possessor bonæ fidei. An-ne ille, qui rem, quam possidet, putat esse probabiliter suam? utique: sed non propter hanc rationem, sed propter aliam concomitantem. Et quæ est hæc? *quia possidet, quod ignorat esse alienum.* Nota bene hanc causalem: sic enim respondet Augustinus.

Quid est cur possessor bonæ fidei dicatur?

536 Pergit Medina ulteriùs, & tertium exemplum edisserit his verbis. [Si vir, qui celebravit matrimonium cum Mariâ, sanâ fide, incipit dubitare, an sit sibi consanguinea in gradu prohibito, est dubium speculatiuum tantum; qua propter interim dum est in legitimâ possessione, iustissimè reddit debitum coniugale uxori suæ; nam possessio efficit illum securum. Hoc esse faciendum, definitur *in cap. Dominus, de secund. nupt. & in cap. inquisitioni de sententia excommun.* Sed est considerandum, quod in his casibus, & similibus, non agimus contra conscientiam, nec contra conscientiam dubiam; nam certâ & indubiâ conscientiâ definimus, id quod agimus esse faciendum.] Sunt verissima quæ nos docet Medina: nam iudicium

Quid facere debeat, qui bonâ fide uxorem duxit, si superveniat posteà dubia aliqua notitia de impedimento.

An operari possit contra conscientiam dubiam?

537 quod vocatur in examen, est hoc, *Maria non est mea consanguinea.* In eo maritus à Bonitate Veritatem distinguit: de Veritate non est certus, nam fortè est falsum. At est certus de eiusdem Bonitate iudicij; est enim certò bonum, donec sit certò falsum. Dicit ergo maritus. [*Ego sum in possessione legitimâ: & ab ea non possum nisi per causam certam & indubitatam expelli.*] Ergo manendo apud uxorem suam non agit contra conscientiam dubiam, quia non habet conscientiam dubiam: nam dubium, quod cadit supra propositionis Veritatem, non concernit conscientiam: & circa eiusdem propositionis Bonitatem nullum versatur dubium: sibi enim certa & indubia conscientia definit, esse faciendum id, quod agit.

Est certò bonum Iudicium cui favet possessio, & nō est certò falsum.

An militet contra cōscientiam dubiam?

Modò recognoscamus locos, quos Medina produxit: & illos accuratè exponamus.

Quanta debet esse certitudo de morte coniugis, ut celebrari queant secunda nuptia?

Caput illud, *Dominus*, ex literis, quas Lucius III. Summus Pontifex, universis Christianis in Saracenorum captivitate constitutis scripsit, extractum est. Ibi ad rem nostram Lego. *Nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vitâ migraverit coniux eius.* Et firmat Dialexim hanc hic textus. Quia, si omnis in possessione suâ est manutenendus, donec ratio certa superveniat, quæ illum expellat à possessione. Et, si maritus prior erat in possessione (de quo nemo poterit dubitare) Consequens erit, ut ille à possessione expelli nequeat (consequens erit, ut secundæ nuptiæ celebrari non possint) donec ratio certa superveniat (certa mortis notitia) per quam à possessione expellatur. Scio multos graves & doctos Theologos hunc eumdem casum mitiùs & benigniùs decidere: sed tu Mihi & Medinæ adsistas, qui Lucij III. Decisioni adhæremus.

Nota illud constet: nam hoc verbum certitudinē postulat.

Quomodo in casu ex nostrâ quis Dialexi debeat argumentari.

538 Etiam, si rem bene consideremus, alter locus firmat nostram Dialexim. Nam Innocentius III. Eruditissimus profectò Pontifex, multas ad diversos scripsit literas, quæ receptæ in Canones, hodie loco Regularum habentur, In illâ, quam libri v. tit. xxxix. caput xliv. exhibet, hæc leguntur. *Inquisitioni tuæ respondentes credimus distinguendum, utrum alter coniugum pro certo sciat impedimentum coniugij propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit: an non sciat pro certò, sed credat: In primo casu, debet potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In Secundo distinguimus, an habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate levi & temerariâ, an probabili & discretâ: & quidem ad sui pastoris consilium, conscientiâ levis & temeraria credulitatis explosâ, licitè potest, non solum reddere, sed exigere debitum coniugale. Verùm, cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discretâ, quamvis non evidenti & manifestâ, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientia committat offensam.* Et hæc narratio potest ad hos casus reduci: nam vel coniux certò moraliter scit matrimonium esse validum: vel certò moraliter scit illud esse invalidum, vel non scit certò moraliter esse invalidum.

Qualis fuerit Innocentius III. Summus Pontifex.

Nota illud, pro certo.

Nota illud nō sciat pro certo.

An in aliquo casu sit actus virtutis non obedire, & se permittere excommunicari?

Aliqui casus, ut Canon dilucidetur proponuntur & expenduntur.

539 In primo casu, non erat, cur Pontifex consuleretur; & ideò nihil ad eum respondit: tunc enim coniugem posse petere & reddere debitum, indubitatum est. Interim, quia sæpe sunt, qui de rebus certissimis dubitant, hunc casum benignè (nec enim licuit aliter) resolverunt, Henriquez *lib. 11. cap. 15. § 13.* Merolla *tom. 1. disputat. 3. numer. 168.* Verricellius *tractat. 2. quæstion. 13. numer. 8. pag. 66. b.* & alij.

Quia, si matrimoniū sit certò validum?

540 In secundo Hurtadus *de matrimon. disp. 10. diff. 9. num. 37.* Sic statuit. [Quando coniux est moraliter, seu probabiliter certus, absque eo quod oppositæ partis sit probabilitas, ut si à tribus fide dignis audierit, se esse consanguineum suæ uxoris in quarto gradu, & oppositæ partis nullam haberet probabilitatem: non posset, neque petere, neque reddere, & tamen non haberet maiorem certitudinem, quam probabilitatem] Sententiam tene, sed non modum loquendi: primò enim Grammatica Civilis illas tres negationes *non, neque, neque*, tametsi etiam apud alios legantur, non tolerat: & secundò Grammatica Scholastica non patitur eam vocari *Opinionem probabilem*, cuius opposita improbabilis est: sæpe enim Theologi

Et quid, si sit certò invalidum?

An una sententia esse possit probabilis, si opposita improbabilis est.

De Civili Grammaticâ.

De Scholastica Grammatica.

An Probabilitas vocari possit Certitudo Moralis?

Theologi ratiocinantur, sic: *Hanc sententiam Doctor N. censet esse probabilem, quoniam oppositam cui adhaeret, probabilem (aut probabiliorem) tantum vocat.* Incidit in haec Hurtadi verba Angelus Maria Verricellius *quaest. Moral. part. 2. quaest. 13. pag. 66. b.* & in illis sententiam amplectitur, & abusum verborum reprehendit: inquit enim. [Ita Hurtadus, qui *Certitudinem Moralem* minùs propriè vocat *Probabilitatem.*] Puto Veritatem Bonitatemque actus ab Hurtado confundi: nos enim qui illas distinguimus, Moralem de Bonitate Certitudinem, cum Probabilitate de Veritate concordamus. Ego autem dico coniugem, si à duobus vel tribus fide dignis, & qui rem scire possunt, audierit se matrimonium contraxisse invalidè, debere rem examinare, & ante debitum examen nec posse petere, nec reddere debitum.

R. vocari Certitudo Moralis de Iudicij Bonitate potest, de Iudicij veritate nō potest.

Quid de dubio aut probabilitate dicendū, si quando mala fides e possessione?

Si post hanc Moralem Certitudinem superveniat dubium, quia invaliditas est in possessione, ut nec petat, nec reddat debitum iubent Sotus *in 4. distinct. 17. quaest. 1. artic 3.* & *dist 37. quaest. 1. artic. 5.* Lopez *part. 2. de matr. cap. 39.* Vega *lib. 3. Summae cas. 55* & in hoc exactè consonant nostrae Dialexi. Et fortè malam fidem in possessione esse supponunt. Ioann. Medina *Codice de restitut. quaest. 17.* Petrus Soto *lect. 2. de matrimon.* Altisiodorensis *3. part. tractat. ultim. cap. 2.* Adrianus *in 4. tract. de restit. quaest. de praescript.* & alij, qui dubitantem, nec reddere, nec petere posse asseverant.

541 *Quid dicendum in casu, quo coniux non scit certò moraliter matrimonium esse invalidum, tamen si dubitandi habeat sufficientes rationes.*

In tertio casu nil resoluit *loc. cit.* Verricellius; quia ut ait [longiorem requirit disputationem, de quâ alibi] Henriquez *lib. 11. cap. 11. num. 5.* ait [posse coniugem, qui de valore matrimonij dubitat, reddere debitum exigenti, si illud probabilius iudicet esse validum.] Caeteri, qui docent posse Christianum minùs probabili adhaerere sententiae tenentur dicere posse reddere & petere debitum, etsi matrimonij valor sit minùs probabilis. Posse quidem dubitantem in casu reddere non autem petere, ne à Canonum praescripto recederent, asseruerunt S. Thomas *in 4. distinct. 38.* Sanctus Bonaventura *ibid* Sylvester. *verb. Matrimon. 8. quaest. 13. conclus. 2.* Barth. Ledesma *de matrimon. dub. 2. conclus. 2.* D. Antoninus *3. part titul. 1. cap. 9.* Corduba *libr. 3. Quaestionarij quaest. 5. & 8.* Conradus *de contractibus quaest. ultim. conclus. 3.* Rebellus *lib. 2. de obligat. instit. quaest. 16. sect. 2. numer. 11.* Navarrus *in Summ. cap. 22. num. 54.* Aversa *de Matrim. quaest. 31. sect. 2. pag. 641. b. §. Media via.* & alij: qui omnes, quâ parte docent in casu posse dubitantem debitum reddere, nostrae Dialexi insistunt: caret enim solutione hoc argumentum. [Foemina est in possessione, ut ei debitum ex obligatione reddatur. Ergo sine ratione certâ & indubitatâ non potest suâ possessione privari, &c.] At sunt duo argumenta, unum huic simile; & alterum ex ipso deductum, quae congruam solutionem non habent. Illa propono. Est primum. [Vir est in possessione debitum ex iustitiâ petendi. Ergo sine ratione certâ & indubitata non potest suâ possessione privari.] Secundum. [Quando vir tenetur reddere, & reddit debitum, est ne bonum & prudens hoc iudicium, *Matrimonium est validum:* vel non? Si hoc; nec reddere nec petere potest. Si illud; & poterit petere & reddere.] Et propter haec duo ratiocinia, eum, qui bonâ fide contraxit, si superveniant dubitandi rationes, debere rem examinare quamdiu veritatis inveniendae spes sit, aliàs non (& hoc omnes tenentur dicere) interim, si exacta veritas resciri non possit, posse possessioni prospicere, & reddere & petere debitum, asseruere Palatius *in 4. distinct. 36. disput. 1.* Vera-cruz *in specul. part. 1. artic. 42. conclus. 3.* Diana *part. 3. tract. 4. resolut 295.* Angles *part. 2. de matrimon. quaest. 11. de impedim. ordin. artic. 3. dub. 5. & 6.* Martinus de Ledesma *part. 2. quarti, quaest. 8. artic. 4. dub. 6.* Henriquez *lib. 12. de matrimon. cap. 6. num. 5.* Sanchez *libr. 2. disput. 41. num. 46. & 47.* Bonacina *quaest. 4. punct. 4. num. 5.* Valentia *de matrimon. quaest. 6. punct. 2.* Coninchius *disput. 34. dub. 10. num. 105.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. num. 343.* Reginaldus *tom. 2. libr. 31. cap. 39. num. 299.* Et haec est Sententia, quam nondum visis aliis Authoribus, ego solo naturalis ingenij lumine doctus ante multos annos sum amplexus. Et haec est, quam nuptiae sententiarum nos docebat P. Bartholomaeus de Medina, propter quem haec omnia adduci, & exponi debuerunt.

Quinam concedant posse reddere, et negent posse petere?

An bene sentiant vel ex parte.

Cur in casu debeat maritus reddere?

Cur possit petere?

Authores qui in casu asserunt posse maritum reddere & petere debitum.

N. B. Authores qui inter reddere, & petere distinguunt, eum distinguunt, inter debitum & probabilitatem: nam Aversa, quod in dubio negarat, à nobis est quaest. 21. art. 1. pag. 544. §. Caeterum: & in probabilitate reddere & petere coniugatis concedit.

Progreditur P. Bartholomaeus; & ex S. Thomae indubitatis fundamentis nonnulla addit, quae in nostram dialectum tractata magnam lucem addent Controversiae sequenti. Sic enim ait. [SECUNDA CONCLUSIO. *Non solum licitum est agere contra dubium speculativum, sed etiam contra opinionem & contra evidentem scientiam.* Nam Iudex contra propriam scientiam & evidentiam tenetur condemnare innocentem probatum nocentem, secundum allegata & probata, ut optimè ostendit D. Thomas *2. 2. quaest. 7. artic. 2.* & inferiùs demonstrabitur, quemadmodum licitum est agere contra opinionem propriam.] Relinquamus causam criminalem, in quâ innocens capite plectendus sit: nam tunc rationabilius contra S. Thomam à multis Viris doctis disseritur: ponamus exemplum in Civili. Iubet Princeps sub poenâ aureorum mille, ne quis audeat cervum in tali saltu occidere. Accusatur Franciscus, & per testes cervum ibi occidisse convincitur. Ego sum Index: & scientiâ privata cognosco illum esse innocentem: Quid faciam? Pronunciare debeo ex officio secundum adlegata & probata. Ergo illum cervum occidisse pronūcio. Et posteà propter hunc excessum ad poenam eum à lege praescriptâ condemno.

An contra scientiam propriam Iudex possit secundum adlegata & probata pronunciare sententiam?

An saltem in causis civilibus possit & debeat Iudex secundum veritatem civilem pronunciare?

no. Et in me seductus sic inquam. [Hoc à me pronunciatum iudicium *Franciscus occidit cervum*, est falsum : & ego certo scio id falsum esse : at adhuc ego certò scio esse bonum ; nam est verum civiliter, Et ego non secundum veritatem realem, sed secundum civilem debeo sententiam pronunciare.]

An aliquā de certitudine de falsitate actûs, & certitudo de bonitate ex proprietate actûs in eodem agente componantur?

Non vult P. Medina illam generalem Regulam, *In dubiis tutior est pars eligenda*, esse universim veram : & ideò subiicit. [Est advertendum maximè, quòd hæc Regula non semper est vera, exempli gratiâ, præcipit mihi Prælatus rem difficillimam, ego dubito, an iure præcipiat, non teneor obedire cum tanto periculo, & discrimine, donec constet, quod iure præcipiat, licèt in præstanda obedientia certum est quod non pecco. Explicatur hoc evidentiùs. Nam, si quis petat à me fundum quem iure possideo, incipio dubitare an meus sit, (adde, non autem certus sum quod meus non sit) non teneor reddere ; nam in dubiis melior est conditio possidentis, licèt in reddendo certus sum, quod non pecco : quapropter quando dicit regula Magistralis, quod *in dubiis tutior pars est eligenda*, intelligenda est, quando ex eo quod sequor partem tutam, non sequitur mihi grande detrimentum ; alioqui verum non dicit.] Hæc Medina : Et ex ipsis duo collige, alterum, Cur debeas unam Opinionem Probabilem anteponere oppositæ ? alterum, Cur possis tuta conscientia non obedire legi, vel præcepto non certo? Quoniam (1) in Probabilibus, non illam quæ mihi grande, aut leve damnum importet, sed quæ mihi sit gratior, vel utilior, eligam, & præponam contrariæ. Quoniam (2) etsi in Probabilibus præcepto possis obedire non certo, non teneris ; ratio enim dictat, ut ubi Iustitiæ aut Charitatis superveniens præceptum non est certum, pro possessione proferatur Iudicium. Vel, si velis, discurrere sic. *In dubiis tutior pars est eligenda. At nihil est in dubiis tutius, quàm pro possessione pronunciare. Ergo in dubiis pro possessione pronunciandum est.* Nota illud *superveniens*. Nam, ut sæpe monui, si contrahas de tenenda Opinione probabili, observare contractum ex Iustitia teneris : &, si talis probabilis opinionis electio, proximo noceat, & tibi non prosit, in præceptum Charitatis impinget. Sed de hoc uberiùs alibi disputavi.

542 *An obedire debeat subditus, si dubitet, an sibi talem rē Superior iure præcipiat?*

Quomodo intelligenda sit Regula illa in dubiis tutior pars est eligenda.

An nihil omninò tutiùs fit quā pro possessione iudicare?

An Iustitia & Charitas possint libertatem Probabilitatis limitare?

Vt hæc doctrina clariùs dilucidetur, tria Medina contra eam argumenta proponit, quæ importuna esse dicit, & indigere solutione videntur. EST PRIMVM. [Ista mulier dubitat, an accedat ad non suum ; Ergo dubitat, an fornicetur. Consequentia valida videtur à definitione ad definitum cum eodem addito : sic enim definitur fornicatio, *quod sit accessus ad non suum, vel ad non suam.*] *Proponit* SECVNDVM, *his verbis*. [Hæc est valida argumentatio, & rectè sequitur ; Est accessus ad non suum ; ergo fornicatio Antecedens est dubium huic mulieri : ergo & consequens.] *Addit* TERTIVM ; *& ait.* [Ista mulier dubitat, an fornicetur : Ergo dubitat an peccet, Ergo, si reddat debitum, facit contra conscientiam dubiam.]

Tres obiectiones contra præcedentem & veram doctrinam proponuntur.

Quid fornicatio sit?

An, qui dubitat de definitione, dubitet de definito? An qui de definito, dubitet de proprietate definiti?

Ad hæc argumenta breviter respondet, & bene sed quia in modo loquendi differimus, singulis solutionibus à Medinâ datis, meam adiungam. *Ille* Ad PRIMVM *sic ait.* Negatur consequentia ; nam dubium antecedentis est speculatiuum, dubium vero consequentis est dubium practicum, ut supra ostēsum est. Secundum dico, quòd peccatum fornicationis, quod homini imputatur, tantum est quando accedit ad non suam, & scitur non esse suam, vel de hâc re est ignorantia culpabilis : at in casu nostræ dubitationis, hæc mulier dubitat invincibiliter ; & ignorat esse alienum, & ideò non committit fornicationem.] Sic ipse & bene. Nota illud, *& scitur non esse suam*, & illud, *& ignorat esse alienum* : nam solutio, his illustrata terminis, Dialexeos fundamentis insistit. Ergo ad mentem Medinæ fornicatio in Philosophicam, Theologicamque dividatur : & quidquid de Philosophicâ sit (hæc enim conscientias non concernit) dicatur esse hæc Theologicæ Fornicationis definitio. *Fornicatur, qui accedit ad eam, quam scit non esse suam.* Eâ enim positâ totum primum argumentum diruitur. Concesso enim antecedente, distinguendum est consequens, illa enim mulier, etsi dubitet, an Philosophicam fornicationem admittat ; non dubitat, sed certò scit se Theologicam fornicationem non committere.

543 *De dubio practico & speculativo.*

An omnis fornicatio, an tantùm fornicatio cognita sexto præcepto interdicatur?

Quid fornicatio sit?

Quomodo in Philosophicam, Theologicamque dividatur?

AD SECVNDVM *sic Medina respondet.* [Negatur, inquit, consequentia : hæc enim consequentia est recta, *Est accessus ad non suam scienter, vel ex ignorantia culpabili ; Ergo est fornicatio* : Cùm verò infertur. *Sed antecedens est dubium, ergo & consequens* ; dicendum est, quod ista mulier est dubia, quantùm ad proprietatem, sed non quantùm ad possessionem : possessio namque legitima reddit illam tutam in conscientiâ : deinde est dubia speculativè, sed non practicè.] Et ego dico aliqua, & sub initium solutionis præcipuè potuisse clariùs poni : & ideò ad singulas iterum propositiones respondebo. *Et accessus ad non suam*, distinguo : *scienter*, nego : *non scienter* concedo. *Ergo est fornicatio.* Distinguo consequens. Est fornicatio Philosophica ; Transeat : nec enim curo, an membrum istud distinctionis sit verum. Est Theologica. Nego Consequentiam. Progrederis. *Antecedens est dubium huic mulieri.* Distinguo. Si agatur de fornicatione Philosophicâ, transeat : si verò de Theologicâ, nego. Et pergo ulteriùs, & iterum idem Antecedens distinguo. *Si agatur de Veritate actûs*, concedo : quia dubitat, an reverà ille vir sit maritus suus. *Si agatur de Bonitate actûs*, nego ; quia illa maritum esse in possessione scit, & non posse per rationem dubiam suâ privari possessione, etiam scit, suum accessum

Aliud est de Veritate, & aliud de Bonitate actûs dubitare.

Fornicationis.

Nomine peccatum fornicationis intelligit: ut ergo fornicationem materialē.

Agit de Veritate, non autem de Bonitate huius Propositionis.

Hic vir est meus.

sum ad illum esse actum bonum.

544 *An, sicut ex falso verũ, sic certum ex dubio inferatur?*

Ad tertium, tandem sic Medina respondet. [Dicendum est, non valere consequentiam, *Antecedens est dubium, Ergo & consequens:* nam sicuti ex falso sequitur verum, ita ex dubio sequitur certum: Si ego enim videam à longè hominem, & ego dubito an disputet: hæc consequentia evidens est, *Iste disputat, ergo ens est*, antecedens dubium est, & consequens certissimum. Sic ille.] Hæc autem solutio, multa habet quæ Bona Logica non libenter admittat. Reponamus, & consideremus argumentum. Erat hoc: *Ista mulier dubitat, an fornicetur. Ergo dubitat, an peccet.* Et nego, antecedens illud esse dubium: quoniam, si agatur de fornicatione Philosophicâ, est certò verum: &, si de Theologicâ, est certò falsum. Solutio igitur exhibita à Medinâ non est ad rem. Præterea, illud Enthymema, *Antecedens est dubium, Ergo & Consequens*, quod rejicit in solutione, est doctrinale, & bonum: quoniam, sicut ex falso, sic etiam ex dubio (& nota id bene) aliquando sequitur verum, & aliquando falsum; quamobrem posito antecedente falso aut dubio, si nihil addatur, an consequens sit falsum, verum, aut dubium, dubium erit. Ergo manebit argumentum, ut anteà. Considera syllogismos sequentes.

An possit aliquis cum ignorantiâ fornicari?

Dubitare eã qua dubitat, non dubium, sed certissimum est.

Ex dubio, aut falso antecedente, si nihil addatur, semper dubium infertur consequens.

Petrus est lapis. Est certò falsa. [b]
Omnes lapides sunt rationales. Etiam hæc.
Ergo Petrus est rationalis. Et certò vera.

Σείριος (Stellæ fixæ [a] nomen est) recipit suam lucem à Sole. *Est dubia & incerta ista major.*
Stellæ, quotquot recipiunt lucem à Sole, existunt.
Ergo Σείριος existit.

Clodius currit. Est incerta.
Quotquot currunt moventur. Est certa.
Ergo Clodius movetur. Est incerta.

Cæsarinus est Angelus. *Est falsa.*
At omnes Angeli sunt aurei. *Est falsa.*
Ergo Cæsarinus est aureus. *Est falsa.*

Prædicata, quorum unum concipitur non concepto altero, distinguuntur realiter. Asseritur à Nominalibus, & est probabile.
Sed in Deo Natura concipi potest sine Relationibus. Admittitur à Thomistis, & est probabilius.
Ergo in Deo Natura à Relationibus distinguitur realiter. Est hæretica.

a] Σείριος dicitur Stella lucidissima in ore canis maioris: quam male Petrus Gassend. & alij Iuniores Σείριον vocant.

An Firmamento affixa sydera recipiant suam lucem à Sole?

Ex duobus merè probabilibus, quæ Comprobabiles non sint, Consequens falsum, aut etiam hæreticum, deduci potest.

Contemplor hos quinque syllogismos; &, ut Logicis serviam, sic discurro. Ex falso aut dubio aliquando sequitur verum, & aliquando falsum. Ergo ex vi antecedentis falsi aut dubij non habet consequẽs, quòd falsum sit, aliàs enim semper esset falsum: nec habet, quòd verum sit, aliàs enim semper esset verum: Ergo habet, quod sit dubium. Et hoc est, quod Medina negabat. Et veniendo ad syllogismorum examen, aio, præmissas in Primo falsas, & consequens prout ab illis procedit, dubium esse: nam, si non sciremus aliunde Petrum esse rationalem, & tamen cognosceremus falsas esse præmissas, illud consequens temerè concederemus: quoniam ex falsis potest & solet falsum sequi, ut in quarto Syllogismo conspicitur. Illam secundi Consequentiam *Σείριος existit.* Esse veram concedo: at non hoc concedo, quia major est dubia; sed quia hanc stellam propriis oculis video. Et procedens ulteriùs, quia in Tertiò careo aliâ ratione, ex quâ de Consequentiæ veritate iudicem, illam assevero esse incertam. De Quarto syllogismo iam dixi. Quintum posui, ut moneantur Peripatetici, ex Probabilibus posse falsum inferri. Corrigenda est igitur definitio syllogismi Probabilis: Talis enim dicendus ille est, *qui ex probabili & certâ, aut ex duabus comprobabilibus consequentiam deducit.* Voco antem *Comprobabiles* illas, in quibus alterius veritas, non destruit veritatem alterius: illas videlicet, quas simul quis in eodem argumento concedit. Et huius Comprobabilitatis defectu quintus syllogismus nil probat: in eo enim Nominales concedunt Maiorem, & negant Minorem: Thomistæ contrà: atque ideò utrique Consequentiam condemnant.

b] In syllogismo, si præmissæ sint falsæ, aut incertæ, tertia propositio tribus modis potest considerari, vel ut consequentia huius syllogismi est, vel ut consequentia alius syllogismi est, vel tandem ut propositio est. Ex vi primæ considerationis erit dubia: ex vi secundæ erit qualem præmissæ postulet, & ex vi tertiæ, nisi sit per se nota, & necessaria, erit incerta.

Quid sit syllogismus Probabilis?

Quales Propositiones Comprobabilium nomine intelligantur?

Respondeo iterum, & adhuc faciliùs Tertium argumentum expedio: nam omnes propositiones in sensu Theologico nego. Nego enim illud Antecedens, *Ista mulier dubitat an fornicetur Theologicè:* ipsa enim scit se nõ fornicari Theologicè: nam fornicatio Theologica, quæ pro peccato hìc sumitur, scientiam realem aut virtualem, qualis in ignorantiâ voluntariâ invenitur, requirit, quâ ipsa caret. Nego illud consequens, *Ergo dubitat, an peccet*, quia, si scit, se non committere Theologicam fornicationem, etiam se non peccare scire debet. Et tandem nego alterum consequens, *Ergo, si reddit debitum, peccat contra conscientiam dubiam.* Non enim potest facere contra conscientiam dubiam, quæ dubiam conscientiam non habet. [Et tu, quia ex eo adlucinari Authores vides, quod in eodem actu Veritatem à Bonitate non distinguant; semper eas distingue, ne cum cæteris etiam adlucineris.]

Non potest operari contra conscientiam dubiã, qui dubiam conscientiã non habet.

In omni actu Veritas & Bonitas distingui debent?

Sotus.

Tametsi non utatur nostris terminis utitur æquivalentibus, & nostram sententiam exponit. Quoniam agens *de tegendo secreto. membr. 3. quæst. 2. conclus. 2.* nomine *Opinionis* eam intelligit, quam rationes speciales mihi tenendam suadent: & *Formidinis* nomine Non-Certitudinem partis contrariæ: ubi enim de parte contrariâ est certitudo, cessat formido omninò; quoniam, si contraria certò vera sit, opinio est falsa, & potest *opinatio* vocari: si autem contraria est certò falsa, tunc Opinio desinet esse opinio, & erit propositio certa realiter vel moraliter. Modò Sotum audiamus. Sic enim inquit. [*Licèt habeat quis Opinionem partis minus tutæ, & solam* 545

Quid Opinionis & Formidinis nomine Sotus intelligat?

solam formidinem (Non-Certitudinem) *alterius, non semper tenetur sequi Opinionem si modo ab illa parte magnum immineat periculum, & formido* (Non-certitudo) *alterius habeat probabilitatem. Exempli gratia: Interrogat te Iudex adversus dignissimam personam: nempe cuius vita pretiosa est in Republicâ, opinarisque Iudicem legitimè inquirere, sed cum probabili formidine* (Non-certitudine) *partis contrariæ: certè, non tibi consulerem Opinionem sequi, ut testimonium dicas, sed potiùs celes; nam periculum grave, ut dignissima persona præter ius occidatur, facit ut in Moralibus formido præponderet opinioni. At vero, si formido tenuissima est* (si Non-certitudo non est talis: multi enim formidaverunt timore ubi non erat timor; & multi volunt etiam putare se habere Non-certitudinem, ubi revera certitudinem habent:) *nempe, quæ à pavore potius & ignavia meticulosi hominis, quàm à ratione proficiscitur, talis vincenda est, aut contra illam agendum.*] Vt hæc verba meliùs capias, attende.

Quomodo se gerere debeat testis interrogatus?

N. B. Videtur hic latere aliqua allucinatio: regulariter enim testes non certò videtur aut certò audiverunt, non autem quas opinantur, interrogantur.

546 Erat in eâ sententiâ Sotus, vt putaret, non licere minus probabilem opinionem amplecti. Ita *lib. 3. de inst. quæst. 6. arti. 5. ad 4.* & pro hac sententiâ a Verricellio *tract. 2. de Opin. Prob. quæst. 10. pag. 58. b.* & ab aliis citatur. Hanc impræsentiarum opinionem corrigit, aut interpretatur, ut in casu necessitatis liceat eam sequi, quæ utilior sit, etsi eam formido aut sola Non-certitudo proponat. Et hic ego pace Lectoris Virum ingeniosum rogabo, Eamne etiam eliget extra casum necessitatis? Prudentia enim suadebit, ut eligat utiliorem.

An minus probabili sententia adhærere possimus?

Prætereà, non videtur mihi in infimo Probabilitatis gradu constituenda; immò nec mihi minùs probabilis ea sententia, quam Sotus cõsulit. Primo enim antequam testis teneatur respondere, debet certò cognoscere, illum, à quo interrogatur, esse verum Iudicem: secundò, non excedere terminos suæ iurisdictionis: tertiò, non debet timere sibi grave damnum ex illâ depositione imminere, ut ait Mallet. *mall. 81. tract. 2. pag. 512. b.* Et quia contra Restrictiones mentales multa in diversis locis & temporibus dicere debui, & hæc est materia ubique utilis: & hic ad eas nos Malletus in simili casu propellit, obtendam obiter illas impræsentiarum necessarias non esse. Ille ait: [In casibus, in quibus non teneatur quis revelare absque iuramento, neque etiam tenetur, si iurasset, dicere veritatem, modo iuraverit se non dicturum [*a*] cum internâ restrictione, quatenus intelligat, se redditurum veritatem, quatenus iure teneatur: quia, si iurasset absque eâ restrictione, debet revelare omnia, quæ sine peccato potest, ne sit perjurus.] At hæc interna restrictio nihil operatur, nam iuramentum testis, consignificantes circumstantiæ loci, temporis & personæ restringunt. Testis iussus respondet, & nemini validè præcipitur, ut obediat in casibus in quibus non debet obedire, aut fortè debet non obedire. Sed hæc nostra Haplotes vberiùs & profundiùs edisserit.

Multa sunt, quæ certò testis debet scire, antequam teneatur respondere.

An reus, aut testis indigeat restrictione mentali?

a] Dele illud *non*.

Testium & rei verba restringunt circumstantiæ & personæ consignificantes.

Si QVÆRAS, *An Sacerdos cæcus, teneatur recitare horas, quas memoriter scit?* & Sotum respondentem audias, videbis clarius priorem ille mentem exuisse, & nostram fuisse opinionem amplexum. Respondet enim *lib. 10. de Iustit. & Iure, q. 5. art. 3.* his verbis: *Excusantur cæci, aut ita oculis caligantes, ut legere nequeant. Tametsi dum aliquas horas memoriter proferre possunt, fortasse tenerentur: quamvis neque omninò sim certus, an essent rigore cogendi, quasquidem tenacitas illa memoriæ accidentaria sit. Licèt tutius esset, quòd se obligatos censerent.* Vim verborum considera: *Tutius esset, quòd se obligatos censerent.* Ergo tutum est, quòd se obligatos non censeant. *Et cur hoc esse tutum asserit?* Respondet: *Quia non omninò sum certus, an sint rigore cogendi.* Ergo, ut illos obligatos assereret, esse debebat certus, quòd sint rigore cogendi. Illos igitur ab obligatione eximit Non-certitudo.

Virgilius 4. Æneid. exsue mente.

An cæci teneantur ad officium Divinum?

Opinio, quæ tutiori opponitur tuta est.

PRÆTEREA, *in 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 4. colum. 13. §. de simplici.* asserit deflorationem Virginis sponte consentientis esse simplicem fornicationem: nec debere in confessione hanc circumstantiam explicari. Et hæc est hodie valde communis opinio, defenditurque à Lugone *de Pænit. disput. 10. num. 200.* & ab aliis. Rationes à priori in nostra Theologiâ Regulari reperias: illas hic non edissero, quia tantum Scoti mentem desidero dilucidare: quam ipse exponit hisce verbis: *Non clarè video, saltem, si puella, quæ non est sub curâ parentum, sua sponte vult virginitatem perdere, quod sit distincta species luxuriæ à simplici fornicatione, &c. Immo fortasse licèt esset sub curâ parentum, licet illis aliquam iniuriam faceret, non mutaret speciem. Siquis ergo habeat contrariam opinionem, abundet in suo sensu; sed tamen ego arbitror hanc esse probabilem.* Ecce probabilem indicat hanc opinionem. Sed cur? Quia non clarè videt oppositam esse tenendam.

De Virginis defloratione.

An & quando sit simplex fornicatio?

N. B. Iniuria, quæ parentib. fit, non est in genere luxuriæ.

Navarrus.

547 NOn mireris, si eamdem sententiam, & eisdem phrasibus expressam apud Sotum & Navarrum reperias: nam etiam Navarrus *cap. 27. num. 284.* indicabat, probabiliorem opinionem, aut etiam tutiorem ad conscientiæ securitatem postulari. Cùm autem consideraret hanc opinionem paucorum esse, & nimis rigidam censeri à doctissimis viris, eam restrinxit, asserens in casu necessitatis quamcumque probabilem opinionem licere, at amplectendam esse probabiliorem aut tutiorem extra casum necessitatis. Et ideò *in cap. inter verba, num. 135. in secund. edit.* discurrit sic: *Licèt quis habeat Opinionem alicuius partis, & solam alterius formidinem* (Non-certitudinem) *non tenetur sequi Opinionem, si inde magnum immineat periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem: quia periculum grave facit, ut in Moralibus*

Opinionem priorem de probabiliori & tutiori opinione amplectenda, Navarrus re meliùs perpensa remittit.

Quid in casu necessitatis possit fieri?

N. B. Et Lector, si sincerus sit, videas, quàm obscurè & confusè Theologi ante annos centum loquebantur.

bus formido praeponderet opinioni.

548 *An tutius necessitatis & non-necessitatis distinctio ab eodem Principio deducatur?*

Ego Conclusionem Navarri, quæ, ut vidisti erat Soti, amplector; non autem rationem admitto. Et quidem, tametsi Sotus Navarrúsque inter necessitatis, & non necessitatis casum videantur distinguere, nihilominus illæ ipsorum assertiones, quæ duæ videntur, deducuntur ab vnicâ, quam à S. Benedicto didici, & inferiùs num,.... expendo. Dicunt Navarrus, Sotusque, *In necessitate elige etiam minus probabilem. Extra necessitatem elige probabiliorem.* Et, ut has Assertiones intelligas, Casum istum propono. Petrus ad Abbatiam promotus, & ministrorum ratiocinia examinans, reperit Monasterium debere Comiti N. centum aureos, & Sylvium, colonum suum debere Monasterio quinquaginta. Examinat causam, rationémque utriusque debiti: & nihil certi reperit, sed tamen re bene examinatâ, & viris doctis consultis discit, Monasterium probabiliùs Comiti debere solvere, & etiam probabiliùs posse debitum à suo colono exigere. Quid incipiet? non iubet S Benedictus, ut faciat, quod est probabilius. Quid ergo? *Quod utilius*, inquit, *iudicaverit, faciat.* At respectu Comitis est Monasterio utilius, ut minùs probabilem Abbas opinionem sequatur: & respectu coloni est Monasterio utilius, ut probabiliori subscribat. Ergo ex eodem fundamento propter necessitatem (nam aliàs gravaretur Abbas) minùs probabili adhærendo sententiæ, non vult solvere Comiti: & oculos ad colonum convertens, non habet necessitatem minùs probabilem amplectendi sententiam, & ideò non amplectitur illam: sed adhæret contrariæ, & hoc etiam ex necessitate (nam illâ pecuniâ eget communitas) jubet, ut solvat rusticus.

Casus ad maiorem declarationem claritatem proponitur.

Quid S. Benedict. præcipiat.

An semper eligenda sit sententia utilior, probabilior, aut minùs probabilis sit?

549 *An, & quando formido opinioni præponderet?*

Dixi à Navarro adductam mihi displicere rationem: nam sumitur à circumstantiâ contingente & extrinsecâ. Erant Navarri verba, *Periculum facit, quod formido præponderet Opinioni.* Et tamen video illam esse Thom. Sanchez *de matr.lib.2.disp.38. num.8.& lib.1.summa,cap.9.num.25.* Villalobos *tom.1. tract.1. diff.8.* Baldello *tom.1. Theolog. Moral.lib.4.disput.12.num.4.* Præposito *quæst.4.de confess.num.88.* Castro Palao *tom.1.tract.2.disputat.2.punct.2.num.5.* Pelizzario *tract.de monialib.cap.20 n.184.* Verba Sanchesij sunt: *Quamvis opinio parùm probabilis sit, & secluso eo periculo amplecti nequeat, non tamen est omnimodâ probabilitate destituta, sed aliqualem habet, cùm patronos gravissimos, & rationes aliquantulum probabiles habeat, & quod aliàs non judicaretur probabile, facit tale esse urgens necessitas.* Et verba Pelizzarij sunt hæc: *Quotiescumque agitur de vitando gravi malo ac periculo proximi, lex charitatis obligat, ad operandum etiam secundum opinionem, quæ solùm habeat aliquam speciem probabilitatis, saltem apparentis, & quæ potius dicatur formido, quam opinio.* Et hæc inquam ego, *formido*, aut *opinio* vocetur, si probabilem doctrinam continet, etiam extra necessitatis casum admitti potest: si autem improbabilis est, ob necessitatem aut periculum non reddetur secura, vel probabilis.

An in casu necessitatis amplecti possim opinionem, quæ parùm probabilis sit?

An, non solum possim, sed & debeam?

Quid nos in materiâ præsenti respondeamus?

Et hoc probabo breviter eâ ratione, quâ *tract.2. quæst.36.pag.117. b.* utitur Vericellius: sic enim ait. [Cessante periculo ea opinio est levi fundamento nixa, & sic improbabilis, & non tuta. Ergo etiam accedente periculo erit innixa levi fundamento, improbabilis & non tuta. Consequentia patet: quia cùm periculum sit aliquid multum opinioni extrinsecum, accidentale, & impertinens, non potest reddere fundamentum solidum, quod est leve: quare impedimentum est impertinens ad probabilitatem vel improbabilitatem Opinionis.] Videtur Navarrus formare discursum isti similem. [Video in librâ hinc chartæ folium, inde ferream duplæ magnitudinis laminam. Pondus huius est libra, & illius pauci grani. Sed iam scio cur præponderet, lamina est nigra, & charta est alba. Hæc igitur tingatur atramento, & laminæ præponderabit.] At nigredo, inquam ego, non est ratio, ob quam ferrum est ponderosum: ergo, etsi addatur chartæ, illa ponderosa non erit. Ergo sicut hic de colore, ita ibi de periculo philosophare.

Periculum additũ opinioni improbabili, illam nunquã reddet probabilem.

Tam periculũ dat probabilitatem opinioni, quã color pondus chartæ.

Progredior. Extra periculum & necessitatem Petrus aliquando habet opinionem securam, quam amplectitur tutâ conscientiâ. Ergo erit aliqua ratio formalis, quæ reddat illam opinionem securam. Ergo quæcumque opinio, in quâ hæc ratio reperiatur, erit secura. Et quæcumque in qua illa non inveniatur, erit periculosa. Sed quæ est illa ratio formalis? Nihil: hoc est Non-certitudo opinionis oppositæ: sive Non-certitudo legis interdicentis; nam hæc duo sunt inter se necessariò connexa: & hæc ipsa tam in probabiliori, quàm in minùs probabili locum habent. Sed ad mentem Navarri discurrendo, illa formalis ratio, quidquid sit, saltem non est periculum, non est necessitas: nam reperitur extra casum periculi & necessitatis. At illa sola ratio reddit opinionem securam. Ergo, si illa absit, etsi necessitates & pericula multiplicentur, Opinio non erit in conscientia secura. 550

Debet esse aliqua ratio formalis, quæ reddat conscientiã securam.

Quænam illa sit?

Si illa non reperiatur in opinione, etiamsi alia res multiplicentur, opinio non erit secura.

Coninckius.

PRoderit hîc etiam examinare, quid P. Ægid. Coninck sentiat; nam est præclarus Author, & sanam doctrinam nos docet. Ante ipsum hanc consequentiam: *Naturalis honestas (Lex naturalis Philosophica) hoc præcipit. Ergo, qui non obedIet, peccabit mortaliter, si materia sit gravis,* esse malam, iam nos docuerant Scotistarum tota Schola, & ingeniosiores Thomistæ; at etiam esse malam hanc, *Ius Naturæ tale vel tale matrimonium inhibet, Ergo dirimit*: à viro oculatissimo didici: quam speculationem tanti feci, ut in gratiarum actionem aliquas pro illo missas recitari curaverim. Quoniam hæc speculatio multum juvat, ut illud præiudicium ab hominum 551

Qui Ægidiũ legent multum in Legis Naturalis cognitione proficient.

num mente abradatur. Ipse itaque *disp* 34. *dub.*10.*pag.*855.*num.*84. ait: [Quando de re aliquâ sunt diversæ Doctorum sententiæ, nos posse utramque sequi, etiam minùs tutam ac probabilem, modò verè probabilis sit, vt fusè docet P. Vasquez 1.2. *disput.*62. præsertim *cap.*4. 5. *& vlt.* Vbi *cap.*4. ostendit, etiam virum doctum posse sequi probabilem aliorum sententiam, etsi sibi persuadeat, contrariam esse veriorem, &c.] Pergit ulteriùs, & *n.*85. asserit, in materiâ Iustitiæ, quando agitur, cuius res aliqua sit? *in dubio semper meliorem esse conditionem possidentis*, ut certum communi ferè sententiâ docent P. Lessius *de Iustitia, cap.*3. *dub.vltim.* & P. Sanchez *lib.*2.*disput.*41. *num.*12 & patet ex *reg.*65. *de reg. Iuris, in* 6. vbi dicitur: *In pari delicto aut causâ melior est conditio possidentis.* In dubio autem par vtrimque est causa. Et confirmatur, quia tali casu æquus iudex re cognitâ iudicaret possidentem posse rem retinere, nec alium habere ius eam repetendi. Nam, *cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius, quàm actori*, vt dicitur *reg.*11. *num.*6. Possidens autem est reus, alter actor. Quod autem iustus Iudex in foro externo sepositâ omni falsâ præsumptione iudicat, licitè in foro conscientiæ sequimur. Hinc quando Petrus postquam bona fide incepit rem aliquam, ut suam possidere, & posteà ei suboritur dubium, an verè sit sua: si, postquam pro rei qualitate adhibuit sufficientem diligentiam, ut cognoscat, an sua sit, an aliena, res maneat adhuc dubia; potest eam tutâ conscientiâ retinere, eâque uti ac si sua esset, quia ut ostendi, Index hanc ei ita adiudicaret, ipséque antequam inciperet dubitare, habuit ius eâ re ut sua utendi, quo non tenetur se spoliare antequam sciat esse alienam; semper tamen tenetur habere animum eam, eiusve pretium, quantum ex eâ erit factus ditior, vero domino restituendi, si eum antequam rem legitimè præscripserit, cognoverit. Sicut autem Iudex quæstione ad se delatâ nullâ adhibitâ diligentia, ut possit cognoscere, cuius ea res sit, iniustè eam adjudicaret possessori: ita possessor accedente dubio iniustè eam sibi adjudicat, eámve aliqua ratione corrumpit, aut peiorem utendo reddit, donec adhibeat diligentiam ut veritatem cognoscat.]

In dubio manutenenda est in sua possessione libertas.

Iudex in dubio rem, de qua disputatur, possessori debet adiudicare.

Possidens semper est reus.

552 *Debet facere congruam diligentiam qui dubitat*

Nota illud sciat.

Quale animum, qui dubitat, habere debeat.

Iudex potest male bonam sententiam ferre.

553 Progreditur postea, & sic scribit: Quidam volunt hæc solùm habere locum in materiâ Iustitiæ, sed meliùs P. Sanchez *lib.*2.*disput.*41.*num.*32. cum aliis, ea etiam extendit ad alias Virtutes: quia etiam in his dictæ Regulæ Iuris valent, V. C. Dubito an aliquid voverim: sum adhuc in possessione meæ libertatis, & Deus est quasi actor exigens debitum, ego reus: in dubio mea melior est conditio, & absolvendus sum, nec teneor me meâ libertate de facto spoliare, antequam constet me eam de iure amisisse per voti obligationem: *Ex his infertur primo*, ex propositione speculativâ dubiâ, aut minùs probabili, posse inferri propositionem practicam certam. Nam qui bonâ fide inchoatâ possessione, dubitat, an res sit sua, certò sibi persuadet se eam licitè retinere, postquam sufficienti adhibitâ diligentiâ nequit deprehendere eam esse alienam.] Sic Coninckius & bene: at ego loquerer sic. Ex his infertur, posse in eodem iudicio Veritatem dubiam, & Bonitatem certam esse. Et ex judicio certò bono inferri in praxi posse alterum iudicium, quod certò verum, & etiam certò bonum sit. Nam Petrus, qui bonâ fide incepit possidere bucephalum, & superveniente ratione dubitandi adhibuit diligentias, & nihil certi invênit, dicit: *Bucephalus est meus. Ergo illum tutâ conscientia retinebo:* & tunc illud judicium, quod ponitur pro antecedente, non erit certò verum: at erit certò bonum: ex quo inferetur alterum, quod ponitur pro consequenti, quod certò verum, & etiam certò bonum est.

An Regula de possessione in sola Iustitiæ materia locum habeat?

In dubio, an voverim?

Nota illud constet.

An ex speculativè dubia aut minus probabili possit inferri certa practicè?

Doctrina Coninckij bona est, eius verba nostra dialectio attemperantur.

Antecedens quod non erat certò verum est certò bonum

554 Eodem modo discurram, in casu, quem Coninckius subjungit: inquit enim. [Hoc etiam suo modo locum habet circa eamdem omninò propositionem v. c. Dubitat Titius, an talis contractus sibi sit licitus, & lectis variis pro utraque parte auctoribus, eorumque rationibus, manet adhuc dubius, aut etiam magis inclinat in partem negativam: quia tamen partem affirmativam tum ob aliquas rationes, tum etiam ob Doctorum authoritatem iudicat esse verè probabilem, potest sibi certò persuadere eum in praxi sibi esse licitum, quia licitè quis sequitur probabilem sententiam etiam minùs tutam.] Sic ille. Et ego addo, sic Titium ratiocinari posse. *Talis contractus non est interdictus, ergo mihi est licitus.* Et tunc in antecedente erit veritas dubia, & bonitas certa. Dubia veritas, quia illud alij Scriptores asserunt, & alij negant. Certa bonitas, quia nemo tenetur credere interdictionem, donec plenè probetur. Ex hoc antecedente certò bono infertur consequens certò bonum, quod etiam certò verum est.

An me posse minùs probabili sententiæ adhærere certum sit

In illo antecedente Veritatem incertam certa Bonitas concomitatur.

Pergit vlterius, & illud proponit Axioma, *In dubiis tutior pars est eligenda.* Et posset dicere, non esse Iuris Naturalis præceptum, non enim in Decalogo legitur: &, si inter Canones humanos reperitur, non præceptum, sed merum continere consilium. Posset addere, nil esse posse tutius, quam in omni dubio pro possessore indicare. Sed quia non hac, sed aliâ viâ progredi placuit, eum sequamur. [Illud axioma, ait, non esse intelligendum de dubio speculativo, sed practico, sive de eo, qui spectatis omnibus tam intrinsecis, quàm extrinsecis rationibus dubitat an hæc actio hic & nunc sibi sit licita. v. c. ut iam ostendi, ut quis licitè rem aliquam ut suam usurpet, non est necessarium ne dubitet an sit sua: sed ne dubitet, an in his circumstantiis sibi eam ita vsurpare liceat. Si enim de hoc dubitaret nullo modo posset eam retinere. Vt enim aliquis honestè operetur, debet sibi persuadere hanc actionem hic & nunc sibi esse licitam.] Sic Ægidius: & bene. Vtamur voce *liceitatis*, &

De Axiomate, In dubiis tutior pars est eligenda.

Duæ præmittuntur expositiones.

Quo illud modo Coninck interpretetur?

De dubio practico & speculativo.

De liceitate actûs. Quid illa sit?

& rationem formalem, quæ licitam actionem constituit, & à nobis passim vocatur *bonitas*; nunc *licitatem* nominemus. Ergo, ut Titius licitè Bucephalum retineat, non est necessarium ut non dubitet de Veritate huius iudicij, *Bucephalus est meus*: sed est necessarium, ut minimè dubitet de eiusdem Licitate & Bonitate: ut enim quis benè & licitè judicet, debet sibi persuadere illud judicium hic & nunc sibi esse licitum & bonum.

In omni peccato necessariò intervenit temeritas.

Et tandem ut ipsi gratias habeam, quod meam Dialexim in terminis propugnare voluerit, *disputat.* 13. *dub.* 11. *num.* 93. *pagin.* 556. *b.* ut nos doceat, quando necessariò debeamus abstinere à re, de quâ disputabatur, an sit prohibita? Abstinendum esse ait [quando homini occurrunt tales rationes, cur debeat credere rem esse prohibitam, ut quamvis hîc & nunc eum non omninò convincant, tamen omninò sit temerarium contra illas facere.] Quid in terminis clarius.

Amicus.

556 *Semper est pro possessione iudicandum.*

Eodem modo Pat. Franciscus Amicus discurrit: quoniam *tom.* 3. *disputat.* 15. quæ de intrinsecis actuum humanorum est regulis, *sect.* 4. *pag.* 180. *b. num.* 86. sic scribit: [Respondeo dupliciter posse aliquem opinari se aliquod peccatum reservatum, aut censuram habere, vel de facto, vel de iure. De facto, si certus aliquando fuit, se censuram, aut casum reservatum contraxisse; dubitat tamen, an à tali censurâ, vel peccato sit absolutus, debet tutiorem partem eligere, petendo absolutionem ab habente potestatem, ne se periculo exponat salutis æternæ. Sicut qui peccatum mortale commisit, esto probabiliter putet se, ab illo fuisse absolutum, si tamen certus non est, debet, tutiorem partem eligendo, illud confiteri. Quia quando opiniones versantur circa factum, non pendet factum ex opinione, ut illud sit, vel non sit, sed independenter ab omni opinione, aut est, aut non est: & quia ex debito charitatis quilibet tenetur certiori via, quâ potest propriæ saluti providere, præsertim quando commodè potest, in tali casu debet tutiorem partem sequi.] Ecce iudicat pro possessione, & cum Severino de quo *num.* 297. disputabamus, ingeniosè discurrit. Sed quid, si dubium, aut probabilitas alliciat Ius? Respondet. [De Iure autem potest quis opinari, an ex vi alicuius constitutionis, vel legis censuram, vel peccatum reservatum incurrerit. Et in hoc duplicem reperio dicendi modum: primum asserentem, posse tutâ conscientiâ existimare se censuram, aut casum reservatum non incurrisse. Qui modus fundari potest in eo, quia leges ad pœnam vel censuram non obligant, nisi perfectè cognitæ: qui autem secundùm vtramque partem probabiliter opinatur, se censuram vel casum non incurrisse, non perfectè cognoscit earum obligationem. Nec qui legem condidit

A peccato certo, aut censu à certâ per absolutionem incertam nemo eximitur.

Rem fuisse, aut nò fuisse ab opinione non dependet.

Quid dicendum sit de iure incerto?

Nota illa verba; leges perfectè cognitæ, necnon perfectè scientes.

obligare intendit, nisi perfectè legis obligationem scientes. Neque dicas, nec teneri tutiorem partem eligere eum, qui dubitat, an censuram contraxit. Nam qui dubitat, nulla potest ratione moveri, ob quam practicè putet se censuram non incurrisse: sicut potest qui probabili ratione existimat eam non incurrisse.

557 *An orare pro condemnatis & præscitis possimus?*

Et tametsi clausit hisce verbis discursum: *Vterque modus probabilis est, sed posterior tutior.* in praxi sæpe priorem consuluit, & iuxta illum suas decisiones elimat. Quæstionem difficilem excitat *num.* 112. videlicet, *An liceat orare pro præscito?* & negat. Et cur? [Quia orare, ut Deus sententiam mutet, est orare ut Deus in suo decreto mutetur, quod non minus est impiũ, quã impossibile. Ob hanc rationem non licet pro damnatis orare. Eadémque ratio foret de reprobis viatoribus, si de illis certo constaret.] Ergo pro viventibus orare possumus, non quia certo, aut probabiliter sunt prædestinati, sed quia non constat certò esse reprobos.

Oramus pro vivis, quia non certò scimus illos esse præscitos.

558 *An ad secundas nuptias de morte prioris coniugis moralis certitudo requiratur?*

Addam *ex tom.* 9. *de Matrimonio.* paucas lineas. Quoniam *disput.* 22. agit de impedimento ligaminis; &, quia alter, qui mortuus fortè dicitur, est in possessione, hoc dubium *n.* 7. proponit: *Qualis certitudo requiratur de obitu coniugis, ut superstes possit matrimonium inire?* & præmissis aliorum sententiis, subiungit. [Alij moralem certitudinem desiderant, fundati *in authentic.* Clementis III. & Lucij III. nam ille *cap. in præsent de spons.* & hic *cap. domin. de secund. nupt.* prohibet, ne superstes ad secundas nuptias transeat, donec certus sit de morte sui conjugis. In hanc sententiam inclinant communiter Doctores, &c.] Et ratio sumitur à possessionis fundamento, quia contra possessionem certam non sufficit incerta aut probabilis ratio. Pergit, & mox *num.* 14. inquirit, An validum sit secundum matrimonium priore coniuge mortuo, si tamen de illius obitu non habeatur moralis certitudo? & respondet: [Dicendum, tale matrimonium non fore validum. Ita communiter, &c. Hinc constat novum esse præstandum consensum per verba de præsenti expressum, si matrimonium sine morali certitudine de morte prioris coniugis initum sit; cùm illud fuerit invalidum, utpote destitutum conditione ad ipsius valorem ab Ecclesiâ requisita.] *Pag.* 222. *b. num.* 24. sic ait: [Qui contrahit cum impedimento dirimente, vel omninò ignorato, vel non putato tali, etsi matrimonium reipsâ nullum sit, quamdiu tamen sibi certò non constat tenetur reddere petenti: ne alterum coniugem iure bonâ fide adquisito privet, &c.] Hæc notauero, ut videat Lector, quantam vim habeat argumentum, quod à possessione desumitur. Cùm igitur homo in suæ libertatis sit possessione videamus quomodo erga eum in matrimonialibus causis procedatur.

Prior coniux est in possessione.

Quid, si reverà fuisset mortuus, quando de eius morte disputabatur.

Quid de impedimento incerto dicendum sit?

De eo, qui rapuit Monialem, agit *disput.* 13. *pag.* 171. *num.* 40. & producit Canonem, *Hi ergo*, 27. *quæst.* 1. in quo ait Pontifex

Quâ sit pœnâ puniendus, qui monialem duxerit?

Pontifex: *Qui sanctimonialibus scientes matrimonio ad iniuriam Christi copulati sunt, ita ad sensum zeli Christi separentur, & nunquam eis concedatur coniugali vinculo religari, sed in pœnitentia lamentis se vehementer, dum viuunt, afficiant.* In hoc matrimonio quærendum est, *An validum, & an licitum sit?* Et ego ante responsionem dico, legum alias definitivas, & alias præceptivas esse: illæ enim non autem hæ, invincibiliter nescientes obligant. Vnde illustratur Iuris Regula XIII. *Ignorantia facti* (præcepti) *non Iuris excusat.* Et his positis dico, matrimonium cum moniali professâ contractum, sive vir hoc ipsum sciat, sive nesciat, esse invalidum: at si vir nescit illam esse monialem, à culpa & à pœna excusabitur. Si dubitet, debebit examinare: & quia est in sua libertatis possessione, & potest quamcumque ducere, quæ monialis non sit, aut impedimentis obstringatur; ille qui impedimentum objecerit, debebit illud necessariò probare.

Leges, aut definitivæ, aut præceptivæ sunt.

Lex de impedimentis matrimonij, est definitiva.

559 An pater filiam possit in vxorem accipere? examinat *disp.16.pag.189.b.num:10.* Et nequis à Persarum lege errandi occasionem arripiat, illos feros & barbaros fuisse asseverat, & S.Ambrosij *ad Patern.* verba pulchra producit: *Ne pater filiam suam accipiat vxorem,* ait S.Doctor, *interdictum est Naturæ Iure: interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum: interdictum est inviolabilis præscriptione Pietatis, titulo necessitudinis.* Et subjungit [at difficultas est, in ratione.] Porrò interdici hoc matrimonium legibus humanis (Pontificiis, Cæsareis, &c.) certum est: &, si certum sit etiam à lege naturæ inhiberi, in nullo casu tale poterit matrimonium iniri. Ita Cajetanus *in 2.2.quæst.154.artic.9. §.ad hanc dub.* Coninck *disput.32. num.14.* Hurtadus *disputat.27. de matrim. differ.3.* & alij apud Sanchez *lib.7.disput.45.num.10.* Sed tamen Cajetanus & cæteri posse Deum in hoc matrimonio dispensare concedunt. At in casu necessitatis, conservandi genus humani gratiâ, validum esse matrimonium inter patrem & filiam, tenet multorum Theologorum opinio, quam Amicus *loc.citat.* asserit esse probabiliorem, & Soto *in 4.distinct.40.quæst.vnic.art.3. §.igitur.* Palacios *disput.929.* Henriquez *lib.11. de matrim.cap.9 num.3.* Sanchez *ubi suprà.* Rebello *quæst.5. de impedim. cognit. sect.3.* Layman *lib.5.tract.10.part.4.cap.6.num.1.* Poncio *lib. 7. cap. 31.* adtribuit: cui asserit acclinare Valentiam *tom.4. disputat.10. quæst 5.punct.3. §.Quin etiam.* Porrò argumentum Cajetani, quod formari posset pro primâ sententiâ erit hoc. Quod est per se pravum, & lege naturali interdictum, nullo casu potest fieri. At hoc matrimonium tale est. Ergo nullo casu potest licitè fieri. Respondetur primò, legem natura esse Philosophicam & Theologicam, quæ non distinguuntur quoad substantiam, sed quoad modum: nam eadem numero lex, præscindendo à Divino præcepto est Philosophica; & conscientias non tangit: sed tamen per Divinum præceptum elevata, est Theologica, & homines obligat in conscientia. Pono exemplum. Eadem Vlpiani verba, in hujus Iurisprudentis libris, consilia sunt, & ab æquitate laudantur: at posita in Pandectis, nam accedit Cæsareanum Imperium, habent legis vim, & totum Orbem Romanum obligant. Respondeo secundò Deum in Theologicâ posse naturæ lege, dispensare. Respondeo tertiò, Deum cùm imposuit genus humanum propagandi præceptum, in casu necessitatis in lege, de quâ disputamus (si ulla Theologica datur) dispensasse.

De matrimonio in primo gradu lineæ rectæ.

An aliquando licitū & validū sit?

An illud admiserint Persæ?

560

An in eo possit Deus dispensare?

An in casu necessitatis sit validū?

Lex Naturalis, vel Philosophica, vel Theologica est.

Quomodo distinguantur?

561 Quærit *disp.17. sect.2. pag.195.b. n.11.* idem Author, *An matrimonia aliqua inter affines sint irrita iure naturæ?* & *num.14.* asserit probabiliorem sententiam docere in nullo rectæ lineæ gradu affinitatis irritum esse matrimonium Iure naturæ. Objiciebatur. Talia matrimonia non esse inter homines admissa: & respondet [ex eo, quod talia matrimonia non sint communiter admissa; non inducitur certum argumentum, ea Iure naturæ esse irrita: quippe multa possunt esse indecentia, &c.] Ecce (1) ut obliget lex certò argumento debet obligatio suaderi. Ecce (2) voce illâ *indecentia* fatetur, se cognoscere & admittere Philosophicam legem Naturæ; hæc enim inhibet, quæ sunt contra decentiam naturalem.

An, & quæ matrimonia sint irrita Iure naturæ?

Postea *pag.197. b. num. 27.* sic statuit. [Quod non erat in lege expressè prohibitum, licitum erat apud Hebræos ut rectè idem (Cajetanus) & reliqui.]

Quid sit rē esse licitā?

Deinde *pag.202.a.num.13.* ait: [Infertur secundò posse duos esse suorum filiorū invicem Patrinos. Ita Angel. *de matr.3. imped.7.n.18.* & cum aliis Sanchez *disp.54. fin.* Quia nullus est in Iure textus id prohibens; in his autem, quæ à positivo Iure pendent, nihil est sine expressâ lege asserendum.]

Quæ non interdicuntur possunt fieri?

562 *Pag.206 b.num.47.* exponens illa Concilij verba, *Quod si alij ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.* proponit duas sententias: & postea subdit. [Addit Suarez, etsi hæc sententia (quæ videlicet docet non contraxisse cognationem spiritualem) probabilis sit, quia tamen opposita est etiam probabilis, abstinendum esse tali casu à matrimonio. Verùm etsi hoc pium sit: ubi tamen ratio in contrarium non urget, licitè unusquisque operari potest ex sententiâ probabili, etiam minus tutâ, ut *tom.3. disput.15.*] Ecce quomodo Viri etiam docti diversimodè ex diversis fundamentis discurrant. Suar. consulit, ut abstineat, qui habet probabile impedimentum: Amicus verò suadet ne se certâ libertatis possessione spoliet propter impedimentum incertum. Ergo ubi lex prohibens non est certa, in suâ libertas possessione debet manuteneri.

De his, qui non sunt patrini, & tamen infantem in baptismo tetigerunt.

Quid consulendum illi sit, qui incerto impedimento laborat?

563 Et hic Amici discursus me monet, universos Authores, qui docent, posse hominem

Actuum humanorum licitorum (ratio, ex quâ sunt liciti) debet esse Certitudini, Probabilioritati, necnô æquali & minori Probabilitati prædicatum commune.

nem tutâ conscientiâ eligere minus probabilem & minùs tutam opinionem probabiliore & tutiore relicta [qui sunt plurimi : nam Mercorus *part.* 2. *art*, 26. citat pro ipsâ contra se sexaginta, quibus Bordonus *in Propugnaculo*, *cap*. 6. *pag*. 39. *b*. *num*. 14. addit alios quadraginta, vel plures :] stare pro *Non - Certitudinis* doctrinâ, quam nostra Dialexis tuetur. Et argumentantur sic. Sententiæ certa, probabilior, æquè probabilis, minùs probabilis, &c. sunt omnes in praxi securæ. Ergo est ipsis commune securitatis attributum. Ergo hoc nascitur ab aliquo prædicato universis communi. At nec Certitudo, nec Probabilioritas, nec major aut minor Probabilitas, est prædicatum universis commune : & tamen *Non - Certitudo* inhibentis præcepti est prædicatum universis commune. Ergo in centum horum Theologorum, & in omnium aliorum, qui eos sequuntur, sententiâ, à partis contrariæ *Non-Certitudine* prædictâ sumi debet certissima Conscientiæ securitas, hæc enim est prædicatum certæ, nec non magis, æquè, & minus probabili sententiæ commune.

Ergo consistit in Non certitudine partis contrariæ.

Castro - Palaus.

564 *De electione Prælati. An semper sit dignior eligendus?*

SCripsit doctissimè & eruditissimè. Interim, interroganti, *An in electione Prælati Regularium peccent Religiosi mortaliter, si omisso digniore dignum eligant?* breviter respondet his verbis : *Spectato Iure Communi, & seclusis specialibus Religiosorum Constitutionibus, non video firmum fundamentum huius obligationis.* Ecce nos monet prudentissimus Vir, non esse asserendam obligationem, & præcipuè gravem, quæ impleri sub mortali debeat, nisi fundamentum sit firmum. At omnia probabilia sunt incerta, & omnia fundamenta incerta, infirma : Ergo ad asserendam obligationem gravem, certum fundamentum requiritur. Ergo ubi illud non est certum, illa protrudenda non est.

Ad asserendam gravè obligationē certum fundamentum requiritur.

Ius naturæ nemine obligat ad melius.

Interim circa propositam Quæstionem nota primò, ex Iure naturæ nudè sumpto, sicut nec pauperi teneor dare optimum panem, nec optimas vestes; sed satisfacio, si dem bonum panem, & decentes vestes : sic nec pupillo teneor dare optimum tutorem, nec Communitati optimum Pastorem, sed satisfaciam, si bonum dederim.

Quid S. Benedict. præcipiat?

Nota secundò, Iure Monastico Communi secundum sancti Benedicti Regulam summa providentia iuberi : ut dignus eligatur. Interim si compromittant Religiosi, vel illis præceptum legitimum imponatur de digniori eligendo, hunc debebunt eligere.

De electione indigni.

Nota tertiò, esse possibile, ut indignus aliquando eligatur; non autem, ut per Religiosorum suffragia eligatur minùs dignus. Est ergo impossibilis casus, qui proponebatur. Prior Antecedentis pars probatione non indiget : aliquando enim male morati Religiosi, ut possint conver-

An minùs digni electio sit possibilis?

sari libentiùs, in indigni electionem conspirant. Posterior pars suadetur. Nam, ut sciatur, quis inter dignos dignior sit, non librantur speculativæ qualitates; non enim quæritur, quis eloquentiùs concionetur? quis meliùs Geometriam percalleat? quis argumentetur subtiliùs? &c. sed tantùm quæritur, quis gubernabit meliùs? At cæteris paribus gubernabit meliùs, qui magis amatur : & habebit plures voces, qui magis amatur. Ergo sicut impossibile est, ut plures habeat voces, qui est minùs amatus; sic etiam, ut eligatur, qui est minùs dignus. Et huc respiciebant Veteres Summi Pontifices, qui in Presbyteri consecratione præscripserunt Episcopo, ut diceret, *Necesse est, ut faciliùs ei qui obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuit ordinando.* Et ille semper meliùs potest cæteris paribus gubernare, cui subditi faciliùs & libentiùs obediunt.

Quæ qualitates aliquē digniorem constituant?

Cui subditi libentiùs obediunt.

Ficarra.

PLacet addere P. D. Clementem là Ficarra, cui eruditum Tractatum *de Fama* debemus, cui ille Tractatui etiam debebit famam. Hic enim *part.* 1. *colloq.* 29. *nod.* 12. *pag.* 123. *a. num.* 24. hanc Quæstionem proponit : *An qui actionem elicuit ex quâ dubitat, An grave damnum resultaverit contra innocentem, teneatur ad restitutionem?* Monet Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 8. § *Notandum.* Sufficientes diligentias adhiberi debere. Assentior : nam in in simili casu hoc ipsum nobis jubet Scotus.

Quid sit Facturus, qui an damnum intulerit dubitat?

565 Pro Quæstionis decisione tres sententias adducit. Teneri ad restitutionem in casu, Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disput.* 21. *num.* 17. Salas *tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 8. *disput.* 1. *sect.* 23. *num.* 249. Sancius *in select. disp.* 41 *num.* 14. Naldus *in summ. verb. consilium*, *num.* 23. Covarruvias *in Clement. si furiosus*, *part.* 2. §. 2. *num.* 1. & alij asserunt. Negant Sylvester *verb. restit. quæst.* 6. Sayrus *Clav. Reg. lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. *in fin.* Rebellus *de obligat. Iustitut. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 2. Petrus Navarrus *de restit. lib.* 3. *cap.* 4. *in* 2. *edict. num.* 48. *versic.* 58. Medina *Cod. de restitut. quæst.* 7. *ante versic. si autem.* Fillincius *tom.* 1. *pract.* 21. *cap.* 4. *num.* 167. Henriquez *lib.* 4. *de irregul. cap.* 3. *num.* 4. *in fin. lit.* C. Diana *loc. citat.* Tanner. *in* 2. 2. *disputat.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 14. *n.* 395. Emmanuel Sà *verb. restitutio*, *n.* 25. qui omnes D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. *in corpore.* & aliis antiquis subscribunt. Debere autem fieri divisionem pro quantitate dubij asseruerunt Molina *de Iustit. & iur. disput.* 736. *num.* 6. Cardinalis de Lugo *de iustit. & iur. tom.* 1. *disput.* 19. *sect.* 1. *n.* 22. §. *adhuc tamen.* & alij, quibus Cajetanus *quæst.* 62. *artic.* 5. *ad* 3. & Sotus *lib.* 4. *de iustit. quæst.* 7. *artic.* 1. *ad* 3. favere videntur.

Ad restitutionē teneri asserit Prima Sententia : Negat Secunda : Tertia dividit :

Omnes à possessionis iure argumentum deducunt : nam contra possessionem non militat Probabilitas, sed Certitudo. Pro

Omnes tres sentētia manutenendam esse possessionem suppo nut, & quidnam in possessione sit inquirunt.

secundâ sententiâ argumentatur Ficarra [quia in dubio melior est conditio possidentis : unde solùm is tenetur, quando certus est saltem moraliter (non mortaliter, ut liber habet) quod à suo consilio aut suffragio positus sit effectus : cui sententiæ suffragari videtur D.Thom. &c.] Hoc argumento non obstante, primam sentententiam vocat probabiliorem, [retorquent enim (sui Authores) in adversarios rationem illam ab illis adsignatam; nempe, quòd in dubio melior sit conditio possidentis: nam aiunt, quod in hoc dubio damni dati, non stat possessio pro t , sed pro damnum passo.] ergo servando formam, quam servaverat, ut secundam probaret sententiam, deberet primam admittere. [quia in dubio melior est conditio possidentis : unde solùm is non tenetur, quando certus est, saltem moraliter, quod à suo consilio aut suffragio non sit positus effectus, &c.]

Sylvester.

Magistri Sacri Palatij Apostolici, qualest

566 APostolici Palatij dignitas magnam doctrinam & eruditionem requirit, & ideò semper illam Pontifices conferunt viris in omni scientiarum genere valde versatis. Et inter alios, qui summâ laude functi sunt illo officio P. Sylvester Prieras potest recenseri cum laude : quod suadet

Summa Sylvestrina: quæ?

summa, quæ ab eius nomine *Sylvestrina* vocatur. Videamus ergo, an hic Thelogus celeber à nobis stet, & nostræ Dialexeos doctrinam suâ eximiâ authoritate & sententiâ corroboret?

An discipuli sequi possint suorū Magistrorū sententias?

In summâ itaque, *verb. Opinio, num.* 1. *mihi fol.* 207. *c.* sic inquit : [Quæritur, *Virum sequens opinionem Doctoris alicuius non subtiliter investigatam, quæ inde apparet falsa*, sive quod idem est, *Virum auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones, quarum altera necessariò est falsa, excusentur si sequantur opiniones suorum Magistrorum?* Et dico, quod de hoc videntur esse opiniones, & non sunt. Nam S.Thom. in quodlibet. dicit, quod excusantur, si illæ opiniones non pertinent ad fidem, aut bonos mores : alias nullus excusatur, si contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra illud, quod publicè tenetur secundum authoritatem Ecclesiæ, opinionem erroneam sequatur Magistri alicuius ex ignorantiâ : alioquin non peccassent Arrij, & aliorum heresiarcharum

Nota illa verba, contra manifestum Scripturæ testimonium.

567 rum sequaces : nec excusantur simplicitate in aliquibus, quia in dubiis non est facilè præstandus assensus : sed potiùs, ut dicit August. *de doct. Christiana* consulenda est regula fidei, quæ de planioribus Scripturis & Ecclesiæ authoritate percipitur. Hæc ex illo. Pan. verò *in cap. capellanus. desert.* dicit, quòd sequens opinionem alicuius Doctoris non subtiliter investigatam, quæ postmodum apparet falsa, excusatur à peccato, quamdiu non apparuerit falsa & facit *gloss. iuncto text. in cap. unico, de postul. prælat. lib.* 6. *& in cap. fin. de spons. duo, & in c. cum venerabilis, de consuet. & l. regula, & quod ibi not. ff. de iur. sacr. & ignor. & quod not.* Innocent. *in cap. per tuas, el* 2. *de simon. & gloss.* Gof. Tancr. *in d. cap. capellanus, & quod not.* Oldr. *in l. quæsitum* sc. quod sequens opinionem sui doctoris excusatur ab impensione expensarum: quia probabiliter quis sequitur opinionem sui Doctoris, *l. dicere, §. unde videndum, ff. de arbitr.* Istæ autem opiniones non sunt contrariæ, sed ex utrisque elicitur completa Veritas : quia vtraque loquitur in spectantibus ad fidem aut mores. S. Thom. dicit quod tales non excusantur in his, quæ sunt manifestè & clarè determinata alicubi : quo etiam modo secundum Arch. intelligitur cum dicit, quod in opinionibus faciens contra verum, licet non contra conscientiam, non excusetur à pecato: puta, in habendo plures præbendas, quia facit contra legem Dei, aliàs, inquit, contradiceret sibi in eodem libro, quod non est

Semper fidei Regula consideranda est.

Considera illa verba, quandiu nō apparuerit falsa.

Nota illa verba manifestè, & clarè.

In manifestè & clarè falsis non excusat opinio:

credendū: & est verum, quia in talibus non 568
excusat ignorātia. Pan. verò loquitur in obscuris: & est verū opposita ratione dicente. Mon. quod non generatur aliquod præiudicium veritati, cùm inter diversas opiniones à magistris approbatas, & Scripturis authenticis annotatas, illam quis amplectitur, quæ sibi videtur magis consona rationi. Et hoc intellige non solùm, quando quis facit, quod in se est, ut intelligat veritatem; quia talis etiam in manifestè determinatis excusaretur cùm laboret ignorantiâ pro tunc invincibili; sed etiam cum quis in affectione ad suum Doctorem iudicat probabiliter, ut sibi videtur, esse verum, quod est falsum. Nec obstat quod in dubiis tutior opinio est eligenda : *de spons. iuuenis*, quia non est in dubio, quæ probabilibus rationibus flectitur ad vnam partem. Nec est uerū quod incertum dimittendum est, & certum tenendum *de pœnitent. distinct.* 7. *Si quis*, quia tenet iste certum sibi moraliter : cum in moralibus [*a*] sufficiat certitudo ex probabilibus secundum Philosophum, 1. *Ethicor.* Vnde si Ioachim tenuit contra fidem, *de summ. Trinit.* damnatus, & non [§] fuit hæreticus. quia talis articulus nondum erat per Ecclesiam damnatus : multò magis excusatur sequens opinionem Doctorum non reprobatam cum voluntate non adhærendi, si vera non apparet.

Excusat tamen in obscuris.

An sibi contradicat S. Thomas?

Qui facit, quod potest, ut veritatē adsequatur, si illam ignoret laborat ignorantiâ invincibili.

Opinio distinguitur à dubio.

a] Vocum defectu Sylvester hic, & alij alibi, *Moralem Certitudinē* vocant, quā deberent *Virtualem*: nam Probabilitas virtualiter est Certitudo, quoniam in morum regimine ita se habent sententiæ Probabiles, ac si essent Certæ.

§] *Sanè Ioachimus, non fuit Hæreticus, habuerit aut non errores, qui in Innocentij Decretali*, lib. 1, tit. 1. cap. 2. *damnantur: nam hæresis requirit pertinaciam, quæ non invenitur in Viro, qui omnia sua scripta Apostolicæ Sedis correctioni submisit. Hanc doctrinam ab Ecclesiâ damnatam, fuisse Ioachimi Petrus Lombardus asseruit, quem Scholastici passim sequuti sunt. Interim D. Gregorius de Laude S.Thom. Doctor. & Monasterij Sagittariensis, Cisterciensis Ordinis, Abbas, dum communem doctrinam in Ioachimi Scriptis reperiret suspicari cœpit illas ipsas sententias Abbatis Ioachimi non fuisse ; & ideo librum edidit Neapoli anno* 1660. *in quo conatur Ioachimi vindicare*

An Abbas Ioachimus fuerit hæreticus?

Quid ad hæresim requiratur?

Concilia errare nō possunt in quæstione de iure. An possint in quæstione de facto?

care innocentiam. Est Capitis LXVII. *titulus.* Relatæ modò sententiæ Dei virum (*fortè*, viri) Ioachim non fuisse, triplici fundamento defenditur. *Et in corpore ostendit ex Gravina*, in Cherubino Paradisi libr. 1. cap. 5. num. 6. *non posse in Iure errare Generalia Concilia, posse tamen in Facto. Et concludit.* Nos enim non intendimus defendere sententiam, *&c.* Bene tamen intendimus Ioachimi innocentiam defendere, & eum à tali labe & ignominiâ vindicare, *&c.* Dicimus ergo damnatam de Trinitate sententiam fuisse suppositiam & nostro Florensi Abbati ascriptam, *&c. Nec refert hunc D. Gregorij librum fuisse interdictum, nam post aliquorum locorum correctionem in lucem redire permittitur: & verba, quæ citavi ex Sacræ Congregationis Decreto debent sic legi.* Nos enim non intendimus defendere sententiam, *&c.* Conabimur tamen, si fieri potest, Ioachimum defendere, & eum à tali labe & ignominia vindicare, *&c.* Dicimus ergo probabile esse damnatam de Trinitate sententiam fuisse suppositiam, & nostro Florensi Abbati ascriptam, *&c. Ex quibus patet D. Gregorij in Ioachimo defendendo animositatem Sacræ Congregationis displicuisse, voluisseque, ut quod ille tanquam certum dicebat, maneret intra terminos Probabilitatis.* Igitur certum est esse hæreticam: probabile est non fuisse Ioachimi, doctrinam, quam Innocentius condemnavit.

An Abbatis Ioachimi fuerint opiniones, quæ sunt ab Ecclesia damnatæ.

Quid de hoc Sacra Congregatio iudicaverit?

P. Ioannes de Tabiâ.

SVmmam Tabiena edidit, quam *Summam Summarum* appellant, & Cardinali Thomæ de Vio Caietano dicavit. Et *verb. Opinio, num.* 2. Sic inquit. [Respondeo secundum S. Thomam *quæst.* 3. *art.* 10. quòd diversæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, siquidem non pertineant ad fidem & bonos mores absque periculo, auditores utramque opinionem sequi possunt, tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit ad Rom. 14. *unusquisque in suo sensu abundat.* [a] In his verò, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri, in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opiniones Arrij, Nestorij, & aliorum hæresiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur, in rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus: quin imò ut Augnst. dicit in libr. 3. de doct. christ. *Consulere debet quis Ecclesiam fidei quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit.* Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur, secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.] Ergo ubi nullum est manifestũ Sacræ Scripturæ testimonium, & nihil definivit Ecclesia, liberum erit unicuique in suo abundare sensu, sententiamque, quam meliorem iudicaverit, defendere.

569
a] Hi ad hæc contrahunt vela nonnulli, & meritò, nam in Artibus Mechanicis & Liberalibus, quarũm Conclusiones nec ad fidem nec ad mores spectant, tenẽtur Magistri erroneas non docere sententias; & eas conclusiones eligere, quas discipulis suis esse meliores iudicaverint. Est enim pactum implicitum inter discipulos Magistrumque, vi cuius illi debent erudiri, non falli. *Contra manifestum Sacræ Scripturæ testimonium, & contra Ecclesiæ definitionem nemo potest aut docere, aut doceri.*

Doctor Aquilar.

INter alios Viros Eruditos, qui suis literis Regiam Madritensem honorant, magni Ego facio Doctorem Dn. Stephanum de Aquilar y Zuñiga, & ego impræsentiarum eius verbis & nomine hanc doctrinam *de Non Certitudine* roborabo. Eius commissa fuit Censuræ vigesima-sexta Comœdiarum pars, quam Ioannes Martinus Merinerus in lucem mittere desiderabat; & respondit, *Posse licentiam, quæ petebatur concedi, quoniam id rationes generales persuadere videntur: maximè cum nulla specialis occurrat, ob quam debeat hæc licentia negari.* Eius verba sunt hæc. *No se han de arrancar las vides, dixo Lycurgo, porque muchos se enbriagan: ni se ha de condenar la Poesia, porque abusan muchos de sus licencias. Necio fuè el Satyro, que se abraçaba con el fuego por vèr lo lucido, y en vez de calentarse a distancia proporcionada, se quemaba por no proporcionar la distancia de su uso. Por estas y otras razones se han permitido las Comedias: y en estas hallo las que asta a hora han prevalecido, para permittir, que se divulguen tantas en España, sin que tenga causa alguna especial para que se les niegue la misma licencia.*

N. B. Voluerunt aliqui interdici Comedias, aut solas eas permitti, quæ devotã aliquam historiam repræsentarent; & reperta sunt maxima inconvenientia; debet usus ab abusu distingui: non debent eradicari vites, quia se inebriant aliqui: nec interdici debet ignis, quia illo abutitur Satyrus: Ergo Comœdiarũ usus sobrius in Republicâ potest permitti.

Ecce libertas stat in possessione, & ut aliqua licentia concedatur, solum requiritur, quod non detur specialis ratio, ob quam debeat negari: & generaliter loquendo ut aliquid licite fiat, sufficit non dari specialem rationem ob quam non fieri debeat.

D. Iosephus Antonius.

LOcum inter Scholasticos habere potest Dn. Iosephus Antonius Gonzalez de Salas, Eques Ordinis Calatravensis, & antiquissimæ Gonzaleziorum Domûs Dominus, Collegit D. Francisci de Quevedo Poëmata, & exornavit eruditis Scholiis, quæ cum applausu & utilitate leguntur. In Proœmio, quod *Prevenciones al Letor* inscribitur, §. *No solo*, interroganti fortè, *An aliqua humili stylo scripta inter cæteras Poëses admissa ab ipso fuerit?* respondet dicens. *De mala en mi sentir ninguna ha de merecer el opprobrio: pues error fuera sin disculpa, si algo admitiera io, que pudiera padecer vituperio, en donde el escoger, o reprobar, estuvo en mi alvedrio, &c. No admitiendo Poesia alguna, que juzgasse de averiguado descredito.* Consideremus bene, quid paucis verbis Vir eruditissimus nos doceat. Attende.

Qualia sint D. Francisci de Quevedo Poëmata?

Se noluisse ait (1) inter Poëmata Quevedo ponere vel unicum, quod esset malum. Addit (2) se si quodpiam malum admisisset, nullam excusationem habiturum; siquidem in arbitrio suo, admissio & exclusio sita fuit. Et tandem (3) se nullum malum admisisse inde probat, quòd nullum

Omnis bonitas & malitia humanorum actuũ à libero arbitrio dependet.

in toto Libro Poëma sit, *de averiguado descredito*, quod certò sit malum.

Hanc doctrinam ad Theologiam Moralem transfer, & assere (1) te nolle vel unicum actum elicere, qui malus sit. Adde (2) te, si quempiam malum eliceres, nullam excusationem habiturum; siquidem in arbitrio tuo est elicere aut non elicere quemcumque. Et tandem (3) te nullum hodie v.gr. malum elicuisse, inde proba, quòd inter illos omnes, quos hodie elicuisti, nullus sit, *de averiguada malicia*, qui certò sit malus: de cuius malitia plenè constet. Et denique (4) cùm omnis præsumi bonus debeat, nisi plenè probetur esse malus: infer nullum à Viro prudente actum, de cuius interdictione hinc inde probabiliter disputetur, malum iudicari debere.

Non debet dici aut censeri actus malus, qui certò interdictus non sit.

Angelus Maria Verricellius.

570 QVæstiones Morales & legales ann. 1653. Venetiis edidit, in quibus multa sunt singularia, quæ limam necessariò desiderant, quibus expunctis manebunt plurima, quæ cum utilitate legantur. Interim, quia nostram sententiam *tract.* 1. *quæst.* 4. *pag.* 47. *a.* edisserit, eius verba subscribo.

De Libro Verricellij Iudicium.

[Quando aliquis contractus, ait, est in usu in aliquâ Civitate, etiamsi videatur iniustus, & usurarius, non est proinde facilè reprobandus, nisi clarè, & evidenter constet de iniquitate illius Bart. *in l. si quis fugitiuus* §. *apud Labeonem*, *ff. de ædil. edicto*. Tiraquel. *lib.* 2. *de utroque retractu* §. *ultimo num.* 127. Navarr. *conf.* 4. *de usuris edit.* 2. Tum quia, si dubitatur, an aliqua consuetudo contra legem sit introducta, probabile est, eam esse introductam, atque adeò non peccat quis contra legem, si videat plures doctos Viros, & timoratos aliquid absque scrupulo operari, ita Valentia *tom.* 3. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 8. Regineld. *lib.* 13. *numer.* 247. Salas *de legibus disp.* 19. *sect.* 4. §. 5. *num.* 43. *in fine*, *& part.* 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. unica*, *num.* 169. Azor. *tom.* 1. *resol.* 3. *& part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 14. *&* 22. Tum quia usus communis non debet esse minoris ponderis, quàm unius, vel alterius gravis Doctoris authoritas *argumento text. in* l. 2. Cod. *quæ sit longa consuetudo*, & docet Duardus *de censibus tom.* 1. §. 3. *quæst.* 5. *num.* 40. Tum quia ut habetur *in d. lege apud Labeonem*, *ff. de ædil. edicto*, faciens aliquid quod publicè putatur licitum, non censetur male facere.] Est enim tam potens communis & recepta sententia, ut sive agatur de absolvendo sive de condemnando homine, pro ratione ponatur. Quod clarè probare potero producendo Emmanuelem Rodriguez *to.* 1. *quæst.* 24. *art.* 11. qui interroganti, *An per homicidium occultum irregularitas incurratur?* respondet, [Scio namque communem esse opinionem, quòd verè contrahatur irregularitas ex homicidio occulto, tamen nullam vidi rationem, nec auctoritatem, quæ efficaciter probet; immo Iura

Nota illud clarè & evidenter.

An & quando possit quis sine scrupulo sequi consuetudinem, & legem violare?

Quanta authoritas usus communis sit?

An licitè facere possim, quod publicè licitum reputatur?

An ex homicidio occulto irregularitas proveniat?

omnia, quæ huic videntur suffragari sententiæ, omninò refragari existimo, ideò statuitur Conclusio probabilis, *Quod per homicidium, omninò occultum, nulla contrahatur irregularitas.* Hanc opinionem tenet noster doctissimus Castro *lib.* 2. *de lege pœnal. cap. ult.*] Sed P. Gabriel à S. Vincentio *libr. de Censur. disp.* 1. *quæst.* 7. §. 3. *num.* 96. *pag.* 59. *b.* [Resp. &c. negando antecedens argumenti: est enim contra communem Theologorum opinionem, ut etiam ipse Rodriguez testatur: est contra praxim Romanæ Curiæ, in quâ quotidie petuntur dispensationes pro irregularitate orta ex homicidio occultissimo, &c.] Bene ergo ratiocinabatur Verricellius: si enim faciens aliquid, quod publicè (ab omnibus) censetur obnoxium censuræ, illam incurrit, etsi causam ignoret: sic similiter faciens aliquid, quod publicè (ab omnibus) censetur licitum, operabitur licitè, etsi causam ignoret. *Si velis dicere*, hoc totum contra meam militare doctrinam: negabo, quod enim omnes Theologi dicunt, etsi rationem, quâ moventur, Castro & Rodriguez nesciant, certum est. Et contra legem certam nemo securâ conscientiâ operatur.

Ergo ne datur obligatio sine ratione aut authoritate efficaci?

Est authoritas efficax, omnium Theologorum consensus, Romana Curia praxi constanti confirmatus.

An ex hac doctrinâ contra nostram possit aliquod argumentum deduci?

Est locus pulcher *tract.* 2. *quæst.* 36. in quo respondere videtur inquirentibus, *An ad securitatem conscientiæ requiratur, ut Opinio, quam sequimur, ad minimum sit certò probabilis, an verò sufficiat, si probabiliter probabilis sit?* Ibi enim *pag.* 118. *a.* §. *Probo.* Sic inquit. [Quilibet habet ius certum tuendi suum honorem, suam vitam, suas facultates, neque se exponendi gravissimo iacturæ bonorum, famæ, ac vitæ periculo: Ergo in dubiò, an opinio sit probabilis, vel improbabilis, stat possessio pro tuendo honore, vitâ, facultate, coniugis, & sic ut non notificet impedimentum cum tanto discrimine, ita à fortiori docent de ieiunio, & Horis Canonicis, quia, si dubium est, seu si adsit periculum, quod noceant saluti, non tenemur eorum præcepto, sed sumus liberi absque ullâ dispensatione Superioris, quia certum ius quis habet [a] non se exponendi periculo salutis. Bonac. *de horis canon. disp.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 5. Ioann. Sanchez *in Selectis disp.* 51. *num.* 9. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 28. Favet doctrina Iasonis *in l.* 1. *num.* 56. *Cod. de Summa Trinit.* ubi dicit in dubiis præferendam esse sententiam animabus faventem.]

An sufficiat de ipsamet probabilitate probabilitas, an necessariò dari debeat de probabilitate certitudo?

a] Agit de gravi periculo mortis, aut gravis morbi, non verò de levi incommoditate.

Et *tract.* 2. *quæst.* 27. *n.* 3. *pag.* 91. *a.* ad Sacramentales leges hanc doctrinam extendit: sumus enim in nostræ libertatis possessione: & hanc ob rem, nisi sint certæ & indubitatæ, non obligant. Dabo eius verba. [Sacramenta irreverenter tractantur, quando scienter administrantur nulliter, aut sine causa cum materia dubiâ: at quando est gravis causa salutis proximi, tunc nulla est irrisio Sacramenti, adeoque nulla irreverentia.] Nota vocem illam *scienter*: peccat enim, qui sciens & volens Sacramentum nulliter administrat. Qui autem sequitur opinionem probabilem,

Sacramentales leges nisi certæ & indubitatæ sint, non obligant.

Sexto, ubi illa non obligant, obligat Charitatis praeceptum. lem, tametsi illa falsa sit, & Sacramentum nullum faciat, non peccat contra legem Sacramentalem, non enim scienter & contra legem certam operatur. At posset peccare contra legem Charitatis, si administret Sacramentum probabile, quando, & cui certum administrare tenetur.

571 *An obligent leges incertae?* Lego etiam *tractat* 2. *quaest.*6. *num.*17. *pag.* 53. *a.* [Quando lex est dubia, & variae sunt opiniones probabiles, tunc quisque liber est ab obligatione legis, cum sequi possit opinionem probabilem non obligantem, &c.]

De osculis & tactibus ex suo genere honestis. Praetereà *tract.*4. *quaest.*22. *pag.*263. *b.* agit de osculis. Et ponit hanc Primam Conclusionem. *Si tactus & oscula ex suo genere honesta sint, ut ex amicitiâ, aut patria more, ea permittere non est peccatum mortale, quamvis in utroque adsit sensibilis delectatio. Immo quandoque nullum omninò peccatum* citatque Sylvestrum *verb.delectatio, num.*7. Rosellam *verbo, cogitatio morosa.* Comitolumque *lib.*4. *quaest.*20 *num.*4. *Quid facturа sit mulier, si de mala viri intentione certa sit?* Addit statim hanc Secundam. *Si tactus & oscula ex suo genere honesta sint, sed mulier certa sit* (N. B.) *de venereâ intentione tangentis, tunc non tenetur coram aliis & cum scandalo aut gravi incommodo se retrahere,* &c. citatque Caietanum *in* 2.2.*quaest.*154. *art.*4. *in fin.* Lessium *lib.*4. *cap.*3. *num.*64. & asserit *eamdem, si sine scandalo id possit, se debere subtrahere, aliasque peccaturam esse contra Charitatem.* Et in hoc Ledesmae *in Summ. part.*2.*tract.*27.*cap.*9 *post concl.*3. Villalobos *tom.*2.*tractat.*40. *diffic.*9. *num* 9. *Quid, si certa non sit?* Filliucio *tract.*30. *cap.*9.*num.*197. necnon Sylvestro, Rosellae, Lessio, Comitolo *ubi supr.* & aliis viris doctis subscribit. Et subiungit Concl. Tertiam; videlicet. *Si oscula ex se honesta sint, & mulier dubitat de rectâ vel turpi intentione osculantis; potest ea admittere: non enim potest de probitate proximi temerè iudicare* Ita Sylvester *loc.cit.num.*5. Comitulus *lib.*4. *quaest.*2.*n.*2. Filliucius *tract.*30.*cap.*9.*num.*192.

An aliquando Vericellinus parum Ecclesiasticis faveat? Transeo ad Tract. VIII. in quo, si fortè aliqua asserat, quae Ecclesiasticis displiceant, & contra Immunitatem militare dicantur, me non habebit Patronum, nec enim aut Laicos contra Clericos, aut Clericos contra Laicos armo, sed Logicam Moralem examino, & inquiro, *An eâdem, quâ ego impraesentiarum, Vericellinus utatur? An videlicet, supponat hanc formam argumentandi esse bonam*, Non est certò interdictum. Ergo tutâ conscientia potest fieri?

An possit obedire subditus, qui de iniustitiâ praecepti non est certus? *Quaest.*1.*num.*3. *pag.*371. *a.* docet subditum in dubio, an praeceptum sit licitum, parere posse; ut enim teneatur non obedire, opus est, ut certò cognoscat esse praeceptum illicitum. Et Suarium *de Relig. tom.*4. *lib.*4. *cap* 15. *numer.*30. Sanchez *in Summ.lib.*6.*cap*,3. *num.*3. Molinam *tom* 1. *tract.*2.*disp* 113. *concl.*3. Salas in 1.2.*tr.*8. *An, & quibus haec doctrina sit utilis?* *disput. unic. sect.*8.*num.*76. Dianam *part.*2. *tract.*13.*resol.*10.& *part.*4.*tract.*4.*resol.*31. & *tract* 3. *resol.*9. pro hac sententia producit. Et haec doctrina est regiminis suavitati opportuna, ubi enim subditis & praecipuè Religiosis permittitur, nimis esse eruditis, subordinatio hierarchica periclitatur, & aboriuntur rixae.

Ex eodem fundamento *num.*4. resolvit, quid possint, debeantque ministri Principis & Reipublicae facere, si dubitent de latae Iustitiâ sententiae. Potest enim & debet Carnifex ex.gr. eum decapitare qui sibi capite condemnatus traditur, nisi certò sciat esse innocentem. Ita Martinez *in* 1. 2.*tom.*1.*quaest.*19.*artic.*6, *dub.*5. *concl.*2. Et quid, si certò sciat illum esse innocentem? Qui asserunt non posse condemnare Iudicem reum, quem leges secundum adlegata & probata condemnant, si fortè privatâ scientiâ sciat illum esse innocentem, debebunt necessariò dicere, Carnificem non posse illum occidere, quem ultima sententia condemnat, si privatim certò sciat illum esse innocentem. Caeterùm, qui adhaereat D. Thomae asserenti posse Iudicem secundum adlegata & probata in processu sententiam proferre, debebit de Carnifice & aliis Iustitiae Ministris pariformiter philosophari. Interim, si certò sciret Carnifex contra leges & iura reum damnatum fuisse, non posset eum occidere. At ille nec tenetur nec potest processus legere & examinare; nec satis doctus est, ut apices Iuris intelligat: ergo in dubio obedire tenebitur. *An carnifex, & alii Iustitiae Ministri exsequutioni mandare ultimam sententiam possint, si de eius iustitiâ non sint certi? Quid, si certò sciat reum esse innocentem*

Agit de Milite *num* 5 & ait, etiam eum, qui neque est subditus, neque compulsus, in dubio (dum non est certum causam belli esse iniustam) posse servire. Rex enim, & eius Consiliarij sunt in possessione suae famae, & esset temerarium iudicium, in dubio (ubi nil certum est) asserere, illos irrationabiliter & iniquè procedere. Ita Petrus Navarra *de restitut.lib.*2. *cap.*3.*part.*2. *dub.*12.*num.*160. Salas *in* 1.2. *quaest.*21.*tract.*8. *disp.*1. *sect.*26. *num.*272. Diana *part.*2.*tractat.*5. *resol.*96. & *part.*4. *tract.*4.*resol.*32. *An quis militare possit sub labaro, de cuius Iustitiâ non sit certus?*

Eamdem doctrinam *num.*6. propagat ad exactores, Gabellarios, &c. ipsi enim etsi non sint subditi, neque compulsi, in dubio (ubi non constat certò de iniustitiâ tributi) illud possunt exigere, ut Vasquez, & Turrianus, quos *tractat. de Iust. tom.*2. *disp.*36.*num.*93. producit & sequitur Lugo, testantur. *De exactoribus, & Gabellariis.*

Posteà *num.*16. asserit, quòd excuset à peccato & censurâ opinionum conflictus. Nam, si omnes sint certò probabiles, quamcumque ex illis poteris sequi sine ullo scrupulo. De hoc argumento fusè egerat *tract.*2. *quaest.*10. Et dixerat, *Respondeo, posse tutâ conscientia me sequi opinionem probabilem omissâ probabiliori; etiam si probabilior esset tutior*, &c. magnumque Authorum numerum pro hac Resolutione (quam esse communem rectè asserat) citaverat. Si autem sint probabiliter probabiles, etiam poterunt tutâ conscientiâ admitti: nam authoritas sive Doctorum numerus non dat ipsi Opinioni intrinsecam probabilitatem, sed est testimonium probabile, quo suadetur illam esse probabilem. Vnde *tract.*2. *quaest.*10. *n.*8.*pag.*60.*a.* sic *De Opinionum Concursu. Si certò probabiles sint, singulae admitti possunt. Quid, si sint probabiliter tantùm probabiles?*

Qualis sit authentica Propositio num Probabilitas?

sic inquit, *Adverte, quòd Opinio*, (ab intrinseco) *probabilior est, quæ firmiori & efficaciori fundamento fulcitur, non, quæ à pluribus Doctoribus defenditur. Navarrus* cap. 27. num. 289. *Thomas Sanchez* disp. 44. num. 68. *Villalobus* tom. 1. tractat. 1. diff. 4. num. 2. *Castrus-Palaus* tom. 1. tract. disput. 2. punct. 1. num. 7. *In dubio autem* (ubi nulla est certitudo de opposito) *semper Opinio, quæ receptior, probabilior præsumitur*, &c.] Nota hoc *præsumitur*; non enim ait receptiorem esse probabiliorem, sed probabiliorem præsumi. Quid autem dicemus, si de Opinionis Probabilitate non iam probabilis opinio, sed dubium sit? Diligentiam opportunam, ut veritatem addiscamus, adhibere debebimus. Et quid si adhuc post examen adhibitum, dubium permaneat? Ad hoc *tract.* 8. *quæst.* 1. *num.* 16. *pag* 372. *a.* respondet Vericellius. *Cùm falsitas Opinionis*, ait, *non ita liquidò appareat, nec sit manifesta; cùm etiam doctissimus falli possit in cognoscendâ falsitate Opinionis* (videlicet, cùm certum non sit Opinionem improbabilem esse) *meritò excusatur quis, si eam sequatur.* Et quia adhæret Opinioni Navarri asserentis, ignorantiam vincibilem, quæ sufficit ad mortale, non sufficere ad censuram, quia ad hanc ausus temerarius ex clementiâ Apostolicæ Sedis requiritur, subiungit. *Ideò omninò excusandus est, vel saltem non erit crassa ignorantia, si vir doctus* (examine opportuno præmisso) *putet aliquam Opinionem, reverà falsam, esse probabilem. Verùm excusandus non est, quando, aut scit esse falsam opinionem, aut dubitat, & facillimè poterat instrui, & negligit; est enim tunc ignorantia crassa, quæ non excusat in conscientiâ à censurâ.*

An probabilior sit, quæ communior?

De Opinionibus, de quarũ probabilitate dubitatur.

Quanta ad peccatum, & quanta ad censuras ignorantia requiratur?

Quid postulet consuetudo, ut sit valida?

Pergit ulteriùs, & *quæst.* 2. *num.* 3. ut quamdam ipse consuetudinem esse validam probet, sic arguit. *Non est expressè* (hoc est, certò. & evidenter) *contra Sacros Canones, sed est consuetudo Iuris interpretativa; sed quæ non militat expressè contra Sacros Canones, sed illos interpretatur, valida est. Ergo hæc consuetudo valida est.*

Optima est legis interpretatio quæ ab usu & consuetudine desumitur.

Firmat hanc doctrinam *quæst.* 3. *num* 3. *pag.* 373. inquit enim. *Quamvis qualibet consuetudo, quantumvis immemorabilis, contra Ecclesiasticam libertatem sit irrita, & nulla; tamen hoc procedit, quando sumus in casu certo, nempe quando certum est aliquid esse contra Sacros Canones, & Ecclesiasticam immunitatem: adeò ut si consuetudo esset valida abrogaret legem Ecclesiasticam: Sed quando sumus in casu dubio, in quo aliquid non est* (certò; &) *evidenter contra Sacros Canones, tunc valida est consuetudo, quia optima legum interpres est consuetudo, ut docuit Franciscus* decis. 329. num. 12. *Quod ulteriùs ostendo* [illegible] *quamvis contra legem Ecclesiasticam* [illegible] *valeat consuetudo. nisi quadragenaria, DD.* in cap fin. de consuetud. *tamen consuetudo interpretativa legis brevi tempore præscribitur, neque diuturnitas temporis in eâ requiritur, Gravetta* cons. 201. num. 12. & cons. 294. col. 14. *Menochius* de arbitr. casu 83. num. 10. *Ergo dispar ratio est, de consuetudine abrogativâ ac de interpretativâ legis Ecclesiasticæ. Prætereà communis Doctorum opinio, quæ legem de immunitate Ecclesiasticâ interpretatur, tutum facit in conscientia; ergo etiam tutum reddere debet consuetudo; quæ melius legem interpretatur; dicitur enim optima legum interpres.* Omnis igitur consuetudo, quæ non est certò contra Sacros Canones est valida. Vt ergo sit invalida, & illam non possimus amplecti certitudo requiritur.

Consuetudo est duplex: altera, quæ contra legẽ introducitur, & altera, quæ legẽ sensu opportuno interpretatur.

Vira contra Ecclesiam sit valida?

Colophon.

NOn prodit hoc sæculo liber, maiori 572
applausu acceptus, quàm Dianæ Summa, ab Ausonio Noctinot elaborata: hoc enim anagrammate latère voluit P. Antonius Cotonius, Tertij Ordinis S. Francisci Religiosus, Vir ingenio ornatissimo præditus, S. Theologiæ in Patavienſi Vniversitate Cathedraticus, qui etiam alios libros doctissimos in lucem edidit.

Ausonius Noctinot, ἀνάγραμμα Antonius Cotonius.

Hic in pluribus locis insistit Fundamento quod edisserit nostra Dialexis, & præcipuè *verb. Baptismus, num.* 58. ubi mirabilem & difficillimum Casum, proponit, & decidit his verbis. [Probabilissimum esse ait Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. Obstetricem vel Parochum, qui ex defectu intentionis invalide baptizavit, nec aliter potest huic modo occurrere quàm prodendo se Magistrâtui, ultimum supplicium subiturus, speculativè loquendo, teneri se prodere; quia salus corporis ex lege Charitatis postponenda est saluti plurium animarum. Imò hanc obligationem videri ex iustitiâ, quia ille illos innocentes in salutis suæ discrimen per summam iniuriam coniecit: sed hunc discursum fortasse, non adeò certum esse, ut in dubium revocari non possit, cum illi homines per contritionem salvari possint. At quidquid sit de hoc, si mulier, vel Sacerdos nescit se ad hoc obligatum, & Confessarius putat se nociturum potius, quàm profuturum, non debere illum in re non 573
omninò evidenti monere. Imò, si edoctum ab hoc heroico facto plene abhorrentem conspiciat, non debere illum multum urgere & in desperationem adigere. Ita ille apud Dianam *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 50. §. *Sed ponam.* & iterum *part.* 5. *tr.* 13. *resol.* 55. Vide Ochagaviam *de Sacrament. tract.* 2. *quæst.* 41. *num.* 6.] Et ego hunc eumdem Casum fusè edissero *in Theolog. Præter intent. præcept.* 1. *casu* 4. *num.* 2113. *pag.* 22. *a.* ubi verba formalia, quæ leguntur in Laymano, reperies. Vide etiam Ochagaviam *de Sacram. tract.* 2. *quæst.* 41. *num.* 6.]

Quid tenetur facere, qui baptismum administravit invalidè?

De iudicio practico & speculativo. Quid ex Charitate?

Quid autem ex Iustitiâ?

Quanta requiratur certitudo, ut aliquis aliquid facere teneatur sub peccato mortali?

Ego autem hæc relegendo Dico (1) sententiam severam, quæ Parochum & Obstetricem habere obligationem asserit monendi illos, qui invalidè sunt baptizati, etsi inde resultet, quòd plecti debeant capite, esse certam, nec me in illâ reperire vel minimam difficultatem. Dico (2) omnem Opinionem quæ est speculativè certa aut

Propositi Casûs Decisio.

aut probabilis, esse practicè eodem prorsus modo certam vel probabilem, si sicut erat in speculatione ita in praxi ponatur.

An omnis Opinio, quæ speculativè est probabilis, sit etiam probabilis practicè?

Vnde quando Theologi aliquas Opiniones, quas esse speculativè probabiles & tutas dixerant, negant esse probabiles & tutas in praxi, male loquuntur; deberent enim dicere in praxi impossibiles esse, & addere, eas si in praxi per impossibile ponerentur, fore etiam secnras & probabiles. Pono exemplum. In Quæstione, quæ inquirit, *An in re venereâ detur materia parva præscindendo à periculo?* Respondent. Asserentem sententiam esse probabilem speculativè, & improbabilem practicè. Et Ego, quia quæ volunt dicere scio, & quid dicunt, ausculto, non assero illos male sentire, sed mentem suam non scivisse explicare. Et ideò pronucio hanc Propositionem, *In re venereâ præscindendo à periculo datur materia parva.* Esse certam speculativè, & impossibilem practicè. Et esse speculativè certam probo: quoniam omnes qui talem delectationem gravis peccati incriminantur, malitiam à periculo trahunt; ergo præscindendo à periculo nullum remanet caput, unde malitiæ gra-
574 vitas deducatur. Esse autem impossibilem practicè persuadeo, quia talis delectatio cum plenâ deliberatione admissa sine gravi periculo in praxi non datur: si enim per impossibile sine illo periculo in praxi daretur, etiam esset veniale peccatum in praxi. Stat igitur non bene Laymannum distinguere Speculationem à praxi. Ergo ille Parochus & illa Obstetrix debent se prodere, etsi plectantur capite. [Interim, in Casu non est tale periculum. Dicebat enim in Belgio Alexander Farnesius.

An in re Venereâ materia parvitas sit admittenda?

An aliqua Assertiones, quæ certa sunt speculativè, sint impossibiles practicè?

An in casu Parochus vel Obstetrix, si invalidè baptizatos moneant, sint necessariò ultimâ sententiâ condemnandi?

Imponit præcepta reus, dum liber, ubique:
Captus si fuerit, accipit illa reus.

Reus, antequam capiatur, præcipit Principi: semel captus cogitur obedire.

Nam rei, modo sibi ne capiantur prospiciant, imponent legem Principi, qui hoc bonum publicum, ut ipsi voluerint paciscetur. At ipsi, si semel fuerint capti, debent obedire & puniri. Ergo Parochus ille, de quo agimus (aut illa
575 Obstetrix, de quâ eadem est ratio) habebat modum subveniendi innocentibus, culpâ suâ periclitantibus, sine vitæ discrimine. Quoniam adire poterat Confessarium doctum & gravem, qui consideratâ rerum necessitate adiret Episcopum (aut Principem) & impunitatem impetraret: nam sicut pœnitens constitutus in carcere deberet subire sententiam, quam Iuris præscribit severitas, sic ipse nondum captus, nondum accusatus, nondum iudicatus, per Confessarium posset impetrare, quæ volet.]

Quid in casu deberet Parochus ille facere, ut sine periculo proprio alios à periculo eriperet?

Hæc Casum ipsum concernunt: addamus modò illud, propter quod debuimus eum in hoc Articulo considerare.

INtentum meum erat ostendere, Laymannum, & quotquot illi in hac Opinione subscribunt, nostrum Protheorema de *Non-Certitudine* ut indubitatum supponere, non enim ad illud, tanquam ad sacram ancoram recurrerent, si in illo scirent nullam esse securitatem. Illud profectò Protheorema à Laymanno supponi statim à Lectore percipitur, nam ante annos triginta, quando nihil omninò de hac Dialexi Scribenda cogitaram, Theologiam Præter intentionalem composui; & *loc. cit.* (*pag.* 22.) verba Laymanni adduxi, & ex illis proposui hanc Quæstionem in margine, [An sit bona consequentia, *Hic discursus non est certus: Ergo oppositum tutâ conscientiâ fieri potest.*] Adscripsi notam illam in margine, quoniam posuerat Layman rationem, quæ Parochum (aut Obstetricem) condemnabat, & non audet severam sententiam proferre, quia iudicat *hunc discursum fortasse non adeò certum esse, ut in dubium revocari non possit.* Nota illud *fortasse*; illud etiam, *adeò*: & illud *non certum.* Ergo, ut aliquis dicatur debere aliquid facere sub peccato mortali; ita, ut nisi obedire velit, absolvi à Confessario nequeat, debet esse discursus, qui obligationem probat, non solùm certus, sed certò certus: hoc est, debet esse adeò certus, ut in dubium fortassis revocari non possit. 577

576 *Authoris intentum.*

Cur Laymã Parochum & Obstetricem non fuerit ausus condemnare?

577 *Quanta requiratur Certitudo, ut aliquis teneatur obedire sub peccato mortali?*

Addit posteà Layman Confessarium *non debere illum in re non omninò evidenti monere.* Ergo lex aut præceptum, de cuius existentiâ aut intelligentiâ non omninò evidenter constat, non obligat; neque de illâ, aut illo Confessarius debet pœnitentem monere.

HÆc est nostra generalis doctrina, quam Laymannus scitè & tutè supponit: at eam non video bene proposito Casui applicari: quia certum est illos miseros homines coniectos fuisse à Parocho (ab Obstetrice) in extremum æternæ damnationis periculum: & Parochum (Obstetricem) non iam in habituali, sed in actuali pecccato esse, quamdiu illos non monet. Et quia argumentum postulat ut has duas Propositiones persuadeam, illas edissero. erat 578

578 *An bonâ doctrinâ Layman bene utatur?*

Prima. *Qui putat se esse baptizatum, & tamen baptizatus non est, in extremo discrimine periclitatur.* Patet: quia, cùm putet sibi attritionem cum confessione sufficere, non erit de contritione eliciendâ solicitus, & quia sacramentalis absolutionis non est capax, in æternum peribit.

An non baptizatus, qui putat se esse baptizatũ, sit in extremo æternæ damnationis periculo?

579 Casum subsequentem considera. [Erat Petrus coniectus à Florentio in ergastulum, ut mediâ periret: at in ipsomet pavimento erat inter alios unus lapis, infra quem latebat hypogium plenum pani-bus,

579 *Perinde est non habere remedium, ac habere, & se illud habere non scire.*

bus, quod ipse nesciebat.] Et interrogo. An sit Petrus in extrema necessitate? Negat Hurtadus, *in* 2. 2. *disp.* 144. *sect.* 3. §. 28. nam solum putat esse in necessitate extremâ illum, cui desunt vires physicæ: at Suarius *de Charit. disput.* 9. *sect.* 2. *num.* 3. Valentia *tom.* 1. *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 3. Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 4. §. *Primus*, Bañez *in* 2. 2. *quæst.* 23. *artic.* 5. Filliucius *tom.* 2. *tractat.* 28. *num.* 32. Lorca *in* 2. 2. *disputat.* 28. *numer.* 22. & alij, prudenter asserunt, eum esse in extremâ necessitate constitutum, cui est impossibile moraliter, hoc est, summè difficile, gratiam obtinere, nisi aliquis ei adsistat, & adiuvet. His ego adhæreo: &, si Layman, aut alius hoc negaverit dicens, habere Petrum vires physicas, ut illum levet lapidem, quem, si levaverit, ibi inveniet remedium; &, si levare noluit, mortem suam sibi imputet, non autem illi, qui se in ergastulum conieceràt. Repono ego hæc omnia bene fluere, si Petrus sciret, sub illo lapide suum latere remedium; at quia hoc nescit, Etsi sint ibi panes, pane caret, quo suam vitam sustentet.

Quid requiratur, ut aliquis sit in extremâ necessitate?

580 Petro est similis, qui non est baptizatus, & se esse baptizatum existimat. *Si eliceret contritionis actum salvaretur.* Est verum. *Hunc elicere potest.* Etiam hoc est verum: quia Deus semper auxilia sufficientia manu liberali profundit. *Ergo non est in extremâ necessitate.* Nego consequentiam: quia, cùm ipse existimet se non indigere contritione, & hic actus perdifficilis sit, forsitan illum non eliciet. Negavi consequentiam, nam à nova gratiâ præscindendo, & ordinaria auxilia considerando, Paulus, homo non baptizatus, qui se baptizatum esse putat, per omnia erit similis Petro. At, quia Deus est infinitè misericors; & Paulus, cùm attritionis actum elicit, & confitetur, facit quantum se facere debere existimat, adeoque quod in se est, videtur facere, reponam Conclusionem quam in Præterintentionalis Theologiæ loco citato (*pag.* 23. *b.* §. *Nona.*) exhibui, videlicet *Homo ille non baptizatus, qui se baptizatum crederet, non esset constitutus in necessitate extremâ physicè, nec extremâ moraliter, sed gravissima, aut minori fortè, si verum sit illud Theologorum Axioma, Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Et illam relegendo dicam, esse conditionatam, & conditionem multas & varias Theologorum interpretationes subire.

Qui non est baptizatus salvari poterit, si actū vera contritionis eliciat.

An homo non baptizatus, qui se esse baptizatum putat, censendus sit facere, quod in se est, si in articulo mortis cum attritione confitetur?

581 Quamobrem Dico Primò illud Axioma, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, habere aliquos sensus hæreticos, alios Catholicos: & hos piè credi, non verò Theologicè demonstrari. Hæreticè loqueretur, qui diceret, *hominem existentem in peccato mortali, si secundum natura vires quas habet, faciat quod in se est, mereri gratiam.* Et piè loqueretur qui diceret, *semper dare Deum auxilia; & homini, qui illis utendo faciat quod in se est, nunquam negari gratiam.* Interim illud *semper*, & illud *nunquam* deberet exactè probari: quia peccatori, qui incidit in delirium, exempli gratia quamdiu in delirio est, ex iusto Dei iudicio auxilia sufficientia negantur: interim, nescire non debet Lector Candidus, esse Authores Classicos, qui exsint à communi doctrinâ. Apud P. Franciscum Macedo *de clavibus Petri libr.* 3. *cap.* 3. *pag.* 168. *b.* hæc occurrunt [Vasquez non timet dicere 1. *part. disputat.* 96. Deum nolle aliquos in hoc statu naturæ peccatricis salvari: nempe, infantes, qui in utero matris moriuntur; quod nullum iis remedium est à Deo provisum ad salutem æternam in singulari. Itaque ex illo Pauli [*m*] loco non concluditur, Deum omnibus individuis hominum voluisse media salutis post peccatum originale applicari; quod docet Hesselius & Estius *comment. in Paul.* qui cum Vasquio sentiunt.] Et mox *pag.* 169. *a.* [Suarez *disputat.* 8. *de pænitent. section.* 2. *assert.* 2. ait, *Addo non esse censura dignum, qui dixerit, ita se gerere Deum cum aliquibus hominibus, ut non det illis actualem excitationem supernaturalem propter eorum peccata, vel in aliquo, vel in toto vitæ tempore; non est enim ab hac sententiâ alienus D. Thomas* 2. 2. *quæst.* 2. *artic.* 2. *a* 5. *ad* 1. *& quæst.* 10. *articul.* 1. *iuncto corpore cum solutione ad secundum.* Et multi Authores Catholici negant peccatoribus induratis omne auxilium sufficiens, quos idem Suarez refert *ibid. numer.* 1. & Vasquez *in* 1. *part. disputat.* 97. *cap.* 2. quamvis ego illos hac in re non sequor.] Sic Macedus. Dico Secundò, præscindendo ab illo Axiomate, *Facienti quod in se est*, &c. negari non posse, eum, qui non est baptizatus, & tamen se baptizatum esse existimat, extremâ necessitate laborare. Dico Tertiò, gravem & extraordinariam sufficere, ut persona (Parochus, Obstetrix, &c.) quæ eum in illam suâ malitiâ coniecit, eumdem teneatur inde eripere sub peccato mortali. Addatur Propositio.

Hoc Axiomate, Facienti, quod in se est, &c. Massilienses, & cæteri Semipelagiani abutebantur.

An semper dentur auxilia sufficientia?

N. B. Sunt duæ Quæstiones in materiâ de auxiliis, toto cœlo diversæ: aliud est enim quærere, *An homo semper habeat auxilia sufficientia, ne peccet?* & aliud, *An illa semper habeat, ut à peccato egrediatur?*

An infantes, qui in utero matris suffocantur, habeant auxilia sufficientia.

[*m*] *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Paulus 1. *Timoth.* 2.

582 *An omnibus omninò adultis concedat auxilia sufficientia Deus?*

An, qui non est baptizatus, & tamē se baptizatū esse existimat, sit in extremo periculo, seu necessitate.

Secunda. *Qui Petrum baptizavit invalidè, est in actuali peccato, donec illum saltem moneat, ut possit remedium habere.* Ut eam intelligas, oportet scire esse aliqua peccata transeuntia, & alia permanentia. Homicidium est peccatum transiens, est etiam transiens fornicatio, & alia peccata similia: nam præscindendo ab obligationibus, quæ ex illis resultant, ipsa tempore determinato consummantur; quo finito, non manent actualiter, sed habitualiter. At Ioannes, qui iniustè incarceravit Iulium, actuale peccatum committit quamdiu Iulium in carcere detinet: nec potest ritè confiteri, & absolvi, quin Iulium liberet. Ergo & Parochus, qui iniustè Petrum baptismo & notitiâ necessariâ privavit manet in actuali peccato, donec aut faciat, quòd Petrus baptizetur de facto; aut saltem restituat illi notitiam, quâ caret: ut tandem

De peccati actualis & habitualis distinctione.

583 *Sunt actualia, quæ transeunt: sunt, quæ remanent.*

An possit quis longo tempore existere in peccato actuali?

gandus sub culpâ læthali, nisi manifestè dem Petrus se non esse baptizatum cognoscat, & sibi de remedio provideat.

An, & cur teneatur homo actum contritionis elicere in articulo mortis?

NOTA. Quia hic casus iam pluries accidit, & in Germaniâ multæ Obstetrices sunt, aut hæreticæ, aut sagæ, oritur per accidens specialis obligatio eliciendi actum contritionis in articulo mortis: quoniam, si nullum esset præceptum de amore Dei in tali articulo, Charitas obligaret. Audi Cotonium, qui *verb. præceptum, num.* 10. Sic ait. [Probabile est teneri nos Deum diligere in articulo mortis: nam lege Charitatis propriæ tenemur vitare omnia discrimina damnationis, & æternæ vitæ securitatem quærere, prout possumus, idque satis obtinemus per actum amoris Dei, quem elicere possumus mediante eius gratiâ, quæ semper est prompta. Finge enim casum quod non fueris ritè baptizatus, aut absolutus, & bona fide absque contritione ad Sacramentum accesseris. Certè damnaberis, nisi hoc unicum remedium adhibeas amoris Dei. Igitur hoc præceptum ratione huius periculi in articulo mortis obligat per accidens, & præterea per se; quia nobis impositum est, dum intramus hanc vitam, & dum ab eâ recedimus. Ita Mendoza *in 2. 2. disputatione 174. sect. 6. paragraph. 27.*]

An semper gratia concedatur? Vide S. Thomam *1. 2 quæst.* 112 & P. Ioannem à S Thomâ *ibid. pag.* 329. *b.*

584 *An peccaret mortaliter, qui temerè de sui baptismi valore dubitaret? An vellet elicere actū contritionis si de illo dubitaret?*

SI DICAS hanc doctrinam non posse sine iudicio temerario, adeoque sine mortali practicari: si enim de mei baptismatis valore dubito, summam iniuriam facio Parocho, qui me baptizavit; RESPONDEBO, herum, qui in conclavi, ad quod suis famulis tantùm patet aditus, non peccare, quando thecam, in quâ habet pecunias, claudit clavi; quia de nullo famulo sinistrè iudicat, sed vult reddi securus, ne illæ pecuniæ possint rapi. Sic moribundus in articulo mortis peccaret mortaliter, si sine gravi motivo de suo baptismo dubitaret. Interim, quia etsi sibi Deus revelasset se fuisse ritè baptizatum, & nuper validè absolutum, laudabiliter adhuc in lachrymas dissolveretur, & de suis peccatis actum contritionis eliceret: &, quia re bene perpensâ, non repugnat, ut sibi acciderit, quod aliis aliquando accidit; ut ab hac ipsa in æternum pereundi non repugnantiâ liberetur, & suam reddat salvationem securam sine Parochi, qui illum baptizavit, iniuriâ, poterit actum contritionis elicere, & ad eum eliciendum ab aliis publicè concitari & iuvari.

585 *An, & quando Confessarius teneatur audire pœnitentem etiā cum periculo vitæ?*

NOTA. Pro maiori præcedentis Casûs dilucidatione proderit alium Casum proponere, ex quo possit à fortiori argumentum desumi. Cotonius *in Summ. verbo vitam exponere, num.* 3. Sic decidit. [Confessarius tenetur cum vitæ discrimine confessionem moribundi audire, si in peccato mortali existens, ignorat omnino sibi necessariam confessionem extra Sacramentum; aut quid sit contritio, & quomodo possit ad illam se excitare. Sed si ille possit sibi per contritionem providere. Ita Diana *part. 3. tract. 5. resol.* 50.] At, qui non sunt baptizati, & tamen se esse baptizatos existimant, non solùm nesciunt sibi esse necessariam contritionem, sed ut certum & indubitatum supponunt necessariam non esse, sed attritionem cum confessione sufficere. Ergo sunt in peiori statu quam ille moribundus. At cum vitæ discrimine debet isti succurri. Ergo & illis à fortiori succurri debet etiam cum discrimine vitæ.

586 *An quis in dubio satisfacere voto teneatur?*

VOlui Casum præcedentem uberiùs edisserere: nam eius gravitas, ne festinarem, postulabat. Alium modo adiiciamus.

In eadem Summâ *verb. Votum, num.* 3. petit Cotonius, *An teneatur satisfacere voto, qui dubitat, an illud emiserit?* Quæstionemque his verbis decidit. [Affirmativè respondet Vasquez *in part. 1. quæst.* 19. *artic.* 7. *disput.* 63. *cap.* 3. Si voti adimpletio non sit multum incommoda, quia in dubiis tutior pars eligi debet. [*a*] Sed contrarium tenendum est cum Maldero *in 1. 2. q. 19. ar. 5 disp.* 87. Sive votum sit positivum de faciendo aliquid, sive negativum de non faciendo, contra Garziam. Quia in tali dubio possessio stat pro libertate, & in dubiis melior est conditio possidentis. Ita Diana *part. 2. tit. 17. resol* 45. *& part. 4. tit. 3. resol.* 10. Contra verò, si quis certus est se voluisse (*lege* vovisse) dubitat verò, [*b*] an habuerit animum se obligandi; nam tunc possessio stat pro voto, ut tradit Diana *part. 3. tract. 6. resol.* 50. §. *& tandem,* & *part. 4. tit 3. resol.* 10. §. *Notandum.* Et 11. §. *Notandum.* Et quamvis Rebellius *part. 2. lib. 1. quæst. 2. sect* 2 contrarium doceat, in casu, quo dubium non esset æquale, sed magis propensum in partem affirmativam: & in hoc casu obligari ad partem voti pro ratione maioris propensionis, docuerit Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 41. num.* 34. tamen nostra Conclusio ad hunc etiam casum extendenda est, quia possessio libertatis præponderat maiori probabilitati contrariæ partis: nec vinci potest, nisi per rationes efficaces, quod votum emissum sit. Et ita docuit postea Sanchez *in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 10. n.* 36. & post ipsum Palaus *tit. 3. disp. 3 punct. 9. n.* 2. & alij, ut videre est apud Dianam *part. 2. tract 15. resol. 9. & part. 3. tit. 6. resol.* 50. §. *Nota etiam,* & *part 4. titul. 3. resol.* 11.] Noto illa verba, *Possessio libertatis præponderat maiori probabilitati contrariæ partis; nec vinci potest nisi per rationes efficaces,* nam in illis meam sententiam dilucidè propositam intueor.

a] Hæc distinctio non placet: vel enim in dubio, Votum obligat, vel non obligat: si primum, etsi valde incommodū sit, observari debebit: si secundum, etsi non sit valde incōmodum poterit nō observari.

b] Hæc doctrina pro foro externo non est mala: at pro interno non urget: nam animus est de essentiā voti; & qui de animo dubitat, dubitat de valore, & non obligat votum, de quo prudenter dubitamus, an sit validum?

Possessio prævalet Probabilitati partis contrariæ.

587 *Quis sit peccatum omittere Missam maiorem in aliquâ Communitate?*

Quærit præterea *verb. Missa num.* 1. quam obligationem habeant Communitates; aitque. [In Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis non possunt aliquando sine peccato mortali Missæ solemnes relinqui. Ita Hieron. Garci, & Leandr. contrariam sententiam tenet Tamburin.) *Opusc. de Sacrificio Missæ lib. 1. cap 6* §. 2. *num.* 10. *& seqq.* & probat, quia nullus est obli-

constet de præcepto obligante; at non apparet tale præceptum; nam *Caput Creatura*, quod adducitur, per verbum *mandamus*, non obligat sub mortali. Et ipse existimat non esse peccatum mortale omittere missam de feriâ privilegiatâ, quia non manifestè constat de tam rigoroso præcepto, nam asserit declarationem Cardinalium in oppositum non authenticè afferri, & Rubricas Missalis ubi dicitur, *cantentur, seu dicantur duæ Missæ*, præceptum non denotare. Sed ego existimo esse obligationem sub mortali cantandi duas missas, quando feria est privilegiata. Ita Garcia & Leandr. quia Rubricæ Missalis in hac [*] occasione graviter obligant, siquidem Pius V. Clemens VIII. & Vrbanus VIII. in suis Bullis præcipiunt observari Rubricas Missalis, & in Congregatione de Ritibus 16. de Mayo de 1626. id ipsum præcipitur. Ita Diana *part.10. tract.12.resol.40*] Nota illa verba *non manifestè constat*. Ergo secundum Tamburini Logicam est bona Consequentia, *Non est manifestum & certum præceptum inhibens, Manet ergo nos operandi libertas.*

*] Non ingredior in Quæstionis Resolutionem, sed solùm illa verba *in hac occasione* cōsidero: nam omnes Missalis Rubricas ad mortale obligare, falsum est. Ergo rationem exhibere deberet, ob quam illa graviter obliget, & aliæ non obligent.

a] Et quid, si aliquis dicat, inter Pastoralis Officij opera esse recitare Divinum Officium, & Missam celebrare pro populo?

Et posteà idem Cotonius *folio seq. num. 3.* interrogat, *An Parochus teneatur Missam applicare pro subditis?* Et non teneri respondet: & probat. [Nam proventus
588 pastorales non dantur illi pro applicando valore sacrificij, sed ratione totius officij pastoralis. [a] Ita sylvius *in 3. part. quæst.83. art.1. quæst.17.* contra Nugnum *ibid. dub.9. conclus.2.* Quod Possevinus *de Offic. curati, cap. 2. num.4.* procedere putat, etiam ubi adest consuetudo in contrarium; nam non est facile inducenda obligatio in præiudicium tertij sine claris probationibus: consuetudo autem, dum non est scripta in Tabulis Ecclesiæ, nec adest præceptum Episcopi, non obligat sub mortali. Ita Diana *part.2. tractat.14. resol.16.* Possunt etiam Religiosi Missam Conventualem applicare, ubi non adest contraria consuetudo. Nulla enim lex id prohibet, & omnia sunt concessa, quæ non inveniuntur prohibita. Ita Peyrinus *tom.3. cap.1. num.10.* contra Bonacinam *de Sacram.disp.4.quæst.ult.punct.7. §.2.n.7.* Ita enim docet Diana *part.5.tract.13.resol.51.* & *part.10.tract.15.resol.43.*] Nota illud *sine claris probationibus*. Ergo ad Sylvij, Possevini, & Dianæ mentem, claras Cotonius probationes in præcepto requirit. Ergo Obligatio, quæ clarè non probatur, Fidelium conscientias non obstringit.

An Parochus non solùm celebrare debeat, ut subditi audiant Missam, sed adhuc teneatur pro eisdem illā offerre?

Quid requiratur, ut obliget consuetudo?

An obliget lex, quæ non est clara?

Angelus.

589 FVit P. Angelus de Clavasio Ordin. Minor. Observ. Regul. ante annos centum celeber, & Summam edidit, quam à suo nomine dici voluit *Angelicam*, quam posteà P. Iacobus Vngarellius eiusdem Ordinis: & demum D. Petrus Vendramænus Iurisconsultus eruditis Scholiis exornarunt. Et, quia, ut video, nostrum dialecticandi modum ubique observat, aliquos locos in specimen dabo.

Ipse itaque *verb. Matrimonium. 3.num.3.* inquirit, *Verùm filius uxoris ex altero viro sit frater spiritualis filij spiritualis mariti dictæ uxoris priùs cognita antequam teneret vir eius dictum filium?* Respondet Geminianus *in cap.1. de cognat. spirituali lib.6.* dicitque, quod D. Antoninus tenet, quod non: quia non reperitur expressum. Ipse verò Geminianius videtur tenere contrarium; quod tenendum est ante factum: sed post factum tene opinionem, primam.] Et ibi Angelus Dominicum à Sancto Geminiano *Geminianum* appellat.

De cognatione spirituali.

Authores in hoc casu dissentiunt.

Quid Geminianus fuerit?

Et ex his verbis ne collige aliam esse actuum humanorum malitiam antequam fiant, & aliam postquam fuerunt facta, quoniam, si officiosum mendacium iam dictum, est peccatum veniale, etiam fuit, & non mortale, antequam diceretur: &, si blasphemia, antequam evomeretur, erat sacrilega, non emaculabitur, quia fuit evomita. Interim, si agamus de rebus controversis de Angeli doctrinâ collige, non debere condemnari Theologos, qui consulti, aliter ante factum, & aliter post factum respondent: nam, si detur gratissimi saporis herba, de quâ, an sit mortifero, & immedicabili liquore infecta inter viros prudentes disseratur. Petro, ut illam edat dissuadebo: & ne edat, esse mortiferam & immedicabilem dicam. Sed quid Paulo, qui incautus illam comêdit? Quia factum infectum reddi nequit, eum consolabor, & asseram illius herbæ venenum medicabile esse, & nominabo
multos qui supervixerunt adiuti medici- 590
nis contrariis. Si de abortu tractetur, ut matrem terream, ne de illo cogitet, urgebo crudelitatem & gravitatem parricidij, &c. Et Archiepiscopi Contrij opinionem amplexus, & multis Augustini testimoniis munitus protestabor, non solùm hominibus sceleratis & impœnitētibus, sed etiam infantibus sine baptismo decedētibus dici, *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. At quia Dorothea præter voluntatem suam lapsa, abortum fecit, & de perditione corporeâ & spirituali sui infantis dolet; & omnem consolationem respuens dissolvitur in angorem & lachrymas; ut ei solamen præbeam, urgebo Iobi verba, *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c. Suadeboque, ut ex intimo corde Summo Numini dicat, *Fiat voluntas tua*, Et, ne de infantis sui animâ sit nimium anxia, S. Birgittæ revelationem, & Iuniorum opinionem expenam, asserens, dedecere Infinitam Clementiam, ut actuali crucientur pœnâ animæ, quæ nullum actuale peccatum commiserunt.

Eadem est actuum humanorum malitia ante & post factum.

Ante morbum præservativa, post morbum curativa debent adhiberi remedia.

De statu infantium sine baptismo decedentiū.

De hoc argumento doctissimè scripsit D. Carolus de Thomasiis, ex Palmæ Duce Clericus Regularis *quodlib. 4. schol 35. pag 258.* ubi persuadet benigniorē sententiam, & eos infantes post universalem anastasim ad terræ sa[...] transeuntes ostendit.

Et veniendo ad rem nostram, illa verba considera. *D. Antoninus tenet, quod non; quia non reperitur expressum.* Ergo cùm sit in possessione Voluntatis libertas, nulla debet obligatio à prudentibus viris concedi, quæ non sit expressa in Iure. At incerta præcepta non sunt expressa in Iure. Etgo incerta præcepta non obligant.

Leges, quæ non sunt expressæ non obligant.

Verb. *Iudicare* 8. Sic inquit. [Quid de Officialibus, quibus mandatur exsequutio sententiæ iniustæ Respondet Alexander de

de Alez *in 3. part. Summ. de 5. praecept.* & Richardus *in quodlib. 4. quaest. 25.* quòd si sententia continet intolerabilem errorem, vel iniustitiam manifestam, non debent obedire; aliàs non peccant exsequendo. Quod ego limito, quando non sunt certi de innocentiâ condemnati: quia in dubio excusantur: sed quando sunt certi de iniustitiâ peccant mortaliter obediendo.] Et hîc duo observa. *Alterum* Angelum illis verbis, *non sunt certi*, & illis *sunt certi*, nostram sententiam expressisse. Quoniam, si Petrus sit à Iudice condemnatus laqueo, & Carnifex cogitet esse praeceptum Dei, *Non occides*. Si certò sciat, hoc ipsum homicidium esse contra illud Dei praeceptum, non poterit Petrum sine mortali culpâ occidere: si autem hoc non sciat certò, debebit obedire, & reum condemnatum suspendere. *Alterum*, quod observare debes, est, me non percipere, quid hîc Angelus limitet; nam Alexandri & Richardi sententiam (quae nostra est) sine ullâ limitatione reponit: idem enim est, sententię iniustitiam esse manifestam Carnifici, ac Carnificem esse certum de sententiae iniustitiâ.

An Carnifex occidere illum possit quem iniustè damnatum certò scit? An illum, de cuius cōdemnationis iustitia dubitat?

D. Malletus.

591 *Qualis D. Malleti liber.*

AVrum Moralis Theologiae est aureus liber, à Reverendissimo D. Carolo Malleto Cisterciensi è Congregatione reformatâ D. Bernardi in lucem missus, quem summâ approbatione receperunt Scholae, & doctissimi Viri suspiciunt. Eum libentissimè lego; & quia Dialexeos nostrae fundamentis insistit, aliquos locos recognoscam, & breviter repraesentabo.

Tract. de Sacrament. malleat. 60. tract. 21. interrogat, *An vir senex, qui accedendo ad uxorem semen effundit extra vas, peccet petendo debitum?* Et respondet. [Si certò sciat non posse effundere semen intra vas, non potest petere debitum, nec uti copulâ; quamvis possit uti osculis & amplexibus secluso tamen periculo pollutionis. Ita Reginaldus *lib. 31. num. 334* Navarr. *c. 16. num. 56.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. num. 7.* & alij.] Ergo, si certò non sciat se effusurum semen extra vas poterit petere debitum.

Nota illa verba, si certò sciat, ergo oppositū dicendū est, si certò non sciat.

Nota illa verba, quae certò moraliter scit.

592 *Ex dubio nascitur examinandi obligatio.*

Posteà *malleat. 61. tract. 42. pag. 678. b.* asserit [Vxorem, quae certò moraliter scit adesse impedimentum dirimens, non posse petere vel reddere debitum, &c. Ita Gutierrez *cap. 50. num. 4.* Coninck *disput. 34. dub. 6. num. 96.*] noto illud *certo scit.* & peto, An-ne tanta certitudo requiratur, ut hanc obligationem incurrat, An in casu *Non-certitudinis* oppositum dicendum sit? Hanc Quaestionem *malleat. 60. tract. 43. pag. 662. b.* proponit Malletus, nam interrogat, *An maritus, dubitans de valore matrimonij, possit petere debitum?* & respondet [sciendum maritum post matrimonium bonâ fide contractum, dubitantem de valore matrimonij, postquam vsus est diligentiâ ad sciendam veritatem rei, si remanet adhuc dubius, potest non solùm reddere, sed & petere debitum. Ratio est, quia in omnibus contractibus, qui bonâ fide aliquid accepit, & posteà cœpit dubitare, an sit alienum, postquam vsus est diligentiâ ad adsequendam rei veritatem, & adhuc remanet dubius, potest illud retinere, & de illo disponere: quia in dubiis melior est conditio possidentis, quando possessio incepit bonâ fide. Ita etiam maritus dubitans de valore matrimonij, postquam vsus est diligentiâ ad sciendam veritatem: si speculativè perseverat dubium potest uti matrimonio reddendo & petendo. Ita Sotus *4. de iust. quaest. 5.* Rebellus *lib. 2. quaest. 16.* Sanchez *lib. 2. disput. 41. num. 46.* Rodrig. *cap. 243.* Ledesma *q. 41. num. 46.* Valentia *tom. 4. disput. 11. quaest. 6. punct. 62.* & alij plures.] Maritus igitur, qui post matrimonium bonâ fide contractum incipit de eius valore dubitare, debet formare hunc animum. [Examinabo, an illud certo invalidum sit, & tamen donec certa ratio succurrat, me tuebitur non-certitudo nullitatis, & ea mihi sufficiet, ut reddere & petere possim.]

Si post examē maneat dubium, recurrendum est ad possessionem, quae praecesserat dubium.

Qualē dictamen debeat ille formare qui dubitat?

593 *De certitudine impotentiae supervenientis.*

Eamdem doctrinam tradit *tract. 44. pag. 663. b. §. Sciendum 4.* inquit enim. [Maritus, quando certò scit non posse effundere semen intra vas, non potest absque peccato petere aut reddere debitum.] Potest ergo, quando certò non scit. Ipsi igitur ad securitatem cōscientiae sufficit *Non-certitudo*.

De certitudine antecedentis.

Eamdem resumit *tract. 45. pag. 664. a.* ibi enim lego. [Quando mulier certa est de impotentiâ viri (*infer*, non ergo quando non est certa,) &c. neuter potest, aut reddere, aut petere: eo, quod constet id matrimonium esse irritum. Ita D. Thomas *in 4. distinct. 34.* Sanchez *lib. 7. quaest. 102. num. 12.*]

594 *An multorum annorū absentia dirimat matrimonium?*

Quàm firmum sit opinione Malleti argumentum, quod à iure possessionis desumitur, suadent passim multae Resolutiones, & satis expressè illa, quam *malleat. 61. tract. 8. pag. 670. a.* proponit. Rogabatur, *An vxor possit cum alio contrahere matrimonium, quando maritus eius abest per multos annos?* Et respondet [non posse cum alio matrimonium contrahere ex eo, quòd vir eius abfuit per multos annos, quia certitudo moralis non habetur per absentiam multorum annorum, sicut nec habetur per solam famam, cùm fama soleat oriri ex authore incerto, & plerumque fallaci; nisi fortè existant talia indicia, ut nullus dubitandi locus relinquatur de morte illius. Ita Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 46.* Sylvester *verb. matrim. 8. quaest. 13.* Navar. *cap. 22. num. 53.* Gutierrez *cap. 51. num. 3.* Rodriguez *cap. 233.* Valentia *tom. 4. disput. 10. quaest. 2. num. 2.* &c. Henriquez *lib. 10. c. 6. num. 3.* & alij. Relinquendum est iudicio prudentis viri iudicare in casibus particularibus, an adsit certitudo moralis, &c. Ita Covarruvias *in epit. cap. 7. §. 3.* & alij.] Et ratio est, quia cùm maritus sit in possessione, vt se vivo illa alteri non possit nubere, ut ab hac possessione expellatur, certitudo requiritur.

An certum moraliter censeri possit, quod fama communis testatur?

An matrimonium initū post mortem viri, sed antequam de illa certò constaret sit validum? Vide quae num 878. dicuntur.

595 Ex eodem fundamēto *tract. 27. pag. 675. a.* respondet interroganti, *An uxor innocens possit propriâ authoritate negare debitum viro adultero?* & ait: [Vxorem certam de adulterio viri eximi à debiti redditione; nec requiritur ut adulterium sit notorium, nec etiam sententia Iudicis, &c. Ita plures citati à Sanchez *lib. 10. disput. 22. num. 5.*]

In matrimonio standum est pro possessione, nisi detur de adulterio certitudo.

Et, ut hoc ipsum meliùs intelligamus, addit *tract. 31.* in quâ interrogat, *Qualem notitiam debeat habere uxor de adulterio, ut in conscientiæ foro possit discedere à domo mariti?* Et respondet [debere esse certam de adulterio mariti: quia cùm possessio stet pro viro, in dubio privari minimè debet, quia in dubio melior est conditio possidentis. Et ita communiter Doctores, &c. Et addit [non desiderari (nempe, ad hoc certitudinem Metaphysicam, sed satis esse Moralem, &c. Ita Vincentius *speculo doctrinal. tom. 2. lib. 10. cap. 4.* Summa Astensis *2. part. lib. 8. tit. 11. artic. 3. q. 5.* Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnic. art. 3.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 92. art. 3. notab. 1.* Vega *tom. 1. summ. cap. 43. cas. 4.* & alij.] Subjungitque [non sufficere quamlibet suspicionem probabilem.] Quia semper in omni dubio aut probabilitate melior est conditio possidentis. Hanc Quæstionem *malleat. 12. tract. 7. pag. 113* proposuerat: & ibi responderat [Vxorem certam de adulterio viri posse denegare debitum viro adultero; etiam ante Iudicis sententiam, &c. Ita Sanchez *lib. 10. disp. 12. num. 5.*] Et posteà: [Debet esse certa de adulterio mariti, quia possessio stat pro viro, & in dubio non potest privari suo iure.] Additque [non desiderari Certitudinem Metaphysicam, sed satis esse Moralem.]

Si non est a adulterij certitudo, non potest uxor discedere, aut debitum marito negare.

Non requiritur certitudo Metaphysica, nam sufficit certitudo moralis.

Franciscus Sylvius.

596 INter alios, qui meo tempore in Duacenâ Vniversitate florebant, primas deferre potero D. Francisc. Sylvio S. Theologiæ Doctori, Regióque & Ordinario Professori, cuius libri cū applausu & vtilitate leguntur. Et hic magno testimonio hanc Dialexim roborat & honorat.

Qualis sit Sylvius.

Nam *part. 2. variar. Resol. verb. Birgittani. 2. pag. 18.* agens de quodam Pontificio Diplomate, &, an illud novos Brigittanos obliget? examinans, ait: [Accedit, quod, etsi privilegia Religionibus concessa non necesse sit promulgari in publico, debent tamen esse nota, immo moraliter certa, ita ut de illis probabiliter dubitari nō possit, ad hoc ut obligent. Neque sufficit assertio dicentis se habere privilegium, etiam si sit persona bonæ famæ, & fide digna, ut communiter cum Innocentio tradunt Canonistæ, ait Suarez *lib. 8. de legib. cap. 24. num. 7. & 9.* Cùm ergo de privilegiis veterum Birgittanorum extensis ad novos, novi non habeant notitiam moraliter certam, quamdiu non sufficienter eis de hoc apparet non obligantur ea sequi. Ita resolutum 3. Septembr. 1641.] Ecce nisi de præcepto detur certitudo moralis, illud non obligat. Ergo sufficiens ratio ut ego ab aliquâ obligatione liber sim, est *Non-certitudo* præcepti.

Lex, de quâ probabiliter dubitatur, non obligat.

Non facit certitudinē hominis vel fide dignissimi authoritas.

Vt lex obliget, notitia ut minimum moraliter certa requiritur.

Præterea, nō solum requiritur esse certū talem esse legem, sed verba per quæ fuit lata esse eadem, quæ nobis proponuntur: nam, si ille, qui nobis legem notificat, legis tenorem alterat, illa nō obligat. Sylv. *lib. cit. verb. Brigittani, 3.* ut Canonem Regulæ à Sede Apostolicâ approbatæ, Birgittanos non obligare ostendat, ait [Iustissima ratio suspicandi mendum ex scribæ vel typographi iniuriâ aut errore commissum; est pro *post gratias earum*, fuisse in originali, *post gratias cenæ*, &c.] 597

Lex, cuius verba privatâ authoritate alterantur, non obligat.

Ius Possessionis ita etiam exponit, ut non patiatur per probabile ratiocinium elidi: unde invalidè contrahere matrimonium asserit, qui de prioris coniugis morte non habet certitudinem Ibi. *verb matrimonium. 2. pag. 117 a.* [Non refert, quod dicitur, præsumi Maritum ratione bellorum, quibus solet interesse, esse mortuum; sed oportet habere moralem certitudinem de ipsius morte.] Vide etiam, quæ *n. 878. & 914.* ponuntur.

Qualis certitudo de morte prioris coniugis requiratur, secundum matrimonium validum sit?

Raphael Aversa.

FVit Clericorum Regularium Minorum Præpositus Generalis; & tanti habitus Romæ, ut sine eius consilio nullum grave negotium deciderent Congregationes Cardinalium. Et utar huius Doctoris uno testimonio clarissimo, quo firmetur clarissimè nostræ Dialexeos Fundamentum. Ipse itaque *de matrim. quæst. 2. sect. 3. pag. 653. a.* sic inquit: [Si vir procurans habere copulam, ex accidenti semen extra fundat, etiam si hoc periculum antecedenter adverteret, dummodò tamen haberet etiam spem intus fundendi, nequaquam peccat, &c. Sufficit si adsit modica spes quamvis maior sit probabilitas & frequens casus de contrario effectu. Quando autem nulla superesset spes, sed certus esset contrarius eventus, tunc sanè non liceret ampliùs niti ad impossibile & vetitum. Ad judicandum autem quamdiu subsit aliqua spes, nulla commodior Regula tradi potest, quam illa assignata ab Ecclesiâ de experientia triennali.] 598

Quanta esse debeat spes fundendi semen intra vas, ut maritus licitè ad copulam conari possit?

Ecce attende. In Aversæ Lexico idem est nullam superesse spem fundendi intus, quam esse certum contrarium eventum. Ergo spes erit idem ac Non-certitudo. Ergo, quia spes ad conscientiæ securitatem sufficit, Non-certitudo etiam sufficiet.

An nulla spes faciendi idem sit ac certitudo nō faciendi.

Busenbaumius.

PRostabat in nostrâ mensâ dum hæc scriberem, Medulla Theologiæ Moralis P. Hermanni Busenbaum, quam libenter lego, nam breviter prudentissiméque casus graves & varios resolvit. Ipse itaque *lib. 1. tract. 1. cap. 2. dub. 1. pag. 7.* nostræ Dialexeos doctrinam edisserit, & confirmat his verbis: [Qui in dubio constitutus post diligens 599

Laudatur Busenbaum.

diligens examen se nequit resoluere, non tenetur semper eligere partem tutiorem, sed potest amplecti partem faventem suæ libertati (etiam minùs tutam) dummodo sit in possessione suæ libertatis, iuxta illud Axioma, *In dubio melior est conditio possidentis.* Ratio est: quia talis non agit temerè, cum utatur suâ libertate, quod cuivis licet, quamdiu non constat esse eâ privatum, cum eam, ut cætera externa bona possideat. Proindeque volenti obligationem imponere, quæ libertate privet, incumbit probatio obligationis contractæ iuxta Regulam X I. in 6. [*b*] *&c.* Dubitatur post sufficientem diligentiam adhibitam, an lex sit imposita? verb. gr. Ieiunij. Item an votum, vel iuramentum sit emissum? Non obligatur dubitans. Ratio est quia cùm lex & votum, ut obligent, debeant sufficienter proponi, meritò hic præsumitur non esse: ideóque dubitans manet in possessione suæ libertatis. Suarez, Fillincius, Layman. *&c.* Qui certus est de lege & voto, dubius tamen, an, & quid comprehendatur lege aut voto: ut, si sciat se vovisse Religionem, dubitat autem utrum certam, an verò in communi tantùm, *&c.* Non tenetur voto, quoad partem de quâ dubitat, &c.] Ecce etiam Hermanus, sicut cæteri duas Certitudines antequam Moralis obligatio aliquem obstringat, requirit.

Est in certâ & indubitatâ possessione libertas, & illâ non privatur per votum aut præceptum incertum.

b] *Regula est* Cum sũt partium iura obscura reo favendũ potiùs est quàm actori.

De voto aut præcepto probabili.

Gabriel. Arriaga, Villalobos.

600 *Assentitur Gabriel.*

Consonant hæc Gabrieli *in 4. dist. 15. quæst. 13. art. 2.* dicenti. *Incautum est & malum affirmare aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, vel evidenti ratione.* Ergo ad Gabrielis mentem, Hoc ideò possum facere, quia non est evidens me hoc non posse facere.

Nec non Arriaga.

Gabrielem sequitur Rodericus Arriaga *in 2. 2. quæst. 83. artic. 12. titul. 3. concl. 3.* Et ait. *Certè videtur durum, & à Christianâ Charitate alienum, mittere aliquem in infernum, & dicere, quòd peccet mortaliter sine evidenti & certâ ratione.* Ergo ratio sufficiens certa & evidens, ob quam Arriaga docet hoc vel illud non esse peccatum mortale, est non dari rationem evidentem & certam, quæ persuadeat illud esse mortale. Quibus Theologis P. Villalobus adhæret: nam *tom. 1. tract. 24. dub. 9. num. 8.* ut superiùs asserebam, sic inquit. *A mi se me haze rigoroso condenar a nadie à peccado mortal, no siendo el Derecho muy claro.* At Iura & leges, nisi sint certa, non inducunt obligationem claram. Neminem ergo mortalis culpæ Villalobus condemnat, ubi non est certa obediendi obligatio.

Villalobos & alij.

Leander.

601 *P. Leander à Sanctiss. Sacra. laudatus.*

P. Leander de Sanctissimo Sacramento, Vir ob eruditos libros, quos in Lucem emisit, in Europâ celeber, quem Theologi tam speculativi, quam Practici maximi faciunt, huius Dialexeos doctrinam frequentissimè adsumit, ut constat ex locis sequentibus.

Controversias de Sacramentis solidè & ingeniosè edisserit, & *part. 2. tract. 6. disp. 13. quæst. 10. pag. 65. b.* interrogat, *An Subdiaconus sua Ordinationis die teneatur, si non totum Officium, saltem aliquas horas recitare?* Respondet negativè: & suam Resolutionem probat dicens: [Quod quamvis certum sit Subdiaconum teneri, ad onus Divini Officij statim suscepto Subdiaconatu, non tamen est certum (N. B.) non excusari à recitatione Officij eo die, quo initiatus Subdiaconatu fuit. Prima pars huius responsionis constat, Quia Subdiaconatus, &c. Secunda verò pars in quâ maxima est difficultas, probari potest primo, Quia, &c.] Ergo ad Leandri mentem hæ Consequentiæ sunt legitimæ & bonæ.

An & quid recitare debeat Subdiaconus illâ ipsâ die, quâ recipit Subdiaconatũ

Non est certum non excusari.
Ergo excusatur.
Non est certum dari tale præceptum
Ergo licitum est, non observare idem præceptum.
Non est certum debere legem tali sensu explicari.
Ergo non tenemur illam tali sensu observare.

Proponitur Leandri Dialectica. N. B.

Ex præcepto securissimè ad dispensationẽ transitur, est enim causa sufficiens, ut concedatur non dari causam ob quam necessitò negetur.

Præterea *part. 2. tract. 6. disp. 13. quæst. 28. pag. 76. b. §. Vnde mihi*, interroganti, *An sit culpa lethalis recitare privatum officium de Resurrectione, quando recitare quis debet de feriâ vel de Sancto?* [a] Respondet dicens. *In facti contingentiâ non auderem certè, sic Officium absque contemptu formali vel virtuali permutantem, lethali culpâ damnare.* Et cur pientissime & doctissime Vir? *Nam valdè videtur* (N. B.) *à pietate Christianâ alienum mittere aliquem in infernum, aut dicere, quod peccat mortaliter, sine evidenti & certâ ratione.* Supponit igitur & docet Leander omnem actum humanum esse licitum, qui evidenter & certò interdictus non fuerit.

An pro quocumque alio Officio, Officium de Resurrectione legi possit

a] Affirmativam sententiam, ut multi abusus tollerentur, Alexander VIII. cum aliis multis condemnavit.

Et in Expositione Decalogi *parte primâ* (quæ in ordine Operum eius est sexta) *tract. 2. de Fide, disputat. 2. quæst. 24. dub. 1. pag. 12. b.* inquirit, *An sit necesse explicitè credere, Deum creasse mundum cum hac circumstantiâ, nempe in tempore & non ab æterno?* Et contra Bañes *in 2. 2. quæst. 2. artic. 8. dub. 2. vers. maximum autem*, & Luysium *disput. 28. dub. 1. vers. disputant.* negativam sententiam tanquam probabiliorem admittit. Et cur? *Quia non apparet*, ait, *unde talis obligatio oriatur, cùm nec contineatur in symbolo, nec alibi de hac re præceptum inveniatur.* Consonat Suario, qui *disput. 13. sect. 4. num. 6.* eidem Logicæ insistit; inquit enim *oppositum sine fundamento sufficienti, & sine Authore asseruisse* Bañes. Consentit Sanchezius ex Azorio *cap. 3. num. 17.* Fagundez *cap. 2. n. 34.* Palao *punct. 10. num. 5.* & aliis.

602 *An Mundus fuerit ab æterno?*

An sententia negativa necessariò credenda sit?

Quid necessarium sit ut aliqua obligatio asseratur?

Posteà *quæst. 24. dub. 1. pag. 13. b.* agit de Deiparæ purissimâ Virginitate, & inquirit, *An teneamur necessitate præcepti, non solùm credere Angelorum Reginam in* 603

partu,

De Deipara Virginitate. Quid expressè ab omnibus credendum sit?

partu, sed etiam post partum fuisse Virginem? & respondet: *Hoc ultimum non requiri à Fidelibus explicitè ex necessitate præcepti credi, sed primum sufficere, affirmarunt Sanchez* lib. 2. in Decalogum, cap. 3. num. 17. *(non 7. ut leges apud Oviedum) ex Azorio* lib. 8. cap. 6. quæst. 5. *quos citat & sequitur Fagundez* lib. 1. in Decalog. c. 2. num. 35. *& dixit probabile Suarez* disp. 13. sect. 4. num. 7. *Probant. Quia Veritas hæc nec necessaria videtur ad vitam bene instruendam; neque in Scripturâ reperitur expressa: nec scitur fuisse omnibus explicitè prædicata. Sed probabilius certè respondeo, etiam esse necessarium*, &c.

An obligationes debeant omnibus explicitè prædicari aut intimari?

604 *An, & cur non teneantur Fideles scire mysteria, quæ in solemnitatibus & festis ab Ecclesiâ celebrantur?*

Si velis scire, *An teneantur Fideles necessitate præcepti credere explicitè mysteria Circumcisionis, Præsentationis in templo, Adventûs Spiritûs Sancti, & aliarum Festivitatum, quas solemni ritu Ecclesia celebrat?* audies Leandrum *quæst.* 24. *pag.* 14. *b.* dicentem: *Probabilius multo respondeo, non teneri Fideles necessitate præcepti Fidei dicta mysteria positivè credere: Quia durum est omnes Fideles hac obligatione astringi: aliàs tenerentur Parochi de his pœnitentes instruere; quod non est vsu receptum.* Sic docent Sanchez, Valentia, Gaspar Hurtadus, Palaus, Oviedus, Suarez, Tannerus, Arriaga, Diana, & alij.

605 *An, & quando obliget præceptum Fidei?*

Quærenti, *An obliget per se præceptum fidei ad actu credendum semel in singulis annis?* respondet *quæst.* 37. *pag.* 18. *a.* probabiliorem sententiam hanc obligationem non admittere, *Quia non est unde talis obligatio colligatur.* & adducit Sanchez, qui *lib.* 2. *Decalog. cap.* 1. *num.* 3. §. *Quartum tempus est.* philosophatur eodem modo, inquit enim: *Quia non ex voluntate Ecclesiæ, quæ Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ recipiendis tempus anni præfixit, colligitur præcepta alia Iuris Divini affirmativa obligare semel in anno. Quippe hæc obligatio non est ex Ecclesiastico præcepto, nullibi enim reperitur. Nec enim ex Divino: quia nullus dicit secluso Ecclesiastico præcepto obligare Ius Divinum ad confitendum & communicandum semel in anno.*

An Ius Divinum obliget ad confitendum & communicandum semel in anno?

606 *An in mortis articulo aliquis teneatur elicere actum Fidei?*

Posteà *quæst.* 39. interrogat, *An quis in articulo mortis teneatur actum Fidei elicere?* & postquam pro asserente Valentiam, Hurtadum, Suarez, Azorium, & alios citaverat, producit Sanchezium dicentem, *Cæterùm hoc non placet: utpote, quod nullâ ratione aut textu probatur.*

An teneamur scire memoriter symbolū & articulos Fidei?

Interroganti, *An Fideles teneantur ex præcepto habere memoriter symbolum aut articulos Fidei, non solùm quoad res ipsas, sed etiam quoad verba?* Respondet *quæst.* 46. his verbis: [Negat apud Suarium uterque Medina: alter *lib.* 4. *de rectâ in Deum Fide, cap.* 6. alter verò *Codic. de Orat. cap.* 10. docentes, nullum dari præceptum de addiscendis Articulis, aut aliis rebus Fidei verbaliter, seu quoad verba.] Et nō videtur ab hac differre Quæstio XLVIII. quæ petit, *An obliget sub mortali præceptum retinendi memoriâ verba ipsa symboli, aut Articulorum Fidei?* cui affirmativè respondent Angelus, Sylvester, Tabiena, Naldus, Sylvius, Palatius, Ioannes de la Cruz, & alij. Leander tres priores adlegat pro contrariâ sententiâ, & postea ait. Alij, (ut innuit P. Suarez) è contrà dicunt, nec obligari sub veniali ad addiscendum memoriter, eo ordine, quo proponuntur symbolum, seu articulos, &c. Quia non colligitur unde hæc culpa oriatur venialis. Legantur pro hac opinione Hurtad. *disput.* 8. *diff.* 11. Machad. *quæst.* 46.

607 *An teneamur memoriter scire Orationem Dominicā.*

Venio *ad quæst.* 49. *pag.* 22. quæ examinat, *An Orationem Dominicam teneamur scire sub peccato mortali?* & pro negante citat Suarium, qui disp. 13. de Fide, sect. 4. num. 12. hæc habet: *Denique addi hic solet, teneri omnes Fideles ad sciendum Orationem Dominicam, quia id graviter ordenatur in Concilio Rhemensi, cap.* 2. *& in Concilio Moguntiaco* I. *cap.* 45. *sed non constat sufficienter de tali præcepto, quamvis probabile sit non excusari à culpâ saltem veniali, qui propter negligentiam illam ignoraverit prout dicit Navarrus* in summ. cap. 11. num. 22. *cum Paludano* in 4. dist. 15. art. 5. *&c.*

Nota illud, non constat sufficienter.

608 *De operibus misericordiæ.*

Si velis doceri, *An, quis scire memoriter teneatur opera misericordiæ?* Contra Valentiam, qui *in* 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. affirmativæ adhæret, Leander *quæst.* 56. negantem longè probabiliorem putat, dicens, [Non teneri sub culpâ vlla hæc opera memoriter scire; sed sat esse in genere scire adstringi & obligari aliquando Fideles ad subveniendum proximorum necessitatibus, quas vel in corpore, vel in animâ patiuntur. Nam (vt bene Sanchez) descendere ad casus speciales iudicaréque, quando sit extrema necessitas, aut gravis obligans, & quando concurrant circumstantiæ ad id petitæ, vix docti adsequuntur. At vulgus, eius generalis præcepti conscium, poterit circa casus occurrentes dubitare, & peritos consulere. Sic ille *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 10. *vers. insuper.* Fagundez *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 47. Trullench. *lib.* 1. *cap.* 1. *dub* 3. *num.* 19.

An sciri debeant in particulari?

Non obligatur scire indocti, quæ à multis doctis ignorātur.

609 *De Theologicâ spe. Quando spei actum elicere sub peccato debeamus?*

Transeamus ad spem, & inquiramus, *An singulis diebus festis, aut saltem singulis annis teneamur elicere actum Divinæ spei?* Leander *tract.* 3. *disput.* 2. *quæst.* 5. *pag.* 62. *a.* citat Ledesmam *tom.* 1. *summæ, tract.* 2. *cap.* 4. *conclus.* 6. asserenti opinioni adhærentem; ipse autem his verbis Controversiam decidit. [Probabilius respondeo, non obligare: quia non est unde talis obligatio colligatur. Et id constat ex dictis supra de præcepto Fidei, *tract.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 37. Vbi eiusdem Ledesmæ sententiam reprobavimus. Sic Sanchez *hic, cap.* 33. *n.* 3. & communiter omnes. Ex quo constat minus à fortiori obligare dictum præceptum ad eliciendum actus spei in singulis festis anni, ut in simili, loquendo de præcepto Fidei, *loc. cit. quæst.* 35. *& 36.* & notant Fagund. *cap.* 31. *num.* 7. *in fine*, Gaspar. Hurtadus *disput.* 2. *diff.* 6.

Amor duplex: nimirùm appretiativus, & intensivus est.

Et tandem agendo de Charitate Virtutum Theologicarum Principe, amorem appretiativum, ab intensivo distinguens, & Deum debere amari super omnia appretiativè supponens, interrogo, *An peccaret, qui*

An peccet, qui creaturam intensius, & Creatorem remissius amat?

qui parentes, *v.gr. intensius amaret, quam Deum?* Leander *tract.4.disp.2.quaest.4.* respondet negativè, [Quia certum est, non esse nobis datum praeceptum, ut Deum intensius,quàm caetera omnia diligamus.

610 *De Charitatis actu An eum singulis diebus elicere debeamus?*

Sed pergo ulterius, & volo dicere, *Quando obligat Charitatis praeceptum? an* omnibus diebus festis? De hoc egimus suprà num.331. Leander verò *quaest.16.* Sic inquit. [Multò longè probabilius,immò iam ut certum respondeo, Non obligare. Quia nec ulla ratio, nec lex aliqua Divina positiva praescribit dictum tempus ad eliciendum actum amoris Dei.]

De Correctione fraternâ.

Quanta requiratur certitudo, ut aliquis illà sub peccato adhibere teneatur?

Ad Charitatem erga proximum reducitur Correctio fraterna. Et, si interroges, *An requiratur certa peccati cognitio, an verò sufficiat probabilis, ut quis teneatur proximum fraternè corrigere?* Leander *tract.6. disp.2.§.1.quaest.1.pag.138.a.* respondet. *Esse necessariam cognitionem moraliter certam: Quia aliàs faceret iniuriam proximo, cum temerè ac leviter iudicans esse in peccato.* Et citat Sotum, Gabrielem, Vignerium, Flores, Sanchez, Bonacinam, Trullenchium, Suarium,Palaum,& Dianam.

D. Petrus à S. Iosepho.

611 *Cistertio-Fuliensis Congregatio laudata.*

FVliensis, quae inter Cistertienses est quaedam reformatissima Congregatio, sicut in pietate sic etiam in literis eminet, & scholae dedit Viros eruditissimos. Inter alios mihi est impraesentiarum recensendus D.Petrus à S. Iosepho, cuius doctrina & verbis hanc nostram Dialexim exornabo. Et tanquam eum loqui patiar, istum syllogismum praemitto.

Nemo tenetur dubiae aut incertae credere revelationi.

Sicut Deo credere, sic etiam obedire tenemur.

At nemo tenetur credere, nisi revelatio sit certa.

Ergo nemo tenebitur obedire, nisi praeceptum fuerit certum.

Consequentia est legitima: Maior certa: Minorem persuadebit praedictus D.Petrus, qui *in Summul. Cas. Conscient. in Decal. cap.1. de praecept.1.art.1. pag.3.* Sic inquit. *Tenentur infideles actu credere quando Articuli sunt illis sufficienter propositi & explicati: quia tunc cùm sufficienter ipsis constet ea,quae proponuntur, à Deo revelata, ac proptereà vera esse, &c. Sine gravi Primae Veritatis iniuriâ assensum rebus propositis negare non possunt. Quod ita intellige, ut infidelis de Veritate suae Religionis minimè dubitans non teneatur admittere Concionatorem Catholicum cupientem eum instruere de rebus verae Fidei. Et,si eum admittat, non teneatur illius doctrinae assentiri, nisi eam esse creditu dignam* (necessariò credendam) *evidenter probet rationibus, miraculis, aliisve signis.*

Revelatio quae non probatur certò, non est sufficienter proposita.

Quãdo aliquis teneatur revelationi credere?

612 *Praeceptum de quo non constat certò, non est sufficienter intimatum.*

Audiat ergo Antonius Celadus, qui contra Probabilistas, qui communem sententiam propugnamus copiosum tractatum Scripsit. Sic enim inquam. *Tenentur Probabilistae Probabilioristis actu credere, quando tenendi probabiliorem opinionem obligatio sit illis sufficienter proposita & explicata. Quia tunc, cùm sufficienter ipsis constet id quod proponitur à Deo praeceptum esse,* &c. *Sine gravi Primae Maiestatis iniuriâ assensum doctrinae propositae negare non possunt. Quod ita intellige, ut Probabilista de veritate suae doctrinae minimè dubitans, non teneatur legere aut audire Celadum. Etsi eum legat, aut audiat, non teneatur illius doctrinae assentiri, nisi eam esse creditu dignam, hoc est, necessariò credendam, evidenter probet rationibus, miraculis, aliisve signis.* At ego in eiusmodi libris rationes evidentes non lego, & à furtivis praelis & fictis contra suorum Superiorum voluntatem nominibus non spero miracula, alia signa non scio, Ergo nunquam Probabilioristis adsentire tenebor.

An quis teneatur Probabilioristas legere, vel audire.

Nisi praeceptum certū sit nemo tenetur obedire.

Derkennius.

HOc etiam modo philosophabatur Lovanij P. Ignatius Derkennius S. I. Theologus doctissimus & prudentissimus, quoniã à me consultus.Sic inquit. [*Respondeo difficilem videri determinationem termini intrinseci, eius nempè, qui aut ultimo constituat materiam parvam, ut omnis maior magna sit: aut primò constituat magnam, ita ut omnis minor parva sit. Certa positiva nulla occurrit ratio pro affirmativâ parte quaesiti.* (nempè, convincens lectionem quindecim Angelicarum salutationum esse materiam levem) *Sed neque pro negativâ: quare benigniorem partem asserenti faciliùs accedam, quàm ipse positivè determinem, & dico potius non videri improbabile, quàm videri probabile.* Vide nostram Theolog. Regul. *disput.118. artic.4. num.1461.pag.466.a.* Ecce Doctor eximius, non solùm asserit posse hominem probabili adhaerere sententiae; sed etiam non improbabili. Et actus improbabiliter licitus est, quem esse interdictum certum est. 613

An sufficiat ut res dicatur licita, nullam esse rationem ob quam asseratur illicita?

An quindecim Angelicae salutationes sint materia parva?

Aliud est propositionem non videri improbabilem, *& aliud* videri probabilem.

Caramuel.

ET ego, si fortè per Aemulos liceat, ut inter Theologos numerer, tametsi noluerim hanc doctrinam hucusque syntagmate speciali defendere, hanc semper habui,& Lectoribus, ubi occasio postulavit, tradidi. Theologiae Regulari Prooemium valde necessarium praemitto,& *art.1.n.25.* Sic inquam, *Vt quis teneatur admittere fidem Catholicam debet cognoscere certò istam obligationem.* Consono Maldero S. Theol. Doctori & publ. Profess. Duaceno, & posteà Antuerpiensi Pontifici dicenti, *Vt aliquis teneatur credere, oportet talem ei fieri Fidei propositionem, quâ evidenter videat, res Fidei esse credibiles & credendas.* Quam Lovanij sententiam Libertus Fromondus, & Pater Leonardius sub annum 1640. defendebant. Ergo ex illa Malderi positione hanc generalem deduces. *Vt aliquis teneatur non sumere chocolatum die Ieiunij* (& eodem prorsus modo de omni alio actu philosopharis) *oportet talem ei fieri obligationis propositionem, quâ evidenter videat* 614

An etiam olim habuerim hanc sententiam?

Qualis Malderus fuerit?

Vt teneatur quis credere, requiritur ut certa revelatio sit.

Et ut teneatur obedire ut certum praeceptum sit.

chocolatum non esse sumendum. Et generaliter loquendo, *Vt aliquis teneatur obedire, oportet talem ei fieri præcepti propositionem, quâ certò sciat dari tale præceptum, adeòque evidenter videat res præceptas esse factibiles & faciendas.*

615 *Quomodo, an actus sit malus agnoscatur?* Posteà *art.* 2. expono, Quidquid Conscientiæ consultus debeat facere, ut, an aliquis actus sit malus & peccatum in particulari definiat? & statuo debere quærere, an interdicatur in Decalogo? &, si non, an inhibeatur ab Ecclesiâ? &, si non, an à Regulâ aut aliquâ lege particulari? &, si non, addo esse actum illum licitum pronunciari debere, Et, ne aliquis occasionem vellet sumere à præcepto probabili, *n.* 134. sic scribo: *In merè probabilibus Schola consequentia gratiâ illi parti adhæret, quæ elicitur ex propriis Principiis; Conscientia consultus benignitati consulat; neminem reum agat, quem probabiliter possit innocentem asserere. Immo & notet improbabile esse eum peccare, qui sequitur Opinionem probabilem*, Ergo securi sumus in conscientia, & ab omni liberi obligatione, quando præceptum non est certum. In Theolog. Fund. *Fund.* 66. *in disp. de moribundi absolutione*, §. *secundo.* sic inquã: *Multi veniunt male dispositi ad pedes Confessarij, & tamẽ censentur ex animo loqui, quamdiu non constet contrarium.* & Fundam. 57. agẽs de pollutione dixeram: *Thomistas æquè ac Scotistas torquet sequens ratio, & debet habere solutionem claram & manifestam, ne dicatur incertum esse, quod supra omnem quæstionis aleam esse verum tenemus*, &c.

Quid in merè probabilibus agendum sit?

Quomodo rem aliquã esse licitam demonstrare possimus?

An detur, & unde nascatur obligatio in materiã probabili?

Consono semper mihi, & *num.* 275. *pag.* 137. iuxta editionem Francofurtensem, & libro de Sacri Romani Imperij Pace *defin.* 11. *num* 1. *pag.* 3. sic rem decido: *Demonstrare rem esse licitam est ostendere illam esse saltem probabilem. Patet: quia omnia purè probabilia, sunt licita, Quod, si aliquando in materia probabili detur obligatio certa, hæc non à probabilitate, sed ab aliqua lege concomitante, quæ evidenter est certa, suboritur. Quamobrem definimus.* Omnem omninò actum humanum esse licitum qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter, &c. Huicque doctrinæ consonans *ibid. in Prologo ad Candidum Lectorem*, sic inquam: *At, dices, omnia ista bene fluere, si Pax, licita demonstretur, si non demonstretur, non fluere; Respondeo, non ignorari à doctis eadem etiam fluere* (N. B.) *si non demonstretur illicita.* Est ergo certò licitum, quidquid non demonstratur esse illicitum.

Possem & alios producere; sed quia Διάλεξις brevitatem postulare videtur, simus contenti Theologis adlegatis.

Iurisconsulti.

616 *Angelus fuit frater Baldi.* HÆc etiam doctrina recipitur à Iurisperitis, quos possem magno numero adlegare & producere: sed, ne nullum citasse dicar, postulabo, ut Angelum, Perusinum Doctorem, germanum Baldi audiamus: nam *legem, cum prolatis.* 32. *n.* 3. *ff. de re iudicata* hoc Scholio dilucidat: [*Iudex, qui iudicavit adhærendo Opinionibus aliquorum Doctorum non sanè intelligentium leges, potest conveniri tempore syndicatûs; sed mitiùs condemnatur, ut dixit Bartolus.* in leg. cum prolatis. 32. ff. de re iudicatâ. *quod verum est, si contraria opinio erat approbata: sed si neutra* (fuerit approbata) *tunc non peccat Iudex, qui in alteram partem inclinavit, ut per Innocentium.* in cap. ne innitaris. de constitut.] Sed quæ est *Approbata sententiâ?* Quæ illius Authoris, ad cuius mentem iusserunt Superiores, ut singuli philosophentur. Ergo Sancti Thomæ Sententiæ sunt approbatæ in Ordine Sancti Dominici: & Scoti Assertiones erunt similiter approbatæ in Ordine Sancti Francisci: & doctrina de scientiâ media approbata vocabitur in Societate, &c. Et ad Iurisprudentiam transeundo, illa erunt Fundamenta approbata, iuxta quæ decreverunt Supremi Principes in suis regnis Ius Civile explicari: nam in multis Hispanorum provinciis præcipitur, ut Cæsareæ leges iuxta Accursij interpretationem intelligantur. Vnde in eisdem locis, qui aliorum Doctorum contra Accursij sententiam adhæreret iudicio, in syndicatu damnaretur. Ergo ibidem, si Accursius nihil determinaverit, & sit Opinionum varietas, si neutra fuerit approbata, poterit Iudex (nisi aliunde obsit) eam, quam voluerit, amplecti. & cur? Quia neutra est certa, neutra est publicâ authoritate approbata.

Quæ sit approbata sententia?

617 *Quæ sunt approbata in uno loco sũt improbata in alio.*

Politici.

N. B. *De D. Petri Calderonis ingenio, habet pulcherrimas sententias, & ita scribit plebi, ut semper inveniãt Eruditi, quod laudent*

ET est hæc tam certa & indubitata doctrina, ut ab his, qui non profitentur Eminentiores scientias, solo ductu naturalis ingenij cognoscatur. Pulchra sunt verba Antæi, quem in Comœdia, quæ inscribitur, *Ni Amor se libra de Amor*, Act. 2. fol. 185. b. introducit D. Petrus Calderon de la Barca, inquit enim

Que mayor consequencia
Que tu ignorancia para mi evidencia?

Ratio ad Reũ absolvendũ sufficiens, est nõ dari sufficientem rationẽ ad illum condemnandum.

Et pulchris verbis reponit illud Iuristarum Axioma, *Actore non probante, reus absolvitur.* Quoniam, si ego sim Iudex, & tu Claudium accuses, quod tuam occupet domum, & Ioannellum incrimineris homicidij, postulabo, ut utrumque persuadeas, hoc est, plenè probes; & quia neutrum plenè persuadere scivisti, utrumque absolvo, & assero de honestate mei actûs, de æquitate pronunciatæ sententiæ me evidentiam (hoc est, certitudinem manifestam) habere. Et, si tibi demonstrari adhuc iubeas, ex quibus ego præmissis, & per quas consequentias ad hanc tandem evidentiam pervenerim, cum Antæo respondebo.

Que mayor consequencia
Que tu ignorancia para mi evidencia?

ARTIC·

ARTIC. VII.

De Dispensatione.

Quaritur, An posito præcepto certo, & dispensatione probabili, subditus teneatur obedire? *Et, quia in duas numerosas classes dividuntur Authores, alij enim partem Asserentem, & alij negantem tuentur, statuitur utramque esse Opinionem probabilem, & posse cum applausu defendi.*

618 *Qualis sit Bernardi Tractatus de Precepto & dispensatione.*

MELLIFLVVS Doctor à Carnotensibus Religiosis consultus Libellum eruditum edidit, qui inscribitur, *De Precepto & dispensatione*; quoniam si Contrariorum eadem est ratio, & Disciplina, meritò de Dispensatione differitur, ubi de Præcepto disputatur. Hunc autem Libellum vniversi Doctores aureum meritò iudicant; continet enim Regularem ἐπιείκειαν, in quâ frustrà Severas & rigidas Opiniones quæsieris; nostro enim Præceptori suavissimo semper displicuerunt Decisiones amaræ. Libellum hunc notis continuis dilucidatũ publicaui, & inscripsi, *Scholion elimatum ad Regulam D. Benedicti.* Tanti itaque insistens Præceptoris vestigiis, postquã de Præcepto Art. superiori disserui, in præsenti de dispensatione disputabo, & ne prolixâ Te peroratione onerem, pauca hæc subscribo. Et quidem ante Resolutionem (quod etiam in parte 1. fecimus) de quâ re disputetur, dicamus. Sanè Quæstio, quæ decidenda proponitur, supponit aliqua, quæ debent necessariò præmitti.

Quanta sit Præcepti & Dispensationis connexio.

Quid dispensatio sit?

QVÆRITVR ergo primò, *Quid sit dispensatio?* Et respondeo *Dispensationem esse Iuris communis aut particularis (legis aut præcepti) relaxationem cum cognitione causæ ab eo concessa, qui habet potestatem & authoritatem.* Sic S. Thomas 2. 2. q. 97. art. 4. & *quæst.* 88. *art.* 10. quem eius Discipuli passim sequuntur. Nec debet ad Ius commune limitari (quod *tom.* 1. *resol.* 48. *pag.* 496. *a.* asserere videtur Acacius) nam etiam in præceptis, quæ uni subdito imponit Superior, potest ex causâ dispensari. Vnde Sotus *lib.* 1. *de Iustit. quæst.* 7. *art.* 3. sic ait: *Dispensare est, quempiam subditorum à lege excipere, concessa illi facultate & licentia, sine qua legi esset obnoxius.* Vnde enim ægroto, qui ratione morbi ieiunare non potest, propriè non dispensat Prælatus. Dispensatio differt à Mitigatione; hæc enim est quædam inadæquata dispensatio: quod non videtur animadvertisse Baldus, qui *in Addit. ad specul. in cap.* 1. *de pace, & constantia.* §. *dispens.* terminos hos confundit. Differt etiam à Commutatione; quia in hac una obligatio in aliam transit, in illâ autem antiqua obligatio tollitur, & nulla nova subrogatur. A Privilegio etiam distinguitur; nam illud ad Gratiam, & illa ad Iustitiam refertur: quòd ad concedendum Privilegium nulla causa requiratur; & sine causâ nulla soleat concedi dispensatio. Et denique distinguitur ab ἐπιείκεια (quàm rarò bene scribunt Theologi; Acac. enim *loc. cit.* vocat eam *epichejam*, cum tamen Græcè per ε, & non per χ efferatur; alij *epikeiam*, cum *k* non censeatur Latina, &c. quia ἐπιείκεια est legis interpretatio: quæ consideratis omnibus circumstantiis, non esse Legislatoris mentem asserit, ut sub illis lex subditos obliget. Passim exempla occurrunt; unum propono. Est notissima lex de abstinentia à carnibus in feriis sextis. Quid, si Petrus morbo acuto laboret, & moriturus sit, nisi carnes comedat? Ponamus casum esse possibilem. Respondeo non esse mentem Legislatoris, ut tunc præceptum obliget: & addo hoc mihi dictare ἐπιείκειαν, quæ Legislatorem esse prudentem ponens, infert eum noluisse quidpiam contra Legẽ Naturalem præcipere; nam id potuit.

An in solo Iure communi concedatur.

Non est capax dispensationis casus, in quo legi subditus obedire non potest.

An Dispensatio differat à Mitigatione?

An à Commutatione?

An à Privilegio? An requiratur causa, ut Privilegium concedatur?

An & ab ἐπιείκεια?

Quomodo hac Latinis literis scribi solent? Quid ipsa sit?

Quomodo per ἐπιείκειαν leges interpretemur?

618. b. *Leges interpretantur Viri docti, etsi Superiores non sint & dispensare nemo potest, qui Superior nõ sit.*

Scio esse DD. qui dispensationem cum ἐπιείκεια (*Interpretatione*) confundunt: sed ut omnis tollatur æquivocatio proderit audire P. Gregor. Martin. *in* 1. 2. *quæst.* 97. *ar.* 4. *pag.* 263. *a.* dicentem: [Dissensio maxima est in adsignandâ differentia inter Dispensationem & Interpretationem: multi enim pro eodem reputant æstimantes hanc esse mentem D. Thom. qui 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Dispensationem, per Interpretationem superioris explicat iudicantis, hic & nunc legem servare, non esse conveniens, sicut etiam dicit de dispensatione voti 2. 2. *q* 88. *art.* 10. Caiet. *art.* 12. & *hic*, & *in Sum. verb. votum.* D. Anton. 1. *p. tract.* 17. *c. vnic.* §. 20. Covarruv. *cap quamvis pactum*, *p.* 1. §. 3. *n.* 4. Armilla *verb. votum*, *n.* 13. Palud. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 4. & Bonifac. *art.* 2. *q.* 3. Dicendum est tamen, quod Dispensatio sumitur dupliciter: primò generaliter pro eo, quod est à lege eximi, secundum rigorem verborum illius, quomodocumque hoc fiat; & sic communiter se habet ad declarationem aut dispensationem strictè dictam, & sic agit de illa D. Thom. *hic*, & *quæst* 100. *art.* 8. & illam explicat per Interpretationem. *Quapropter*, ait, *legem naturæ dispensari posse, quoad præcepta minùs universalia* [*] quod verum non esset de dispensatione strictè sumptâ; quia in lege Naturæ dispensatio esse non potest, Strictè autem sumpta Dispensatio ab Interpretatione distinguitur, ut docet Soto 1. *de Iustit. quæst.* 7. *art.* 3. & *lib.* 7. *quæst.* 4. *art.* 1. Navarro *prælud.* 9. *summ. num.* 11. & 13. Turrecremata, 3. *summ. cap.* 51. & *cap. requisistis* 1. *quæst.* 7. Covarruvias 2. *part.* 4. *cap.* 6. §. 9. *num* 2. & *cap. quamvis pactum*, *part.* 1. §. 3. *num.* 4. Sanchez, Vasquez, Scotus, Gabriel. Durandus, Richardus, Vivaldus, Reginaldus, Hostiensis, Angelus, Sylvester, Tabiena, Rosella, Armilla, Panormitanus, & alij plures, quos citat Salas, *disput.* 10. *sect.* 1. & probatur clarè, quia Interpretatatio potest fieri & melius à Doctoribus, quam à Principe, & non potest fieri Dispensatio ab illis Item quia Interpretatio est in dubio obligationis legis: Dispensatio autẽ etiam clarè cognitâ obligatione.

*] Quæris, *An possit Deus in lege Naturæ dispensare?* S. Thom. diversis temporibus, & locis diversam est opinionem amplexus. Scotus, & eius Discipuli constanter tuentur affirmativã: & Thomistæ ut obvertentur illis, negativæ adhæsere. Vnde P. Gregoriam Dominicanus est, S. Thomã quẽ posset aliter exponere, ad sententiam Dominicanorum propellit.

Viri meliùs, Doctores, an Principes leges interpretentur?

An Pontifex possit in lege Naturæ dispensare? An saltem illam possit interpretari?

Quapropter Interpretatio habet locum in omni (consimili casu, non autem Dispensatio. Item de Interpretatione dubitatur: utrùm sit legitima) etiam stante potestate iurisdictionis, non autem de Dispensatione dubitari potest. Item Pontifex potest dispensare in propriâ lege, & non in lege naturæ, licet illam possit interpretari, & communiter docent DD. Diversa ergo est ratio Interpretationis, & Dispensationis, Tandem hæc est expressa sententia D.Th. in 4. *dist.* 38. ubi reijcit sententiam asserentium dispensationem voti consistere in eius interpretatione, & asserit verè dispensare Pontificem in voto auferendo eius obligationem, licèt aliter dispenset in voto & in lega suâ, in istâ enim dispensat directè, quia ex potestate iurisdictionis, quâ potuit legem condere, potest, & illam auferre, in voto autem dispensat indirectè (cùm eius obligatio sit de iure naturæ) quatenus ex parte Dei, vt pars eius cedit iuri, quod habebat ad impletionem voti, aut iuramenti, & quatenus iuramentum inducit iustitiam in promissorio respectu hominis, potest relaxari, de quo latius in suâ materiâ, &c.] Hæc ille.

In quo, & quomodo differat legis & voti dispensatio?

An, sicut legum latio sic etiam dispensatio sit opus rationis?

QVÆRITVR secundò, *An sit valida dispensatio, si concedatur sine causâ?* Vniversim loquendo negat Vasquez *disp.* 178. *cap.* 4. & alij apud Azorium *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 3. Covarruv. 2. *part. de matr. cap.* 6. §. 9. *n.* 8. Salas *disp.* 10. *sect.* 4. & Greg. Martinez *in* 1. 2. *q.* 97. *art.* 4 *dub.* 1. *pag.* 266. *b.* §. *secund. concl.* & probatur: Primò, quia lex est opus rationis. Ergo sicut sine causâ nequit figi, sic nec potest sine causâ defigi: Secundò, quia ex dispensationis definitione datâ constat causam ad dispensationem requiri. Tertiò, quia in eo differre à Privilegio dicitur Dispensatio, quòd illud reducatur ad Gratiam, hæc ad Iustitiam; unde, tametsi illud non indigeat causâ ut concedatur, hæc causâ indiget.

An & quando possit inferior in Superioris lege dispensaret

Conclusio I. *Dispensationem factam ab aliquo Prælato in lege Superioris sine causâ, illicitam & invalidam esse, certum & indubitatū est.* Et talis esset, si sine causâ Papa in voto aut iuramento dispensaret: talis, si Episcopus dispensaret in legibus Summi Pontificis. Est communis: & traditur à D.Th. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. quem Theologi passim & Iurisperiti sequuntur. Ita expressè Magister *in* 4. *dist.* 38. Glos. *in cap. non est, de voto.* Lorca *in* 1. 2. *disp.* 27. Cajet. *in summ. verb. Dispensatio.* Sot. 1. *de Iustit. q.* 7. *art.* 3. *ad* 3. Sylvest. *verb. Votum.* 4. *q.* 3. Panormit. *cap. non est, n.* 4. *de voto.* Archidiac. *cap. Florentinum. dist.* 85. Immola *cap. olim. de Cleric. conjug.* Navarr. *cap.* 12. *n.* 57. & 76. [Consonant etiam Vasq. *disp.* 178. *cap.* 3. *n.* 17. Valentia *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 5. Navarr. *prælud.* 9. *n.* 15. Sanchez *disp.* 17. Sylvest. *verb. dispensatio, q.* 3. *n.* 5. Angelus *n.* 3. Sotus *de Iustit. q.* 4. *art.* 3. & *lib* 1. *q.* 7. *art.* 3. Covarruv. 2. *p* 4. *Decr. cap.* 7. §. 7. *n.* 11. Innocent. *cap. cum ad Monasterium n.* 4. *de statu Monach.* Host. *ibid. n.* 30 Ioan. Andr. *ad fin.* Panormit. *n.* 17. Bald. *leg. Barbatius. n.* 7. *ff. de officio Prætor.* Felin. *c.* 2. *n.* 8. & *cap. etsi Clerici*, § *de adulteriis, n.* 10. *de Iudicijb.* Turrect. *c.* 1. *dist.* 89. *art.* 4. *n.* 14. quos citat & sequitur Gregor. Martinez 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *dub.* 1. *pag.* 266. *a.* Vide Sanchez *de matr. lib.* 8. *disp.* 27. *n.* 5. & Lop. 1. *p. Instruct. c.* 4. *paulo post princ.* &c.]

Agit Conclusio de valida Dispensatione: nam de licitâ differemus inferius.

Conclus. II. *An superior in suâ propriâ lege possit sine causâ dispensare, incertum est.* Ostenditur: nam etsi negativa pars sit, probabilissima, & à Vasquez. *loc. cit.* & aliis defendatur, tuentur affirmativam Cajetan. *in* 1. 2. *q* 96. *art.* 2. & 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. & *tom.* 1. *opusc. tract.* 27. *de dispens. matr. q. vnic.* Victor. *in relect. de potest. Papæ. propos.* 14. & 15. *n.* 14. Sot. 1. *de iust. q.* 7. *art.* 3. & *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 2. & *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 2. & *dist.* 39. *q. vnic. art.* 2. Canus *de pæn. p.* 5. Medina *in* 1. 2. *q* 97. *art.* 4. Lorca *disp.* 27. Greg. Martinez *in* 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *dub.* 1. *pag.* 266. *b.* §. *secunda.* Ludov. Lopez 1. *part. instruct. c.* 4. & 2. *p. c.* 108. Aragon. *in* 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. Rodrig. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 46. *art.* 5. Navarr. *in summ. prælud.* 9. *n.* 14. & *c.* 23. *n.* 44. Covar. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 1. *n.* 7. Consonat Imperator *leg. relegati, ff. de pœnis*, ubi dicitur, *Vt lex positiva non liget, est in Principe pro ratione voluntas*, & ibi Bart. & Decius: adde Bald. *leg.* 1. §. *pueritiam.* Ias. *leg. quominus. ff. de fluminib.* Felin. *cap. quæ in Ecclesiarum, num.* 6. *de constitut.*

N. B. Si legislatio esset tãummodò Legislatoris dictamen & in solâ ratione consisteret, manente ratione, etsi vellet, nō posset Superior dispensare: at quia legislatio intellectus & voluntatis actus copulativè includit, altero deficiēte lex ipsa desinit.

618. c.

De Superiore, qui in sua lege dispensat.

Conclus. III. *In suâ lege Superior, validè quidem, sed illicitè sine causâ dispensat.* Ita D.Thom. 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Medina, Conrad. & Cajet. *ibid.* Lorca *ibid. disp.* 27. iterum Cajet. *in* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. & *in apolog. de potest. Papæ*, & *in summ. verb. dispensatio.* Sylvest. *in summ eod. verb.* §. 2. Victoria *relect. de potest. Papæ, n.* 6. Petr. Soto *lect.* 11. *de matrim.* Sotus 1. *de Iustit. q.* 7. *art.* 3. & *lib.* 7. *quæst.* 4. & 5. *dist.* 39. *quæst. unic art* 2. Canus *de pœnit. part.* 5. Palatius *in* 4. *dist.* 15. *disp.* 8. Corduba *lib.* 4. *q.* 8. & 9. Petr. de Ledesma *in summ. de Sacram. cap.* 27. *de matr. dub.* 1. *post* 4. *concl.* & *in Addit. ad* 3. *p. q.* 54. *art.* 3. *diffic.* 4. *post* 2. *concl.* Rodrig. *tom.* 1. *summæ, cap.* 24. *concl.* 2. *n.* 4. & *c.* 196. & *tom.* 1. *qq. regul. q.* 22. *art.* 4. Vega *tom.* 2. *summæ, cap.* 23. *casu* 14. Ludov. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 4. *col.* 2. Vasquez *disp.* 178. *c.* 3. & 4. Valentia *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 9. & *in* 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 2. Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 18. *n.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. Gregor. Martinez *in* 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *dub.* 1. *pag.* 268. *a.* §. *Tertia.* & Salas *ubi supr. sect.* 5. cum aliis. Tenent passim hanc etiam Conclusionem Canonistæ & Legistæ: & expressè Hostiensis *in summ. tit. de filiis Presbyter.* Panormit. *cap. extirpandæ.* §. *qui verò, n.* 44. *de præbend.* & & *cap. quæ in Ecclesiarum. n.* 17. *de constitut.* & *cap. per venerabilem. tom.* 4. *qui filij sint legitimi.* Ioann. Andreas *cap. cum ad Monaster. de statu Monach.* Rebuff. *in concordatis,* & *in praxi beneficior. tit. de dispens. ad plura benef. n.* 55. Navarr. *cap.* 12. *n.* 57. & *cap.* 25. *num.* 5. & *prælud.* 9. *n.* 14. Covarruvias *cap. Alma mater. part.* 1. §. 1. *num.* 7. *de sentent. excommunic. in* 6. & *in* 4. Decretal. *p.* 1. *cap.* 6. §. 9. *n.* 7. & 10.

N. B. Non pertinet ad hanc Resolutionem libellus *de Præcepto & Dispensatione*, quē edidit S. Bernard. nā ibi agit de dispensatione in Regulâ D. Bened. quęnō est lata ab Abbate lex, sed Superior, cui subditur ipsemet Abbas.

Probatur ex Synodo Tridentinâ clarissimè; nam *sess.* 24. *de matr. cap.* 5. & *sess.* 25. *cap.* 14. & 18. necnon ex Coloniensi III. 618. d.

part. 1.

An Superiores teneantur gubernare prudenter?

part.1.cap.33. Et etiam *ex leg. relegati, ff. de pœnis*, ubi Pontifices, & Imperatores monent inferiores Præpositos, ne dispensationes sine causâ concedant. Et cur? Exhibet rationem D. Thomas; quoniam Superior, ubi sine causâ dispensat, imprudenter, infideliter, & temerè utitur potestate.

Ex alio capite ratio peccati, & ex alio gravitas peccati desumitur.

Conclusio IV. *Dispensatio sine causâ ex suo genere est mala: non autem graviter aut leviter mala; quoniam malitiæ gravitas sumitur ex magnitudine materiæ.*

An dispensare sine causâ ex suo genere sit peccatum mortale?

Est contra P. Gregorium Martinez, qui *in 1.2. quæst.97. artic.4. dub.1. pag.268.a.* hanc Conclusionem propugnandam adsumit. *Legislator, qui in suis legibus sine causâ dispensat, peccat; & ex genere suo mortaliter; ex parvitate autem materiæ erit veniale.* Et putat hanc esse sententiam D. Thomæ. Est etiam contra plerosque Authores, qui paulò antè pro Concl. III. citabantur; eos enim omnes à se stare citatus P. Gregorius asseverat.

An sit veniale?

Est etiam contra Valentiam *disp.7. quæst. 5. punct.9.* Navarrum *in Summ. prælud 9. num.11. & cap.12. numer.57. & capit.23. num.44. & cap.25.num.5.* Ludovicum Lopez *in 2.part.Instruct. cap.4. col.2.* Corduvam *lib.4. quæst.8.* Salas *disput.20. sect.5.* Sanchez *libr 8. de Matrim.disp.18.num.7.* & alios asserentes, dispensare sine causâ non esse ex genere suo mortale, sed veniale: esse autem mortale ex gravitate materiæ, puta ex scandalo, aut gravi damno, si fortè ex dispensatione sequatur. Solet pro istorum Authorum sententiâ Sotus, Caietanus, & Azorius produci; sed malè illos citari asserit P. Gregorius Martinez *ubi supra pag.269. b. § Secundam.*

618 Hæc nostra Conclusio supponit in omni actu morali esse legem, materiamque considerandam: illumque à lege, si eam violet, habere quòd sit peccaminosus: & à materiæ tantitate, quòd mortale aut veniale peccatum sit. Vnde, etsi intelligatur actus contrarius legi, nisi tamen, an circa gravem aut levem materiam versetur, cognoscatur, nec mortale nec veniale peccatum dici poterit. Et quidem hæc doctrina nihil mutat in praxi est tamen contra D. Thom. 2.2. *quæst.66.* Fagundez *præcept.1. libr.6. cap.1.* Villalobos *tom.2. tract.13. diff.2. num.1.* & Authores communiter. [Vide Bonacinam *de contractib. disp.2.q.8. part.1.n.7* Dianam *2.part. tr.3. miscell. resol.57. & tract. de paupert. Religios. res.36.*] S. Thomæ assentitur P. Acacius March.de Velasco. *verb. Hurto.res.63. pag.142. a.* nam agens de furto, sic inquit. *El hurto de suyo es peccado mortal:* &c. *Puede ser peccado venial*, &c. *quando la materia es leve*, hoc est, *Furtum ex suo genere est peccatum mortale: at nihilominus potest esse veniale ex parvitate materiæ.* Et cur non dicit sic. *Furtum ex suo genere est peccatum veniale: at nihilominus potest esse mortale ex gravitate materiæ.* At ego sic de furto definio. *Furtum ex genere suo est peccatum, nam est contra septimum præceptum Decalogi: at ex suo genere nec mortale, nec veniale est, quoniam in ipso malitiæ & peccaminositatis magnitudo non à lege sumitur, sed à magnitudine materiæ. Vnde furari materiam gravem, erit culpa mortalis; & furari levem, erit culpa venialis.* Et hinc ad Dispensationem veniendo, præceptum à materiâ distinguam. Præceptum est, *Ne dispensationem concedas sine causâ*, quod oritur ex obligatione gubernandi prudenter. Materia est illud, quod debebat fieri; illud videlicet, quod posse non fieri dispensatio permittit. Ergo analogiam servando, sic inquam. *Dispensare sine causâ ex genere suo est peccatum: nam est contra præceptum prudenter gubernandi subditos; & non bene gubernat, qui dispensationes sine causâ concedit. At ex suo genere nec mortale, nec veniale peccatum est; quoniam in ipsâ, malitia & peccaminositatis magnitudo sumitur à magnitudine materiæ. Vnde dispensare sine causâ in lege, quæ præcipiebat rem graviter necessariam; quâ non factâ aut Communitati, aut alicui particulari grave damnum immineat, erit culpa mortalis: & dispensare sine causâ in lege, quæ præcipiebat, rem quæ sine gravi ullius damno posset intermitti, erit culpa venialis.* Et hæc doctrina mihi videtur tam perspicua, ut existimem eam Adversarios esse omninò admissuros, si eisdem bene proponatur & exponatur.

An furtum ex suo genere mortale sit, & tamen reddatur veniale propter parvitatem materiæ?

Particularis Resolutio, quæ mutatâ materiâ in universalem verti possit.

Vnde ratio peccati, & unde tantitas peccati (venialis & mortalis distinctio) in Dispensatione sumatur?

Quàm certa sit nostra Conclusio?

Conclusio V. *Dispensatio, ex quâ grave damnum oriatur, aut quæ magnum bonum impediat, non potest concedi sine causâ gravissimâ, quæ tanta videlicet sit, ut damno imminenti, aut utilitati cessaturæ præponderet.* Ostenditur. Est in Republica lex, quæ usuras in foro externo inhibet: nam ipsæ furta sunt, & in interno foro à septimo Decalogi præcepto interdictæ. Supervenit Iudæus Lombardus, aut alius Mercator, qui secum dispensari in hac lege quoad forum externum requirit. [Et ago de foro externo expressè; quia in obligationem fori interni humana Dispensatio non cadit.] Respondeo peccare mortaliter Principem, & invalidè agere, si dispensationem concedat sine causâ. Cæterùm, si dispensandi causa, damno ex usuris provenienti præponderet, erit certè gravissima, & sufficiens ut dispensatio concedatur.

Quanta, & qualis esse debeat causa dispensationis?

De usuris. An, & quo in illis modo Principes possint dispensare?

Dices. Te bene intelligere, quòd Princeps illicitè procedat, ubi Vsurarium sine causâ aut admittit, aut tolerat: at te nolle concedere, quòd procedat invalidè: nam fides Vsurario, etsi sine causâ sufficienti concessa, servanda est.

An Vsurarii admitti possint?

Respondeo Primò. Contra Vsurarium, qui privata authoritate usuras extorquet, datur actio; unde potest puniri & ad restitutionem compelli. *Secundò.* Vsurarius, ex causâ legitimâ à Principe admissus, peccat mortaliter extorquendo usuras: sed tamen nec puniri potest, nec ad restitutionem compelli; quoniam ob bonum publicum statutum est, ut contra eum non detur actio. *Tertiò.* Vsurarius, illegitimè admissus: nempe, qui sine causâ sufficiente toleratur à Principe (puta, si illum, non ob utilitatem populi, sed ob proprium

De Vsurario non tolerato.

De legitimè tolerato.

De illegitimè tolerato.

luctum Princeps permittat) peccat mortaliter extorquendo usuras. Deberet puniri & ad restitutionem compelli, tametsi propter improbitatem Principis nec puniatur, nec ad restitutionem compellatur de facto. Contra eum deberet actio dari, licèt ob eamdem causam non detur. Et quia Princeps eum iniustè admittendo, cooperatur damno particularium, etiam ipse ad restitutionem tenebitur. *Et hinc patet* Principum Superiores (Pontificem, Imperatorem, &c.) posse leges præscribere, sub quibus, & non aliis, licitè & validè Vsurarij admittantur, &c.

An & quā do Princeps teneatur ad restitutionē usurarum?

A quibus impediri illa debeant?

Conclusio VI. *Dispensatio, ex quâ leve damnum oriatur, aut qua parvum bonum impediat, potest concedi, si causa rationabilis sit.* Et est rationabilis causa, quæ aut leve malum avertit, aut leve bonum infert. Et non est censendus carere rationabili causâ superior, qui ne videatur nimis austerus aut durus, aliquam dispensationem concedit. [Appositè Gregorius Martinez, nam *in* 1. 2. *quæst.* 97. *de mutation. leg. art.* 4. *dub.* 1. *pag.* 269. *a.* Sic inquit. *Notandum ex Menchaca* lib. 1. Quæst. illustr. cap. 25. num. 9. & 16. *non semper requiri causam quasi Iustitiæ, sed sufficere pro causâ multoties Legislatorem in aliquo casu benignum & favorabilem, maximè alicui Principi se exhibere; aut maiorem pecuniam ad sumptus communes & bella recipere, qualiter adsignatur ad concessionem Bullæ* [a] *Cruciata,* &c.] Et generaliter loquendo est sufficiens causa dispensationem concedendi, quod nulla occurrat ratio necessaria negandi. Audi Acacium, qui tametsi *tom.* 1. *verb. Absolucion. resol.* 6. *num.* 7. *pag.* 14. *a. b.* de Casibus reservatis disputet, proponit generalem doctrinam, quæ habere locum poterit in diversis materiis. Eius verba sunt hæc. *Para que el Confessor prudentemente juzgue que debe el Prelado conceder la licencia y facultad, que se le pide, basta (dize Suarez) que no aya razon que persuada deber el Prelado en aquella occasion negar la dicha licencia.* Nota illud *persuada,* & *illud debe.*

De Dispensatione in rebus levibus.

An causa rationabilis sufficiens sit: & qua hoc nomine intelligatur?

An ad dispensationem concedendā sufficiat, non esse rationē negandi?

HÆc IPSA verba huius nostræ Dialexeos Fundamentum adfirmant. Et ideò ex illis sic discurro. [Non omnes dispensationes sunt illicitæ: aliquando enim licitè, & aliquando illicitè conceduntur. Quo ergo modo sciam hic & nunc, An licitè possim concedere dispensationem? Si non detur ratio certa & manifesta, quæ persuadeat (efficaciter suadeat) me debere eam negare, possum illam concedere.] Hoc suppono ex Suarezio & Acacio, & ad cæteras obligationes transiens, per analogiam sic discurro. [Non omnes actus humani sunt interdicti: aliqui enim licitè, & aliqui illicitè fiunt. Quo ergo modo sciam hic & nunc, An licitè possim rem talem facere? Si non detur ratio certa & manifesta, quæ persuadeat (*persuadere à suadere* distinguo) me debere eam omittere, possum illam omninò facere.]

Quid persuadere sit, & quomodo à suadere distinguatur?

Qui actus humani liciti sint: & cur?

619 HÆc præmitti debuerunt, ut natura & ingenium Dispensationis innotesceret, modò Dispensationem Probabilem consideremus, & cum Certo Præcepto componamus, *sit Quæstio: An, si post præceptum certum sequatur Dispensatio probabilis, illud subditus observare teneatur?* Et respondemus, duas esse in hâc difficultate Opiniones probabiles. Ἀπόφανσις, & Κατάφανσις (*Affirmatio & Negatio*) illæ sunt & debent secundo calamo examinari.

Sunt duæ sententiæ.

Ἀπόφανσις, quàm à Severino proponi & propugnari non sine causâ iussimus, erat hæc: *Posito Præcepto certo, & Dispensatione probabili, illud subditus observare tenetur.* Corollarium. *Ergo posito Impedimento certo, & Dispensatione probabili non potest iniri Matrimonium.* Quando dicitur *Præceptum certum*, agitur de præcepto de cuius certitudine non admittatur disputatio: non enim erit præceptum certum, si de eius valore disputatur. Quando dicitur *Dispensatio probabilis*, agitur de Dispensatione, quæ non est certa. Et incerta esse potest, (1) Si ille, qui illam concessit habebat authoritatem merè probabilem. (2) Si habuerit potestatem certam, sed de eius intentione sint tantum coniecturæ probabiles. (3) Si causa dispensandi sit probabiliter sufficiens, ut Dispensatio sit valida. (4) Et tandem, si nullum ex parte Iuris dubium sit, si nulla sit ratio ob quam de intentione aut potestate Dispensationis, nec de gravitate & sufficientiâ causæ disputetur, & eo Quæstio veniat, ut alij asserant, & alij negent esse verum, quod Superior concesserit dispensationem. Hæc sunt capita ad quæ reduci possunt omnes Probabilitates, quæ incertam reddiderint Dispensationem. Et hæc Prima sententia, quam Ἀποφαντικὴν vocari voluimus, iubet obedire præcepto, & non iniri post impedimentum Matrimonium, quoties Dispensatio non fuerit certò existens, & certò valida: hoc est, quoties non fuerit certum, quod verè & validè concessa sit: nam in omni Dispensationis probabilitate aut dubio standum est Præcepti aut impedimenti possessioni. Hanc viam ineunt Viri doctissimi: qui ducem habere videntur S. Bernardum, ut *in Syndrom. Epistol.* 2. *num.* 2. dicetur. Eis subscribit D. Franciscus Verde, *qui in Selectis Positionibus contra Borgiam, quæst.* 4. §. 1. *num.* 99. *pag.* 28. *b.* ait. [De Iure certum est legi standum donec constet de dispensatione, *leg. ab ea.* 5. *ff. de probat. leg. servus.* 4. §. *puto. ff. de hæred. instit. cap. ad decimas,* 2. *in fin. de restitut. spoliatorum in* 6. Decius *in leg.* 1. *num.* 67. *ff. de reg. Iuris.*]

Severa exponitur.

Enumerantur capita ex quibus possit dispensationis incertitudo provenire.

620

An sicut de Præceptis sic etiā de Matrimonij impedimentis philosophari debeamus.

Κατάφανσις, quæ est sententia subtilior, veriorque; & indiget maiori ingenio, ut intelligatur, & defendatur; cuius adeò Authorem *Vigilantium* appellare voluimus, quod dormitantibus non possit illa, sed debeat Vigilantibus tradi, erat, hæc *Posito Præcepto certo & Dispensatione probabili, illud subditus observare non tenetur* Corollarium. *Ergo posito Impedimento certo,* &

Proponitur benigna sententia.

& Dispensatione probabili, potest Matrimonium iniri.

621 *Qualis sit inter Præceptum & dispensationem oppositio?*

Vt bene hanc Conclusionem intelligas, oportet scire, non coëxistere sibi invicem Præcepti certitudinem, & Dispensationis probabilitatem: quoniam *Præcepti certi* nomine intelligitur, illud quod fuit validum antequam Dispensatio impetraretur: quoniam qui diceret præceptum certum coëxistere Dispensationi probabili, involueret contradictionem: quod clarissimè sequenti Ratiocinio probatur.

622 *Ex probabili non existentiâ præcepti oritur certa illius non obligatio.*

Sic inquam, Dispensatio præcepti, est non-existentia præcepti. Ergo positâ Dispensatione probabili, ponitur præcepti non existentia probabilis. At præceptum, quod probabiliter non existit, non obligare certum est (vel ut aliis verbis idem repetam.) At præceptum probabile neminem in conscientia obligare ex iis quæ diximus Articulo I. certum est: nullum ergo obligat in conscientiâ præceptum, quando adest Dispensatio probabilis. Tota ergo difficultas consistit in hâc Propositione.

Quid formaliter sit Dispensatio.

Dispensatio est non-existentia (est corruptio, aut non perseverantia) præcepti. Corollarium. *Ergo idem formaliter erit, probabiliter dispensari præceptum, ac probabiliter non perseverâre.*

Interim, quia vera præcedentis Assertionis probatio, nec proponi debebit, nec intelligi poterit, nisi nonnulla præmittantur; placet Articulos sequentes addere, qui non solùm præcedentem doctrinam, sed omnia Theol. Moral. Fundamenta dilucident.

ARTIC. VIII.

Proponitur obiectio gravissima.

623 *Obiectio digna solutione proponitur.*

Vt præcedentem Resolutionem dirnas, eâdem uteris, argumentandi formâ, quâ nuper probabatur non debere humanæ præiudicari libertati, nisi præceptum certum & legitimum sit: & infers, non posse præiudicari legitimo & certo præcepto, nisi etiam dispensatio & certa & legitima sit. Et ut firmes hanc ratiocinationem, sic sequeris formam, quam Articulus præcedens in argumentando sectabatur. Sic enim ais. *Nemo potest legitimâ certa possessione privari, nisi ratio privans, sit realiter aut moraliter certa. Sed homo est in legitima sua libertatis possessione: & ratio, quæ illum huius libertatis exercitio privat, præceptum est. Prædicto ergo suæ libertatis exercitio privari non poterit, nisi præceptum certò existens, & certò validum superveniat.* Ergo per analogiam sequens poterit syllogismus formari. *Nemo potest legitimâ, & certâ possessione privari, nisi ratio privans, sit realiter, aut moraliter certa. Sed posito præcepto legitimo & certo, est in legitimâ & certâ,* obligandi subditum possessione Superior, & subditus obedire tenetur. Et ille actuali iurisdictionis exercitio, & hic obediendi necessitate, non nisi per dispensationem privatur. Ergo neuter privari poterit (nempe, nec exercitio obligandi Superior, nec obediendi obligatione inferior) nisi impositi præcepti dispensatio; certò existens & certò valida superveniat.

Fundamentum.

Vt privetur possessione libertas non sufficit præceptum probabile.

Parallelum.

Vt privetur possessione præceptum, non sufficit dispensatio probabilis.

624 *An admittenda sit paritas?*

Hæc ratio bene fluere videretur alicui, adeoque paritatem admitteret: & sicut hominem liberum sine certo præcepto non obstringeret, sic nec hominem præcepto obstrictum sine dispésatione certâ non deobligaret. Et videretur citari pro hac opinione posse Ægidius Coninch, quem fuisse præditum felicissimo ingenio eius libri eruditi testantur. Ipse enim *de matrimon. disp.33. dub.6. pag.841. num.93.* Sic inquit. [Etsi præsumendum sit concedentem privilegium noluisse nugari, non tamen præsumendum est, cum voluisse dispensare, quando dubium est, an preces veritatem, iustamque causam contineant. Quare in hoc casu, valet hoc Axioma, *In dubio melior est conditio possidentis.* Possessio autem pro impedimento stat. Item illud: *Debito certo non satisfit per solutionem aut remissionem incertam.* Et hanc sententiam tenet Abbas *cap. Quia circa num.6. in fin. de consang.* & P. Molina *tom.1. de Iustit. tract. 2. disp.173.* dum dicunt, quando dubium est, an Veritas tacita, sit finalis, præsumendum esse, quod sit finalis.] Interim hanc Ægidium Coninchium habuisse sententiam nego. Agit enim de Dubio, non autem de Probabilitate; nam immediatè post subiungit. [Altera autem sententia tunc vera est, quando positivè probabile est ob rationes aut Doctorum auctoritatem Dispensationem omnibus spectatis esse legitimam, sive non subreptitiam; quia tunc satis certum est, non esse subreptitiam, quia, ut non sit subreptitia, sufficit petentes, ea omnia expressisse, quæ secundum probabilem sententiam tenentur exprimere: quia secundum eam operari possunt.] Asserit ergo Coninch posse subditum tutâ conscientiâ operari, si post præceptum, quod fuit certum impetret probabilem dispensationem. Sed neque pro hâc doctrinâ citari poterit Caramuel, qui *in Theologiâ Intentionali lib.3. cap.1. disput.1. à num.1324.* Quinquaginta casus resoluit, & omnes ex hoc unico Principio *Beatus, qui possidet.* Non, inquam, poterit: quia in toto illo capite agit de dubio; & quod Dubio negat, concedit Probabilitati. Disp.3. præmittit hoc Protheorema, quod *Rasim* dicit, quod omnes Resolutiones subsequentes succollet: & illud est. *Impossibile est dari dubium, timorem, aut scrupulum, ubi succurrit probabilitas aut certitudo. Ex his semper succurrit altera, ubi intervenit prudentis Superioris authoritas.* Et tantâ Vniversalitate hanc doctrinam admittit, ut, disput.2. n.1405. interroganti, *An in dubio, utrùm causa sit iusta (nempè sit talis, cui dispensatio ex Iustitia debeatur) possit Superior dispensare?* Respondeat. *Qui evidentiam (necessitatem) in dispensatione requirunt, illam tollunt.* Nec

Laudatur P. Coninch. eius mens explicatur.

An aliter sit de Privilegio & aliter de Dispensatione philosophandum?

An certo debito per solutionem aut remissionem incertâ satisfiat.

625 *Distinguendum est Dubium à Probabilitate.*

Quid requiratur, ut non sit subreptitia Dispensatio?

626 *Quæ sit Caramuelis sententia.*

Dubium, timor, aut scrupulus non potest cum probabilitate stare.

An, ut dispenset Princeps sit necessaria certitudo?

Caramuel

Caramuel primus, nec solus, qui regulariter loquendo, necessitatem & evidentiam à dispensationibus abstulit; quoniam olim Plinius, qui in Politicis peritissimus creditur, Epist. 113. Sic scribit. *Designatus Ego Consul, omni hac, etsi non adulatione, specie tamen adulationis abstinui, non tanquam liber & constans, sed tanquam intelligens Principis nostri, cuius videbant hanc esse præcipuam laudem, si nihil, quasi ex necessitate (evidentiâ, aut certitudine) decernerem.* Et scitè: Nam Princeps, seu legem velit iubendo figere, seu dispensando refigere, semper utrimque probabiles rationes inveniet, ob quas, quæ hoc modo provide & prudenter decernit, alio eadem modo, & provide & prudenter posset statuere, si vellet. Quod diversæ & adversæ, quas apud varios populos leges observari videmus. (Et tamen omnes providentiæ & prudentiæ innituntur) demonstrare videntur.

Quid olim Plinius senserit?

N. B. Non dicit Plinius se non fuisse adulatum; sed ita fuisse adulatum, ut abstinuerit ab omni adulationis specie. Et monet Politicos (quod tamē Christiana Politica negat) ita adulari Principi, ut loqui sincere videantur.

627 Hoc unico exemplo manifesto confirmo. Non debent observari hominum leges cum periculo vitæ. Ergo infirmis ieiunij die ministrandæ sunt carnes inquit Medicus. Ego tametsi eorum solamini, clementer adnuam, necessitatem (evidentiam & certitudinem) in dispensandi causa pernego: quoniam Medicorum decreta, etiam doctissimorum, supra opinionem probabilem non se subrigunt: &, si rem velimus accurate perpendere (quod in meo Dominico fusiùs persuadeo) Galeni leges non sunt necessariò observandæ: quoniam ægroto, etiam periculose laboranti, non sunt necessariæ carnes illustrium Medicorum sententiâ. Et cognovi D. Bernardum Campmans, Abbatem Monasterij Dunensis in Flandriâ Cisterciensis Ordinis Vicarium Generalem, &c. qui variis morbis affligebatur, & tamen nunquam omiserat Officium Divinum, nec carnes ab Ecclesiâ aut Ordine interdictas comederat: cui ipsâmet die, quâ obdormivit in Domino, manu propriâ subministravi piscem, & adiuvi, ut Horas Divinas persolueret. Ergo frustrà laborat, qui causas necessarias & manifestas ad dispensandum postulat, nam in rebus similibus intellectus humanus vix se subrigit supra Probabilitatem. Et hinc est, quod paulò inferiùs in eodem paragrapho legatur, [Hæc autem dispensandi in dubiis authoritas residet in Prælatis, & non innititur illi Principio, *In dubiis standum est pro possessione.* Sed authoritati Ordinariæ & Delegatæ Ordinariæ, quia Prælatus in propriâ lege potest dispensare sine causâ: Delegatæ, quia potest dispensare cum ægrotis in lectione horarum, ieiunio, abstinentiâ, &c. ex favore Pontificis, hanc Authoritatem Superioribus ad solamen Religiosorum concedentis.] Et certum est in his Casibus valorem Dispensationis non inniti illi Principio, *Beatus qui possidet.* Nam præceptum est in possessione, & omni Dispensationi contrariatur.

An in Morbis sint necessaria carnes.

D. Bernardus Campmans laudatus.

An in rebus Practicis possit Certitudo inveniri?

628 *Vnde habeāt Prælati quod possint dispensare?*

An cum ægrotis possint?

629 Interim Severini doctrina hodie militat contra communem Theologorum sententiam: nam Antonius Coronius diligentissimus Dianæ Contractor *in Summ. verb. dispens. num.* 12. Sic inquit [in Dubio (& Dubij nomine tu Probabilitatem intellige: nempè dubium quod à gravi ratione procedat: nemo enim asseruit, aut asserere potuit ob dispensationem dubiam, seu ratiunculâ levi fundatam tolli, aut contractuum impedimenta, aut obediendi præceptis & legibus obligationem) in Dubio inquam, an dispensatio sit valida, quia dubium est de Veritate narratorum, vel an causa allegata sit finalis, præsumendum est esse validam, &c. Quod etiam procedit in dubio validitatis in dispensatione Matrimonij. Ita Sanchez *de matrimon. lib.* 8. *disput.* 21. *numer.* 25. Palaus *punct.* 16. §. 5. *num.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *res.* 9. & *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 45. & 64. & alij contra Coninch. *de Sacrament. disput.* 33. *dub* 6. *num.* 93.]

An in dubio dispensatio sit censenda legitima?

Sic statuunt Doctores, & bene: & tamen si rationem inquiras, non puto veram hanc sententiam satis primâ probari. Sic discurrunt. [Iudicium temerarium, si in damnum tertij vergat, peccatum est: & committitur, quando sine sufficiente fundamento præsumimus aliquem esse malum. Ergo in dubio, an Franciscus Vir probus sit? præsumendum est in favorem Francisci. Ergo in dubio, an actus aliquis validus sit præsumendum erit, eum à Viris probis & prudentibus celebratum fuisse; ac propterea esse validum. Sic colligunt *ex cap. Abbate de verbor. signific.* & *ex leg. quoties, ff. de re dubiâ.* Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 45. §. *Notandum*, & *resol.* 64. & iterum *tract.* 4. *resol.* 53. §. *Dico quartò*, necnon *part.* 7. *tract.* 3. *resol.* 62.] 630

Tertiæ Resolutio: sed ostenditur à suis illam authoribus non bene probari.

Omnem in dubio hominem esse probum præsumere debemus.

Hanc rationem esse infirmam pronuncio: & in arenâ inconstanti fundari. Non enim hominibus præcipit Deus, ut non iudicent, secunda enim mentis operatio est iudicium, & non vult Deus, ut ratione abutamur, aut non utamur. Quid ergo iubet Deus? Ne cum proximi damno temerè iudicent. Ergo in dubio, An Franciscus vir probus sit: Si rationes hinc, inde tantummodo probabiles sint, tam temerè iudicabo, si illum *esse certò improbum*, dixero, quàm *si esse certò probum*, at non æquè peccabo, quia hæc posterior, cùm sit officiosa temeritas, erit reale, non autem morale peccatum. Ergo sine temeritate & peccato in Iudicio processero; si ex fundamentis probabilibus neutrum certò, & alterutrum, aut etiam utrumque probabiliter asseveravero. 631

Non præcipitur hominibus, ne iudicent, sed ne temerè iudicent.

An detur officiosa temeritas.

Hinc ad actum. In dubio an validus sit? temere iudicabo esse validum. Ergo si rationes dubitandi probabiles sint, temerè dicam eum esse certò validum, & debebo, ne desim sinceritati, dicere esse probabiliter validum. Ergo cùm neminem cogat ad assentiendum Probabilitas, erit in meo arbitrio opinionis electio: & si mea intersit actum esse validum, esse validum asseram: etsi ex ipsius nullitate utilitatem indipiscar, esse invalidum asseverabo. Ratio igitur, quâ veram Conclusionem probare 632

bare

bare conabantur Authores, elumbis & insufficiens est.

633 *Argumentũ quod nimiũ probat nihil probat.*

Et quid, si esse firmam securamque concederemus? Destrueret id ipsum, quod deberet suadere. Et, quia illud Dialecticorum *ἀξίωμα*: *Argumentum, quod nimium probat, nihil probat:* verum est: hæc ipsa ratio, quia nimium probaret, nil probaret. Et hoc evidenter ostendo: sic enim arguunt. [In dubio (hoc est, in probabilitate: agimus enim de dubio ex gravi ratione suborto) præsumendum est in favorem actûs. Ergo in dubio, an dispensatio valida sit? præsumendum est esse validam dispensationem. Ergo in Matrimonio, & aliis contractibus impedimenta, & obligatio obediendi in præceptis per dubiam (intellige probabilem) dispensationem tolluntur.]

Argumenti retorsio.

Et quid mali, si alius eamdem dialecticandi servet methodum, & sic discurrat? [In dubio (nempè in probabilitàte) præsumendum est in favorem actûs. Ergo in dubio, an præceptum validum sit? præsumendum est esse validum. At per præceptum certum libertas non obediendi tollitur. Ergo per præceptum dubium (probabile) libertas non obediendi tollitur.] Hoc autem, totam primi Articuli doctrinam destruit. Nihil igitur habemus certi.

ARTIC. IX.

Eidem Obiectioni respondetur.

634 *Inter argumentum & parallelum conatur ostẽdere disparitatem.*

Rationis paritate fundatur, & primo intuitu tanta videtur inter Fundamentum, & Parallelum esse similitudo, ut debeant admitti universa. Interim interest manifesta disparitas, quam alij perceperunt Authores, & conati sunt persuadere. Antonius Cotonius *in Summ. verb. dispensatio, n. 12.* Sic inquit. [In dubio, an dispensatio sit valida, vel quia dubium est de veritate narratorum, vel an causa allegata sit finalis, præsumendum est esse validam; quia in re dubia præsumendum est in favorem actus. Quod etiam procedit in dubio validitatis in dispensatione matrimonij. Ita Sanchez *de matr. lib 8. disp. 21 n. 15.* Palaus *tom. 1. tract. 2. d. sp. 6. punct. 6.* & alij contra Coninch. *de Sacram. disput. 33. dub. 6 n. 93.* Neque dicas. *Melior est conditio possidentis. Sed possessio stat pro impedimento certo. Ergo prævalet dispensationi dubiæ.*

635 *Reponitur Argumentum.*

Nam respondeo meliorem esse conditionem possidentis, si illi aliquid aliud non prævaleat; in nostro autem casu prævalere impedimentũ, quòd *in dubio præsumendum sit in favorem actûs,* ut constat *ex cap. Abbate de verb. significat. & leg. quoties, ff. de reb. dub.* Ita Diana *par. 5. tr. 6. res. 9. & par. 4. tr 3. res. 45. & 64*]

Ostenditur non bene solui.

Interim, si rem bene consideres, non solui argumentum invenies: quoniam præsumptio nunquam potest veritati præferri: Ergo si de valore impedimẽti (aut præcepti) sit certitudo; & de valore dispensationis præsumptio: non dispensatio præsumpta adeòque incerta impedimento certo, sed hoc dispensationi prævalet.

Quid sit præsumptio, & quotuplex?

Porrò Goffredus desinit Præsumptionem sic. *Est alicuius facti dubij aliquoties plena, aliquoties semiplena investigatio seu probatio.* Alexander Scot. [Illa tamẽ probatio non infert necessariò, quia aliter potest se res habere, nisi sit præsũptio iuris & de iure] Et posteà. [Sunt tres species præsumptionis. Vna est temeraria, &c. alia est probabilis, sive verisimilis, &c. tertia est violenta, quæ ad pronunciandũ & condẽnandum sufficiẽs deputatur, &c.]

Ea quæ de valore actûs est, ad quem gradum præsumptionis pertineat?

Modò videamus, in quo veritatis gradu præsũptio de dispensationis valore est collocanda. Eã enim non constituã in primo, nã Cotonius dici temerariam non volet: non constituam in ultimo, nã probabilis est, & probabilitas ad pronunciandum & condemnandum non sufficit. Ergo ad gradum secundum spectat. Ergo certitudini prævalere non potest. Ergo nondum satisfit argumento.

636 Illud igitur enervaturus, præcedentem Articulum recognosco, & paragraphis singulis respondeo.

Maior discursus Paralleli adhibita distinctione explicatur.

Lego §. *Hanc formam,* & concedo omnia, quæ in eo tanquam Fundamentum ponuntur. Transeo ad Parallelũ, & peto: ut Lector me Candidus benigne auscultet. Sic in forma respondeo. *Nemo potest legitimâ & certâ possessione privari, nisi causa privans sit realiter, aut moraliter certa?* Distinguo Maiorem; si res, quæ est in possessione certâ, & res quę illâ privare possessione dicitur sint duę realiter distinctæ, & simul coëxistentes, cõcedo. Si autem res privans sit tantùm rei, quæ est in certâ possessione, non existentia, nego casum esse possibilem: & hanc ob rẽ, si quid ex hoc impossibili Fundamento ab Adversariis inferatur, non curo.

Dispensatio est ipsamet non existentia præcepti: Et ideò præceptum certum superveniente dispensatione (seu non existentia) probabili transit in præceptum probabile.

Proponitur casus, in quo possessio certa, & ratio probabilis contra illam allata possint simul coexistere.

Vt huius membra distinctionis intelligas ponã duos casus, ut alter alteri, & alterũ alteri membro respõdeat. Sit Primus. Dicis Pictori. *Dabo tibi centum aureos, si mihi depinxeris Cæsarẽ.* Tu es in indubitatâ, & certâ tuæ pecuniæ possessione: Ergo nullus te Iudex condemnabit ex eo, quod probabile sit Cæsaris effigiem fuisse factam: nam in eodem instanti, & tua certa possessio, & picturæ iàm factæ probabilitas coëxistunt, & non debet, nec potest alterius probabilitas, tuæ certæ possessioni præiudicare Ergo, ut tu ad solvendum cogaris, oportebit, ut Pictor contra certitudinem tuæ possessionis opponat alteram certitudinem, nimirum ob oculos tabulam à se imaginatam, hoc est, Cæsaris effigiem à se factam, exhibeat.

637 *Proponitur alter casus, in quo possessio certa, & ratio probabilis contra illã allata nõ possint simul coexistere.*

Sit Secundus Ob servitia sibi præstita concedit Petro Antonius, ut Marcipor (servi nomen est) ipsi serviat per annum, sub onere, ut sibi post annum restituat. Elapso anno Petrus nõ restituit Marciporẽ: quẽ rationibus aut fundamẽtis mere probabilibus fuisse mortuum ostendit. Quid dicet Petro Antonius? Et quid utrique Iudex? Anne iste sic poterit, aut debebit discurrere. *Nemo potest certâ possessione privari, nisi ratio illum privans sit realiter & moraliter certa. At ratio probabilis non est certa. Ergo nemo potest certâ possessione privari ob rationem probabilem. At Antonius est Marciporis Dominus, & hoc est certum: illum enim tanti, & tali in loco à tali emit: illum domi suæ ut servum tanto tempore aluit: & illum, ut suum Petro*

N. B. Posui exemplum in servo & non pueto, quod aliquis ex pretio respondẽb occasionẽ adsumet: interim ut huic responsioni occurratur, poie Antonium Petro, non servũ, sed filium tradidisse.

tro ad tempus tradidit. Ergo de dominij & possessionis iure nemo dubitat. At Marciporis mors, quæ prætenditur, est tantùm probabilis. Ergo tenetur Petrus, non obstante probabili Marciporis morte ipsummet Marciporem (ipsum dico, non pretium) Antonio restituere. In consequentiâ hac ultima Iudicis sententia consistit. Quid autem de illâ indicas? Mentem tuam, obsecro, sincerè aperias; libenter enim audiam tuam de sententiâ præcedenti censuram. Sed quia taces, & hæres, meam propono. Iudices, qui pagis præfecti, *Alcaldas* nominamus Hispani; quia rustici sunt & summâ interdum ignorantiâ causas occurrentes decidunt, suas sententias *alcaldadas* vocamus. Pronũcio igitur, quod hæc ipsa sententia, quæ Antonio & Petro dicta, *fuê una alcaldada:* nam repugnat, ut simul sint & coëxistant, ex unâ parte *certa possessio servi*, & ex altera *servi vita probabilis.* Quia, cùm nullus sit dominus servi mortui, qui certo dominus servi est, erit dominus servi certo vivi: &, qui servi probabiliter mortui est dominus, non erit certò, sed tantùm probabiliter dominus.

ALCALDES apud Hispanos qui?

Quas vocês Alcaldadas?

Servorum mortuorum nemo est dominus.

638 Hæc de Maiori dicta; quæ debet bene intelligi, ne ob aliquam adlucinationem Lector in errorem labatur. Transeo ad minorem, ut ipsam breviter dilucidem, iuxta illam distinctionem, quæ maiorem exposuit. Minor itaque, quæ debet explicari, erat hæc, *Sed posito præcepto legitimo & certo, est in legitimâ & certâ obligandi subditum possessione Superior: & subditus obedire tenetur?* Concedo hanc priorem Minoris partem. *Et ille actuali iurisdictionis exercitio, & hic obediendi necessitate nonnisi per dispensationem privatur?* Concedo etiam hanc posteriorem eiusdemmet Minoris partem: nam hæc abstractim dicuntur; & hoc sensu sunt vera. Et ad Conclusionem descendo. *Ergo neuter privari poterit, (nempè, nec exercitio obligandi Superior, nec obediendi obligatione inferior) nisi impositi præcepti dispensatio certò existens, & certò valida superveniat?* Nego consequentiam. Vel, ut clarius procedam, distinguo Consequens. Si præceptum est actu in certâ possessione concedo: si fuit, & iam non est in possessione certa, nego. Et quidem, si dispensatio, quæ est res privans possessione præceptum, esset aliquid distinctum à non existentia præcepti, præceptum esse in verâ & certâ possessione, concederem: sed quia dispensatio est ipsamet non-existentia præcepti, daricertum præceptum, quando datur dispensatio probabilis, tunc concessurus sum quando concessero, Ioannem esse cerò vivum in instanti, in quo est probabiliter mortuus.

639 Respondeo ad §. *Hæc ratio* inter Fundamentum, & Argumentum additum, quod Parallelum videbatur, & vocabatur, interesse maximam disparitatem: quia præceptum est res realiter ab humanâ operandi libertate distincta, nec possumus dicere præceptum formaliter esse non existentiam libertatis: quia libertas considerata in actu primo est inseparabilis potestas hominis, quæ per præceptum non tollitur; sed tantùm ligatur. At dispensatio, est præcepti non esse, ut probatum est; & iterum inferiùs probabitur.

Præceptum non est non existentia libertatis.

Respondeo ad §. *Sic statuunt* illam Propositionem, *Etsi in legitimâ & certâ fuerit possessione præceptum, superveniente probabili dispensatione, non obligare certum est.* Esse veram, sed male probari: ut enim eam persuadeant, adsumunt hanc. *In dubio, an actus aliquis validus sit, præsumendum est, esse validum*, eamque esse invalidam §. *Hanc rationem*, & §. *Hinc ad actum* ostendo.

An in dubio actus sit præsumẽdus validus?

ARTIC. IX.

Fundamenta ex Philosophiâ Naturali desumpta.

Illud Morale Protheorema, *Oportet sicut de Physicis physicè de Naturalibus naturaliter, de Realibus realiter, &c. Ita de Moralibus moraliter philosophari*, postulat, ut qui doctrinam aliquam Moralem stabiliendam adsumit, prius proponat, & dilucidet Physicam, quâ illam vult succollare. Sed utram? Anne illam, quæ per Realitates procedit, & ab Angelico Doctore & Thomistis passim traditur; an verò alterâ, quæ formalitatibus delectatur, & à Scoto & eius discipulis ingeniosè edisseritur? Si Conclusiones Physicæ essent indubitatæ, illas, & non alias deberemus, ut Moralitatum fundamenta supponere: sed quia pleraque omnia, in quibus dissentiunt Philosophi, nonnisi probabilia sunt, aut S. Thomæ, aut Scoti aut alius cuiuscumque Doctoris classici probabilem doctrinam supponere, perinde fit. *Crede mihi Lector, Res Physica ad instar cuiusdam Protei esse videtur. Eam sibi quisque fingit sub eâ formâ aut larvâ, quæ magis arridet & ut nativo quodam, quamvis interdum cæco, in res quisque suas amore fertur, ita ad suas Hypotheses, quamvis alioquin, si non absurdas, novas tamen & peregrinas, naturam fingere conatur, cum tamẽ non illæ ad hai, sed ad illam hæ fingendæ potiùs essent.* Hæc autem sentiendi libertas, quæ invenitur in Physicis abest ab Ethicâ: Nam Moralitates Realitatum sunt umbræ: & licèt tibi liberum sit ex data materie corpus cubicum aut sphæricum facere, non erit tamen liberum facere, ut ex cubico umbra proiiciatur sphærica, aut ex rotundo quadrata: & ex hâc umbræ & opaci corporis similitudine nascuntur demonstrationes Mathematicæ, quæ ex umbræ Telluris arcu, qui in Lunæ Eclipsatæ disco apparet, Tellurem rotundam, & non quadratam esse evincũt: & ex Realitatum & Moralitatum similitudine etiã nascitur, ut datâ D. Thomæ v.g. sententiâ, quam in Physicâ tradidit, sciamus, quid nos doceat in Ethica: & e converso, si fortè quid in Morali aliquâ Quæstione sentiat & decidat, discamus, quid docuerit in Physicâ necessariò noscemus. Ingeniosè ergo Lector, si quidem inter Realitates & Moralitates tanta est connexio, tanta similitudo; & quia Præceptum, & Dispensatio, quorum natu-

640 *Quænam sit Realitatum & Moralitatum Analogia?*

In quo Scholæ Thomistarum & Scotistarum differant?

Semper veritas est probabilitati præferenda.

Verba sunt R. P. Honorati Fabri in Prologo ad lectorem, qui ante Dialogos Physicos præcurrit an sit aliquid certum in Physica?

Cur in Ethicâ non sit sentiendi libertas quanta & qualis in Physica?

Quomodo ex Luna Eclipsibus Terræ figura cognoscatur?

641 *An ex sententiis Ethicis Physica aut contra deducantur?*

ras

Generationi & Corruptioni, aut Creationi & Adnihilationi Praeceptum & dispensatio sunt similia.
Cur à causâ efficiente incipiendum sit?

ras impresentiarum diligenter exploro, sunt Creationis & Adnihilationis, aut etiam Generationis & Corruptionis imagines, expositurì Praecepti & Dispensationis ingenium, essentiam & quiditatem Creationis & Adnihilationis, necnon Generationis & Corruptionis, quantum paritas, quae in Analogiâ consideratur, requirit, exponamus, & quia Creatio & Generatio actiones effectrices sunt, ab efficientis Causae conceptu, velut à notissimo genere incipientes ad eius species descendemus. Ergo dicamus sic.

642 *Sunt multa instrumentorū genera: nam in omnibus artibus reperiuntur.*

Causa Efficiens in Principalem & Instrumentalem distribuitur. Et quidem haec in varias classes subdividitur, nulla enim est Ars Mechanica aut Liberalis, quae non utatur instrumentis. Calamo utitur Orthographica, penicillo Pictoria, acu sutoria, coelo Sculptoria. Ligone, vomere, aratro Rustica, &c. Et hinc ad mores transeuntes, etiam Moralia admisere instrumenta Philosophi, de quibus in Pandoxio plurima dicturi sumus. Audiri poterit Alexander Scotus, qui *in vocabulario utriusque Iuris verb. Instrumentum*, ait. [Dicitur Instrumentum apparatus fundi, quo exercetur possessio: & ita accipitur *in leg. quaesitum, ff. de fund. instrum.* Vnde Instrumentorum quaedam sunt causa agrorum colendorum, ut aratrum, rastrum, traha, quae equandis cespitibus trahuntur. Alia colligendorum fructuum, ut sarculus, quo cardones, & herbae inutiles exciduntur, & similia, ut falces foenariae, falces messoriae, & falces putatoriae, ligones, torcular, corbes, quali vindemiatorij quibus vindemia putatur. Causa servandi fructus, ut dolia granaria, casellae in quibus fructus reponuntur, scilicet cellulae granariorum, unde instrumentum capitur tripliciter: uno modo latissimè, & sic omne vas vel susceptibile in constructione domûs, vel in fundi cultura vsitatū, dicitur *Instrumentū.* Secūdò latè pro omni eo, quod causâ instruit, ut Scripturae, testes, facit *c. pervenit extra de testibus cogend.* facit *l. notionem, §. instrumentorum, ff. de verb. sign.* Tertiò strictè solùm pro Scripturis, ut *in tit. de fid. instr.* & sic differunt testes ab instrumentis, quia probatio testium fit vivâ voce, sed per instrumētū voce mortua, &c.] Pluribus de hoc argumento non indigeo, & ideò ad Principalē Causam transeo.

643 *Instrumenta Rustica.*
N. B. Haec nis falcium genera in lingua latina propriis carent nominibus. Habēt verò in Hispanica nam falx foenaria guadaña messoria hoz & putatoria podón à nobis nominatur.
Instrumentorum classes tres.
An testes instrumenta sint?

644 *De Causâ Principali & Instrumentali.*

Est autem Causa Principalis *Primum Principium unde motus aut quietis:* cuius definitionis genus est *Primum Principium:* per caeteras vero particulas differt à quibuscumque aliis; nam Causa Finalis non est id unde motus, sed cuius gratiâ fit motus. Item nec Causa Formalis, nec Materialis, quia cum sint Causae intrinsecae, causalitatemque exerceant intrinsecè non dicuntur efficere motū, quia motus est, quid extrinsecum. Dicitur *& quietis,* quia Causa Efficiens non tantùm dat Entitatem rei, sed etiā Conservationem: Cōservatio autem rei, est quaedam quies ipsius rei: illaque definitio Causae Efficientis ab aliis sic proponitur. *Causa efficiens est, quod extrinsecè & verè tribuit alteri entitatem.*] Dedi formalia ver-

Quid sit Efficiens causa?
De Materiali & Formali.
An efficientes sint?

ba, quae ex Lalemandeti *Physic. disp. 4. part. 3. colum. 146. n. 7.* desumpsi: quo in loco statim additur, effectricis Causae causalitatem esse actionem, & hanc esse relationem inter Agens & effectum.

Efficientis causa causalitas. An Actio sit Relatio.

Agens dividitur in Liberum & Necessarium. Necessarium est, quod est ita determinatum ad unum, ut quando operatur, nec possit operationem omittere, nec eam aliter facere. Liberum autem dicitur, quod positis omnibus ad operandum praerequisitis, *quando* operatur, *tunc,* invariatis circumstantiis extrinsecis, potest non operari. Hinc patet Agens liberum suarum esse operationum dominum, & hoc ipsum dominium meritò à Graecis τὸ αὐτεξούσιον, & à Latinis *Liberum arbitrium* vocari: alias enim Genes. 4. 7. non dixisset Caino Deus; *Nonne si bene egeris, accipies: sin autem male, sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quae verba *in 2. dist. 25. art. 1. ad 3.* S. Thomas dilucidat, dicens: *In libero arbitrio hoc modo agit Deus, ut virtutem agendi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur: unde remanet sibi dominium sui actus.* [Legant Thomistae & videant ad D. Thomae mentem libertatem humanam, non praedeterminari à Deo: sed Dei influxū, utpotè Causae Superioris à Libero Arbitrio, quod est causa inferior, determinari. Sed de hoc uberiùs in Libro, quem, quia & Scientiam Mediam, & simul Physicas reiicit Praedeterminationes, *Neutrū* inscribi volui, & iam *in Theol. Fundam. n. 121. d.* promisi] Quae omnia, si intra Physici Systematis reales terminos intelligantur hac definitione uti poterimus, dicendo, *Agens realiter liberum est, quod suarum actionū habet reale dominium.* Est autem αὐτεξούσιος (*suarum actionum dominus*) qui potest *realiter facere, quod vult, nisi superveniente impedimento praepediatur.* Sic homo potest videre & non videre interdiu, sed tamen noctu non videt, non potentiae visivae, nec liberi arbitrij defectu, sed quia tenebrae impediūt. Sic etiam homo potest, huc, illuc, per totum orbem peregrinari, si tamē mancipetur carceri, id non poterit: & tamen impotentia, non ab arbitrij libertate, non à virtute progressiva, sed à carcere, in quo detinetur procedit.

645 *Divisio Agēns in Liberum & Necessariū Membra dividentia exponuntur. Illa adverbia temporis quando & tunc, quae sumpta cum advertentiâ ponuntur considera. Τὸ αὐτεξούσιον Liberum arbitrium. An Deus humanam libertatem praedetermines, an verò hac determinet Divinum influxum?*
Quid & quale sit agens liberum?
Quis sit suorum actionū dominus?
An possit liberum arbitrium impediri.

Dividitur iterum Causa Efficiens in Generativam & Creativam: ab utraque producitur Effectus ex nihilo sui: sed à Creativa etiam ex nihilo subiecti [D. Thomas *in 1. par. q. 45. art. 3.* Scotus *in 4. dist. 13. q. 1.* tenent quod Creatio nihil aliud formaliter sit, quam relatio rationis in voluntate Divinâ ad Creaturas: seu ipsum esse Divinum importans relationem rationis ad creaturas] Ita ipsi docent apud eumdem Lalemandetum *disp. 7. de Mundo part. 1. col. 262. n. 1.* Qui *col. 264. n. 2.* Subiungit [Creatio non est forma quaedam absoluta, nec influxus, qui recipiatur in Creaturâ. Sed est formaliter sumpta relatio rationis in volūtate Divinâ ad Creaturas. Hanc Resolutionem latè probat Faventinus *in 2. dist. 1. quaest. 2. cap. 2.* &c.] dixerat *col. 262.* [Est commu-

646 *De Generatione & Creatione.*
Quid sit Creatio?
An Creatio sit relatio rationis?

nior opinio, Conservationem nihil esse aliud, quàm continuatam productionem; & proinde non distingui à Creatione & hanc doctrinam confirmant Christi verba Ioan. 5. 17. dicentis Ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται κἀγὼ ἐργάζομαι. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Et quidem etiamnum operatur, quia creaturas usque modo conservat. Hieronymus contra Pelagium. *Deus semper largitor, semper donator est, non mihi sufficit quod semel dedit nisi semper det. Peto, ut accipiam, &, cùm accepero, rursus peto. Avarus sum ad accipienda Dei Beneficia, nec ille deficit in dando ipsa, nec ego satior in accipiendo: quanto plus bibo tanto plus sitio.* Et tam certam indicavit hanc esse doctrinam Hugo, ut *lib. 1. de claustro Animæ* ex illâ ad mores argumentum deducat, exclametque *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordiâ, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse:* quia si quod esset tempus, in quo de te ipse non cogitaret, perires. Sicut de Creatione sic de Generatione Schola Formalis philosophatur: non enim necessarium est ponere actionem seu causalitatem realiter ab extremis distinctam.

Quid sit conservatio?

647 *Deus ipse per mundum creat, quia illum semper conservat.*

An semper & ubique homo auxilia sufficientia à Divinâ Providentiâ recipiat?

Solus Deus creat.

S. Thomas *in 2. dist. 15. quæst. 1.* apud P. Joannem de S. Thoma *in 1. part quæst. 8. disput. 6. artic. 1. pag 165. à num. 16.* Sic inquit. *Duplex est Agens: scilicet Agens Divinum, quod est dans esse, & Agens Naturale, quod est transmutans: & primus modus actionis soli Deo convenit, sed secundus modus etiam aliis convenire potest.* Adnihilatio non est actio exterior positiva, sed mera conservationis cessatio: nam, si creaturam A Deus creaverit, & per 20. instantia v. gr. conservare voluerit, vigesimo primo adnihilabitur: &, ut adnihiletur, non requiretur nova aliqua actio exterior positiva, non nova voluntas, sed illa prior sufficiet, quæ prout creaturam A in primo instanti existere vult, est Creatio activa: & prout in cæteris eam persistere vult, est Conservatio activa: & prout non vult, ut existat post 20. instans, est adnihilatio.

Quid sit adnihilatio?

Quomodo Creatio Conservatio & adnihilatio distinguantur?

648 Hanc doctrinam ad Generationem & Corruptionem P. Ildephonsus Peñafiel *in Curs. Philos. tom. 3. disput. 2. quæst. 2. sect. 2. pag. 73. à num. 6.* propagat, & ait. [Entitas positiva & Entitas privativa aut negativa distinguuntur à parte rei; sed Generatio est positiva entitas, & Corruptio est privativa aut negativa: ergo Generatio, & Corruptio distinguuntur à parte rei Maior est certa; quia *esse*, & *non esse* distinguuntur à parte rei; Sed privatio est *non esse*, & positiva ratio est *esse*: Ergo positiuum, & privatiuum distinguuntur à parte rei. Minor quoad primam partem sic probatur? Quia Generatio est actio, quâ producitur entitas positiva. Sed actio producẽs entitatem positivam, debet esse positiva, & non privatio; aliàs *non esse* positiuum, daret *esse* positiuum effectui, quem produceret, quod est contra illud principium: *Nemo dat, quod non habet.* Ergo Generatio est entitas positiva. Secunda pars sic probatur; quia actio positiva necessariò tendit ad terminum realem; quia cum sit *fieri* alicuius *facti esse*, debet *fieri esse*; unde necessariò aliquod positiuum debet producere; sed Corruptio non producit aliquod [a] positiuum, sed potiùs terminatur ad Generationem positivæ rationis, & potius tendit ad destruendum positiuum, quàm ad producendum illud: Ergo Corruptio non est entitas positiva sed privativa ratio.]

Quomodo Generatio & Corruptio distinguantur.

Corruptio nõ est actio positiva sed positiva cessatio.

a Lege positiuum, nec terminatur ad g.p.r. sed potius tendit, &c.

649 Habent Causæ Physicæ sua impedimenta. Eclipsis Lunæ contingit, quia Terra interposita inter Solem & Lunam impedit, ne ille istam illuminet. Contingit autem Eclipsis Solis, quia Luna interposita inter Solem & Terram, ut ille huic radios suos impertiatur, & ille à mortalibus videatur, impedit. Si trudaris in carcerem, non poteris peregrinari: &, si graveris compedibus aut catenis, currere expeditè non poteris, &c. ut rem meliùs intelligas unum exemplum adhuc addam, & illud accuratius exponam. Habes oculos lynceos, & tamen iure aut iniuriâ in manus Theodomiri incidis, qui vittâ oculos tuos obuelat. Vitta illa est impedimento, ne videas. An te visivâ potentiâ privavit Theodomirus, cùm redimivit vittâ? Minime. Quid ergo præstitit? impedimentum posuit, ne potentiâ visiva in actum secundum prodiret. Impedimenta & obices virtutes & potentias causarum naturalium non auferunt, sed earum obstant operationibus. Vnde iterum, ut rem meliùs intelligas, definio αὐτεξούσιον his verbis. *Agens liberum est persona intellectualis, quæ facere potest, quæ vult, nisi obsit extrinsecum impedimentum.*

De impedimentis.

Quomodo Solis & Lunæ Eclipses.

Impedimenta non tollũt ipsas potentias sed ne ipsæ operentur efficiunt.

Iterum definitur Agens liberum.

650 Et hoc impedimentum dupliciter obstare potest: vel enim est invincibile & insuperabile, & tunc Agens operari non potest: vel est vincibile & superabile, & tunc rupto & fracto Agens operabitur impedimento. Habemus exempla clarissima in Bibliis. Nam *Iudic.* 69. ex mandato Holofernis Achior alligatus est arbori insuperabilibus vinculis, talibus, ut illis positis non potuerit evadere *Iudic.* 16. Samson ligatus fuit septem, & posteà novem nervis; & inclamante Dalilâ, *Philisthiym super te Samson!* illos rupit, *quomodo si rumpat quis filum, de stupa tortum putamine, cum odorem ignis acceperit:* & hos, *quasi fila telarum.* Et memoria retine cum cæteris hanc distinctionem, nam nos ipsa manuducet inferiùs.

Impedimentum est duplex, superabile & insuperabile.

Vincula insuperabilia.

Superabilia.

Claudo hanc Physicam doctrinam addendo, tam Generationis, quàm Corruptionis divisionem in Contrariam & Contradictoriam. Omnis Generatio & Conversio contraria dicitur, quando termini *à quo & ad quem* sunt positivi, ut frigidi in calidum, ligni in ignem conversio: Generatio autem Contradictoria dicitur, quando terminus *à quo* est privatiuus, & terminus *ad quem* positiuus sic nox in diem obscurúm

Omnis Generatio & Corruptio est conversio.

Generatio contraria & contradictoria.

obscurúmque in clarum convertitur. Omnis etiam corruptio est conversio & contraria, dicitur, cùm uterque terminus (*à quo* & *ad quem*) est positivus: ut in positis exemplis conspicitur: nam in corruptione frigidi producitur calidum, & sic tendit in terminum positivum corruptio.

Corruptio contraria & contradictoria.

651 Cæterùm inter terminos contradictorios versantur Generatio & Corruptio, quando ex tenebris ad lucem, & ex hâc ad illas venitur. Et hic obiter Nota (1) corruptionem, *ut sic* dicere in suo conceptu formali transitum ab esse ad nō esse, à forma ad privationem formæ, ab alterâ formâ, quæ est aut nō est in termino *ad quē* præscindendo. Nota (2) omnem in Creatione & Adnihilatione Conversionem esse contradictoriam, est enim transitus, ex nihilo ad aliquid: aut ex aliquo ad nihilum. Et Nota (3) illud frequens Axioma: *Generatio unius est Corruptio alterius*, (cui ex adverso respondet; *Corruptio unius est Generatio alterius*) in omni Conversione contradictoriâ falsum esse: nam in Generatione lucis nulla forma positiva corrumpitur, & in Corruptione lucis nulla producitur. Est autem verum in Conversionibus. Contrariis, in sensu videlicet concomitanti, ita ut *est* sit *cōcomitatur:* vnde hæc Propositio, *Generatio ignis est corruptio ligni*, ut vera sit, æquipollere debet huic *Generatio ignis corruptionem ligni concomitatur.*

Quid sit Corruptio ut sic considerata.

Omnis creatio & Annihilatio est contradictoria conversio.

Duo Axiomata Peripateticorum exponuntur.

An est significet cō comitatur.

Sufficiant Realia hæc, ut ad illa Moralitates elimemus: sufficiant, inquam; quia cætera quæ adjungi possent ad merum ornamentum servirent. Hinc ergo transeamus ad Moralia.

ARTIC. XI.

Fundamenta Moralia Naturalibus correspondentia.

652 CAUSAM Moralem Principalem ab Instrumentali distinguo, & ut sciam, quænam sint Instrumenta Moralia, ad S. Benedictum convertam oculos, qui in S. Regulæ cap. 1 v. Epigraphen istam inscribit, *Quæ sint instrumenta bonorum operum?* & in corpore ait; *Primum instrumentum in primis Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, tota virtute deinde proximum tanquam seipsum*, &c. sub capitis finem, *Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint à nobis die noctúque incessabiliter adimpleta, & in die iudicij recōsignata, illa merces nobis à Domino recōpensabitur, quam ipse promisit, &c.* Porrò promissio est conditionata: & hæc instrumenta demonstrant esse purificatam conditionem. Alia etiam sunt instrumentorum genera de quibus aptiori in loco disputabo. Ergo, relictis Instrumentis, ad Principalem causam oculos convertamus.

S. Benedict. in reg. c. 4.

Causa efficiens Moralis in Principalē & instrumentalem.

Moralem profectò & principalem causam esse assero *Primum principium motus & quietis:* nam voluntas rem ab intellectu propositam amando & amplectendo quiescit, vel odio habendo & fugiendo movetur, & hic sensus est congruus, ut motum à quiete distinguamus.

Quomodo voluntas quiescere aut moveri dicatur?

653 Omnis causa Moralis Principalis est libera, quoniam in necessariis nemo vituperium promeretur aut laudem. Vnde Hæretici, qui ab usque ipso principio liberi arbitrij fuerunt hostes, quando voluntatem libertate exuerunt, auferre debuerunt humana & Divina tribunalia. Hoc te monet (Heterodoxe) Clemens Roman. *lib. 3. Recogn.* exclamans, *Dic, quomodo Deus iudicat secundum veritatem vnumquemque pro actibus suis, si aliquid agere in potestate non habet? Iudices frustrà legibus præsunt, & puniunt eos, qui malè agunt, non enim in in suâ potestate habuerunt, ut non peccarent.* Iustinus *in Apolog. ad Senatum*, consonat: *Neque quidquam horum*, ait, *laude esset dignum, nisi illi utramque in partem convertere, & quasi flectere se possent.* Similia habet: *lib. 2. contra Marcionem, cap. 4. & 5.* Tertullianus: inquit enim, *cæterùm nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Et Gregorius Nyssenus *lib. 7. de Philosoph. cap. 1.* ex consiliis quibus vtimur homines liberum arbitrium dari ostendit: *Si nullius actionis ita est principium homo, ut in ipsius potestate, sit eam facere aut non facere, ex superfluo habet unde consultet. Ad quid enim utetur consilio nullius existens actionis Dominus.* Idem argumentum reponit *ibid. cap. 3.* dicens: *Qui consultat, quasi in eius potestate existente electione, de operabilibus consultat, ut quod per consilium decernitur eligat, & eligens faciat. Necesse est igitur eum, qui consultat esse dominum actionum.* Claudat hunc paragraphum Augustinus qui lib. 83. quæst. quæst. 24. sic Statuit: *Nec peccatum, nec rectè factum reputari cuipiam iuste potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.*

Qui liberū negant arbitrium debent omnia tribunalia auferre, omnemque actuū humanorum bonitatem & malitiam negare.

Cur sumuntur consilia, si nulla est in agēdo libertas?

654 Si hæc vera sunt, & tamen nostri ævi Hæretici negant liberum voluntatis arbitrium, quâ sinceritate dari Divinas leges asserunt? quâ dari humanas? quâ die iudicij Christum vivos & mortuos iudicaturum esse? quâ stipendiis publicis tolerant tribunalia, & iudicia? qua reos condemnant? qua innocentes absolvunt? quâ incriminantur vitia, & virtutes dilaudant; non habent quod huic argumento respondeant, interim ne se victos fateantur, liberum arbitrium humanæ voluntati indulgent, liberi autem arbitrij nomine voluntem intelligunt necessitatam. Ioannes Calvinus *lib. 2. de liber. arbitr contra Pighium.* Vocis notissimam & receptissimam significationem immutat, dicens, *si coactioni opponitur libertas, liberum esse, & fateor, & constanter assevero, & pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat.* Consonat Chamierus *tom. 3. lib. 2. cap. 8. num. 21.* eandémque stultitiam reponit: *Retineatur sane*, ait, *non tantùm* liberum arbitrium *Latinorum; sed τὸ αὐτεξούσιον Græcorum ne inutili λογομαχία tempus inutiliter teramus. &c. hoc salvo* (ni-

Absurda, quæ ex Hæreticorum opinione oriuntur.

An liberum arbitrium sit voluntas necessitata.

αὐτεξούσιον Calvini error.

mirùm hominem necessario operari) *salva pax esto.* At argumenta non tantùm probant libertatem à coactione, quam admittunt nobiscum Hæretici, sed libertatem à necessitate, quâ negatâ tolluntur præmia & pœnæ,& clausis Tribunalibus, tota Iurisprudentiâ quanta est, præcipitatur.

655 *Quid sit dominium?*

Proponitur eius definitio.

An ipsa Christi tëpore fuerit in Iure Cæsareo recepta?

Est igitur Agens Morale,Persona libera, quidquid delirent Novatores; & habet actuum suorum dominium, & quid intelligimus dominij nomine apud Bartolum *in leg.17.ff.de acquir.possess.* & Dicastillum *de Iustit.lib.2.tract.1.disput.1. dub.4.* (quos *in Theolog.Intention. cap.1. num.66.* produco) hanc definitionē reperies: *Dominium proprietatis est ius,seu potestas perfectè disponendi de re corporali,nisi lege prohibeatur.* Quæ est antiquissima & Christi tempore in Iure Cæsareo recepta, nam D. Paulus, sic ad Galatas 4. 1. scribit: λέγω δὲ, ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστιν οὐδὲν διαφέρει δούλου, κύριος πάντων ὤν, ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐστὶ καὶ οἰκονόμους ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρός. Vulgatus: *Dico autem, quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfinitum tempus à patre.*

An, & quomodo minorennis sit Dominus?

Ad literam: *Dico autem ad quantum tempus heres infans est, nihil differt a servo, dominus omnium existens: sed sub tutores est, & œconomos usque præfinitionem patris.* Ecce minorennis est bonorum à suo patre relictorum dominus; & de illis perfectè disponere posset, nisi lege prohiberetur.

656 *Cur nō semper dominus possit de rebus suis disponere?*

Prohibetur autem à lege naturali, si nondum ad usum rationis pervenerit: nam omnis bonorum dispositio ab amente, deliro, & quomodocumque liberi arbitrij usu carente facta ex natura rei est invalida. Et prohibetur à Politicâ lege, quia etsi minorennis post septimum ætat.ann.libero arbitrio præditus sit, caret adhuc prudentiâ sufficiente, ut se & sua gubernet, & ideò sub tutelà constitutus est, & sub ipsâ manebit, usque ad tempus in paterni testamenti tabulis determinatum.

Cur dentur tutores?

Quantū durare debeat tutela? An parētes possint tempus determinare?

Hinc patet (1) tutores dari, ut suppleant defectus liberi arbitrij & prudentiæ, qui in pueris reperiuntur. Patet (2) non omnes eâdem ætate ad tantam prudentiam pervenire, ut de suis rebus possint disponere, & ideò ius antiquum commisisse parentibus, ut consideratâ pueri indole tempus præscriberent, in quo filij haberent ligatum dominium, & nihil à servis differrent, licèt essent omnium bonorum domini. Patet (3) experientiam docuisse parentes nimio erga suos filios amore obcœcari & deludi, & citiùs eos emancipare, quàm deberent, & ideò remedium adhibuit Respublica, voluitque non solùm in pueris dominium ligari lege publicâ, sed etiam uniformi, & publicâ lege dissolvi.

657 *Quid Agēs creatum liberum sit?*

Leges sunt impedimēta non realia, sed moralia.

Hinc opportunam poterimus Agentis liberi creati deducere definitionem, dicendo, *Agens liberum est, persona intellectualis habens potestatem perfectè disponendi de suis operibus, nisi lege impediatur:* Ergo leges non tollunt aut minuunt libertatem in actu primo consideratam, sed eius actus non realiter, sed moraliter tantùm impediunt. Non impediunt eos realiter, quia positis legibus: *Non occides. Non mœchaberis*, &c. multa adhuc homicidia adulteria, &c. admittuntur. Leges igitur, quia impedimenta sunt de actibus humanis obsistentia, debent realibus impedimentis esse similes. Impedimenta realia in duas Classes divisimus; alia enim præstabant, ut causa Physica non operaretur; alia, ut non nisi ipsis fractis ipsa operaretur. 658 Et eodem modo de legibus seu impedimentis Agentium Moralium philosophemur. Leges enim non ita voluntatem ligant, & intellectualia agentia impediunt, ut actus interdicti non fiant realiter, sed non honestè. Et ideò leges (Moralia humanorum actuum impedimenta) in duo diversa genera dispescuntur: aliæ enim dirimunt, aliæ interdicunt.

Legum aliæ dirimentes & aliæ tātum interdicentes sunt.

Porrò leges dirimentes præstant, ut homo invalidè operetur, cùm illas temerat: hoc est, quod virtualiter non operetur: qui enim operatur invalidè,tametsi realiter operetur, prudentum iudicio & hypothesi ita se habet, ac si nihil operaretur: qui enim uxorem invalidè duxit, ita se habet, ac si non duxisset, & qui invalide testamentum condidit, ita se habet, ac si non condidisset: Leges autem interdicentes præstant, ut non nisi eisdem fractis homo inhibitos actus eliciat: nam Lex illa Decalogi *Non Mœchaberis* non præstitit, ne Davides Bethsabeam Uriæ uxorem cognosceret, sed ne licitè (se illæsa & infracta) cognosceret.

659 *Quid Conservatio sit?*

Sicut Creationi Adnihilatio, Generationi Corruptio sic Legi opponitur Dispensatio. Conservatio est Creatio perseverans, & adnihilari est non conservari. Sic etiam corrumpi est in suo genere non conservari, nam lux sine alterius qualitatis productione corrumpitur: & tametsi in Peripatu ignis producatur, quando lignum corrumpitur, & corruptionem ligni concomitetur productio ignis, non tamen corruptio ligni est formaliter productio ignis, est enim formæ ligni non conservatio.

Quid sit Legislatio?

Lex intellectum & voluntatē importat.

An intellectum formaliter?

Ab Analogiâ igitur & paritate rationis manuducti dicturi sumus, *Legislationem esse actionem positivam moralem.* Sed utra est, Legislatoris intellectio, an volitio? Respondeo Doctores utrumque actum requirere; nec enim voluntas sine ratione est lex; nec ratio sine voluntate obligandi. P. August. Redingus *tom.2.quæst.15.ar.1.controvers.1. pag.359.b. num.6.* hanc conclusionem statuit: *Lex positivè ac originariè importat actum voluntatis: formaliter autem & essentialiter consistit in actu intellectûs.* Et hoc modo S. Thomas *1.2.quæst.90.art.1.* Caietanus, Serra, & alij Thomistæ *ibid.* Sotus *lib.1.de Iustit.quæst.1. art.1.* Alensis *3.part. quæst.26.* Richardus *in 3. dist. 33. artic. 2. quæst.6.ad 3.* Vasquez *1.2.disput.150.cap...* 660 Azorius *tom.1. lib.5. cap.2. quæst.1.* & alij multi discurrunt. Interim, quia in me ego experior considerationem & electionem præcedere, & posteà illa me iubere, quæ magis opportuna videntur sic definio:

Lex

Lex præsuppositivè importat actum intellectûs, at formaliter consistit in actu voluntatis. Et hanc Conclusionem videor à Rege Prophetâ didicisse, qui Psalm. 32. cecinit, *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas* & Psalm. 142. *Doce me facere voluntatem tuam.* Est certum, quod ibi agit Propheta de præceptis Divinis: Ergo *intellectiones*, & non *voluntates* dixisset, si sensisset legem in intellectione consistere. Firmant id verba Christi, quibus utitur S. Benedictus *in Regul.* nimirùm, *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Ecce non dixit *intellectionem*, sed *voluntatem* & omnia videntur consonare huic sententiæ. Nam & alibi D.N. Iesus Christus nobis omnibus formulam orandi præscribit; præcipitque ut dicamus *Pater noster*, &c. *Fiat voluntas tua.* Et quidem leges consistere formaliter in voluntate insinuat S. Anselmus qui *lib. de volunt. Dei* pronunciat, *Voluntatem Dei esse magistram humanæ voluntatis*, nec hoc negare videtur D. Thomas, qui *in 1.2. quæst 4. artic. 4.* & *quæst. 19. artic. 9.* & *2.2. quæst. 26. artic. ult.* asserit *esse Divinam voluntatem rerum humanarum regulam, & mensuram.* Et posteà *quæst. 21. art. 1.* & *quæst. 73. artic. 1. ad 3.* & alibi, ait. *Recta ratio est participatio quædam Legis Æternæ & Rationis Divinæ, exprimens & continens voluntatem Dei, sicut Lex scripta continet in se placitum Legislatoris.* Est à me expressè S. Bonaventura *in 3. dist. 17. art. 1. quæst. 1. ad penult.* quem Scotus *in 2. dist. 36. quæst. 1. art. 2.* Ochamus *in 3. quæst. 22. art. 4.* Alphonsus de Castro *de potest. leg. pæn. lib. 1. cap. 1.* Suarez *lib. 1. de legib. cap. 6. 24. & 26.* & multi Doctores sequuntur.

S. Benedictus in Reg. cap. 5.

661 Lex non tollit libertatem: at præstat, ut, nisi se ruptâ, contrarium operari non possit.

Conservatio Legis est, ipsamet Legislatio moraliter perseverans, nam sicut in ipso legis ferendæ initio, requiritur, ut Princeps legē indicat, & subditi acceptent; sic perit illa successu temporis, si vel nolit eam Princeps amplius indicere; vel connivente Principe nolit eam ampliùs populus observare. [Ita D. Thomas *quæst. 97. art. 1.* consonans *Legi 1. & 2. ff. de Constit. Princ.* nec non *cap. Alma mater de sentent. Excomm. in 6.* Ita etiam Capreolus *in 4. dist. 1. quæst. 3. ad 1. contra 1. concl.* Conradus *in 1.2. quæst 50. art. 4.* Medina *ibid. circa fin. art. §. Ad aliud Argumentum*] &, si nolit eam amplius populus observare [*cap. fin. de consuet. cap. iam dudum de præbend.* Vide Dianam *part. 1. tract. 2. resol. 5.* & *part. 4. tract. 1. resol. 1. § Verum.* Sotum *de Iustit. libr. 1. quæst. 7. art. 2.* Azorem *tom. 1. lib. 5. cap. 4. quæst. 4.* Palaum *tom. 1. tract. 10. disp. unic. punct 4. num. 2.* &c.]

662 Lex esse definit per dispensationem Dispensatio autem legis, est quædam ipsius Corruptio; & formaliter non est forma aliqua positiva, sed Conservationis ipsius legis desitio.

Quid sit formaliter dispensatio.

Vt quomodo hæc eveniat desitio innotescat, adnotato, dari circumstantias, & conditiones essentiales, sine quibus res esse non possint, & hæ sunt, quæ vel requiruntur *in fieri*, vel *in facto esse.* Sunt enim aliquæ (causæ, circumstantiæ, conditiones, &c.) Sine quibus res non potest fieri, facta verò persistit: nam ut homo fiat pater, & mater, ut causa principalis; semen ut instrumentalis; copula, ut circumstantia, &c. requiruntur; & tamen, ut filius vivat, & persistat, necessaria non sunt, nam communiter homines parentibus suis supervivunt, & qui sine eis non potuerunt produci, sine illorum influxu, immò etiam coëxistentiâ & vitâ, conservantur. Hæc etiam doctrina in Moralibus verificatur: nam ut habet Pontifex Regul. LXXII. in Sexto: *Factum legitimè retractari non debet, licet casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari.* Sanè multa sunt impedimenta, quæ si præcedant, subsequens matrimonium dirimunt, non tamen si sequantur. Ordines enim maiores reddunt ordinatum inhabilem, ad matrimonium contrahendum: interim coniugatus, qui insciâ uxore ad maiores Ordines promoveretur, maneret adhuc coniugatus: *nam inter ipsum & uxorem suam matrimonium factum* (initum) *fuerat legitimè, & retractari non debet*, (non potest: nam illa particula *non* verbum *retractari* afficit, non verbum *debet*, ita ut sensus sit, *non retractari debet*) *licèt promotio ad Ordines maiores posteà evenerit, à quâ, si præcessisset, non potuerit inchoari.* In Pœnitentiæ Sacramento intentio non peccandi graviter ad valorem requiritur: Interim, si semel validè sit absolutus Carolus, propter supervenientem intentionē peccandi, prior absolutio non redderetur invalida. Baptismus collatus ab Hæretico, qui errat in his, quæ sunt de Sacramenti essentiâ, puta, si omnia quæ de Trinitate dicuntur, falsa crederet; aut ablutionem huiusmodi sentiret esse ceremoniam inanem, ab hominibus fictam, est invalidus: attamen, si Petrus à Parocho validè baptizeretur, manet adhuc validè baptizatus, etsi posteà Parochus laberetur in hæresim, quæ baptismum negaret. Et hinc patet absolutiones datas à legitimis Sacerdotibus, qui posteà Luthero aut Calvino adhæserunt, qui Pœnitentiæ Sacramentum irrident, fuisse & manere validas, licèt tales non fuissent, si ipsas Apostasia & perfidia præcessisset.

Conditiones sine quibus non.

Conditiones ad fieri, & ad factum esse.

Multa requiruntur in fieri, quæ in facto esse, non esse possent.

Maiores Ordines dirimunt matrimonium.

De absolutione. Non peccandi intentio ad valorem Confessionis requiritur.

An Baptismus ab Hæretico collatus sit validus?

An Sacramentalis absolutio?

Circumstantiæ aut Conditiones essentiales *in facto esse* dicuntur, quæ simul necessariæ sunt, ut res existat; & singularum defectus sufficit, ut res non existat. Alias aliæ circumstantias essentiales enumerent: leges habent has tres videlicet (1) causam finalem, seu finem convenientem (2) legitimi Superioris voluntatem, & (3) populi acceptationem. Profectò, ut Apollineus Tripus stet, tres pedes stare debent: ut autem cadat sufficit, ut vel unus deficiat. Ergo sic similiter, ut leges sint (ut stent) omnes illæ tres circumstantiæ aut conditiones requiruntur: ut autem non sint (ut tandem corruant.) Sufficit ut vel una deficiat. Innotuit hæc veritas P. Augustino Rhedingo quia 663

Conditiones in facto esse, ut res existat?

Conditiones necessariæ, ut Lex sit valida & obligatoria omnes requiruntur ut stet, existat si vel una deficiat.

quia *in Theolog Scholastica, tom. 2. quæst. 17. art. 1. controverſ. 2. concl. 1. pag. 426.* Sic inquit: [Si abrogatio legis, non fiat mediante aliâ contraria lege, ſed per ſolam Legiſlatoris vel Superioris volũtatem, non eſt opus promulgatione ſolemni, ſed ſufficit quælibet facta non obligationis intimatio: ex Capreolo, Conrado, Medina, *ubi ſuprà.* Probatur. Nam verum quidem eſt, *quod ex quibus cauſis aliquid naſcitur per eaſdem diſſolvatur.* Hoc autem ita eſt accipiendum, ut ad poſitionem effectûs omnes cauſæ neceſſariæ debeant collectivè concurrere, cum è contra ad effectus diſſolutionem, ſeu deſitionem, ſingularum diviſim ſumptarum, vel unius ex ipſis deficientia ſit ſufficiens. At verò ex cauſis, per quas eſſentialiter ſubſiſtit Lex, ſunt partim voluntas Legiſlatoris. Si ergo vel ſola voluntas Legiſlatoris de tollendâ lege innoteſcat, abſque vlla ſolennitate promulgationis diſſolvetur Lex.]

Quomodo leges abrogentur.

An per cauſas, per quas res fit diſſoluatur?

Voluntate Legiſlatoris nolentis legē manutenere ſoluitur lex.

664 Ergo, ſive Finis legis, ſeu legis utilitas, ſive Legiſlatoris voluntas, ſive Populi obſervatio, quæ eſt quædam acceptatio perſeverans, deficiat, lex etiam deficiet. [N.B. Cùm populi acceptationem, & acceptationis perſiſtentiam poſtulo, ago de lege minimè neceſſaria, quæ vel omninò intermitti, vel in aliam poſſit magis gratam mutari: ago de ſubditis ingennis: non enim negabo ſervis invitis dominos præcepta imponere, & qui bello iuſto vincuntur, niſi ſub honeſtis conditionibus ſe victori tradiderint, ſerviles eſſe: ſed quia huiuſmodi caſus rari ſunt ad Regulam non debent reduci.

An & quibus invitis poſſint leges imponi?

665 Corruptionem Phyſicus in Contradictoriam & Contrariã Artic. præced. diuiſit: & eius Reſolutioni inſiſtens Præcepti Relationem Ethicus in Diſpenſativam & Commutativam partitur. Contrariam Coruptionem eam dixeram, quæ inter duos terminos poſitivos contingit, vt quando lignum convertitur in ignem, aut frigidum tranſit in calidum: & vocaveram contradictoriam, quæ à poſitivo termino deſinit in privativum, ut cum lucida dies in noctem obſcuram convertitur. Contradictoriæ corruptionis eſt imago Diſpenſatio; in quâ obligatio in carentiam obligationis vertitur: qui enim v. gr. habebat obligationem ieiunandi, ita per Diſpenſationem hanc obligationem amittit, ut non adquirat aliam. Commutatio autem eſt imago corruptionis contrariæ: nam in ipsâ unum præceptum permutatur in aliud: ut, ſi ieiunium in eleemoſynam, aut Mariani officij lectionem commutetur. Et ſicut formæ novæ introductio non eſt de formali Corruptionis conceptu, ſed eam concomitatur; & concomittando talem corruptionem, (videlicet contrariam) conſtituit, ſic ſecundæ obligationis impoſitio non eſt de formali Diſpenſationis conceptu, ſed eam ſimiliter concomitatur, & addita, Commutationem, vel Diſpenſationem commutantem conſtituit.

Corruptionis in contrariã & contradictoriam diviſio.

Diſpenſatio.

Commutatio.

ARTIC. XII.

Vnus adhuc caſus proponitur, quo noſtra Κατάφασις *adhuc liquidius demonſtratur.*

TAMETSI præcedentia viderentur ſufficere, vt illam noſtram ſecundam Opinionem, quam Κατάφασιν diximus, eſſe perſuaſam cenſeremus, adhuc volumus alium caſum proponere qui evidentius nos doceat veritatem, quam ſtabilire decernimus. 666 [Caius ex providentiâ Pontificia habebat centum annua ducata, recipienda penſionis nomine ab Epiſcopatu Tauronenſi. Erat perſonalis hæc penſio, & ideò extinguitur cum perſona: & Epiſcopus poſt Caij mortem nulli alij illam penſionem ſolvere tenebatur: ut enim habet Regula VII. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſonâ.* Vide Laymannum *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 4.* Hæc autem ducata, vi procuratorij legitimi, ſingulis annis Caij nomine recipiebat Anſelmus. Ergo, ſi poſſeſſionem ſpectes, Anſelmus eſt in poſſeſſione recipiendi annuam iſtam pecuniam, & Epiſcopus in poſſeſſione illam ſolvendi. Interim ſpargitur certus rumor de morte Caij: & Epiſcopus à ſolutione ceſſat. Vult Anſelmus Epiſcopum cogere ad ſolutionem quouſque Caium eſſe mortuum perſuadeat: & ut ſe bene velle oſtendat, argumentatur ſic: *Vnuſquiſque debet in ſuâ legitimâ manuteneri poſſeſſione, quouſque ſuum intentum Adverſarius plenè & manifeſtè perſuadeat. At ego ſum in poſſeſſione recipiendi annuatim hanc penſionem: & Epiſcopus eſt ſimiliter in poſſeſſione illam ſolvendi. Ergo illam debebo recipere, & illam Epiſcopus debebit ſolvere, quouſque idem Epiſcopus ſe non debere plenè oſtendat.* Sed Epiſcopus nihil probare Anſelmum aſſerit, & contra eum ſic argumentatur, aſſerendo, *Obligationem ſuam ſolvendi illa centum ducata eſſe conditionatam: huic enim conditioni innititur, ſi vivat Caius, & obligationem conditionatam non obſtringere, niſi purificetur conditio. Et ideò Anſelmi intereſſe illam purificare hoc eſt, ſuadere, Caium vivere. Et quouſque hæc purificetur conditio ſe non poſſe ad ſolutionem condemnari.* Præterea *duplex hic reperitur poſſeſſio: nam, & Epiſcopus eſt in poſſeſſione pecuniarum, quas titulo penſionis ſolvit; & Anſelmus eſt in poſſeſſione illam penſionem recipiendi. Sed prior eſt poſſeſſio Epiſcopi; Ergo elidetur quandiu ſit certò legitima Anſelmi poſſeſſio; & cum primum hæc non ſit certò legitima, in ſuâ poſſeſſione Epiſcopus manutenebitur. At quando eſt incerta vita penſionarij, quæ eſt conditio ſine qua non reſpectu poſſeſſionis Anſelmi, poſſeſſio Anſelmi non eſt certò legitima. Ergo non poterit priori poſſeſſioni, in quâ eſt Epiſcopus, præiudicare.*

Doctrina noſtra exemplo clariſſimo dilucidatur.

De privilegio perſonali.

667 *Nemo cogi poterit, vt oneri conditionato ſatisfaciat donec purificetur conditio.*

Quando duæ ſunt poſſeſſiones & priors præiudicat poſteriori manutenetur prior quandiu non eſt certò legitima poſterior.

Ergo eodem modo de libertate, præcepto, & diſpenſatione philoſophemur. 668

Sit

Ex hoc exēplo ad nostram doctrinam venitur per analogiam.

Sit tua libertas similis pecuniæ, quam Episcopus possidet: nam illam tu possides, & eius virtute poteris facere quod volueris, nisi lege impediaris. Præceptum est pensionario simile; nam sicut hic (pensionarius) quandiu vivit, præiudicat pensioni pecuniarum, & Episcopum obligat ad solvendam pensionem; sic illud (præceptum) quamdiu existit, tuæ libertatis possessioni præiudicat, & te obligat ad eliciendam operationem, quam indicit. Et dispensatio præcepti erit similis morti pensionarij: nam sicut Episcopus non debet solvere pensionem post pensionarij mortem, sic nec post dispensationem præcepto obedire teneris. Ergo sicut in nullo tribunali cogi poterit Episcopus, ut certò solvat Anselmo illam pensionem si vita pensionarij non est certa, sic in nullo (si Prudentia jus dicat) tu condemnari poteris ut præcepto obedias (ut rem præceptam facias) si existentia præcepti non est certa,

Nemo tenetur obedire quando præceptum non est certum.

ARTIC. XIII.

Absurda, quæ sequuntur ex sententiâ contrariâ.

669 *Opinio illa est reprobanda ex qua multa absurda sequuntur.*

DOCENT Theologi eã non esse in praxi admittendam sententiam, quæ absurda & inconvenientia multa parturit. At illa, quæ Severino adtribuitur, multa parturit. Ergo in praxi non est admittenda. Probatur minor: quia passim à Summo Pontifice, passim ab Episcopis, & aliis Prælatis, passim à Principibus sæcularibus conceduntur de facto dispensationes, quæ non nisi probabiles sint. At in Severini sententiâ nemo uti potest merè probabili dispensatione, quia præceptum in possessione stat. Erunt igitur inutiles pleræque omnes dispensationes, seu à Principibus, seu ab Episcopis, seu à Summo Pontifice fuerint concessæ. At hoc est absurdum, & contra totius Orbis Christiani praxim. Ergo falsa est Severini sententiâ, ex quâ hoc absurdum deducitur. Sanè ex multis capitibus potest esse dispensatio probabilis, (quatuor *art.* 2. §. *ἀπόφανσις* præcipua ad quæ cætera reducuntur, proposui) ergo, (& hoc iterum dico) vel potest concedi & admitti dispensatio probabilis, vel sceleris sunt accusandi Sanctiss. & doctiss. Viri, qui sententiam Vigilantij sequuntur. Attende.

Unde proveniat dispensationē esse merè probabilem.

De dispensatione in propriis legibus.

In propriis aut inferiorum legibus frequenter sine causa aut ex levi Superiores dispensant, quia id esse probabile constat ex Villalobos *tom.* 1 *tract.* 2. *dub.* 41. *num.* 5. contra Vasquez *in* 1. 2. *tom.* 2. *disput.* 178. *cap.* 4. Ergo omnes (qui petunt, qui impetrant, qui concedunt, qui concessis utuntur, &c.) peccant si sit vera Severini sententia.

670 *Qualis erit dispensatio de cuius causæ suffi-*

Si Prælatus dubitat probabiliter de justitiâ & sufficientiâ causæ dispensatio erit probabiliter valida, quia in tali casu Sanchez *in summ. tom.* 1 *lib.* 4. *c.* 45. *n.* 10. Diana 1. *p. tr.* 10. *res.* 31. *&* *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 44. & alij contra Bonac. *de legib. disput.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 7. esse validam asserunt. Ergo Superior, etsi Dianæ subscribat non poterit licitè dispensare, nec subditus dispensatione frui; quia sic Severinus definit.

cientia Superior dubitat

Qualis in cuius petitione aliquid subticetur.

Sicut aliquando est certò invalida dispensatio, quia aliquid, quod erat necessariò exponendum subticetur; sic etiam erit probabiliter invalida, si quid taceatur, quod deberet probabiliter dici. Quæ sint necessariò exponẽda, & quæ subticeri possint apud Ochagav. *de Sacr. tr.* 4. *q.* 11. *n.* 4. Hurtad. *de matr. disp.* 26. *diff.* 5. *n.* 22. Cevall. *q.* 737. *à n.* 20. Pont. *lib.* 8. *c.* 17. §. *ult. n.* 41. & Dian. *p.* 1. *tr* 10. *res.* 44. *&* *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 53. *&* 135. & alios Authores reperies. Ergo frustrà Theologi disputant, & probabiles rationes discutiunt, si dispensatio probabiliter vera, ne quidem est probabiliter valida. Tu tamen dic in hoc casu dispensationem hanc esse certò validã & certò non subreptitiã: nam illa tantùm potest subreptitia vocari in quâ aliquid, quod debet exponi subticetur. Debet autem exponi id, in quo universi conveniunt: nam quando DD. dividuntur in classes, nemo his potiùs quàm illis adhærere tenetur. Ergo illud quod probabiliter potest taceri, licitè tacetur: &, si taceatur, nõ reddit dispẽsationẽ subreptitiã.] Ita Ægid Coninc. *de matr. disp.* 33. *dub.* 6. *pag.* 841. *b. n.* 93. dicens: [Altera sententia 671
tunc vera est, quãdo positivè probabile est ob rationes aut DD. authoritatem dispensationẽ omnib. spectatis, esse legitimã, sive nõ subreptitiã: quia tunc satis certũ est nõ esse subreptitiam: quia, ut non sit subreptitia sufficit petentes ea omnia expressisse, quæ secundũ probabilẽ sententiã tenẽtur exprimere: quia secundum eam operari possunt.] & quia præcedentem doctrinam bene intelligere prodesse poterit, de hoc dubio volo has paucas lineas addere. Deus hominibus non iussit, ut res intelligeremus sicut Angeli, sed sicut probi & prudentes homines. Ergo Christus in Ecclesiæ regimine, quando S. Petro claves Ecclesiæ consignavit, non iussit, ut res angelitùs intelligeret, sed ut humanitùs examinaret. Atqui Homo probus prudenter procedit, cùm in praxi adheret opinioni probabili: Ergo, quando Pontifex Indulgentias, v. g. ex probabili causa concedit, certum est esse validas. Atqui non est censendus Pontifex plus ab inferioribus Prælatis exigere, quàm quod ab ipso Christus; exigit. Ergo, sicut Christus ratum habet, quod Pontifex prudenter facit: sic & Pontifex ratum habere debet (& ubi opus fuerit supplere defectus ex potestatis plenitudine) quidquid Prælatus inferior prudenter facit. Ergo, si probabilitas est in materia, in qua defectum solus supplere potest Deus, illum Deus supplet: &, si est in materiâ, in quâ illum
supplere potest Pontifex, supplet ipse. Er- 672
go, quando Delegatus ex causa probabili; vel ei, qui tacet, quod probabiliter tacere potest, aliquam dispensationem aut favorem concedit, validè concedit: nempe, non iam probabiliter, sed certò validè:

Quid requiratur ut dispensatio nõ subreptitia dicatur.

Summus Pontifex, quando aliquid ex probabili sententiâ cōcedit non solum certò licitè, sed certò validè concedit.

Non potest plus exigere à Prælatis Pontifex, quàm quod ab ipso petit Christus.

An Delegatus validè operetur, cùm utitur potestate probabili?

quia potestatem, ut sequeretur Opinionem probabilem, non solùm dedit, sed & dare debuit Delegans. Ergo, quando Abbas ex probabili causâ dispensationem alicui Religioso impertitur, non iam probabiliter validam, sed certò validam impertitur. Et ratio est; quia talis est Pontificis mens, ut consentiat Prælatis inferioribus, Vicariis, Delegatis, &c. in his quæ probabiliter operantur. Audi Cotonium *in Summ. verb. dispens. num.* 4. dicentem. [Dispensatio Inferioris (Prælati) in lege Superioris, cum causâ non iustâ, bonâ fide facta secundum Salas *de legib. disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 35. est invalida, quia bona fides non potest acta, alioqui nulla, valida reddere. Sed Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *disput.* 17. *num.* 8. probabiliter etiam docuit, valere; nam talis debet præsumi intentio

Quæ sit intentio Dei & Papæ, cū authoritatē suis Ministris concedunt.

673 Papæ erga suas leges, & Dei erga suas. Ita etiam Diana *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 33.] Sed tu sequere Sanchez, & argumentum Patris Salas hac distinctione dilue. Bona fides non potest acta, alioqui invalida, validâ reddere: distinguo: si ille qui bonâ fide operatur, sit Minister (Vicarius, Delegatus, &c.) nego: si non sit Minister, concedo. Profectò S. Benedicti Regulam Bene intellexit, & exactè observavit Mellifluus Doctor. *& libell. de precept. & disp. cap.* 2. Monachos Carnotenses, à quibus fuerat consultus, sic instituit. *Quamdiu Charitati militant* (Patrum præcepta & instituta) *immobiliter fixa sunt, mutarique omninò ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensâ possunt. At, si è contrario contraria fortè aliquando Charitati visa fuerint, his, dumtaxat, quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est. Nonne iustissimum esse liquet, ut quæ pro Charitate inventa fuerunt, pro Charitate quoque, ubi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur.* Ergo Considera loquendi modos. Non dicit *contraria fuerint*, sed *contraria visa fuerint*, ut sciamus ad dispensationis valorem non requiri ut Lex incommoda sit, sed ut videatur. Illa verba, *quibus

An bona fides ad actus valorē sufficiat?

An Regula S. Benedicti concedat, ut cum causâ probabili possit Superior dispensare?

An quæ secundū Charitatē sunt, instituta possint per accidens fieri Charitati contraria?

Aliud est contrariū esse, & aliud contraria videri.

674 hoc posse videre datum est*, etiam probabilitatem innuunt nam ibi *videre*, significat examinare. Et in illo *commodius* multa intelligo: nam commoditas distinguitur à necessitate. Præthereà, iterùm recognosco illa verba, *quibus hoc posse videre datum est*. Ergo loquitur de contrarietate probabili. Patet: quia ubi aliquam observantiam contrariam esse Charitati certum est, non est exspectanda Superioris licentia aut Dispensatio, sed debet ab illa statim abstinere subditus. Verùm enim verò, dum disputatur an hæc aut illa lex sit utilis aut perniciosa, non est privati subditi controversiam dirimere, sed debet superioris, cuius est in possessione authoritas, dispensatio, aut sententia exspectari. Posteà idem Melleus Doctor *cap.* 4. subiungit. *Esto proinde, ut interdum Regula litera cedat pro tempore Charitati, cùm ratio necessitatis vel Charitatis exegerit; absit tamen, ut hominis cuiuspiam subdatur voluntati. Super fratrum sanè transgressiones, non super Patrum traditiones, constituitur, qui Abbas eligitur: mandatorum Cultor, & ultor vitiorum. Arbitror namque illas Sanctas observantias Prælatorum prudentiæ & fidei creditas, non subditas voluntati.* Hinc est, quod idem Legislator in his quæ Abbati dispensanda reliquit, cautè nusquam (*ut memini*) *voluntatem*, *sed aut considerationem, aut dispositionem, aut providentiam, aut certe arbitrium, seu aliquid huiusmodi ponit: volens nimirum providum fidumque dispensatorem rationis, ubi fortè dispensat, sequi indicium, non suæ placitum voluntatis.* Ex quibus S. Bernardi verbis patet (1) Abbatem in Regulâ (quæ Superior Lex est) dispensare non posse sine causâ. Patet (2) sufficere merè probabilem; & indubitatam non requiri Id innuunt illa verba, *ratio necessitatis vel Charitatis exegerit*: ubi enim necessitas urget; debet Superior concedere dispensationem: ubi non est tanta necessitas, si suadeat Charitas, illam concedere potest. Hoc expressè monent verba illa, *prudentiæ & fidei creditas*, etiam illa, *providentiam*, *arbitrium*, &c. Et omnia hæc in sanctâ Regulâ fundari possunt: nam *cap.* 3. expressè ait Legislator *Quod utilius indicaverit faciat*. Et mox *Quod* (Abbas) *Salubrius indicaverit esse, ei cuncti obediant.* Ecce non dicit S. Pater, *faciat Abbas, quod probabilius indicaverit*, non enim voluit, vel Abbatem, vel Monachos obligare ad electionem probabilioris opinionis; aliud enim est *rem esse utiliorem & salubriorem*, & aliud *probabiliorem*; nam recitare Horas Canonicas cum attentione internâ est utilius; salubrius, meliusque: at hoc ipsum non iubet probabilior sententia; esse enim magis probabilem, quæ asserit sufficere attentionem, aut etiam devotionem externam, docet Durandus *in* 4 *dist.* 15. *quæst.* 12. quem sequitur Coninch. *in* 3. *part. q.* 83. *art.* 6. *n.* 291. existimans hanc esse doctrinam D. Thomæ. PRÆTEREA, relege S. Benedicti verba, & eadem perpende & considera. Non dixit ille, *quod utilius fuerit*, aut quod *salubrius fuerit*. sed *quod utilius salubriusque indicaverit*, ut sciamus, committi Regulam prudenti Superioris iudicio, adeoque posse in illius expositione adhærere prudenti, & fideli dictamini. Ergo quando Prælatus ex probabili causâ dispesationē aliquā indulget, certū esse validā indulgere. Et huc respiciens Vigilātius ait (1) dispensationē ex probabili causâ concessā esse certò validā: & ait (2) eādē, etsi esset probabiliter validā, posse tutâ cōsciētiā indulgeri & admitti.

In his quæ certò sunt contra Charitatem non est Dispensatio exspectanda.

Necessitas distinguitur à Charitate.

Abbas est infra Regulam.

Fides hic sumitur pro prudenti dictamine.

675

An Abbas possit dispēsare in Regulâ sine causâ?

An cum sola probabili?

An ne ex his S. Regulæ verbis possit inferre aliquis Abbatem debere probabiliori adhærere sententiæ? Respondeo debere utiliorem & salubriorem sequi & addo, interdum eā, quæ minus probabilis dicitur, utiliorem & salubriorem esse.

Quæ attentio & devotio in Horarum lectione requiratur?

Et quid de illo dicemus, qui dispensationem cum causâ sufficiente concedit, putans tamen se non habere sufficientem? Validam esse putat Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *disp.* 17. *num.* 21. Diana *part.* 1 *tract.* 10. *resol.* 34. Hanc sententiam probabiliorem esse, & qui huiusmodi dispensatione uteretur, ne quidem venialiter esse peccaturum, ait Cotonius *in Summ. verb. Dispens. num.* 4. Et ratio illorum est, quia talis dispensatio nullo iure irritatur, nam in illâ

676

Causam esse sufficientem ad valorem dispensationis non requiritur, sed sufficit ex ratione probabili sufficientem videri.

illâ intervenit legis requisitum, quamvis non adhibeatur Iuris solemnitas. Ex quibus verbis ego colligo horum Theologorum sententia subesse causam sufficientem necessariò requiri: quòd verò hoc ipsum sciat, aut non sciat Superior ad actus valorem non requiri. At hic laborat in consequentiâ Sanchez, quia, si quando Superior sine causâ, bonâ fide dispensat, valida est dispensatio, quia Pontifex se attemperat prudenti dispensantis dictamini; debet consequenter dici, dispensationem fore invalidam, etsi sit causa, si illam ignorat, qui dispensat, & ideò malâ fide procedit: quia in tali casu Pontifex non vult, aut etiam nõ potest concurrere cum temerario dispensantis dictamine. Vnde reor hanc Quæstionem Sanctum Bernardum optimè intellexisse & resoluisse, & anthoritatem, quam Summo Pontifici Christus, Abbati Pontifex, &c. quam Rex Proregi, Vicario Episcopus, &c. in eius denominatione concedit, ad hanc formulam posse reduci: *Huius Communitatis regimen, & legum, quibus illa gubernatur, intelligentiam, concedo tuæ prudentiæ & fidei: nec non considerationi, dispositioni, providentiæ & arbitrio: non autem tuæ temeritati, aut voluntati. Quamobrem, quidquid prudenter, fideliter, consideratè, dispositè, providè, & rationabiliter feceris, rata semper habebo; & declaro esse irrita & nulla, quæ imprudenter, infideliter, inconsideratè, incompositè, non ex providentiâ & ratione, sed ex temeritate, & propriâ voluntate feceris.* Hanc ego cum Bernardo esse mentem cuiuscumque prudentis Superioris crediderim: & si illa est, cessat Quæstio, debebimus adhærere Azorio, qui *part. 1. lib. 5. cap. 15. quæst. 9. & 10.* ad dispensationem validam, sicut ad quamcumque sententiam Civilem, Criminalémve causæ cognitionem & examen requirit, Ergo, sicut quando agitur de domo adiudicanda vero domino, & de decapitando homicida, etsi Petrus sit verus dominus, & Ioannes verè homicidium commiserit, si Iudex sine causæ cognitione & domum adiudicaret Petro, & Ioannem condemnaret capite, iniustam & invalidam pronunciaret sententiam: sic etiam quando agitur de dispensatione requiritur prudens causæ cognitio; unde temere, & sine causæ notitiâ concessa dispensatio, etsi habeat causam, ob quam posset concedi, est invalida.

677 *Quid, si detur sufficiens causa, & tamen sine illius cognitione Superior dispensare ausus fuerit?*

Qualis sit Superiorum mens, cum alicui suam potestatē & authoritatē delegat?

678 *Omnia, quæ causæ cognitionem requirunt, si sine causæ cognitione expediãtur, illicitè & invalidè expediuntur.*

ARTIC. XIV.

Demonstrantur illa decem Asserta, quæ sub libri initium proponebantur.

679 VEnimus ad syntagmatis finem, & ex decem Assertis, quorum Demonstratio in ipso frontispicio Operis promittebatur, unum tantùm persuasimus, Ergo, si tanto molimine debent probari singula, qui sub initium futurus esse Libellus crebatur, in magnum volumen excrescet. Sed non: quoniam Demonstrationes præcedentes ministrabunt materiam, ut subsequentes breviter expediantur.

An, & cur in hoc Articulo singula breviter expedire possimus

Assertvm I.

PRobabilitas Theologica, & conscientiæ securitas, quæ eam comitatur, formaliter cõsistit in Non-Certitudine Partis contrariæ. Sanè Partis contrariæ Non-Certitudinem ad conscientiæ securitatem sufficere, concedis; hoc enim tota hæc Dialexis demonstravit. At hoc ipsum, formaliter ad Probabilitatem Theologicam sufficere, non vis admittere: Primò, quia hoc nullus Doctor asseruit: Secendò, quia rationem gravem requirit Probabilitas, & in Non-Certitudine Partis contrariæ positiva aliqua ratio non apparet. 680

Quid ad Conscientiæ securitatem; & quid ad Probabilitatem requiratur?

Respondeo ad primum D. Steph. Spinulæ, Viri sanè doctissimi, ex Congregatione Sumaschiâ in Episcopum Savonensem adsumpti, clarissima verba producendo; ipse enim *lib. de liber. & prudent. agibilium elect. in Moralibus, disp. 2. concl. 3.* expressè asserit Non-Certitudinem Partis contrariæ ad Probabilitatem sufficere: inquit enim. *Opinio, quæ tollit obligationem aliquid faciendi, vel omittendi, ex quocumque capite oriatur obligatio, probabilis est, etsi nullâ ratione positivâ fulciatur, dummodo solvat omnia argumenta contrariorum.* Considera bene singula verba. Non dicit, esse probabilem sententiam, quæ nulla omninò ratione, sed quæ nullâ positiva fulcitur: dicitur autem probari negativè sententia, quando sufficienter non probatur contraria. Hæc autem nempe, contrariâ sufficienter probabitur, cùm clarâ & certâ Demonstratione persuadebitur: insufficienter verò, si saltem probabiliter sua argumenta solvantur. Hoc igitur Assertum I, multis annis ante nos docuerat & tradiderat Illust. Dominus. Imò, quoad verba latiùs multò quàm nos: quoad verba, dico: nam tametsi loquatur laxiùs, sentit ut nos, licet enim rationem particularem positivam non postulet, generalem positivam non excludit. Et hæc vltima verba sufficienter.

Opinio Illustrissimi Spinulæ.

An sententia Probabilis rationes positivas requirat?

Quid sit probari negativè?

Quid requiratur, ut contraria sufficienter probetur?

An strictiùs sentiamus, quàm Spinula?

Ad secundum respondeo. Distinguo enim illam propositionem, *Rationem gravem requirit Probabilitas:* quoniam, specialem aut generalem rationem requirere, concedo: requirere autem specialem, ita ut generalis non sufficiat, nego. Et similiter distinguo alteram propositionem: *In Non-Certitudine Partis contrariæ positiva ratio non apparet,* quæ sit specialis, concedo: quæ sit generalis, nego. Apparet enim ibi ratio à libertatis possessione desumpta, quæ generalis est, & in omni probabili opinione, quæ solvit à præcepto, invenitur. 681

Qualem rationem Probabilitas postulet?

Ratio, quæ à libertatis possessione sumitur est generalis?

Assertvm II.

SVbjecti in accidentia est Probabilitatis in Rationalem & Authenticam recepta in Scholis divisio. Necessariò colligitur ex præcedente. Quia, si nulla specialis, 682

Qualis probabilitatis in Rationalem & Authenticam divisio sit?

nulla scriptoris authoritas ad essentiã probabilitatis requiritur, omnes rationes speciales, omnes Illustrium Hominum authoritates, adesse & abesse poterunt absque probabilitatis iacturâ. Erunt igitur speciales Rationes & Authoritates, non iam Metaphysica, aut Logica, sed Physica & Realia [a] Probabilitatis accidentia. Ergo divisio Probabilitatis in Rationalem & Authenticam est subjecti in accidentia; & illi similis, quâ homo in album & nigrum dividitur.

Quid sit Accidens Physicum?

a] Reale & Physicum accidens, *est quod existere, & non existere potest absque subjecti corruptione, ut calor & frigus, sine quibus potest lapis existere. Nec juvat dicere, hominem extincto calore perire; quoniam sine calore potest conservari divinitus, quòd non posset, si calor ad hominis pertineret essentiam.*

Quid Metaphysicum?

Metaphysicum accidens *est, sine quo tota rei essentia potest concipi. Et talis est in Scoti sententiâ, quæ distinguit realiter à suis subiectis proprietates, respectu Hominis Risibilitas: quæ, quia realiter separari non potest, non est accidens Physicum; est tamen accidens Metaphysicum, quia sine illâ tota Hominis essentia potest concipi.*

Quid autem Logicum?

Et tandem Logicum accidens *est, sine quo potest aliqua essentia prædicari. Et hic obiter nota, accidentis Metaphysici esse proprietatem, quod sit accidens Logicum: non secus ac Prædicabilitas est Vniversitatis proprietas.*

De qualitatis in intensam & extensam divisione.

Vt meliùs hoc secundum Assertum intelligere possis, rescire debes. Divisionem, quâ Probabilitas in Rationalem & Authenticam dispescitur, esse illi similem, quâ Qualitas in Intensam & in Extensam distribuitur: quoniam rationes speciales, si accedunt, videntur intendere Probabilitatem, & authoritates extendere: vnde sententiæ, quæ sunt magis extensæ (quæ à pluribus promulgantur Doctoribus) *magis communes* nominantur.

De Divisione propositionis in magis & minus à ratione Probabilem.

Hinc patet primò Divisionem Assertionis à ratione probabilis, in magis & minus probabilem, hoc est, in eam, quæ fortioribus, & eam, quæ minùs fortibus rationibus (nimirùm, specialibus) fulcitur, esse illi similem, qua qualitas dividitur in magis & minus intensam. Ergo rationes speciales, si superveniant, intensionis & remissionis capacem reddunt Theologicam Probabilitatem.

De Divisione propositionis ab authoritate Probabilem: hoc est, in magis & minùs Communem.

Hinc patet secundò Divisionem Assertionis ab authoritate Probabilis, in magis & minùs Probabilem; vel, ut Iurisperiti loquuntur, in magis & minùs Communem, in eam videlicet, quæ à pluribus, & quæ à paucioribus Authoribus Doctoribúsque propugnatur, esse illi similem, quâ Qualitas dividitur in magis & minus extensam. Ergo scriptorum suffragia, si accedant, extensionis, & contractionis capacem reddunt Theologicam Probabilitatem.

Quales hæ Divisiones sint?

Hinc patet tertiò sicut Divisionem qualitatis in intensam & remissam, aut etiam in extensam & contractam, sic similiter Divisionem Probabilitatis Theologicæ, tam in magis & minus à ratione Probabilem, quàm in magis & minùs ab authoritate Probabilem: hoc est in magis & minùs Communem esse Subjecti in Accidentia.

An, & cur non sint Theologicæ Divisiones præmissæ?

Hinc patet quartò has præcedentes Divisiones (Probabilitatis Thologicæ in Rationalem & Authenticam; in magis & minùs à ratione Probabilem: in magis & minùs ab authoritate Probabilem: hoc est, in magis & minùs Communem) non esse Theologicas, sed Philosophicas. Cur non Theologicas? Quia illæso morum regimine potest Moralis Theologus illarum cognitione carere.

Eadem ipsa apud Probabilioristas sunt Theologica. & cur?

Rem dilucido: Theologus Probabiliorista, siquidem asserit, debere hominem sub peccato sententiam eligere probabiliorem, librâ Critolai uti debet, & respectu illius omnes hæ divisiones sunt Theologicæ considerationis: qui enim tenetur communiorem & probabiliorem eligere, illam debet cognoscere, & à minùs communi, seu minùs probabili accuratè discernere.

Libra Critolai Moralis erat.

Quid de istis divisionibus dicant probabilistæ?

Hanc autem considerationem, cognitionem, discretionem, &c. dicunt Probabilistæ (qui asserunt, tutâ posse conscientiâ hominem probabili adhærere sententiæ neglectâ probabiliore & tutiore.) sua non interesse, nec velle tempus perdere, aut fatigare mentem in probabiliorum & communiorum à minùs probabilibus & minùs communibus examinandâ distinctione: sibi enim sufficit scire propositionem, de quâ agitur, esse probabilem: & hanc ob rem Probabilioritarum discussionem, sibi minimè necessariam. Philosophis, ut ingenium possint exercere, relinquere.

Et quid tandem nos de eisdẽ Divisionibus debeamus dicere?

Et nos idem a fortiori affirmare debebimus, sumus enim contenti Non-Certitudine partis contrariæ.

Assertvm III.

De Probabilitate. An magis & minus recipiat?

PRobabilitas Theologica secundũ sua prædicata essentialia & intrinseca cõsiderata, nõ recipit magis & minus. Demonstratur. Probabilitas Theologica cõsistit in indivisibili. Quæ autem consistunt in indivisibili, non recipiunt magis & minus. Ergo Probabilitas Theologica non recipit magis & minus. 683

An consistat in indivisibili?

Probatur Major. Probabilitas Theologica consistit in Non-Certitudine Partis Contrariæ. At Non-Certitudo consistit in indivisibili. Ergo Probabilitas Theologica consistit in indivisibili.

An generalis illa ratio, quæ in Probabilitate invenitur, recipiat magis & minus.

Dices. Præter Non-Certitudinem Partis contrariæ rationem positivam generalem ad Probabilitatem Theologicam ut constat ex dictis, requiri. Et, quia hæc ratio potest recipere magis & minus, ideò asseris Probabilitatem Theologicam posse intendi & remitti.

Respondeo nos agere impræsentiarùm de Probabilitate Theologica, quæ est in ordine ad regendam conscientiam: & quia ratio illa generalis positiva, quæ in hac Probabilitate invenitur, est illa, quæ à libertatis Possessione desumitur, & hæc est una & eadem in omni Opinione Probabili, concludo, neque ex hoc Probabilitatem Theologicã capere recipere magis & minus.

Nondum

684 *Qui subit onera, frui debet commodis, quæ oneribus adnexa sunt.*

Nondum assentiris; nam contrà sic argumentaris. Opiniones suos ortus & occasus habent, & in ipsis sua incrementa & decrementa Probabilitas subit; non ergo dici potest non recipere magis & minus. Vt probes antecedens Caietanum producis, qui Regulam L V. Iuris Pontificij considerans, videlicet, *Qui sentit onus, sentire debet commodum:* & observans in Iure Cæsareo Matrimonium & sponsalia arcto nexu vinciri, [nam *leg. Oratio, ff. de sponsalib.* Scriptum est, *Oratio, quæ quasdam nuptias Senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil loquuta est: rectè tamen dicitur sponsalia in his casibus nullius esse momenti.*] Examinare voluit, Quænam onera conscientias sponsorum gravarent: & reperit esse probabilem sententiam quæ docet sponsam de futuro, si fornicationem committat, perpetrare unum peccatum adulterio simillimum; quod licèt verè adulterium non sit, addit nihilominus fornicationi speciem, quæ debeat in confessione aperiri. [Ita hodie Sanchez *lib.1. de Matrim. disp.5. num.5.* Fagundez *præcepto 2. lib.4. cap.3. num.10.* & *in Decal. lib.6. cap. 1. num.15.* Candidus *disquis.24. artic.14. dub.15.* Filliucius *tract.10. num.52.* Villalobos *tract.9. diffic.36. num.16.* & alij.] Immò & reperit hoc gravamen ad sponsum probabiliter extendi posse. [Ita enim hodie sentiunt Sarmiento, Lopez, & Ledesma apud Sanchez *cit.* & ita etiam Homobonus, Naldus, Sylvius, Hurtadus, Pitigianus, Molina, Ægidius Rebellus, Gutierrez, & Cruz apud Dianam *part.1. tract.7. resol.5.* & *part.3. tract.4. resol.67.* Vide Leandrum *part.1. tract.5. disp.8 q.12. pag.178. a.*] Hac igitur doctrinâ generali præventus Caietanus sic inquit. Sponsalia sunt quoddam matrimonium inchoatum, vel quædam matrimonij inchoatio; Ergo sponsi, si sentiunt onus, debent sentire commodum. Ergo, si onus hoc subeunt, ut sine novi peccati addente speciem circumstantiâ, fornicari non possint; aliquod commodum indipisci debebunt. Ergo illud saltem commodum, quod nascitur ex eâdem causâ, ex quâ oriebatur gravamen. Ergo, sicut matrimonij inchoatio facit ut sponsus, si fornicetur cum aliâ, peccet contra aliquod ius, quod in se habet sponsa, faciet ut & sponsus habeat aliquod ius in sponsam. Non ad copulam: ad eam enim requiritur integrum ius, quod adquiritur per matrimonium. Ergo saltem ad oscula citra pollutionis periculum. Ita Caietanus. Posteà accesserunt novæ & speciales rationes, quæ hanc eamdem sententiam verisimiliorem reddiderunt. Et tandem Doctores, qui eamdem suâ authoritate roborarunt. Nempe inter alios Dianâ *part.2. tract.17. resol 6.* & *part.4. tract.4. resol.131.* Cotonius *in Summ. verb. Tactus, num.6.* Sanchez *de matrim. lib.5. num.38.* & *lib.9. disput.46. num.48.* Navarrus *cap.14. num.18.* & *cap.16. num.12.* Lessius *lib.4. cap.3. num.58.* & 59. Toletus *lib.5. cap.14.* Valentia *in 2.2. disput.9. quæst.3. punct.3. in fin.* Sà *verb. Luxuria, num.14.* Sayrus *lib.8. cap.6. num.1.* & *cap.7. num.32.* Hurtadus de Mendoza *in 2.2. tom.2. disp.177. sect.25. §.306.* Armilla, Medina, Lopez, Lucius; Petrus, & Bartholomæus de Ledesmâ; Aretinus, Menochius, Vera-cruz, Philiarchus, quos citat & sequitur Salas *ubi supr.* Bonacina Reginaldus, Molfesius, Granadus, Graffius, Ochagavia, Sylvius, & Villalobos apud *cit.* Dianam. Adde adhuc Aversam *de matrim. quæst.21. sect.8. in fin.* Ledesmam *cap.3. de matrim.* Ioannem de la Cruz *in præcept.6. Decal. art.1. num.4.* Quorum sententiam probabilem putat Verricellius, nam *tractat.4. quæst.23. num.2. pag.264. b.* oppositam vocat probabiliorem. Immò Salas *in 1.2. tom.2. quæst.74. tract.11. disput.6. sect.26. num.177.* aspectum pudendorum permittit, non tactus, quia aspectus non habet tantam connexionem cum copulâ, quàm habent tactus. At Diana *loc. cit.* tactus partium verendarum condemnat, & de aspectu meritò dubitat; & ideò, an illum sponsis probabiliter indulgeat Salas, aliis iudicandum relinquit.

An sponsus, si cum aliâ fornicetur, iniuriã suæ sponsæ inferat: & illam debeat in sacramentali confessione aperire?

An inter sponsum & sponsam ita sit distinguendum, ut iniuriam illa faciat, non ille?

An, & cur oscula & tactus inter sponsos de futuro sint licita?

Caietanus in Summ. verb. sponsalia. & in 2. 2. quæst.154. artic.4. in resp. ad 2. in fin. tametsi excuset à mortali esse inter spõsos oscula, veniales culpas asserit, quod Cotonius & alij non dicunt.

685 *Tria distinguenda, & bene considerãda veniunt tempora in quãcũque Opinione Probabili.*

Ergo tria sunt in hac Propositione, *Oscula inter sponsos non sunt peccata mortalia*, tempora consideranda. Primum, quando fuit nata, quia Caietanum fuisse primum eius inventorem Verricellius *loc. cit.* asseverat. Secundum, quando firmata fuit specialibus rationibus & argumentis. Tertium, quando tanto illam numero & authoritate Iuniores Theologi dilucidarunt. Ergo crevit eius Probabilitas: Ergo in primo tempore erat minus probabilis, quàm in secundo; & etiam in secundo, quàm in tertio. Ergo (& hanc consequentiam bene considera) Propositio hæc, *Oscula inter sponsos*, &c. (& idem de quãcumque aliâ dicito) quando sub primo Authore, nempe in primo tempore, à generali ratione & solâ Non-Certitudine partis contrariæ succollabatur, erat minùs probabilis, posteà in Probabilitate supervenientibus specialibus rationibus, & accedentibus novis authoritatibus crevit. Ergo in Probabilitate huiusmodi Propositionum dari magis & minus nemo potest negare.

Hæc doctrina Propositionum, oscula inter spon-sos. &c. applicatur.

686 *Qualis albedo sit separata à subiecto?*

Vt huic argumento respondeam, pono Albedinem ob oculos, & de illâ cum Angelico Doctore & Thomistis sic statuo. Albedo separata à subiecto, nec est magna, nec parva; nec est intensa, nec extensa; nam quantitatem, intensionem, & extensionem à subiecto sortitur: unde Albedinis in intensam & extensam divisio, sicut & ea quâ in tot & tot gradus intensionis; aut in tot & tot partes extensionis dividitur; est, ut paulò antè diximus, subiecti in accidentia: quoniam sicut magnitudo & parvitas, sic etiam intensio & remissio, nec non extensio & contractio adsunt, absunt Albedini absque intrinsecâ eiusdem corruptione Ergo Albedo separata à subiecto, nec debet vocari *magna*, nec *parva*, nec *minus*, nec *magis intensa*, aut *extensa*: sed *Albedo* tantummodò. Ergo, sicut de Thomisticâ Albedine, sic de Probabilitate debes Philo-

Quid de illâ statuat S. Thomas?

sophari. Separata à rationibus particularibus & Doctorum suffragiis Probabilitas, nec est *magna*, nec *parva*; nec *intensa*, aut *remissa*; nec *extensa*, aut *contracta*: nam intensionis gradus à rationibus specialibus recipit, & extensionem à Doctoribus, quæ natam in unius provinciæ angulo per Orbem Literarium propagant. Ergo Probabilitas prout complectitur sua prædicata essentialia (hoc est, Possessionem libertatis humanæ, & Non-Certitudinem partis contrariæ) nec debet vocari *magna*, nec *parva*; & Opinio, quam afficit, non debet dici *intensior*, aut *remissior* (hoc est, *probabilior*, aut *minùs probabilis*) sicut nec *extensior*, aut *contractior* (hoc est, *Communior*, aut *minùs communis*) sed in abstracto *Probabilitas*, & in concreto *Probabilis*.

An, sicut de Albedine, sic de Probabilitate sit philosophandum.

An recipiat magis & minus Probabilitas?

Et hinc loquendo in particulari de illâ propositione, *Oscula inter sponsos*, &c. in ipsâ, ut iubes, tria illa tempora accuratè & attentè considero. In primo habet Probabilitatem nudam, hoc est, sola Probabilitatis prædicata essentialia: rationem nimirum generalem, & Non-Certitudinem partis contrariæ. Hoc ipsa primo tempore, nec *probabilior*, nec *minùs probabilis*, vocari potest; sicut nec *communior*, aut *minùs communis*. In secundo ipsa tempore recipit speciales rationes, quæ illam intendunt aut remittunt, propter quas *probabilior*, aut *minùs probabilis* vocari possit. Et tandem in tertio tempore recipit Theologorum suffragia, quæ illam aut extendunt aut contrahunt; propter quæ debeat, aut *communior*, aut *minus communis* vocari.

In hac Propositione, Oscula inter Sponsos &c. tria illa tempora considerantur, & expiscantur.

687 A Lia propono exempla, ut hanc camdem Conclusionem confirmem. [Accusabatur furti Antonius, homicidij Franciscus: fiunt informationes: contra illum duo contestes oculati deponunt: contra hunc quatuor etiam oculati & contestes.] Pergo ulteriùs. [Antonius, Claudiusque graviter ægrotabant: prior habitabat Romæ; & coram Parocho & duobus testibus condidit testamentum. Viennæ in Austriâ posterior: & coram septem testibus ultimam suam voluntatem exposuit. Sed & Viennæ Aurelius maioris securitatis gratiâ duodecim testes in sui testamenti solennitate adhibuit.] Et modò quæritur, an illæ informationes sint æquè plenæ? an secunda sit plenior? Et veniendo ad testamenta, quæritur, An secundum sit validius primo? an & tertium secundò?

De informatione plenâ.

De testamento validis.

An detur informatio plenâ plenior?

An unum testamentũ sit validius alio?

Ante Responsionem alium Casum propono, & decido. [Petro debebant Titius & Isidorus denos aureos: & Titius dedit decem: Isidorus viginti.] Et interrogas, Vter plus solverit, vel magis solverit? Respondeo persolutionem (solutionem integram) non admittere magis & minus: nam, qui decem debet, & novem solvit, satisfacit ex parte, non persoluit: &, si det duodecim, per aureorum decem solutionem satisfacit, & alios duos non soluit, quia non debentur, sed donat. Hinc ad propositum casum respondeo, æquè Titium, Isidorumque, Petro debitos aureos persoluisse; & addo Isidorum nec plus, nec magis persoluisse, quàm Titium: nam in indivisibili consistit persolutio. Subiungo Isidorum in consignatione aureorum viginti, duos contractus diversos celebrasse: nam aureos decem, quos debebat solvit: & alios decem, quos non debebat, donavit. Ergo in illâ aureorum viginti traditione persolutio & donatio inveniuntur.

Persolvo, Græcè διαλύω. Ex integro solvo.

An in persolutione magis & minus dari possit?

Qui dat, quæ non debet, non solvit, sed donat.

Hinc ad informationes plenas venio. Duo contestes, ut quis etiam ultimâ sententiâ condemnetur sufficiunt. Ergo, si datis duobus Iudex inferior tutâ conscientiâ potest, & sub mortali reum condemnare tenetur: & datis tribus, nec tutiùs potest, nec strictius tenetur (non enim conscientiâ tutâ datur tutior: nec obligatione, quæ ad mortale obstringit, datur strictior.) Ergo tam plena est informatio, quam duo testes constituunt, quàm illa, quam plures corroborant qui enim per duorum testium depositionem ex Iure, aut ad ducenta flagella suscipiendum, aut remigandum per duos annos, aut ad perdendum unum caput condemnatur: si accedat tertius testis, non ideò condemnabitur, aut ut trecentis excipiatur flagellis, aut per tres annos remos quatiat, aut duobus aut pluribus plectatur capitibus. Ergo omnes informationes plenæ sunt æquè plenæ: nec una est magis aut minùs plena, quàm alia.

Duo testes sufficiunt ad informationem plenã.

Tres vel plures testes, non maiorẽ vim habent, quàm duo.

Idem de testamentis dicendum est: Omnia valida, sunt æquè valida: & sunt valida, quæ solennitates in loco, in quo fiunt [à Bohemorum testamentis præscindo] requisitas observant. In terris Ecclesiæ parochus & duo testes sufficiunt, *cap. cùm adesses, de testament.* Vide Dianam *part. 5. tract. 3. resol. 1 19, §. Posset.* & 1 2 3. Secundum Ius Civile septem ut minimum, & aliquando octo vel novem requiruntur, *leg. hac consultissima, & Institut. lib. 2. tit. 10. §. sed cùm paulatim.* Vide Interpretes Iuris, *ibid.* His præmissis, tam validum fuisse Antonij testamentum, quàm Claudij assero: utrumque enim habuit omnes solennitates pro tempore, & loco requisitas. Addo non esse illis validius testamentum Aurelij: illi enim superabundantes testes non ad valorem, sed ad ornatum tantùm testamenti concurrunt: nam, si illi auferantur, manebit testamentum æquè validum. [Consultò volui à Bohemorum testamentis præscindere: sunt enim viri prudentissimi & generosissimi, & nolunt exterorum Principum legibus gubernari: quamobrem testamentum de rebus quæ sunt in Bohemia etsi, extra Bohemiam fiat, debet secundum Bohemiæ leges condi, aut esse invalidum. Vnde, tametsi in Iure Cæsareo impossibile sit, ut quis ex parte testatus & ex parte intestatus deviват *leg. si qui, ff. qui testament. facere poss.* hoc frequenter accidit in Bohemiâ: nam, si Adalbertus in Bohemiâ & in Austriâ (quod solet) habeat agros, & moriatur Parisiis; si in testamento Gallicæ solennitates observentur, &

688 *Quæ testamenta sint valida, & quæ invalida?*

Quot testes in S. Petri patrimonio requirantur? Quot in Imperio?

Æquè valida sūt utrobique testamenta, etsi inæqualis testium numerus adhibeatur.

Superabundantes testes nihil præstant.

De Bohemorum testamentis.

An quis partim testatus, & partim intestatus possit desicedere?

Quæ leges in conditione testamentorum sint observandæ?

anne loci, ubi bona sunt, de quibus in testamento disponitur: an verò, loci, ubi illa conduntur?

& non Bohemicæ: partim testatus, & partim intestatus mortuus fuerit: nam illud testamentum erit in Austriâ validum, in Bohemiâ invalidum: adeoque agri, qui in Austriâ ad hæredem in testamento designatum pervenient: & agri, qui in Bohemia ad agnatum proximiorem venient ab intestato.]

An una Opinio sit securior alterâ? An una probabilior altera?

Hinc iterum ad Probabilem Opinionem revertor. Informationi ipsa plenæ, & valido Testamento est simillima. Consistit in indivisibili. Si non habeat, quæ requiruntur ut Probabilis sit, non est Probabilis, non est secura: si habeat, erit Probabilis; erit secura. Et quia non datur securâ securior, sic nec si substantiam respicias, Probabili dabitur Probabilior. Ergo, si quando in Probabilitate detur magis & minus, non dabitur in Probabilitatis & securitatis substantiâ, sed in accidentibus, quæ ad ipsam exornandam concurrunt: non enim datur magis & minùs in Non-Certitudine partis contrariæ: non in ratione generali quâ positivè fulcitur (& in his tota Probabilitatis, tota securitatis conscientiæ ratio substantialis consistit) sed in rationibus particularibus, & authoritate, quæ ad Probabilitatis & securitatis ornatum & illustrationem concurrunt.

Vel magis & minus detur: & ubi non detur?

Assertum IV.

689 *Ex hypothesi, quod in Probabilitate, magis & minus sit; ubinam erit hæc varietas? Anne in substantiâ, an verò in accidentibus Probabilitatis?*

TOtum Probabiliorum, & minùs Probabilium sententiarum discrimen, si quoad se ullum est, (III) non in ipsâ Probabilitatis essentiâ, (IV) sed in Rationibus specialibus, & testimoniis Doctorum, quæ sunt Probabilitatis accidentia, invenitur.

Demonstratur: quia, si tale discrimen est, vel ipsimet Probabilitatis essentiæ, vel eius accidentibus inest. Non illi, ut Tertia demonstravit Conclusio. Ergo his. Ergo, vel nullibi, vel in specialium Rationum pondere, & Authorum gravitate consistit. Ac speciales Rationes & Doctorum Authoritates, sunt Probabilitatis accidentia. Ergo, si in Probabilitate admittitur magis & minus, hoc non ipsam Probabilitatem, sed eius accidentia concernet.

Assertum V.

690 *Utrùm debeas necessariò scire, an opinio, quam sequeris, certa, an verò probabilis sit?*

DIscriminis, quod inter Certam, Probabiliorem, æquè & minùs Probabilem sententiam reperitur, certa cognitio hominibus non est necessaria. Aliter, & explicatiùs. *Qui cognoscit, oppositam Sententiam non esse certò veram, scit suam sententiam non esse certò falsam: & hæc ipsi notitia sufficit, ut in conscientiâ tutus sit: adeoque ad conscientiæ suæ securitatem non tenebitur examinare, nec scire, An sententia, quam sequitur, Certa, aut merè Probabilis sit? Et, si sit Probabilis, An minùs, æquè, aut magis Probabilis censeri debeat?* Ago de legibus Præceptivis, non enim Definitivæ hanc Disputationem concernunt. Et sic hanc Quintam Conclusionem demonstro.

Et, si probabilis sit, an debeas scire, in quo Probabilitatis gradu sita sit?

Operatur tutâ conscientiâ, qui Certæ sententiæ subscribit; etiam, qui Opinionem sequitur Probabiliorem: etiam ille, qui æquè Probabilem: & tandem etiam ille, qui minùs Probabilem. Ergo, ut tutâ opereris conscientiâ, debes scire oppositam sententiam non esse certam: & hæc cognitio est tibi necessaria, & sufficiens: nam si hoc scias, operaberis in conscientiâ securus, etsi nescias, an sententia, quam sequeris, Certa Probabilior, aut certè æquè aut minùs Probabilis sit. Huc pertinent omnia illa quæ *in Asserti II. dilucidatione, §. Hinc patet quartò*, dicebantur.

Assertum VI. & VII.

691 *Circa Probabiliorita tem Opinionum nihil Authores certò statuunt.*

ETsi aliæ Opiniones quoad se Probabiliores, & aliæ minùs Probabiles esse dicantur, certa istius distinctionis cognitio plerumque (& fortè, semper) quoad nos impossibilis est. (VII) Ergo rarò (vel nunquam) dabuntur Opiniones certò Probabiliores, & certò minùs probabiles quoad nos.

An possint aliquid certi decernere?

Non semper homines eodem modo discurrunt.

Septimum à sexto necessariò deducitur: & Sextum demonstratur clarissimè. Nam unus & idem Doctor sententiam, quam heri elegit, hodie reiicit: & S. Augustinus, tametsi ingenio felicissimo præditus, priùs scripsit sincerè, quæ sentiebat: posteà multa ex illis summâ humilitate retractavit: &, si hodie viveret, adhuc retractaret aliquas Retractationes. Inter Scriptores Classicos magna est sententiarum varietas: &, si hos (Thomistas, v. gr.) velimus cum illis (Scotistis) componere, inveniamus passim, Opinionem, quam Probabiliorem centeni iudicant, alios centenos æquè doctos & graves, minùs Probabilem, aut etiam falsam iudicare. Immò etiam aliquando improbabilem, ut passim Authores legenti succurrit. Vnicam ego in exemplum proponam.

Quam alij veram sententiam indicant, alij pronunciant esse falsam.

692 *Qualis sit absolutio quæ conceditur à Confessario, qui tantùm habet potestatem & iurisdictionem probabilem?*

Quærunt Theologi, *An Sacerdos, qui ex opinione probabili audit confessionem & pœnitentem absolvit, non tantum probabilem sed certam impertiatur absolutionem?*

Huiusmodi absolutionem esse certam negat Cardinalis de Lugo *de pœnit. disp.* 19. *num.* 29. Petrus Marchantius *in Tribun. Sacram. tom.* 1. *tract.* 2. *tit.* 3. *quæst.* 4. Spinula *de elect. Opin. Prob. disput.* 3. *sect.* 6. *conclus.* 6. Suarez *de pœnit. disput.* 26. *sect.* 6. *num.* 8. Salas *in* 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. unic. sect.* 5. *num.* 50. §. *ex dictis*, & *sect.* 10. *num.* 101. & *section.* 27. *num.* 286. & 287. Ioannes Sancius *in Selectis, disput.* 44. *n.* 12. 13. & 14. Oviedus *in* 1. 2. *tract.* 5. *contr.* 3. *punct.* 4. *num.* 33. Bardius *in bull. cruciat. part.* 2. *tractat.* 5. *cap.* 1. *sect.* 14. *num.* 185. & 186. Et quis, quæso, vel sola horum Doctorum nomina non veneretur? Annon ipsa sola sufficiunt ad reddendum Opinionem probabilem? Ego sanè tantis Viris obloqui non auderem. Fortè excusari posset, qui hanc negativam sententiam ab ipsis teneri nesciens, inureret aliquâ maculâ: sed, qui eam ab ipsis doceri sciat, ex quo capite poterit excusari? Interim Angelus

An possit aliquis illustrium Theologorum sententiâ inurere notâ improbabilitatis?

Angelus Maria Verricellius *tract. 2. quaest. 25.* omnes istos Doctores pro negativâ adducit, & tamen sine erroris formidine contrarium asserit: & ait, *Hoc dico esse moraliter certum; & oppositum esse improbabile ac falsum: quamvis summè displiceat improbabilem asserere opinionem, quam celeberrimi Scriptores defendunt.* Quibus verbis plus dicit, quàm fortè credideris; nam modalem replicat supra modalem; est enim eius Resolutio, *Certum est, esse certum, quod Confessarius mens probabili opinione, non iam probabilem sed certam absolutionem impendat.* Quia, si non est certum hoc esse certum, oppositum non est improbabile. Subscribit Verricellius Ioanni Machado, qui *in discurs. pract. de Opin. prob. art. 5. num. 7.* (& habetur *ante tom. 1. de perfect. Confess.*) suam sententiam esse certam affirmat: nam tametsi plurimi illam habeant, ipsi ut probabilem amplexi sunt, non enim condemnarunt contrariam.

N. B. Hoc argumentum, quod hic breviter tractari debuit, inferiùs in Ep. st. uberius resumitur, & retractatur.

Ergo qui vides tantos viros à tantis Viris condemnari, quid aliud potes dicere, quam in rebus Moralibus esse summè difficile, & sæpe impossibile certam notitiam adquirere de Veritate.

ASSERTUM VIII.

693 *Omnis actus aut est certò interdictus, aut non est certò interdictus.*

Repugnat conceptus Peccati Probabilis. Hoc superius demonstravi. Ratio est clarissima, & ad hos breves terminos reduci potest. Actus qui fit, aut est certò interdictus, aut non est certò interdictus. Si primum, certum est illum esse peccatum: si secundum, certum est illum non esse peccatum. Inter, *Actus est certò interdictus*, nec non *Actus non est certò interdictus*, non datur medium. Omnis ergo actus humanus, aut est certò illicitus & peccaminosus, aut certò licitus & honestus. Ergo cum repugnet dari medium inter *est*, & *non est*, repugnabit etiam dari medium inter certò illicitum, & certò licitum. Repugnat ergo actus, qui sit probabiliter illicitus. Ergo repugnat actus, qui probabiliter peccatum sit.

Non datur medium inter est, & non est.

Non datur actus, qui illicitus probabiliter sit?

694 *An actus probabiliter interdictus, probabiliter illicitus censeri debeat? Actus, ut illicitus sit, debet esse certò interdictus.*

Sed obiicis Primò. Actus certò interdictus, est certò illicitus, certò peccaminosus. Ergo actus probabiliter interdictus, erit probabiliter illicitus, & probabiliter peccaminosus. Dantur ergo probabilia peccata.

Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam; quia, ut tota hæc Dialexis demonstravit, actus probabiliter interdictus, est certò bonus, certò honestus, & certò licitus. Vt enim illicitus sit, debet esse certò interdictus.

An oblivio possit præstare, ut peccatum Certum in Probabile transeat?

Obiicis secundò. Possibile est, ut Petrus reverà peccaverit, & posteà omninò obliviscatur sui actûs. Ergo etiam poterit ex parte circumstantiarum oblivisci: nimirum, ita, ut dubitet, an talem actum perpetraverit. Ergo, si potest habere dubium de peccato commisso, etiam poterit habere opinionem probabilem. Peccata igitur Dubia & Probabilia negari non possunt. Confirmatur. Quia frustra nos in Fundament. Theologia, Fundamentum L X V I. dilucidando, & alij Theologi disputaremus, An peccata dubia & probabilia sint in Sacramentali confessione aperienda? si non esset certum, dari talia peccata.

Respondeo Te in hac Obiectione, duas diversas Quæstiones (videlicet, *Quid res sit?* & *An sit?* Et in particulari, *An talis actio peccatum sit?* & *An talis actio facta sit?*) manifestè confundere. Est enim (Amice Lector) aliud, *Dari numerum, qui probabiliter habeat tres unitates*, aut *Dari figuram, quæ probabiliter habeat tres angulos.* Et aliud, omninò diversum, *Petrum probabiliter credere se (in nummis aut in alio genere) dedisse tres unitates Carolo*, aut *In tabulâ paginâ-ve delineasse Triangulum.* Illud enim prius concernit Quæstionem, *Quid sit?* hoc verò Quæstionem *An sit?* videlicet, *An fuerit factum?* Sanè repugnat Numerus, qui habeat probabiliter tres unitates. Si enim Ternarius ille est, tres ipse unitates certò habebit: si autem non est Ternarius, sed alius numerus, quicumque ille sit, certum erit quòd pauciores vel plures unitates; & non præcisè tres habebit. Idem de Figurâ dicendum est. Repugnat enim, quæ tres Angulos probabiliter habeat: nam, si est Triangulus, tres Angulos ipse certò habebit: &, si alia Figura sit, certum erit, quòd pauciores, vel plures, & non præcisè tres habebit. Hac non obstante certitudine, esse poterit dubium aut probabilitas circa existentiam meæ actionis, Vtrùm videlicet dederim Carolo tres unitates (puta, tres nummos?) Et Vtrùm in tabulâ, aut pagina aliquem Triangulum descripserim? Sic similiter: agendo de actibus humanis dicendum est. Possum probabiliter dubitare, An talem actionem fecerim, aut non fecerim? sed ex suppositione, quòd fecerim, An peccaverim dubitare non possum. Nam, si erat certò interdicta, erat certò illicita & peccaminosa: &, si non erat certò interdicta, erat certò licita & honesta.

695 *Repugnat Numerus, qui tres unitates probabiliter habeat.*

Repugnat Figura, quæ tres Angulos probabiliter habeat.

Probabilitas potest cadere suprà existentiâ actûs, non autem supra peccaminositatem actûs.

696 *De peccatis dubiis, & probabilibus. An debeant illa confiteri?*

Et quia egimus de hoc argumento, inquiris, *An peccata dubiè aut probabiliter commissa, sint necessariò in Sacramentali Confessione aperienda?* Respondet Nostra Theologia Fundamentalis negativè: Ita etiam Fagundez *præcept. 2. lib. 3. cap. 4. n. 6.* & Verricellius *tract. 2. quæst. 28. num. 10. pag. 93. b.* & alij plures. Ratio est. Nam homo est in suæ innocentiæ possessione, & non debet se condemnare, nisi certitudo superveniat.

Quid, si peccati commissio certa sit, & confessio probabilis?

Et quid, si certum sit peccatum fuisse commissum, & Probabilitas confessionem concernat. Respondeo debito certo in Iustitiæ rigore non satisfieri per solutionem probabilem: adeoque peccatum certum non expiari per confessionem probabilem. Ita Vasquez *in 1. 2. disp. 66. cap. 4. num. 43.* Suarius *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 33. num. 7.* Salas *in 1. 2. quæst. 21. tract. 8 disput. unic. section. 23. numer. 231.* Ita etiam uterque Sanchez:

Sanchez: nempe, Ioannes *disp.*43. *num.*9. & Thomas *lib.* 1. *Summ. cap.*10. *num.*11. & alij. Interim adhuc in casu posse ex vi suæ probabilis opinionis eximi ab onere confitendi *loc. cit.* Vericellius asseruit.

De peccatis dubiis, aut probabilibus in articulo mortis.

697 Et tandem, si petas, *Quid homo facturus sit in articulo mortis?* respondebo, neminem posse ex hac vitâ cū peccato mortali probabili vel dubio discedere; committeret enim novum peccatum, se exponendo æternæ damnationis periculo. Ergo, si confiteretur alia peccata, faceret bonam confessionem: est enim bona confessio, in quâ pœnitens explicat omnia peccata, quæ debet. Per bonam illam confessionem consequeretur gratiam, & ab æternæ damnationis periculo liberaretur. Vnde in nostra Fund. Theol. cautè monui, aliud esse, *Qui in articulo mortis habet peccata dubiè aut probabiliter commissa, debet confiteri.* Et aliud omninò diversum, *Qui in articulo mortis habet peccata dubiè aut probabiliter commissa, debet illa eadem peccata confiteri.* Concedimus enim illud prius, hoc autem posterius negamus. Consono Verricellio *citato*, qui pro hac doctrinâ Henriquez *lib.* 2. *cap.*4. *num.*5. & Fagundez *praecept.* 2. *lib.* 3. *cap.*4. *n.*6, adducit.

Aliud est, Moribundus debet confiteri, & aliud, Moribundus debet talia peccata confiteri.

ASSERTVM IX.

In quo consistat ratio essentialis legis?

698 **R**Epugnat peccati Materialis conceptus. Et demonstratur. Nam lex formaliter, consistit in cognitione & dictamine: & tam formaliter, ut si reverà lata sit & ignoretur, non obligat: & si à nemine lata sit, & tamen à legitimo Superiore esse lata credatur, obligat. Et hinc patet, unde dictamen erroneum sortiatur obligandi virtutem. Princeps Wirchius, ut modestiam propagaret, & inutiles expensas vitaret, hanc legem tulit. *Nulli sericis vestibus utuntor*, quam iuvat bene considerare. Quando illam mente concepit Princeps, non erat lex: dictavit, scripsit, & tamen, nec erat lex quà dictata, aut scripta. Eam promulgavit, & promulgatam populus intellexit: & hoc ipso fuit lex. Ergo legis ratio in intellectu subditorum consistit. Et hinc patet, quæ fuerint *Plebiscita*, in quorum expositione variæ sunt scriptorum sententiæ. Hoc multi nomine voluerunt honorare Plebem legislatricem, & dixerunt ea, quæ plebs suffragio suo sine Patribus, Tribuno interrogante iusserat, *Plebiscita* vocari. Sed non assentior propter duo: cùm, quia leges à plebe latæ, *Plebiiussa*, & non *Plebiscita* nominari debuissent: tum, quia etiam leges, quæ Patrum authoritate ferebantur, à Livio & aliis Scriptoribus *Plebiscita* vocabantur. Vide Agellium *lib.* 10. *cap.*20. & *lib.* 15. *cap.*27. Ergo dicendum est à ratione constitutivâ *Plebiscita* vocari: quia etsi cætera ponantur, si à *Plebe sciri* desit, lex non datur. Vnde S. Bernardus Dei præcepta *Legiscita* vocavit [*libr. de præcept. & disp. cap.*3. *num.*6. sic inquit. *Vt, ex. gr.* Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies. *Et reliqua illius Tabulæ* Legiscita,

Cur conscientia erronea obliget?

An lex sit in Legislatoris intellectu, an vero in intellectu subditorum?

Quæ fuerint apud Romanos Plebiscita?

An ferrentur à plebe sine Patribus?

Cur sic vocata?

Quæ sint Legiscita?

&c.] nomine à ligando, & à sciendo deducto, ut bene penetremus præceptorum essentiam, ligant enim seu sunt leges, cùm scita; si autem nescita sint non possunt dici leges, nam non obligant. Ex quibus sic discurrere placet. [Quæ nescitur, non obligat. Quæ autem non obligat, non est lex, &, quæ non est lex, nec materialiter nec formaliter violari potest] Ergo, si Petrus existimat, dari præceptum amandi Deum diebus Dominicis, debet diebus Dominicis amare Deum; &, si non faciat, formaliter peccabit, non materialiter. Cæterum, si existimet, non dari tale præceptum, & die Dominicâ amoris actum non eliciat, nec peccabit formaliter, nec materialiter. Concedis eum non peccare formaliter: & illum ego non peccavisse materialiter, sic persuadeo. Quod præcipitur, alicui præcipitur: repugnat enim dari præceptum, quod nemini impositum sit. Præceptum, quod alicui imponitur, illi notificatur: lex enim, ut monet D. Thomas 1. 2. *quæst.*90. *art.*1. à ligando dicitur: quod tam certum & notum est, ut *in Metamorph.* Ovidius dixerit.

De Legis essentiâ est, quod sciatur.

Lex, quæ non est, violari nequit.

Non potest esse præceptum, nisi alicui imponatur.

An lex à ligando dicatur?

—*Nec verba minantia fixo ære ligabantur.*

Vnde lex, si non ligat, non existit: &, nisi cognoscatur non ligat; nam *legem nesciri, & legem non esse* idem est. Ita Sanchez *libr.* 1. *in Decal. cap.*10. *num.*32. Suarez *de Censur. disp.*40. *sect.*5. *num.*15. Henriquez *lib.*8. *de Euch. cap.*48. *num.*3. Baldellus *in Theol. Moral. lib.*4. *disp.*8 *num.*7. & 8. & *disp.*9. *num.* 1. Patritius Sporer *in Theol. Moral. Tyrocin. cas.*4. *num.*72. Ex Theologis Ioannes Oinotomus *lib.*4. *Instit. titul.*6. *ad* §. *Sed ista*, *pag.*374 & *ex leg. manifestissimi.* 22. §. *Sin autem nesciens & dubitans*, 2. *C. de furtis*, plerique omnes Iurisperiti consonant. Ergo præceptum, quod ignoratur à Petro, non est notificatum Petro. Ergo non est impositum Petro, à Petro igitur, nec formaliter, nec materialiter violari poterit. Et confirmatur. Idem est legem non cognosci ac non esse. Sed lex, quæ non est; nec formaliter, nec materialiter violari potest. Ergo lex, quæ non cognoscitur, nec formaliter, nec materialiter violari poterit.

An idem sit legē ignorari, ac non esse?

Sed, obiicis. Illa lex de amando Deum diebus Dominicis, si non iudicatur vera à Petro, vera iudicatur ab aliis: qui illam cognoscunt, & ut veram admittunt. Ergo violat materiam legis Petrus, quam alij esse veram fatentur. 699

An lex aliqua materialiter violari possit?

Sed contra. Nam confundis præsumptionem humanam, cum veritate Divinâ. Quando lex est debito modo promulgata, unusquisque præsumitur illam cognoscere; &, qui se illam nescire asserat, suam debebit in foro externo ignorantiam probare: cæterum in interno, coram Deo, cui corda hominum patent, excusat ignorantia, si invincibilis est. Audi Acacium *tom.* 2. *res.* 181. *n.* 2. *pag.* 386. *a.* dicentē. [*Aunque la ley humana esté sufficiente mente promulgada, el que la ignorare invinciblemēte, queda escusado de su transgressiō, quāto al fuero de la consciēcia:*

Legem debito modo promulgatam cognoscere unusquisque præsumitur.

Qui se illā nescivisse dixerit, suā debebit ignorantiam probare.

que quanto al fuero exterior , el que alegare ignorancia , estarà obligado a probarla. El modo como lo ha de probar, le trahe Navarro lib. 1.tit.de const.cons. 1..num.6.] Hanc ergo ob rem : DICO PRIMÒ. Legem illam, *de amando Deo diebus Dominicis* , non esse sufficiēter promulgatam, & generi humano notificatam ; nam lex, quam plerique fuisse latam negant , & pauci latam fuisse fatentur, sufficienter promulgata non est. Et talis est ista, de quá agimus; pauci enim eā admittunt, & plerique omnes negant. Non ergo obligat communitatem. Sed ponamus plerisque omnibus fuisse sufficienter notificatam , & solum Petrum & paucos cum ipso fuisse prætermissos. Si supponamus hoc. DICO SECVNDÒ. Index humanus poterit contra Petrum ex Præsumptione procedere : sed, quia, ubi cognoscitur Veritas, cessat Præsumptio, *leg. regula.9.§. Sed facti, in fin. ff. de Iuris & facti ignorantiâ.*] Iudex Divinus Veritate iudicabit. Ergo , sicut quando cessat finis adæquatus legis in aliquo particulari , cessat respectu illius particularis ipsa lex : & ita cessat; ut, qui eam non observet , illam , nec formaliter , nec materialiter violet; lex enim, quæ cessavit, quæ iam non est , nec formaliter nec materialiter violari poterit: sic similiter, quando lex non innotescit alicui particulari, respectu illius particularis non existit: &, si non existit, nec formaliter, nec materialiter violari poterit.

Quid requiratur, ut lex sufficienter promulgata censeatur?

Non habet locum Præsumptio, ubi cognoscitur Veritas.

Vide D. Frāciscū Verde in libr. contra Borgiam. quæst. 8. consid. 67. pag. 104. a.

An cessante fine legis, cesset lex?

ASSERTVM X.

700 HYpothetica peccata sunt à Theologis necessariò admittenda. Quid autem illa sunt ? Illa , quæ non fuerunt , sed fuissent: illa , quæ non sunt de facto , sed essent. Assertum hoc exemplo dilucido. Lex, quæ αὐτοχειρίαν (*sibi mortem consciscere*) interdicit, non fuit sufficienter intimata Lucretiæ ; & ideò eam Viri doctissimi à peccato excusant. Molina *de Iust. tom.4. tr. 3. disp. 9. num. 5.* Sic inquit. *Quando, quod de Iure est Naturali, occultam, subtilem, minimeque facilè perviam habet rationem, in id cadere potest ignorantia invincibilis ; quidquid alij in contrarium dicant : maximè, quando id æstimatoribus mundi Virtutis actus laude & honore dignus communiter reputatur : neque est improbabile ignorantiam excusasse à culpâ lethali actum, quo Lucretia se ipsam interfecit, similesque alios actus ab Ethnicis hominibus perpetratos.* Consonat Soto, Lessio, Becano, Maldero, Filliucio, &c. quos cito, & sequor *in Theologia Præterintentionali, prec. 5. disput. procem. quæst. 8. pag. 58. b.* Legem ergo Lucretia, nec formaliter , nec materialiter violavit : quoniam , ut paulò antè dicebamus , idem est legem ignorari , ac non esse ; &, quæ non est , nec formaliter, nec materialiter violari potest. At ipsa sibi inferendo mortem , commisit peccatum hypotheticum : nam se occidendo fecit actum , qui non fuit peccatum , sed fuisset peccatum , si lex illa , *Non te occides*, illo ævo , illis hominibus , qui unumquemque in se ipsum habere mortis & vitæ potestatem credebant , sufficienter fuisset notificata.

De hypotheticis peccatis Quid illa sint?

An Lucretiam excusaset ignorantia invincibilis?

An Legem nesciri , *&* non esse perinde *sit?*

701 *An in seipsos homines habeant mortis & vitæ potestatem?*

NEc hoc ὄνομα , *Hypotheticus* , singulare, & in hac solá materiá utile censeri debet : est enim mihi commune, & in multis controversiis receptum : proponam in specimen aliquas considerationes. Attende. Circulo delineato inscribo Triangulum. Et has figuras meditans, DICO (1) *centrum illarum est alicubi : nempe , in unico solo puncto :* DICO (2) *circumferentiæ sunt alicubi* DICO (3) *Circulus est capacior Triangulo.* DICO (4) *Triangulus habet tres angulos :* DICO (5) *hæ duæ figuræ non coincidunt.* Et plura possem dicere ; sed hæc sufficiant. Pergo ulteriùs. Iubeo , ut hæ duæ figuræ crescant in infinitum. Ecce ob mentis oculos habeo unum infinitum Circulum , & unum infinitum Triangulum. Ecce illos meditor, & DICO (1) *utriusque centrum ubique est :* DICO (2) *utriusque circumferentia est nullibi* [a] DICO (3) *infinitus Circulus non est capacior infinito Triangulo:* DICO (4) *nullum habet angulum infinitus Triangulus* [b] DICO (5) *hæ duæ Figuræ infinitè coincidunt.* Hæc dixerim, absolutè loquendo, nam loquendo hypotheticè , aliter definiam de singulis : & ideo DICAM (1) *harum Figurarum centrum est in aliquo puncto hypotheticè determinato :* hoc est , ubique esse intelligitur , quia hæ figuræ sunt infinitè magnæ ; sed si finitæ magnitudinis essent, haberent centrum in puncto aliquo determinato: DICAM (2) *harum Figurarum circumferentiæ hypotheticè sumptæ sunt alicubi:* hoc est : nusquam sunt Figurarum harum circumferentiæ, quia sunt infinitæ : sed, si finitæ essent, alicubi describerētur. DICAM (3) *hic Circulus hypotheticè capacior est isto Triangulo :* hoc est: revera non est capacior, quoniam uterque est infinitus ; at , si non essent infiniti , Triangulo inscripto esset capacior Circulus. DICAM (4) *hic infinitus Triangulus , tres angulos habet hypotheticè:* hoc est: nunc, quia infinitus est, nullum angulum habet: haberet autem tres, si esset finitus: & tandem DICAM (5) *hæ duæ figuræ distinguuntur hypotheticè:* hoc est; nunc, quia sunt infinitæ, coïncidunt, sed si essent finitæ, non coïnciderent, sed distinguerentur.

NOTA I. De Distinctionibus. *An hæc doctrina de peccato hypothetico possit etiam mutata materiâ in aliis controversiis servire?*

a] Definiis Mercurius Trismegistus Deū esse *Sphæram intelligibilem, cuius centrum ubique est & nullibi circumferentia.*

Circulus, Triangulusque infinitæ molis considerantur.

b] Si dicas repugnare Triangulū, qui angulū nullum habeat, respondebo, etiam repugnare corpus infinitū, & uno repugnante admisso, admitti debere repugnātia, quæ illi fuerint connexa

De infiniti Circuli centro.

Ubinam sit? De eiusdem Circuli circumferentiâ ubinam esse intelligatur?

An Circulus sit capacior Triangulo?

An Figura infinita angulos habere possit?

Vltimæ lineæ me instruunt , ut sciam: quo possim, debeamve modo in Divinis de Distinctionibus & Prioritatibus philosophari. Porrò omnia , quæ de Virtuali Distinctione dicuntur , multis laborant morbis, nec admitti debent, ab his, qui sanâ Logicâ delectantur. *Primò* enim in illâ Circulum manifestum reperio, interrogāti enim, Cur inter Intellectum & Voluntatem Virtualis distinctio in Divinis ponatur ? respondent , Ideò hanc distinctionem ibi poni , quia duo prædicata contradictoria de eâdem realitate verificantur : & interroganti cur duo contradictoria prædicata de eâdem realitate verificentur ? dicunt , Id ideò accidere, quia in illâ realitate est Virtualis distinctio , quæ multiplicet formalitates. *Secundò*, cùm nemo explicet, quæ sint prædicata huius distinctionis intrinseca, videtur

702 *De ratiocinata distinctione. Quid ipsa sit? De distinctione Virtuali. An Circulo vitioso laboret? An quid sit, exponatur ab aliquo?*

videtur enim Medicorum occultis qualitatibus componi posse, & debere veriùs *Occulta distinctio* vocari: est enim tam occulta, ut suorum Authorum intellectum præter volet. *Tertiò*, quia, cùm Virtualitates ad Moralē Philosophiam pertineāt, nō est, cur ipsæ in Reali Theologiâ admittantur.

De occultatis qualitatibus.

SED NEQVE utilior est rationis ratiocinatæ distinctio; ipsa enim, ut nomen ipsum præ se fert, nihil est aliud, quàm distinctio realis concepta; ideò enim ratiocinata dicitur, quia se tenet ex parte obiecti: & licet sine inconvenienti inter animal & rationale possit concipi in homine, non potest concipi in Deo sine absurdo. Et ut hoc ostendam, sic inquam. *Si hic lapis haberet albedinem, esset albus. At concipio illum habere albedinem. Ergo concipio illum esse album.* Et subiungam. *Si in Deo intellectus & voluntas reverà distinguerentur, Deus esset imperfectus. At ego intellectum & voluntatem distingui in Deo concipio. Ergo concipio Deum esse imperfectum.* Et ut vim huius argumenti fugiant aliqui, se dicunt in Deo, non realem, sed rationis distinctionem concipere. Sunt verba. Et quia rationis distinctio, ficta est, volo ab illis doceri, quid fingant? hoc est, an aliquam distinctionem fingant distinctam à reali? an verò concipiant realem, & illam fingant esse in Deo. Si hoc secundum dixerint, ut nos etiam ipsi rationis ratiocinatæ distinctionem intelligunt: si illud prius velint dicere, debebunt nobis ostendere in intellectu humano vires esse, ut fingat simplices entitates: etsi enim verarum entitatum fictas possit concipere combinationes & compositiones, non autem potest simplicem aliquam entitatem impossibilem fingere. Secundum modum dicendi elegit Vasquez de quo Arriaga *tom. 1. tract. de SS. Trinit. mysterio. disp. 51. sect. 3. subsect. 1. num. 16. pag. 572. b.* sic inquit. [Pater Vasquez solùm constitutionem rationis censet dari in Divinis; at, si hoc ita esset (ut observat Suarez) non tantum laborassent Patres in explicandâ hac constitutione: quia solùm, quasi ficta & chimerica esset ea constitutio, & quæ à parte rei nullo modo reperitur, sed esset inventa ab intellectu.] Ego autem *distinctionis* nomine realem intelligo: & existimo, illos, qui aliter loquuntur, quàm nos, etiam intelligere realem. Alij autem ut mei argumenti vires fugiant, obludunt vocibus, & *distinctionem rationis ratiocinatæ* eam vocant, quam *distinctionem rationis ratiocinantis* nominare deberent. Est autem distinctio rationis ratiocinantis, vera & realis distinctio, quæ se tenet ex parte intellectionum seu conceptuum. Hæc nullam in Deo ponit imperfectionem, sed non satis explicat differentiam intrinsecam formalitatum, quam tamen exactè & sine imperfectionis periculo distinctio hypothetica exponit. Attende.

An admittatur in humanis?

An possit in Divinis admitti?

An distinctio rationis ficta sit? Quid in illâ fingatur?

An intellectus aliquā simplicem entitatem, quæ sit impossibilis, possit concipere?

Vasquezij opinio.

Quid distinctio rationis ratiocinantis sit?

An poni possit in Divinis?

703 Quantitas & Vbi, sunt duo notissima Prædicamenta. Distinguuntur realiter in quocumque finito corpore, ut per se patet. Sed quid, si corpus infinitum Deus produceret? Eius Quantitas esset Immensitas, & ubi Vbiquitas: & realiter non distinguerentur: at distinguerentur hypotheticè: puta ex hypothesi quod corpus illud esset finitum. Porrò, in S.Thomæ scholâ potentiæ distinguuntur ab Animâ: & Virtutum habitus à potentiis. Pone animam, quæ haberet infinitam perfectionem: coïncciderent, & realiter non distinguerentur; & tamen distinguerentur hypotheticè; videlicet, si essent finitæ.

De Quantitate & Vbi, si sint entitates finitæ realiter distinguuntur, si infinitæ, coincidunt.

Et hac doctrinâ manuductus cum Doctore Angelico, & cæteris Theologis suppono, ea quæ in nobis distinguuntur, in Deo realiter identificari: ipse enim 1. *par. quæst. 14. art. 11. in corp.* sic ait *Omnes perfectiones in creaturis inventa, in Deo praexistunt secundum altiorem modum*, &c. *Perfectiones, quæ in inferioribus dividuntur, in Deo simpliciter unita existunt* [a] *unde licèt nos per aliam potentiam cognoscamus universalia & immaterialia, & per aliam singularia & immaterialia, & per aliam singularia & materialia, Deus tamen per suum simplicem intellectum utraque cognoscit.* Et, unde hæ differentiæ proveniat expositurus, pergit dicens. *Qualiter hoc esse possit, quidam manifestare volentes dixerunt*, &c. *Alij verò dixerunt*, &c. *Et ideò aliter dicendum est*, &c. Ego autem rationem unde illa differentia provenit dilucidaturus, sic inquam. Inter Intellectum Divinum & Voluntatem Divinam, non admitto distinctionem rationis ratiocinatæ, quia affingit imperfectionem Deo; non rationis ratiocinantis, quia hoc non sufficit, ut *generat*, & *non generat*, verificentur: non virtualem; quia, aut male exponitur, aut ad Moralitates reducitur: sed admitto formalem, quam nomino *hypotheticam*: quæ realiter non inest rei infinitæ, realiter tamen inesset, si res esset finita: Hæc profectò distinctio, non est ficta, sed vera: nempe Realis, qualis inter Petrum & Paulum invenitur. Et hæc in Deo nullam ponit imperfectionem; non enim existit in Deo; sed existeret, si Deus non esset infinitus: hoc est, si Deus non esset Deus. Dicitur *Formalis*, quia est formalitatum; nam Infinitas non destruit rerum essentias; non enim Albedo per infinitam intensionem transibit in Nigredinem; sicut nec Linea Recta per infinitam protensionem in Circularem converteretur. Præstat autem Infinitas, ut superveniat identificatio, & Realitates diversæ in Formalitates convertantur. Quamobrem hodie in homine, Anima, Intellectus, Voluntas, sunt tres realitates diversæ (loquor cum D.Thomâ) si autem per impossibile fieret homo infinitè perfectus, non destruerentur Anima, Intellectus, & Voluntas, sed identificarentur; ut, quæ erant realitates (hoc est, realiter distinctæ) converterentur in formalitates (hoc est, non iam realiter, sed formaliter, seu hypotheticè distinguerentur.) Ad Deum his præmissis revertor: & sic discurro. Inter Intellectum Divinum & Voluntatem, sunt enim duæ infinitæ formalitates, nulla est absoluta distinctio, est autem

Perfectiones quæ in creaturis distinguuntur, in Deo realiter identificantur.

a] Doctrina hæc Angelici Doctoris est vera: tametsi exēplū ex Aristotele desumptū non ab omnibus admittatur.

Distinctio Hypothetica est realis.

Cur non ponat imperfectionem in Deo?

Infinitas non destruit rerum perfectiones, sed identificat.

Realitates convertit in formalitates.

Qualis esset anima infinitè perfecta, si daretur.

De intellectu & Voluntate Divinâ. Quomodo distinguantur?

autem diſtinctio realis hypothetica; quæ non eſt, ſed eſſet, ſi per impoſſibile ille Intellectus, & illa Voluntas, perfectionis infinitæ non eſſent: nam, ut cum Thomiſtis ſupponebamus, Intellectus finitus & voluntas finita realiter diſtinguuntur.

De Natura & Perſonalitatis Divina diſtinctione.

Hinc patet hanc unicam ſupereſſe viam, ut quæ in Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio Fide Divinâ credimus, ratione naturali exponamus. Inter Eſſentiam & Perſonalitates diſtinctio aliqua ponenda eſt, alias duæ darentur contradictoriæ ſimul veræ. Hæc autem diſtinctio talis eſſe debet, ut Deo (enti ſummè perfecto) nullam imperfectionem adfingat. Hanc ob rem ab Eccleſiâ & à Philoſophiâ damnatur Gilberti Porretani Opinatio; qui, ut communiter Scholaſtici aſſerunt, Eſſentiam à Perſonalitate in Divinis reali diſtinctione ſecrevit. Demonſtrativæ ſunt impugnationes, quæ contra hunc errorem à S. Bernardo fulminantur: & ideò ad alias diſtinctiones tranſibo. Virtualem, Formalemque PP. Ieſuitæ Lovanienſes reiiciunt: Hypotheticam, ut putamus admittunt: inquiunt enim. *Tam Virtualis diſtinctio, quæ contradictoria ante mentis operationem ſalvet, quam formalis Deo repugnat. Salvantur igitur contradictoria, quæ de Deo prædicantur, aut Diſtinctione Rationis, aut Reali, aut eorum quibus æquivalet, aut quæ connotat* Ita n. 3. in Sacrarum Poſitionum Centuriâ, quas Lovanij in Collegio Societatis die 10. & 11. Iulij Præſide R.P. Ignatio Derkennis P. Franciſcus Xaverius Perez, & P. Melchior Hulſhout propugnarunt.

De errore Gilberti Porretani, à D. Bernardo impugnato.

Theſes Lovanienſes, à Patribus Societatis defenſa.

De diſtinctione Rationis.

Sanè de Rationis diſtinctione iam dixi. Si ratiocinatæ rationis ſit, adfingit imperfectionem Deo; ſi ratiocinantis, ſi ſola ſit, inſufficiens videtur.

De Reali.

Eſt inter Perſonas Divinas neceſſario admittenda.

Realis inter ſolas Perſonas invenitur: *omnia enim in Divinis ſunt idem, ubi non obviat Relationis oppoſitio.* Interim, *niſi à Filio Spiritusſanctus procederet, ab eo realiter diſtingui haud poſſe* num. 11. aſſeverant. Dixérant num. 8. *Modus libertatis* (Divinæ) *latens arcanum: præ cæteris minùs diſplicet volitionem cum eſſentia, eamdem nolitioni oppoſita non idemtificari.* Vnde, ſi per impoſſibile Deus ſimul vellet & nollet eamdem rem, duos voluntat.: actus inter ſe realiter diſtinctos eliceret. Hanc ego impugnabam ſententiam; quia (1) in Deo (immò in Angelis & Hominibus) nullæ ſunt nolitiónes, ut in Hercule Logico evidenter perſuaſi: ubi enim Grammaticus dicit, *Nolo rem iſtam facere*; debet Philoſophus & Theologus dicere, *Volo rem iſtam non facere.* Impugnabam (2) quia ſi *nolle creare mundum* eſt aliquid realiter diſtinctum à *velle creare mundum*, aliquid eſſet Deus quod nunc non eſt Deus. Vnde centena deducerentur abſurda, &c.

Quid, ſi à Verbo non procederet Spiritusſanctus?

Quid, ſi eãdem rem ſimul vellet, & nollet Deus?

An nolitiones dentur?

De Connotativa diſtinctione.

Diſtinctio connotativa eſt Realis extrinſeca, & in Deo admittenda: nam eadem Divina Voluntas prout Mundum creat, conſervatque, dicitur *Omnipotentia*; prout eumdem gubernat, *Providentia*: prout tales & tales intellectuales creaturas (Angelos, Homines) elegit ad gloriam, *Prædeſtinatio*: prout peccatores punit, *Iuſtitia*: prout adiuvat pauperes *Miſericordia*, &c. Et tamen hæ denominationes non important diſtinctionem intrinſecam, ſed eamdem formaliter indiviſibilem Voluntatem afficiunt.

Quomodo attributa ab eſſentia, & virtutes à voluntate diſtinguantur?

De diſtinctione æquivalentia.

Tandem *Diſtinctio eorum, quibus æquivalet*, illa eſt quam nos vocamus *Hypotheticam*. Et hîc *æquivalentia* nomine intelligimus ſimilitudinem & analogiam. Nam Perſona Divina, æquivalet (eſt ſimilis, & analoga) Perſonæ Humanæ: &, quia in hac Natura & Perſonalitas realiter diſtinguuntur, dicentur in illâ diſtingui hypotheticè: ſunt enim infinitæ & ideò inter ſe non diſtinguuntur realiter; ſed tamen, ſi eſſent finitæ, realiter diſtinguerentur. Ergo in Divinis inter Naturam & Perſonalitatem ponimus diſtinctionem; non quæ ſit, nulla enim eſt actu; ſed, quæ eſſet, ſi illæ non eſſent infinitæ.

An eadem ſit ac Hypothetica: nimirum, quæ non eſt, ſed eſſet.

704

NOTA II De Prioritatibus.

Quid ſit Prioritas rationis ratiocinatæ?

DE Prioritate eodem modo philoſophandum eſt. Prioritas rationis ratiocinatæ ſe tenet, ex parte obiecti, & Prioritas rationis ratiocinantis ſe tenet ex parte intellectûs: aliud eſt enim intelligere unam rem eſſe priorem aliâ: & aliud priùs intelligere unam rem, & poſteà aliam. Prioritas rationis ratiocinatæ ponit imperfectionem in Deo. Nam, ſi de facto Pater eſſet prior Filio, eſſet imperfectio in filio: ergo, qui Patrem concipit priorem Filio, concipit imperfectionem in Filio. Prioritas rationis ratiocinantis eſt in meo intellectu & non ſufficit, ut potiùs Pater prior Filio ſit, quàm Filius Patre: nec ſufficit, ut potiùs Spiritusſanctus procedat à Verbo, quàm Verbum à Spiritusſancto. Prioritas Virtualis, nunquam bene exponitur: ergo ad Hypotheticam tandem veniamus. Prioritas Hypothetica, dicitur; quæ non datur de facto, ſed daretur: eſt videlicet, quæ non eſt, ſed eſſet; nimirum ex hypotheſi, quod extrema, inter quæ verſatur, non eſſent infinitè perfecta. Et ideò hanc propoſitionem, *Pater Divinus eſt hypotheticè prior Verbo æterno*, ſic intelligo, ſic expono. Pater & Verbum, quia infinitè perfecti ſunt, coæterni & coæquales eſſe debent. Interim Patri hypotheticam Prioritatem adtribuo; Prioritatem videlicet realem, quæ non eſt nunc de facto, eſſet tamen, ſi per impoſſibile Pater & Filius eſſent perſonæ finitæ.

Quid Prioritas rationis ratiocinantis?

Cur non admittatur Virtualis?

Quid Prioritas hypothetica ſit?

An in Divinis poni poſſit?

REVEREN



Hærebã sub initium dubius, an deberem, aut possem has Notas in marginibus addere. At quia hæ ipsæ Epistolæ meam dialexim honorant, & ut Lectoribus prosint edũtur; conveniẽs fuit, ut sicut in Dialexi harum Epistolarum locos cito, sic etiam hic exponerem, qui Dialexeos Paragraphi specialiter firmantur & dilucidãtur. Tametsi termini, qui leguntur in libris, & hodie in Vniversitatibus Europæ obtinent, boni sint & sufficientes, ut omnia securè exponantur; hoc non tollit posse reperiri clariores, quib. eædem ipsæ res dilucidentur, & exprimantur oculatius. Hanc ob rẽ meâ uti libuit dialecto in marginibus; quæ si non sit melior, erit alia, & Dialexi respondens: sæpe enim minus bona delectant, quia sunt alia.

REVERENDISSIMI D.

D. MICHAELIS DE FVENTES,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS, & in Salmanticensi Vniversitate Vespertinæ Cathedræ Theologiæ perpetui Antecessoris, necnon Cistertiensis Ordinis Generalis, &c.

Ad Illustrissimum, & Reverendissimum D. D. IOANNEM CARAMVEL, Campaniensem Episcopum, & Hydruntinum Archiepiscopum denominatum, ex eodem Ordine assumptum, &c.

EPISTOLA I.

Illustrissime & Reverendissime Domine.

704 *Cur nõ statim Authori potuerit respondere?*



ACCEPI literas vestras Illustrissime & Reverendissime Domine, in transitu, & in viâ, dum fungebar officio, & munere Visitationis nobis commissæ, licet indignis, nostræ Religionis; quare neque potui, neque debui statim vobis respondere, ne persunctoriè tantùm videremur quæstionem gravem & difficilẽ (quam pro vestrâ in nos benignitate, & dignatione remisistis, videndam, & probandam) petractasse, aut legisse solùm, & non pro dignitate perpendisse. Nunc iam Salmantica nos tenet, & velut in nativo, & proprio domicilio disputationum, & cogitationum Scholasticarum, & Moralium; ubi etiam plures suppetunt Authores, quos consuluisse, valde necessarium; imò & gravissimos atque doctissimos Professores utriusque Iuris, & Theologiæ, quibus communicasse aliqua, utilissimum; & fortè etiam placebit, quod nobis iam arrisit. Quid autem sentiam breviter exponam, Ingenuitate, & veritate, quas requiris, & debeo; sine respectu, aut assentatione Dominationis vestræ, nobis licet charissimæ, & summæ venerandæ.

Prudens semper laudatur mora, quoniam ὁ σπεύδων πάγχυ τοι τῶ διελθεῖν, μᾶλλον σφαλεῖ. qui nimiũ properat, seriùs absoluit.

Meritò Iuris utriusque DD. impræsentiarùm consuluntur, nam Iurisprudẽtia & Theologia se mutuo concursu succollant.

705 *Proponitur Caramuelis sententia.*

Quæris ergo, an securus in conscientiâ sit, qui pro se, aut suâ libertate à prohibitione, aut obligatione alicuius actionis, nullam rationem *specialem* habet, quæ probabilis sit, sufficiénsque ad formandum iudicium prudens, & determinatum de illius honestate; dum tamen pro contrariâ parte de illius dissonantiâ, aut prohibitione, sive obligatione non sit etiam convincens ratio, seu demonstrativa, aut physicè, aut moraliter, sed dumtaxat probabilis; licet valde probabilis, & sufficiens omninò ad determinandum Intellectum, prudentissimè quidem, pro eius prohibitione, vel obligatione?

706 *Non negat Caramuel ad conscientia securitatem rationẽ positivã requiri; sed negat specialem requiri.*

Advertisque, cõsultò me inseruisse nomẽ illud *specialem*; qua aliquam rationem, sive iudicium prudens, & determinatum, de honestate actionis, aut eius non prohibitione, minime negas necessarium, ut licitè eliciatur; cæterum non requiris desumptum, & fundatum in ratione aliqua speciali de tali obiecto, sive actione; sed sufficere omninò rationem illam generalem desumptam, & fundatam in possessione nostræ libertatis, quæ dum non certò, & evidenter convincitur ligata lege, vel præcepto, libera debet iudicari ad quamlibet actionem liciti, honestique, eliciendam, aut omittendam. Vnde Concludis radicem honestatis non esse aliquod iudicium prudens, aut probabile, seu probabilitatem; (intelligendum est, *specialem*, ut vidimus) sed sufficere solùm non constare evidenter actionem interdictam, aut illicitam esse: quod dicis continere, & exprimere satis rationem formalissimam honestatis moralis. Quod ita etiam intelligo, quatenus fundat, aut fundare potest alterum iudicium ex ratione communi, & generali, desumpta à possessione nostræ libertatis: non verò quia omninò nullum debeat præcedere iudicium hic & nunc practicè dictans licitè, & honestè operari, aut omittere hanc operationem. [*a*]

a] Iudicia, quæ doctissimè & solidissimè à Reverendiss. D. petuntur, in hoc Practico syllogismo reperies. *Certum est licitè posse fieri, quidquid nõ est certò interdictũ. Sed non est certum esse interdictũ; ut octo unciæ v.gr. in collatione, die ieiunij, sumantur. Ergo in collatione, die ieiunij, octo uncias posse licitè sumi, certum est.*

Hoc namque foret contra certam, communémque doctrinam de conscientia du- 707

Dubium speculatiuū concernit veritatem actûs, Practicum concernit Honestatem. Potest esse quis dubius de Veritate sui actûs & tamen esse certus de honestate sui actûs.

bia merè suspensiva practicè etiam, quæ insufficiens est in Omninm Opinione, ad licitè operandum iuxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum* (sive qui se illi exponit temere, & sine ratione aliqua prudenti, & determinata *peribit in illo.* At illud Pauli ad Romanos 14. *Omne quod non est ex fide* (id est conscientia, & iudicio prudenti) *peccatum est.* De quo apud D.Thom. 1.2. quæst.19. art.3. & Authores communiter.

708 *Rationes, quæ hic ingeniosè perstringuntur à num 308. ad 356. deductas ad longum reperies.*

Probas, & explicas pro tuo more, & genio, ingenioque, satis nervosè, satisque eleganter, tum ratione à priori ex possessione, ut dixi, nostræ libertatis, atque ex defectu probationis sufficientis præcepti, aut prohibitionis, sine qua licitum est quodlibet, atque libertas conservari debet in suâ quasi possessione: tum etiam paritate desumptâ ab aliis possessionibus, bonorum, famæ, & vitæ corporalis, quæ minus æstimantur, quam vita animæ spiritualis, sive libertas à peccato: & tamen nullus illis possessionibus privatur, sola aliqua ratione incontrarium probabili, dum evidenter non convincat, & concludat intentum. Ergo nec nos tenemur spoliari libertate, aut licentia alicuius operationis, sine evidenti probatione, aut iudicio certo de eius prohibitione. Tum deniquè ex principio, aut regula recepta, *In dubio facti aut iuris, beatus qui possidet:* sive aliis verbis, *Melior est conditio possidentis.* Cuius ratio à priori, quia prævalere debet certa possessio dubiæ tantum cuilibet rationi. Cum ergo, etiamsi detur probabilis opinio; aut iudicium de lege, seu prohibitione actionis, dubia semper maneat talis prohibitio, neutiquam spoliari debet libertas certâ suâ possessione. Hæc in Summa, quæ doces, & quibus probas tuam Conclusionem.

Si autē nomen *possessio* sumatur abstractum, prout à reali & morali præciditur, tunc iura & quæcumque res incorporeæ verè, & propriè possideri dicentur.

Totius Dialexeos fundamentum est, Protheorema illud, In omni dubio melior est conditio possidentis.

N. B. Si *possessionis* nomine realem intelligamus, res incorporeæ non possidentur, sed quasi possidentur: & hoc modo loquuntur passim Iurisperiti.

709 *Obiicient nonnulli esse hanc doctrinam nouam, & debere ideò reiici. Non omnia noua esse falsa ostendo n.119. & 128. & persuadeo ibid hanc doctrinam antiquissimam esse. Et impræsentiarū à multis doctis propugnari Reuerendissimus DD. Fuentes eruditè demonstrat.*

Quam licet non expressè, & in terminis videam ab aliquo doceri; reverà tamen plures illi favent, ut ex eis quæ docent colligitur omninò. In primis P. Salas 1.2. *quæst.*21. *tract.*8. *disput.unica sect.*23. *num.*231. defendit, quod in dubio supervenienti, an res, quam bonâ fide possidebamus, sit aliena, vel non, quamvis post adhibitam diligentiam, maior sit probabilitas, & quæ in meo etiam intellectu, generet assensum determinatum pro parte non possidentis; dummodo *non sit certus physicè, aut moraliter* talis assensus, sed merè opinatiuus, adhuc possessio certa præponderat, & prævalet, nec me debeo spoliare possessione iam habitâ. Idem docet Trullench. *in Decalogum. lib.*7.*cap.*11. *num.*2. & Diana 4. *part. tract.*3. *resol.* 16. *in fine*, quatenus dicunt absolutè, *possessionem præponderare omnibus rationibus non convenientibus.* Atque idem etiam sentire videtur Pater Layman *lib.*1. *tract.*1. *cap.*9. *num.*29. dum ait, *non posse cogi possessorem ad rem restituendam, priusquam manifestum*

Quàm sit efficax argumentum, quòd à Possessione desumitur?

710

fiat, alienam esse; & num.21. dixerat *etiam non teneri restituere, dum moralem certitudinem non habet, aut nisi constet rem esse alienam* iuxta illud Sancti Augustini *in lib. de fide & operibus cap.*7. (& refertur *cap.Si Virgo,* 34. *quæst.*1.) *Bona fidei possessor dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum; cum vero sciverit, nec ab alienâ possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur.* Preme Illa verba, *cum verò sciverit*; quasi Opinio dumtaxat, non sufficiat, & requiratur Certitudo. Similiter loquuntur plures alij Doctores, quorum verba transcribit, & sequitur Pater Matthæus de Moya *in selectis quæstionibus* nuper in lucem editis, *tract.*1. *de Opinione probabili quæst.*9. *à num.*17. nam sæpius repetunt; *nisi certa sit obligatio, dum id certò non constat, dum certò moraliter non constat, donec constet de præcepto; dum id certò non constat*, & huiusmodi multa.

Quando quis teneatur, & non teneatur restituere? Quis sit possessor bonæ fidei?

Nota & perpende illa verba, Non sit Certus; Non cōvincentibus: nisi constet: quamdiu ignorat, cum verò sciverit, *&c. illis enim & similibus reponitur nostra sententia.*

Verum est, eos fere omnes addere, vel supponere, quod detur etiam pro parte ipsius possidentis Opinio, seu Iudicium aliquod probabile, dictans rem esse suam, & bona fide eam possidere. Cæterum ratio adducta, In qua fundantur, id non requirit, nam eodem modo probat, quamvis nullum Iudicium probabile daretur (scilicet speciale) pro parte possidentis; nituntur enim omnes isti Authores in solâ possessione quæ est certa, & prævalet cuicumque alteri rationi, non Convenienti, quamvis probabiliori, & quæ intellectum moveat ad assensum determinatum pro contrariâ parte. Ergo sufficiet tantùm Iudicium illud generale in ipsa possessione fundatum, ad hoc ut homo non teneatur præcepto, aut lege incerta, & dubia, etsi probabili: Unde explicandi sunt atque ita intelligendi Authores omnes, qui requirunt Iudicium aliquod probabile pro parte possidentis.

711 *Ex parte possidentis iudicium de honestate sui actûs, non iam probabile, sed certum requirit Caramuel. Et illud cōponi potest cum nō Certitudine de Veritate.* Vide n.357. in Resp. ad Obiect. 1.

712 *Sotus, ut rem esse licitam probet argumentum à sola possessione desumit.*

N. B. Qui docent, sufficere iudicium probabile de bonitate actûs, aut in infinitum abeunt, aut certum omnino requirunt: nam ab illis interrogo, *An certum sit, eum, qui illud probabile iudicium habet, tutâ conscientiâ operari: vel non?* Si affirment, infero. *Ergo, qui sic operatur, habet iudicium certum.* Si negent, antequam securitatem inveniant, ibunt in infinitum.

Et Sotus clariùs loqueretur, si Dubium speculatiuum & dubium practicum, dubium de Actus Bonitate & Honestate nominarit.

Quod ex Alag. Soto *in* 4. *dist.*27. *quæst.* 1. *artic.*3. §. *Imo verò*, manifestè colligitur; nam, cùm sibi obiecisset; facere contra dubium coniugem v.g. quæ contra opinionem probabilem, aut dubietatem non depositam, de validitate sui matrimonij operaretur debitum petendo: Respondet debitum esse duplex, scilicet speculatiuum, & practicum: & quidem agere contra dubium speculatiuum non est peccatum, sed agere contra practicum. Dubitat autem illa Coniux (inquit Sotus) speculativè, sed non inde sequitur, quod dubitet, reddendum esse debitum, aut petendum quod est dubium practicum; imò (nota verba sequentia) *per possessionem fit certa; quod utrumque potest.* Ergo possessio sola sufficit ad practicum Iudicium probabile, Imò &

Quid faciendum sit coniux, quæ de sui matrimonij valore probabilitatem habet?

In omni dubio pro possessione est iudicandum.

& certum, requisitum ad Operis moralem honestatem, nec aliud speciale requiritur ad illam.

713 Sed clarius, & expressius omnibus P. Bossius 1. *variar. part.* 1. *de conscientia, tit.* 1. §. 30. *num.* 966. Vbi etsi ipse non sequatur istam Opinionem, sed requirat iudicium aliquod probabile speciale pro parte possidentis; nihilominùs ait: *Ad tuendam tamen oppositam sententiam Sala, & aliorum: dici probabiliter potest, possessorem bonæ fidei post ortum dubium, licèt probabilius putet rem ad alterum pertinere per assensum opinativum, sine iudicio speculativo probabili, quod sit sua, posse tamen (adverte) formare iudicium practicum, quod illi licitum sit, rem illam retinere donec certò moraliter constet esse alienam; ratione possessionis suæ certæ: tum quia fortè ipse decipitur in illo assensu, & rationes, quibus ad sic assentiendum movetur, à parte rei non sint sufficientes ad talem assensum, & potiùs contrarium sit verum.* vbi notandum est prædicta istam opinionem tuam tribuere Salæ, & aliis relatis supra à nobis: neque oppositam, quam ipse Bossius defendit cum Sanchez aliisque indicat certam, sed probabiliorem, imò expressè probabilem appellat tuam, & quod probabiliter respondetur iuxta illam modo iam dicto.

Possessor bonæ fidei licitè potest rē possessam retinere, donec certò sciat alienā esse.

N. B. *Cur Bossius patitur ut suam relinquamus sententiam, & licitè adhæreamus oppositæ? Quia sua non est certa: & hoc sufficit.*

Nota illa verba donec certò moraliter constet, &c.

Dialexeos doctrinam adtribuit Bossius Salæ, & cū Sanch. putat esse probabilem.

714 Ergò & iustè nos etiam vt talem eam iudicare debemus, atque ita iudicamus; Imò stando rationi probabiliorem, sicut plures communiter putant probabiliorem simillimam, quæ docet licitum esse Opinionem minus tutam minúsque probabilem eligere in praxi, relicta tutiori, & probabiliori; neque solum in materia Iustitiæ, vt aliqui limitant, sed in aliis quibúsque cuiuscumque Virtutis: neque etiam solum in foro externo, aut iudiciali, sed interno conscientiæ, vt refert P. Moya, *vbi suprà, num.* 17. & 18. pluribus citatis. Etenim vt dicebam fundamentum præcipuum, ratione possessionis nostræ libertatis, in quo nituntur etiam, aut illis nihil favet, aut probat, quod intendimus. Ergo si sufficit ad eam opinionem probabliorem iudicandam, similiter & nostram.

Eamdem doctrinam R. DD. Fuentes cēs. t pro probabiliorem.

Ratio à possessione desumpta, non solùm in Iustitia, sed etiā in aliarum Virtutū materia locum habet. Vide, quæ diximus in tract. prœmiali, n. 1.

715 Quod autem nostram æquè probet videtur mihi evidentissimum: nam si possessio nostræ libertatis, quia certa, & nobis favens, prævalet omni alij iudicio certo, etsi probabili pro contraria parte, atque exinde colligitur, posse eligi opinionem minus probabilem, & minus tutam relictâ aliâ tutiori & probabiliori. Ergo non bene ulteriùs præter prædictam possessionem aut iudicium commune, quod ex illa desumitur, requiritur iudicium aliud speciale de honestate actionis. Probo consequentiam, nam hoc iudicium speciale non reddit vim prædictæ possessioni, ut prævaleat contrario iudicio alij tutiori, & probabiliori, cum hoc iudicium speciale sit probabile tantùm, & minùs quàm contrarium ut supponimus; possessio verò ideò prævaleat, quia certa, & alterum iudicium pro contraria parte, solum est probabile. Ergo possessio sola sine hoc iudicio, sufficiens ad prævalendum Opinioni contrariæ; aut non sufficiet, quamvis detur speciale hoc iudicium.

Non requiritur aliqua specialis ratio, sed sufficit generalis ex sola possessione desumpta.

N. B. Omnes Philosophi, quibus parcus Naturæ Genius placet, adhærent Aristotelis sententias præcipuas, non aliquâ ratione speciali, sed generali persuadere conantur; adsumunt enim *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate.* Vide in Syndromo epist. 17. à num. 555. & eos imitari poterit moralis Theologiæ Professor, & dicere, *Non sunt multiplicanda præcepta sine necessitate:* & addere, *Probabilis ratio non necessitat. ergo, &c.*

716 Confirmatur, quia ideò sufficit possessio ad eligendam minus tutam, minúsque probabilem relictâ aliâ tutiori & probabiliori, quia etsi tunc remaneat dubium speculative de honestate actionis, imò & magis propendens in contrariam partem contra possessionem; prævalet tamen certitudo istius, & practicè formari potest iudicium aliud de honestate actionis, deponens illud dubium speculativum, quod immediatè non est regula honestatis actionis, sed illud aliud practicum, quod hîc & nunc formamus, ut ex Soto iam vidimus, & sentiunt omnes communissimè. At iudicium speciale, quod aliqui requirunt pro parte possidentis, est tantum speculativum, quod non deponit dubium, neque prævalet alteri probabiliori in contrariam partem, atque adeò neque in illo fundari potest alterum iudicium practicum hic, & nunc deponens dubium speculativum; Ergo sola possessio sine tali iudicio speciali est sufficiens ad iudicium practicum, seu ad licitè operandum, non obstante illo dubio speculativo, ex opinione pro contraria parte.

Est verissima hæc doctrina R. D. qui utitur dialecto cōmuni: at ego meâ dialecto utens dicerem. Quia etsi tunc remanet dubium de veritate actûs (an videlicet verè interdictus sit) non manet dubium de Bonitate & Honestate actûs (cū supponimus certò esse licita, quæ certò non sunt interdicta.

717 Explicatur hoc amplius; nam vel iudicium speciale, quod requirunt vlteriùs, est practicum, vel speculativum? Primum dici non potest, quia loquimur de dubio tantùm speculativo, quod resultat pro vtraque parte ex opinionibus oppositis, atque procedit determinationem iudicij practici, de qua disputatur ab Authoribus, & aliqui defendunt, formandum esse practicum iudicium conformiter ad opinionem tutiorem, & probabiliorem: reliqui verò, quod iuxta quamcumque licèt contra tutiorem, & probabiliorem. Præteręa, quia iudicium practicum, quod dirigit non est, pro vtraque parte, sed pro illa tantum, quam determinat. Ergo iudicium illud speciale, quod aliqui requirunt pro parte possidentis, (utpotè contrapositum Opinioni incontrarium, & in eodem sensu) est tantum speculativum, v. g. de iure ad rem aut de eius suitate.

Iudicium de veritate interdictionis præcedit iudicium de honestate actus.

An iudiciū practicū sit pro alterā parte?

718 Tunc sic; sed ad iudicium practicum formandum, ex vi nimirum possessionis, non requiritur illud iudicium speciale probabile speculativum: Ergo absque illo potest dari iudicium practicum sufficiens ad honestè operandum, ex vi præcisè possessionis. Minor ista subsumpta probatur; nam si aliquid repugnat, aut impedire potest iudicium practicum formandum de honestate actionis, est sola opinio pro contraria parte, quæ assensum intellectus generare

Iudiciū speciale si detur ex parte possidētis est concomitās, non autem requiritur ad securitatem. Non ab illo, sed à solâ possessione deducitur securitas resolutionis.

nerare potest, & si iudicium practicum pro possidente etiam impedire. At Iudicium speciale pro parte possidentis, quamuis detur, non iuvat nec prævalet contrario Opinionis oppositæ, quæ est tutior, & probabilior. Ergo sola possessio est, quæ vincit, & prævalet, & in illa dumtaxat fundatur practicum iudicium sufficiens ad honestè eligendum oppositum contra opinionem magis tutam, & probabiliorem, non verò aliud iudicium probabile speciale pro parte possidentis.

719 *Hic Sanch. Fagūd. Boss. &c. Veritatem cum bonitate actus confundunt. Præterea, se opponūt omnibus Iurisprudētibus, qui asserunt eum, qui est in possessione immemoriali, nil probare debere. Ergo ubi adest generalis probatio, particularis non requiritur.*

Dices, si nullum speciale Iudicium detur speculativum pro parte possidentis, sed sola formido aut incertitudo inclusa in opinione pro contraria parte, iam non manet res dubia speculativè, cùm intellectus verè, & solum assentiat vni parti scilicet contrariæ. Ergo tunc non valebit possessio, quæ præcisè prævalet in dubiis. Sic arguit P. Sanchez *in summa, lib. 1. cap. 10. n. 9. ultra medium*, & ex eo Fagundez *tom. 1. in Decalog. lib. 2. & 10. num. 4.* & Bossius *ubi suprà*, & quotquot ita expresè requirunt hoc iudicium speciale pro parte possidentis. Addunt aliqui vlteriùs; quia in tali casu operaretur possidens contra propriam opinionem carens prorsus probabilitate contrariæ.

720 *Manet incertitudo circa veritatem actus, non obstante certitudine circa bonitatē & honestatē eiusdem actus.*

Sed respondeo, negando non manere adhuc dubiam & incertam; siquidem præcisè datur opinio, sive ratio probabilis pro vna parte, & non ratio convincens, ut supponimus. Eo enim ipso non necessitatur intellectus ad illam, quamvis revera possit positivè assentire, si tamen eum vult determinare voluntas, à qua pendet quoad istam determinationem, ut probat Bossius *tom. 2. variar. in Appendice ad tit. 1. n. 2351.* Ergo defectus pro alia parte iudicii etiam probabilis, non tollit dubium speculativum, cum adhuc intellectus manere possit indeterminatus, & suspensus pro utraque quia pro nulla habet rationem convincentem & necessitantem. Neque etiamsi determinetur ad unam pro qua solum datur ratio probabilis. Ideò tollitur dubium speculativum; nam assentitur tantum probabiliter, & cum formidine, atque ex imperio voluntatis. [a] Ergo non ex vi obiecti, aut certitudinis illius. Ergo hoc remanet adhuc dubium & incertum.

a] Sunt verissimè & doctissimè dicta. Porrò probabili propositioni non necessariò, sed liberè assentimur. Ergo hic assensus est actus à voluntate imperatus. Sed neque assentitur verè & propriè intellectus, sed probabiliter: hoc est supponit potiùs, quàm assentitur, ut noster Telaschus edisserit.

721 *Intellectus, quando eligit alteram partem probabilem, non est certus, sed formidolosus circa veritatem actus, at est certus circa Bonitatem eiusdem actus.*

Quod autem nequeat pro aliâ parte (ex defectu probabilis rationis) se determinare, non tollit etiam dubietatem: sicut è contrà licet quando datur ratio probabilis pro utraque parte, determinatè possit assentire utrique, imò determinatè etiam assentiatur aliquando intellectus, non ideò est certus, sed formidolosus, & dubius pro utraque. Alias non posset licitè quamcumque eligere, relicta etiam probabiliori. Ergo quia determinatio in assentiendo non tollit dubietatem si motivum est tantum probabile, & non certum, quia etiam & assensus cum formidine datur & cum dubietate. Ergo similiter quando pro una tantum parte determinatur ex motivo probabili dumtaxat. Videatur Pater Moya *cit. loc. num. 19.* vbi ex Philosopho, & aliis probat, rem esse dubiam, quando solum pro illa datur probabilitas.

Ad id, quod addunt aliqui nimirùm Operaturum contra propriam opinionem in tali casu possidentem; Respondeo in primis, quod non ideò malè operatur, ut communiter docent plures relati à Bossio *tom. 1. var. p. 1. tit. 1. §. 17. num. 127.* Deinde nego eam sequelam, quia etsi solùm habeat probabilem rationem pro una parte, non necessitatur, ut vidimus, ad assentiendum. Ergo potest suspendere iudicium pro utraque. Sicuti quamvis dentur pro utraque æquè probabiles rationes, aut inæquales, sufficientes tamen ad assensum pro qualibet determinatum; nihilominus potest intellectus movere in dubio suspensivo. Ita DD. cum explicant prædictum dubium. Ergo & in casu nostro, quod solùm datur ratio probabilis pro una parte, non ideo sequitur, quod eam determinatè iudicet ut veram; atque adeò neque ut propriam sententiam habeat. Denique etsi illi assentiatur determinate; potest tamen non vt veram omninò, neque vt propriam habere, sed ut probabilem dumtaxat, ad quod præcisè movet ratio tanquam probabilis. — 722 *Non potest operari contra propriā dictamē qui sequitur opinionem probabilem. Forte casus est impossibilis in quo intellectus habeat rationes probabiles tantum pro altera parte. Vide ep. 17 in Syndrome. Sed hæc dictā ponūtur, quia his & illis Auctoribus satisfacere vult D. Reverendissimus. Intellectus falleretur, & temerè iudicaret, si certam esse assereret Opinionē Probabilem.*

Sufficit ergo incertitudo, aut formido inclusa in Opinione pro illâ parte, ut etiam sine assensu, aut iudicio probabili speciali pro parte possidentis, prævaleat certitudo possessionis contra illam; nam adhuc remanet dubium obiectum de prohibitione, sive de obligatione operationis. Vnde in prædicto casu melior est conditio possidentis suam libertatem. — 723 *Resolutio pro vera sententia.*

Sed obiicies secundò. Vt possessio prævaleat, debet esse possessio bonæ fidei, nec sufficit quæcumque. At si pro parte possidentis non datur aliquod iudicium, sive ratio specialis probabilis, nec datur bona fides in ipsa possessione. Bona enim fides, est iudicium prudens, sive probabile pro possessione. Ergo nec prævalebit possessio in tali casu respondeo concessa maiori negando minorem. Ad cuius probationem insertam ibi; nego etiam antecedenter, sive assumptum, si loquatur similiter de iudicio speciali, sive speculativo, nam ut supra *num. 182.* vidimus ex D. Augustino Bonæ fidei possessor dicitur, quamdiu non *sciverit* rem esse alienam. Ergo etsi careat speciali indicio positivo probabili pró possessione, dummodo non sciverit, sive certò cognoverit rem esse alienam, dicendus erit bonæ fidei possessor. Cuius rationem sumo ex eodem etiam Augustino. Nam ille vere dicitur possessor bonæ fidei, qui se possidere ignorat alienum videlicet invincibiliter. Atqui ille, qui post adhibitam sufficientem diligentiam, non certò adhuc, sed tantum probabiliter iudicat esse — 724 *Non sufficit mera Possessio, nam præter Possessionem ad Conscientiæ securitatem bona fides requiritur. Ad bonam fidem nō requiritur, ut positivè scias rem esse tuam, sed sufficit, ut non scias eā esse alienā.*

esse alienum ignorat veritatem. Ergo erit nihilominus bonæ fidei possessor. Probatur Minor, quia Opinio solum probabilis, relinquit adhuc dubium de Veritate ipsius rei. Sed dubium, quod factâ diligentia vinci non potest, ignorantiam invincibilem constituit, ut ex pluribus constat communiter Doctores. Ergo quamvis non detur Iudicium aliud speciale pro ipso possidente, si tamen pro aliâ parte non sit Certitudo, erit ex eo solum bonæ fidei possessor.

Quando ignorantia invincibilis sit

725 Quod confirmari potest ex aliâ communissima, & veriori opinione; docente, dubietatem advenientem post possessionem bona fide (maximè si ab initio fuit certus titulus prædictæ possessionis) non impedire continuationem illius, neque usucapionem, aut præscriptionem, ut probant plures ex Iurisperitis, & Theologis, relati à Lessio *de Iustitia, lib. 2. cap. 6. num. 11.* Sanchez *lib. 2. cap. 23. num. 218.* Fragoso de Bugim. *Christ. Reipub. part. 2. lib. 4. disputat. 16. num. 205.* qui idem etiam docent; & fundantur in eo, quia ignorat adhuc se alienum possidere, dum certo id non cognoscit. Imò addit Bossius *1. part. variar part. 2. titul. 1. §. 50. num. 1836. in fine.* prædictum possessorem in tali casu non habere dubium [b] se rem legitimè possidere & retinere, ob meliorem possidentis conditionem, possessio enim (ut docuerat prius *num. 1832.*) est sufficiens causa, seu titulus deponendi conscientiam dubiam speculativam, seu practicè formandi Iudicium certum, quod sibi liceat retinere rem. Ergo inutile prorsus, seu non necessarium erit aliud Iudicium speciale speculativum pro parte possidentis.

Dubium superveniens post possessionem bona fide susceptã Præscriptionẽ aut usucapionem nõ impedit.

b] In tali casu possessor non habet dubium de honestate suæ possessionis, habet tamen dubium de veritate legitimæ possessionis.

726 Objicies tertiò. Quia vel possessio, de quâ loquimur, est nostræ libertatis physicæ, sive indifferentiæ intrinsecæ voluntatis ad quodlibet; vel possessio libertatis moralis, sive extrinsecæ, nempè ab obligatione, aut lege prohibente, quâ quis potest licitè absque peccato rem facere, aut non facere? Primum dici non potest, quia libertas illa physica, & intrinseca, nec tollitur, nec læditur per obligationem præcepti; sed sicut priùs, potest homo rem facere, aut non facere, etiam post obligationem. Secundùm verò supponit falsum, nempè dari prædictam possessionem libertatis moralis, quin imò de hoc est lis, & dubium. Quod potest confirmari, atque explicari exemplo ipso, quo nos utimur in materia Iustitiæ, nam si in eâ esset lis ac dubium, non solùm, cuius esset res, quam possideo, sed etiam an eam possiderem; ac de ipsa possessione dubitaretur; nequaquam esset locus regulæ illi, *Melior est conditio possidentis*, & reliquis doctrinis hucusque traditis, sed necessariò foret diuidenda res, aut restituenda. Atqui in aliis materiis una possessio scilicet libertatis physicæ, per positionem obligationis non tollitur; alia autem videlicet Moralis libertatis non datur, imò de ea est quæstio, nec locus

Attente lege hanc objectionem, quia est doctissimè posita, & solvitur solidissimè & conditissimè.
De distinctione libertatis in physicam Moralémque.

Prodesti videre, quo superiùs modo de Libertate ipsâ, & de eius in realê & moralem divisione n. 24. differebatur.

An litigiosa sit libertatis possessio?

In omni re libertas præsumitur, & servitus debet probari.

est divisioni: Ergo obligatio prævalet, & non possessio; aut saltem aliunde quærenda est ratio ad operandum licitè.

727 Neque valet si instes, ergo saltem prævalebit possessio nostræ libertatis in novis legibus, quando de illis dubitatur, an latæ sint vel non? Quia tunc reverà præcedebat homo in possessione suæ libertatis, etiam moralis. Nam respondent aliqui, nec tunc quidem esse meliorem conditionem hominis ex titulo possessionis suæ libertatis: nam possessio faciens in dubio meliorem unam partem, est possessio, quæ simul adest cum ipso dubio; non autem possessio, quæ non adest, & de qua est dubium ipsum. Sed in casu posito novarum etiam legum iam de ipsa possessione Moralis libertatis est mota causa, & dubitatur. Ea ergo non facit suam partem meliorem. Debet ergo concludi Universaliter de naturâ dubitationis, quod per ea, quæ dubitationem ipsam intrant, nunquam ea dissolvitur.

An novas leges ab antiquis distingueret?

An dubium de ipsamet possessione moveatur?

728 Respondeo, hanc objectionem urgere etiam adversarios, contra quos disputamus in præsenti, nimirùm eos, qui defendunt, prævalere quidem possessionem nostræ libertatis probabiliori etiam & tutiori Opinioni: dummodo detur aliqua pro parte possidentis, etsi minus probabilis opinio, seu iudicium speciale. Etenim in hoc casu dubitaretur de ipsâ possessione libertatis nostræ moralis, si aliquid probat facta objectio; nam iudicium speciale pro parte possidentis, cùm sit tantùm probabile, imò minus quam alterum contrarium, non dissolvit dubium, sed relinquit intactum, ac si nulla præcederet probabilis opinio pro parte possidentis. Unde semper est verum, quod privilegium possessionis nostræ libertatis, nihil favet dictis adversariorum, aut æquè probat nostram conclusionem.

An hæc contortâ contra adversarios militet?
Argumentũ contra suos authores retorquetur.
Aut nihil omninò probat, aut æquè illis ac nobis favet.
Est homo in possessione sua libertatis moralis.

N. B.
Libertas Moralis est ipsa libertas Naturalis quatenus præceptis dirigibilis & obligabilis. Ergo latissime patet nisi præcepta supervenisse, non ergo debeo ego probare me habere libertatem Moralem, sed debet probare adversarius supervenisse præcepta, quæ urgent, aut obligent hanc ipsam libertatem moralem?

Ad objectionem verò respondetur pro omnibus; possessionem de qua loquimur esse de nostrâ libertate morali, ab obligatione, seu prohibitione, neque hoc supponit falsum, non immediatè non est dubium de ipsa dicta possessione; sed de titulo aut causâ, pro parte legis, quæ contra illam prævalere intendit: seu de existentiâ ipsius legis, ex qua sequi deberet privatio possessionis: modum quo in iudicio, aut materia Iustitiæ fatentur arguentes, dubium non esse de ipsa possessione rei immediatè. Sed de titulo, aut iure partis adversariæ, intendentis rem illam non esse possidentis, sed suam, & propterea spoliandum esse dicta possessione. Sic ergo in nostro casu dubium est de existentia legis, ratione cuius legislator, aut Deus ius speciale (imò & Iustitiæ, in sententia plurium) acquireret in nostram aliquam Operationem, & sic ex consequenti, atque mediatè spoliaret nos dictâ libertate morali in eammet actionem. Ergo verè supponimus, & bene prædictam possessionem nostræ

Dubium nõ est de libertate, sed de existẽtia legis, quæ dicitur meam libertatẽ ligasse. vide num. 24.

nostræ libertatis in casu dubij de existentia legis.

729 *Si hoc Adversarium non probet manutenere debet in suâ possessione Libertas.*

Quod amplius explico,& confirmo,nam etiam potest dari dubium aliud, non de existentia legis, quam ut certam supponimus, sed de obligatione illius in hoc,vel in illo casu.Et quidē plures ex DD.qui favent libertati sive ex ratione possessionis eius defendunt non teneri hominem sequi opinionem tutiorem & probabiliorem pro contraria parte, in quacumque materiâ, nihilominùs quando est dubium in hoc secundo sensu; sentiunt teneri, quia dubium est de ipsâ possessione. Ergo è contrariò, quandiu dubium est de existentiâ legis an detur vel non detur? Supponenda est possessio nostræ libertatis, quia non est de illâ dubium immediatè, vt diximus. Ex quo patet solutio ad confirmationem etiam objectionis: nam potiùs ex eo exemplo roboratur solutio, ut nos nuper instavimus.

Leges dubia & incerta non obligant.

730 *Dubia moralia non concernunt possessionem libertatis humanæ, sed existentiam legis.*

Ad aliam verò responsionem,sive impugnationem instantiæ factæ *num.* 199. pro nostrâ Opinione similiter dicendum est, possessionem prædictam nostræ libertatis moralis, stare etiam cum dubio de existentia legis: quia neque mota est causa,neque dubitatur immediatè de illâ, sed de ratione legis; seu de Iure Dei, vel Legislatoris in hanc operationem nostram ratione talis legis. Quare etsi verum sit universaliter de natura dubitationis id, quod concludebatur, nimirum, per ea, quæ dubitationem intrant, nunquam dissolvi; at in præsenti nihil officit sententiæ, quam defendimus ob rationem iam datam.

731 *Est communissima doctrina, quæ asserit sententiam minùs probabilem, & minùs tutam, ad conscientiæ securitatem sufficere.*

Omitto plura alia argumenta eiusdem rationis, quæ possent fieri contra nostram sententiam, quatenus probant. Non sufficere extra materiam iustitiæ solam non certitudinem, aut dubietatem, sed requiri vlteriùs tutiorem esse partem, quam elegimus. Quia omnia ista, & similia æquè, vt iam dixi militant contra Opinionem communissimam de Opinione probabili quacumque eligenda, etsi minùs tuta; atque propterea etiam respondentur ab Authoribus eam defensantibus.

732 *Hæ rati es statim post redditus eceuntur, & ideò illas prudentissime Rev D. proposuit & dissolvit. Vide, quæ n. 100. obiect. 3. num. 418. enervantur.*

Objicies ergo quarto contra nostram sententiam, quia si non requireretur aliquod iudicium probabile speciale pro parte libertatis, sed sufficeret tantùm defectus certitudinis, atque evidentiæ pro contraria parte: sequeretur, quod plura posset homo licitè, quæ ab hominibus damnantur, & in se absurda sunt; quia nimirùm non damnantur, aut constant evidenti ratione: verbi gratia, posset quis sub conditione saltem, iterum baptizare pucrum iam baptizatum; aut hostiam consecratam ab aliquo Sacerdote non adorare, imò in terram projicere, atque pedibus conculcare, & multa alia similia. Quia nimirum nobis non constat de veritate, & valore Baptismi, aut consecrationis hostiæ, nisi ex humano testimonio baptizantis, & consecrantis, quod singulare est, & non ex se sufficiens ad certitudinem: sicut nec unum solùm testimoniū nnius testis, etiā si de visu, & omni exceptione maioris reddit plenè probatam, nec certam unam partem, sive sit contra vitam sive contra famam, aut etiam contra bona solùm temporalia.

An testimonium humanum sufficiat ad Certitudinem.

733 *Quæ certitudo realis sit?*

Confirmatur, quia Certitudo est adhæsio intellectûs alicui Veritati, sine formidine, aut dubietate, an aliter se res habeat eo enim ipso, quod adsit fundamentum ad prudentem formidinem, non erit infallibile, atque adeò neque certum objectum, cui adhæret intellectus adhuc moraliter, siquidem ideò de contrario, datur prudens formido, quia etsi cum difficultate, & rarò, potest tamen contingere de facto, atque aliquando etiam contingit. Debet ergo, ut sit certum propriè, & rigorosè, quamvis solùm moraliter esse infallibile, quod non eveniet unquam contrarium, videlicet, propter summam difficultatem, etsi non propter impotentiam physicam. Videatur Cardinalis de Lugo *tom. de Fide, disputat.* 1. *sect.* 13.§.4. *num.* 317. Tum sic, sed licèt rarò, & cum difficultate, aliquando tamen contingit, aliquem fingere Sacerdotium, aut eius ordinationem fuisse irritam, aut intentionem non habere consecrandi hostiam, similiter falsò aliquem testificari puerum esse baptizatum, aut eum baptizantem ritè, & validè fecisse. Ergo certa non sunt hæc, & alia similia, adhuc moraliter, & consequenter prævalebit possessio nostræ libertatis ad licitè faciendum quidquid velimus in his rebus.

Quid sit Certitudo moralis.

Vide quæ de Certitudinis definitione & divisione, *num.* 339. dicebantur.

734 N. B. *Est proximus in possessione suæ innocētiæ & honoris; & iubet Deus, ne temerè iudicem de proximo. Ergo est in sua possessione manutenendus. Non ergo possum eū qui me baptizavit, ordinavit, &c. aut eum, qui hanc hostiā consecravit temere condemnare.* Vide n.128.b

Respondeo, non omninò requiri in tuâ istâ opinione propriam atque rigorosam prorsus certitudinem, ad obligationem legis contra libertatem, atque hoc mihi credibile, sed sufficere tantùm aliam minus perfectam, quæ excludat quidem actualem & prudentem dubitationem de contrario objecto, seu iudicium probabile determinatum, hic & nunc etiam speciale, quamvis omninò non excludat omnem prorsus formidinem, nempè generalem, quæ haberi potest ex vi solùm rationis communissimæ, quod non repugnat evenire oppositum. Imò & quod etiam aliquando contingit, licèt rarissimè. Minùs enim requiritur ad obligationem cuiuscunque legis, quam ad actum fidei Divinæ, qui requirit priorem certitudinem rigorosam, & propriam, ex parte credibilitatis, aut propositionis obiecti per revelationem, vt communiter probant Theologi, & inter eos idem Cardinalis de Lugo *ubi suprà*, *num.* 313. Vnde quamvis possit contingere aliquando, quod hostia non sit ritè consecrata; & propterea neque teneamur credere absolutè in eā Christum contineri; tenemur tamen adorare, venerari, & similia, quia sunt actiones morales voluntatis,ad quas certa obligatio dari potest sine illâ certitudine strictâ & rigorosâ de existentiâ obiecti: de quo videatur etiam D.Th. 2.2.*q.*1.*art.*3. *ad* 1. vbi assignat discrimen inter virtutes Intellectus, & voluntatis quoad hoc ipsum.

Maiorem certitudinē requirit obligatio credendi per fidem supernaturalem, quàm obligatio operandi.

Rationes

735 *An rationes ad operandũ vel non operandum excludant totaliter falsum? Vt sit certa obligatio nõ requiritur talis, aut talis decxistẽtiâ legis certitudo, sed quæcumque certitudo sufficit.*

Rationes autem speciales tradit Cardinalis de Lugo à *num.* 319. cur in prædictis casibus non obstante formidine generali incontrarium, teneamur operari aut non operari ex sola certitudine minus rigorosa, quæ apud eum poterunt videri. Ratio autem generalis pro omnibus, atque similibus desumi potest ex Angelico Magistro *loco nuper citato*; nam obligatio ad operandum, aut non operandum in reliquis materiis non excludit totaliter falsum, sicut neque virtutes perficientes partem appetitivam, seu voluntatem. Potest enim aliquis secundum iustitiam, aut temperantiam agere, habens aliquam

736 *Obedire tenemur legi certæ; sive sit certa realiter, sive moraliter. Vnde constet esse legẽ, & obligare? Illa lex, est certa & certò obligans, si fuit lata & promulgata eo modo, & illâ solemnitate, quâ fuerunt latæ & promulgatæ aliæ leges, quæ certò obligare dicuntur.*

falsam opinionem de eo, circa quod agit. Ergo neque, ut sit certa obligatio requiritur, quod detur certitudo propria, & rigorosa, cui subesse non possit falsum absolutè; sed sufficiet alia cui dubitatio nulla subsit, hic & nunc specialis, & prudens; quamvis formido possit dari generalis iam dicta.

Antecedens est certum; alias enim, vel rarò, aut nunquam teneremur operari, aut non operari in aliquâ materiâ; quippe rarò, aut nunquam sic constat de objecto, vel obligatione, ut subesse non possit falsa opinio aliquando etsi rarissimè. Lex autem sufficienter obligat, si proponatur, sive constet modo humano, nimirùm possibili, & communi; Cui tamen non repugnat fasum subesse à parte rei. Cuius ulterior ratio potest esse, nam lex, ut obliget, non debet constare, nisi per

737 *Mera possibilitas erroris non sufficit ad formidinem prædicam. Potest dari certitudo obligationis cũ incertitudine Veritatis: nam P. Dominicanus, v.g. qui tueri S. Thomæ opiniones promisit, quãdo dicit, Materia existit existẽtiâ Formæ, de Bonitate, Honestate, & Obligatione huius actus habet certitudinẽ; & tamen de eiusdẽ actus veritate habet tantummodò probabilitatẽ. An, & quãdo à potẽtia ad actũ valeat argumentatio. Adverbium dubitantis forsitan, plus quàm possibilitatem requirit.*

rationem, quæ eam proponit, & promulgat. At ratio humana nonnisi rarissimè evidentiam habet, sive certitudinem propriissimam & rigorosam. Ergò sufficiet alia minùs rigorosa, vt obliget certissimè lex ab ea proposita, ut sic certa. Patet hæc consequentia, & simul alia prior supra illata.

Quas prætereà confirmo; nam eo ipso, quod non adsit, dubitatio specialis, & prudens in contrarium, quamvis detur formido alia generalis, determinatur intellectus, ut adhæreat Obiecto, non solùm probabiliter, sed etiam certò, & necessariò. Ergo sufficit ista certitudo ad dictamen omnino necessarium, iudicans certò dari obligationem, & consequenter tunc non habet locum nostra, aut tua Opinio. Antecedens probatur. Nam formido illa generalis sola, sine speciali fundamento aliquo, hîc & nunc intellectum reddente dubium positivè, non est etiam sufficiens ad eùm retrahendum ab assensu objecti; formido namque solùm generalis remotissima est, ut aliquem prudentem hic, & nunc absque alio fundamento, determinet, aut trahat in contrarium, quia, ut dici solet, possibilitas est res ampla, nec valet consequentia ex potentia ad actum adhuc probabiliter, determinatè, nisi talis potentia sit aliquo modo inclinata, vel determinata ad ponendum actum. Ergo dum solum datur possibilitas, quæ etsi aliquando, rarò tamen reducitur ad actum, non est sufficiens fundamentum ad trahendum intellectum, & determinandum, licet sit ad formidinem aliquam, quæ explicatur eo verbo *fortasse*, sed non alio, quod sonet determinationem.

Est ergo hæc certitudo, quæ excludit dubietatem prudentem, etsi non formidinem, quæ sufficit ad inducendam obligationem, ex vi legis. Ex quo patet solutio ad instantias adductas de baptismo iterando, & hostia consecrata, atque huiusm di aliis; nam habent certitudinem moralem sufficientem, etsi non strictam & propriissimam, quales fides requirit, quia neque ea est necessaria ad inducendam prorsus certam obligationem, aut prohibitionem ob rationes iam datas. In quo sensu intelligitur opinio, quam defendimus. 738 *Soluuntur argumenta contraria.*

739 *Quàm certum sit nos possidere libertatẽ moralem. Cur etiam contra probabiliorem opinionem possessio libertatis prævaleat?*

Vrgebis tamen, quia possessio nostræ libertatis ab obligatione non solùm constat ista certitudine morali, & minùs propriâ, sed strictâ, & propriissimâ, est enim evidens, & per se nota omninò etiam metaphysicè. Ergo adhuc debet prævalere legi, quamvis certæ moraliter prædictâ impropriâ certitudine. atet consequentia ex

740 *Vt humanæ actiones prudenter fiant, sufficit Certitudo Moralis. Est doctrina cõmunis: & à nostro Lorca 2. 2. q. 1. ar. 3. disp. 10. n. 17. Lugone de Sacr. Pœnit. disput 7. sec. 13. num. 269. Vercel. t. 8. q. 24. n. 2. p g 404. b. & aliis traditur. Sũt pulchra hæc verba illa adsume & argumẽter sic. Ego non habeo fundamentum probabile speciale ad dubitandũ. Sed qui puerum baptizavit, & hostiam cõsecravit, &c. est in possessione sui honoris, & iubet Deus ne temerè de illo iudicẽ. Ergo debet in possessione sua manuteneri. Ergo eum ritè puerum baptizasse, & ritè hostiam consecrasse, iudicare teneor sub mortali.*

nostris principiis: nam ideò prævalet cuicumque Opinioni probabili, quantumvis illa detur pro parte ipsius legis, & nulla detur probabilitas nimirùm specialis, pro parte libertatis, quia excedit evidentia, & certitudo nostræ libertatis cuicumque solum dubiæ, sive probabili Opinioni. Atqui certitudo etiam maior, & stricta excedit aliam minùs propriam. Ergo adhuc contra istam prævalet libertas.

Præterea, quia ideò diximus, sufficere certitudinem istam, etsi minùs propriam, quia excludit omnem dubietatem, sive iudicium prudens, aut probabile pro contraria parte; formido autem generalis ex ratione communi fallibilitatis, sive possibilitatis, non sufficit ad retrahendum, seu determinandum nostrum intellectum in contrariam partem. Ergo similiter, si datur solùm probabilitas pro parte legis, & nulla detur specialis pro parte libertatis, non sufficiet formido inclusa in opinione probabili pro lege, ut prævaleat libertas; quia tunc ut Sanchez arguebat jam intellectus certò & necessariò determinatur etiam ad Iudicium de Obligatione ipsius legis: Imò hæc dicitur etiam esse certa moraliter in illo casu, quia excludit omnem dubietatem, sive iudicium prudens pro contraria parte. Neque enim aliunde habet hanc certitudinem Baptismi valor, sive hostia ritè consecrata, & similia; quæ diximus, nisi quia deficit omninò fundamentum probabile speciale ad dubitandum; [c] non quia positivè sit fundamentum maius; quam supponit opinio aliqua probabilis; imò aliquando datur minus fundamentum, cum solùm detur testimonium vnius affirmantis puerum esse ritè baptizatum, aut hostiam ritè consecratam, videlicet ipsius tantum Sacerdotis: At pro aliquâ opnione sunt plures testes, nempè quot Authores eam defendunt, sive

iudicant veram; quod si opus foret etiam id iurarem. Ergo ex defectu fundamenti seu iudicij probabilis, specialis nimirum pro nostra libertate reddetur etiam certa obligatio legis.

741 *Quam sint certa & secura, quæ duorum aut plurium testium testimonio aut suffragio probantur?*

Quod denique confirmo, quia si duo tantùm testes, aut tres sufficiunt in iudicio humano, ad plenam probationem, quæ prævaleat omninò contra possessionem rerum temporalium. Ergo similiter si plures dantur testes, sive Authores probantes Existentiam legis, atque obligationem contra ipsam libertatem; neque in favorem eius datur probabilitas; sed dumtaxat formido illa generalis imbibita in prædicta Opinione probabili; prævalebit reverà Obligatio ex vi legis contra ipsam libertatem. Patet consequentia, quia etiam quando dantur duo, aut plures testes contra possessionem rerum temporalium, remanet formido pro contrariâ parte; quia non est impossibile, imò aliquando & sæpius contingit, quod fallantur, aut fallant duo, aut plures testes.

N. B. Ideò iudicarunt Legislatores duos testes ad Civilem Certitudinem sufficere, quia sunt tot circumstantiæ concurrentes, de quibus possint examinari, ut nequeant omnes prævidere, & se ad singulas præparare, ut ex condicto loquantur. Interim aliquando decipiunt, quia non semper bene examinantur.

742 *Cur prævaleat libertas existenti quoque Opinioni probabili.*

Semper in omni dubio melior est conditio possidentis.

Vt teneamur obedire præcepto requiritur certitudo de existentia præcepti. At hæc certitudo nō debet esse mathematica, vel Metaphysica, sed sufficit si sit moralis.

Legi moraliter certæ debet cedere humana libertas.

Vt unusquisque teneatur honorare suum patrem,

Respondeo ad primam replicam concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cuius probationem neganda est maior absolutè; quia non ideò prævalet libertas, sive illius possessio Opinioni probabili, quia excedit certitudo cuicumque dubietati: sed quia eo ipso, quod opinio sit dubia, & non attingat certitudinem, melior est tunc conditio possidentis: iuxta Regulam illam, *In dubiis melior est*, &c. quam ut veram supponimus, ab omnibus receptam, & probatam ratione naturali: Quare autem non similiter maior certitudo, qualis est nostræ libertatis prævaleat alteri minori, nempè ipsius legis? Omnes tenentur respondere; neque nos magis urget cum in hoc nihil speciale, sed quod omnes, dicamus. Ratio autem potest esse, quam supra iam tetigimus num. 208. quia nimirum rarò aut nunquam aliam certitudinem habere possumus de lege, aut illius obligatione, nisi impropriam dumtaxat; quare sufficiet illa contra libertatem; aliàs nunquam aut rarò operari tenebimur, vel lex nos obligabit, quæ solùm ut proposita, aut promulgata per rationem nostram humanam, fallibilem ex se, potest nobis constare. Vnde libertas, etsi magis certa, cedere debet legi sic propositæ, aut nunquam ea poterit ligari. Præterea cùm libertas sit ex naturâ suâ subiecta Deo, & Superiori, quippe libertas subditi Inferioris; non est necesse, quod omninò infallibiliter, atque evidenter constet de præcepto, ut obedire debeat; sicut neque ut aliquis alium teneatur honorare, v.g. filius suum Parentem, Laicus etiam Sacerdotem, non est necesse, quod omninò

non requiritur, ut evidenter sciat eum esse suū patrem, sed sufficit habere certitudinem tantum moralem.

constet evidenter, absque aliqua formidine, etiam ea communi, & generali, illum esse Parentem, atque alium verè Sacerdotem; alias nonnisi rarissimè, aut nunquam homines honorarentur, Vt optimè etiam Cardinalis de Lugo *num.* 320.

743 *Omne probabile iudicium incertum est.*

Vnde proveniat, quod interdum operans rationem specialem non habeat?

Impossibile est, quod altera pars contradictionis sit certa, & altera maneat probabilis. Ita Suarez de Relig on. tom. 4. lib. 4. cap. 15. n. 21. Hurtadus de matrim. disp. 10. diff. 9. num. 37. Verricelli us tract. 2. q. 13. pag. 6. b. & alij.

Sæpe habemus certitudinem moralem.

Nec ideò valet paritas ad Iudicium probabile tantùm, nam probabile tantùm & revera dubium, quia nec certum est moraliter ullà certitudine propriâ aut impropriâ: Vnde ex se non determinat necessariò Intellectum, Imò relinquit locum, quantum est ex se, ut possit dubitari: (non solùm formidari formidine communi) positivè, & prudenter, specialiter: atque adeò, quamvis hic, & nunc non habeat Operans rationem specialem, quæ eum determinet, aut moveat ad formandum iudicium prudens speciale pro sua libertate, provenit hoc, vel ex defectu scientiæ in illo, vel aliunde, non autem ex vi ipsius opinionis contrariæ. At quando datur certitudo illa Moralis, etsi impropria, omninò ex se excludit iudicium quodlibet probabile, pro ipsa libertate, & ad summum relinquit locum formidini communi. Quapropter poterit libertas gaudere suâ possessione, quando pro lege solum datur probabilitas, quia adhuc locus est ad iudicium probabile Oppositum pro ipsa libertate quamvis actu deficiat; non verò quando datur certitudo, licet minus propria, quia tunc solùm est locus formidini communi, quæ non sufficit tantùm ad honestè operandum, aut liberandum ab obligatione nostram libertatem. Vnde etiam patet, quod nec probant rationes, quas adduximus pro certitudine, quando nimirum adest sola probabilitas, nam licet hæc non sit sufficiens ad obligationem legis, non ideò sequitur, quod vix, aut nunquam obligabit lex; siquidem sæpius, & communiter habere possumus prædictam certitudinem moralem minus propriam, quæ latissima est, & pauca petit, ut existat.

744 *Iudicium probabile ex parte legis non excludit iudicium probabile ex parte libertatis.*

Immò sunt tam connexa ut alterum inferatur ex altero.

Constat etiam ex dictis non Vrgere secundam replicam ex *num.* 212. Nam concesso antecedenti, negamus consequentiam. Cuius ratio disparitatis est, quam nuper tradidimus num. præcedenti, Iudicium scilicet probabile, tantum ex parte legis, & obligationis non excludere omninò, neque ex se iudicium alterum probabile in contrarium pro parte libertatis. Quare & actu nunc deficiat, non ideò illud iudicium pro parte legis reddit eam certam, neque determinat nostrum intellectum necessariò pro illa, Vt Sanchez arguebat. Quod autem aliquando reddant certam moraliter legem, aut obligationem pauciores testes, quàm assistunt opinioni probabili; nihil valet; nam certitudo non desumitur neque etiam probabilitas, ex numero præcisè testium affirmantium, sed ex modo, aut natura obiecti, quod aliquando nequit dubitari, nec tribuit fundamentum prudens ad dubitationem; aliquando autem quamvis sint plures illud affirmantes, relinquunt semper illud dubium

bium

bium, & propterea probabile duntaxat. Quod omnes debent confiteri, cum aliquando sit opinio solùm probabilis, quam plures asseruerant, & simul pro contraria parte opinio etiam probabilis.

N. B. *Testes, vel dicunt se scire, se vidisse: aut se ab aliis audivisse, aut rem se ita habere opinari. Si prioris generis illi sint, duo ad plenam informationem sufficient: si posterioris, centeni, aut milleni plenam informationem non facient.*

Ad ultimam confirmationem ex *n.*213.
745 respondet Lugo *num.*319. Vbi ex ratione boni communis deducit, duos tantum testes sufficere in iudicio humano ad plenam probationem, quæ iudicem determinet necessariò ex Iustitiâ ad proferendam contra vitam, famam, & alia bona temporalia sententiam, quamvis adhuc Certitudo non detur moralis etiam minus propria; & quidem rectè, & consequenter discurrit ad prædicta: nam cum raro aut nunquam possit obtineri Certitudo Moralis de delicto commisso, vel de vero Iure circa bona fortunæ. Expediens etiã fuit ad mala graviora vitanda, acceptare huiusmodi probationẽ pro plena, & sufficiẽti. Sicuti etiam ideò Leges humanæ Introduxerunt præscriptionem bonorũ temporaliũ, quamvis quandoque sine vero titulo ab initio; ut vitarentur lites, seu maiora damna, ut alibi explicatur. At contra nostram libertatem sive eius possessionem, non solum leges nihil statuerunt, verum favent omninò illi, & in dubiis decernunt meliorem esse eius conditionem. Ergo etsi plures adsint testes pro contraria parte, & nullus in particulari pro nostrâ libertate: dum tamen plures illi testes probabiliter tantum affirment, & non certò obligationem legis contra libertatem. Ex quo denique infero adhuc in hoc differentiam dari in uno, atque alio casu; nam testes, qui sufficiunt ad plenam probationem in Iudicio humano, sunt testes affirmantes de visu, sive de ipsa re immediate in seipsa; at testes, sive Authores pro opinione probabili, non immediatè & absolutè de ipsa re affirmant sine dubietate; sed magis de apparente fundamento, quod illis magis placet, sive de probabilitate maiori ipsius Opinionis. Vnde sunt velut testes de auditu, qui etsi plures, non faciunt plenam probationem, nec etiam in indicio humano; sed semiplenam, Imò & absolutè convincunt probabilitatem, sive indicia, quæ adhuc non sufficiunt ad spoliandum possessione rerum temporaliũ. [d]

d] *Pulchra est hæc animadversio; Authores enim tametsi testes sint, non semper sunt oculati vocandi. Nã vel queritur. An talis in iure Canon sit? vel quæritur. An tali modo sit intelligẽdus. Circa primũ asseram Doctores esse oculatos testes, quoniam testimonium perhibent de re, quam viderunt, & legerunt sua oculis: at circa secundum, cum oculati non sint, auditis potèrunt adnumerari, at centeni Authores non faciunt informationem plenam, Ergò centeni Authores, si nil aliud accedat, non faciunt sententiam, quam nos necessariò sequamur.*

Hæc mihi occurrunt Illustrissime Domine pro tua ista Opinione; quæ Omnia, & quidquid dixero, vel quovis modo sensero, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Imò & tuo Iudicio, Sapientiumque subiicio. Salmanticæ ex hoc nostro Collegio Divæ Mariæ de Loreto. Parentisque Bernardi die duodecima Decembris Anno 1670.

REVERENDISSIMI D.

D. ANTONII DE S. PEDRO,

IN SALMANTICENSI VNIVERSITATE Sacræ Theologiæ Doctoris & Publici Professoris; necnon Cistertiensis Ordinis Definitoris (nunc Generalis,) &c.

Ad Illustrissimum, & Reverendissimum D. D. IOANNEM CARAMVEL, Campaniensem Episcopum, & Hydruntinum Archiepiscopum denominatum, ex eodem Ordine assumptum, &c.

EPISTOLA II.

Illustrissime & Reverendissime Domine.



EVERENDISSIMVS Pater Magister Fr. Michaël de Fuentes Generalis dignissimus Ordinis Cistertiensis in Regnis Castellæ Illustrissimæ Dominationis vestræ doctissimam Resolutionem de Radice Moralitatis tractantem visendam tradidit: iudicium meum aperire præcepit. Attentè legi Assertiones Illustrissimæ Dominationis vestræ: per-

Quia ad Veritatis arduam, & à vulgo remotissimam Arcem. *Est iter in dubiis, radios ubi Iupiter umbris Condidit, & rebus nox abstulit atra colores.* Vt manuducãtur studiosi, Scholia, & Notę Librorum adscribuntur marginibus; gratũ opus Caramuel Lectoribus se facturum existimat, si ex Reverendissimi D. D. Antonij de S. Pedro licentiâ adscribat marginibus aliqua, quæ ad suæ doctrinæ intelligentiam penitiorem conducant. *Dies Diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiam.* inquit Propheta Rex; quia homines diu & noctu laborantes proficimus, & quæ heri nescivimus, aut non advertebamus nos scire, hodie veritatis sole clariùs adlucente cognoscimus. Hæc dixero, ne quis fortè excusetur, quod aliter hic loquatur Caramuel quã in prioribus libris loquutus est; nam, si hodie ad Moralitatis Radicẽ pervenit, ad quã heri nondũ pervenerat, aut saltem pervenisse se putat, aliter hodie quàm heri discurrere, & loqui necessariò debebit.

747 *pendi fundamenta. Omnibus inspectis Resolutionem infra scribendam confeci, vestræ doctrinæ subscripsi; quam solidissimo existimo fundamento nixam: è principiis receptissimis Theologiæ erutam: Subtilissimi ingenij vestri dignissimam prolem. Ne tamen impulsu affectus erga Illustrissimam Dominationem vestram; quam tenerrimè diligo, quia Nostræ Hispaniæ* [a] *fuistis decus, Cisterciensis Ordinis fulgentissimum iubar, & nostri Monasterij de Spina, in quo uterque nomen dedimus Mellifluo Bernardo, perennaturus honor; videar vestræ doctrinæ subscribere; momenta rationum, quibus illam convictus amplector, in hoc dubio proponam. Si in tot studiis occupato breve otium supersit, impensi temporis in lectione huius Dubij iacturam facietis.*

Cum Sententia certa, necnon magis, æquè, & minùs Probabilis tutâ conscientiâ eligi possũt, ratio quæ reddit conscientiam securam debet esse ali-

quid, his quatuor Sẽtentiarum generibus commune: nec aliud assignari poterit, quã Non-Certitudo Assertionis Contrariæ.

a] Occasione illius verbi *fuistis* monet Caramuel se non posse intelligere, cur Anglez in 4. *quæst. de voto dub.* 6. *concl* 1. & alij, Regulares ad Episcopatum promotos, nec obstringi votis, nec esse ampliùs Religiosos existiment: & ideò, quia se esse Religiosum gloriatur, nec reperire percipit aliquid in S. Benedicti Regulâ, aut vivendi formâ, quam Patres Cistercienses observant, quod muneri Pontificio repugnet, D. Thomæ in 2.2. *quæst* 185. *art.* 8. Dianæ *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 61. & communi Theologorum Opinioni subscribens asserit Regulares Episcopos esse adhuc Religiosos, & Regulæ observantiis (nisi aliquando per accidens obstet) teneri.

DVBIVM.

An securus in conscientiâ sit, qui pro se nullam habet specialem rationem, quæ probabilis sit; si tamen pars contraria nullam rationem realiter, aut moraliter demonstrativam habeat?

748 ILLVSTRISSIMVS & reverendissimus Dominus, D. Ioannes Caramuel huic dubio triplici conclusione respondet.

Cur tutâ conscientiâ procedat, qui certa subscribit sententiæ.

Prima. *Hæc propositio, [licitum est operari id, quod certo scimus non esse prohibitum] vera est, sed non est Theologicarum moralitatum radix. Et ostenditur: licet enim licitè operemur, quando actionem non esse interdictam certò scimus: hæc scientia est concomitans, & non est ratio formalis bonitatis: nam etiam dantur casus, in quibus sine hâc scientia honestè, & bene operari possumus.*

Cur & ille, qui subscribit probabili?

Secunda. *Hæc propositio [licitum est operari id quod probabiliter opinamur non esse prohibitum,] vera est: sed nec ipsa censeri debet Theologicarum moralitatum radix. Et ostenditur, quia tametsi operemur licitè in casu, quo probabilitate gubernemur: notitia hæc probabilis quæ concomitatur, non est ratio formalis honestatis.*

749

Quæ sit Bonitatis & malitiæ Radix in Moralibus.

Tertia. *Hæc propositio. [Licitum est actionem quamcumque elicere, quæ certo interdicta non sit] est non solum vera, sed continet & exprimit rationem formalem honestatis. Sum enim in mea libertatis naturali, & essentiali possessione: Lex est quid facti, & probari debet: ergo maneo in mea libertatis possessione: non quia ego non dari legem probo; sed quia dari legem Adversarius nondum certa, manifesta, plena, & nulli probabilitati obnoxia probatione persuasit.*

An aliqui Caramuelẽ impugnent quia non penetrarunt eius mentẽ

Vt clarius hoc dubium resoluam, primo mentem Illustrissimi Domini D. Ioannis Caramuel explanare conabor: Existimo enim è non penetrata ipsius mente scaturiisse dubia, & tot difficultates contra tanti viri doctrinam, ut fama narrante ad nostram notitiam pervenerit tomos octo luci publicæ deditos aliquos defendentes; alios acriter impugnantes secundam, & tertiam conclusionem. *Secundò* Sententiæ Illustrissimi Domini subscribam, rationibusque eam cõfirmabo. *Tertiò* obiectiones, & Argumenta in contrarium dissolvam.

Illustrissimus D. Passerinus.

Non omnes eo pollent ingenio, quo ad ingeniosas Caramuelis ratiocinationes percipiendas opus est. Citatur à PP. Theologis Carmel. Discal. Collegij Luciens. & habetur in Apologemat. pag. 209.

CAPVT I.

Mens Illustrissimi D.D. Ioannis Caramuel exponitur.

NEscio an aliis evenerit, quod contigit mihi. Cùm primum perlegissem doctrinam Illustrissimi Domini difficillima apparuit propositio tertiæ Conclusionis. *Licitum est actionem quamcumque elicere, quæ certo interdicta non sit.* Ita apud me rationem dubitandi formabam. Ex hâc sententiâ plurima sequuntur absurda, sequitur enim licitum mihi esse hanc hostiam, in altari expositam venerationi publicæ proiicere, & conculcare: me iterum Baptismum suscipere: pro libito toties quoties voluerim ad Presbyteratus Ordinem accipiendum accedere. Sequelam hoc modo probabam. Licitum est elicere actionem quamcumque, quæ certò interdicta non sit, sed ex hac sententia sequitur, mihi certò interdictam non esse huius hostiæ Conculcationem, & proiectionem; & iteratas susceptiones Baptismi, & Presbyteratûs. Ergo sequitur omnes has actiones mihi licitas esse. Minorem sic persuadebam. Non maiori certitudine Constat hanc hostiam conculcare esse interdictum, aut Baptismum, & Presbyteratum suscipere iterum, quàm constat hanc hostiam esse consecratam, aut me ritè baptizatum, & ordinatum Presbyterum: sed non mihi certò constat hanc hostiam esse consecratam, me ritè baptizatum, & Ordinatum Presbyterum, Ergo mihi non certò Constat relatas actiones esse interdictas.

750

Hæc sunt Dubia, quæ statim Viris doctis occurrunt. Hæc, propter quæ, qui illa soluere nesciunt, doctrinam Caramuelis impugnant. Et hæc ipsa, si bene dissoluantur, quã eiusdem sententiam roborant & confirmant. Vide quæ art. 3. & 4. à num. 385. & 388. dicuntur.

N. B. Articulus III. & IV. Additi sunt Dialexi postquam scripsit has literas reverendissimus Dominus: cum Obiectiones, quæ hic ponuntur, sunt gravissimæ, & quæ debebant in ipsâ Dialexi resolvi.

Rationi

Proponitur hac consequẽtia. Hæc hostia prudenter proponitur ut consecrata ergo eam honorare debebo. *Et petitur, cur non sit similis huic.* Hęc actio mihi prudenter proponitur, ut prohibita: Ergo debebo ab eâ abstinere?

751 Rationi dubitandi apud me respondebam. Evidens est me teneri non inhonorare, & proiicere hanc hostiam, quoties prudenter proponitur ut consecrata, & nullum fundamentum prudens suppetit persuadens probabiliter Consecratam non esse. Evidens est obligatio non iterandi Baptismum, nec pro libito accedendi ad suscipiendum Presbyteratum, quoties prudenter iudico me ritè baptizatum, & ordinatum Presbyterum, & alias nulla ratio prudens, & probabilis persuadet oppositum. Ex hac tamen solutione ratio dubitandi vires sumebat; & sic roborabam. Ergo similiter evidens est me teneri vitare actionem, quoties prudenter proponitur ut prohibita; & nulla ratio prudens apparet persuadens non esse prohibitam.

b] *Actio, quam ratio prudẽs suadet esse prohibitam, & nulla ratio prudẽs suadet non esse prohibitam, est certo prohibita.*

[b] Probabam consequentiam. Sicut hostiam Venerari teneor, quia Consecrata proponitur, ita actionem teneor vitare, quia repræsentatur prohibita: Sed ut sit evidens obligatio non inhonorandi hanc hostiam, sufficit prudenter proponi, ut consecratam; & nullam rationem suppetere persuadentem probabiliter, & prudenter non esse Consecratam: Ergo ut sit evidens obligatio vitandi hanc actionem, sufficit prudenter proponi, ut prohibitam; Et nullam rationem adesse probabiliter persuadentem non esse prohibitam.

Vnde rationes, contra Dialexim dubitandi initium sumant?

Hæsi aliquantulum hâc dubitandi ratione detentus: re tamen maturè discussâ Cognovi rationem dubitandi è non penetratione mentis illustrissimi Domini ortum duxisse; & ex æquivocâ, & multiplici significatione illarum vocum, *Certa ratione.*

752 *Quid sit certitudo, evidentia, aut demonstratio in Moralibus?*

Vt ergo mentem Illustrissimi & doctissimi Viri, prout à me intellectam, aperiam, noto demonstrationem moralem, evidentiam moralem, aut certitudinem moralem variè à Doctoribus accipi. P. Petrus Hurtado de Mendoza *disp. 11. de fide sect. 3. §. 24.* docet tunc dari demonstrationem aut evidentiam moralem, quando ratio assentiendi talis est, ut nulla sit probabilitas partis oppositæ; seu quando prudentes non possunt de illâ dubitare.

Varia Authorum sententia.

Cardinalis de Lugo *disp. 1. de fide sect. 13. §. 4. num. 302. 316. & 317.* duplex genus Certitudinis, & evidentiæ moralis distinguit.

Duplex est Certitudo Moralis.

Prima Certitudo moralis est, quæ excludit omnem prudentem formidinem de Veritate Obiecti. Hac Certitudine morali docet certum esse, fuisse Annibalem, Iulium Cæsarem, esse Imperium Sinense: & idem est de aliis historiis, quæ nullo contradicente, ab omnibus creduntur. Hæc Certitudo Moralis obtinet perfectiorem gradum Moralis Certitudinis. Secundum genus Certitudinis Moralis minùs perfectæ est quæ non excludit formidinem prudentem, sed solùm dubitationem prudentem de illo Obiecto, vel Iudicium probabile prudens de obiecto contrario. Hæc Certitudo solet vocari *Certitudo Moralis humana*, quatenus Certa condistinguntur à dubiis. Hoc genere certitudinis Moralis minùs perfectæ docet Eminentissimus Cardinalis esse certum moraliter hanc hostiam esse consecratam: hunc infantem baptizatum: hunc hominem rite ordinatum.

Hanc Certitudinem, quam Lugo primo loco constituit, meus Telarcus Realem esse demonstrat, & Physicam nominari debere.

753 *Certitudo Moralis humana qualis sit?*

An fide Divinâ credẽdum sit hãc numero hostiã esse consecratam.

Et quia hæc certitudo est imperfecta, & non excludit omnem formidinem prudentem, etsi excludat dubium prudens, docet non sufficere ad credendum fide divinâ, non tantùm dubium prudens, seu iudicium probabile de obiecto opposito debet excludere, sed etiam omnem formidinem prudentem. Sufficiens est hæc certitudo imperfecta secundi generis ad causandam evidentem obligationem. Hac ratione evidens est obligatio non proiiciendi hanc hostiam: non suscipiendi iterato Baptismum, & Ordinem; quoties ratio in oppositum prudens non suppetit. Rationem huius tradit Cardinalis de Lugo [c] quia in his, quæ rarò accidunt, nemo potest prudenter dubitare.

An, & cur certa sit obligatio adorandi hanc hostiã quæ publicæ venerationi exponitur?

754 c] *Firmat hanc Lugonis doctrinã Caramuel in suâ Morali Legali, ubi asserit ex rarò contingentibus temerariam consequentiam deduci.*

Rarò autem accidit Sacerdotem celebrantem non consecrare, aut quia Ordinatus non est, aut quia non habet intentionẽ consecrandi. Ob quod sine speciali ratione in Oppositum nemo potest prudenter dubitare, An hic Sacerdos celebrans consecret? An hæc hostia sit consecrata? Vnde non tantùm probabile sed certum moraliter humano modo est hanc hostiam esse consecratam. Eodem modo si tantâ Certitudine proponatur hanc actionem prohibitam esse, quanta proponitur hanc hostiam esse consecratam, evidens erit obligatio vitandi actionem, illicitumque actionem elicere. Hæc doctrina clarius in discursu resolutionis enodabitur.

An certum moraliter sit hanc hostiam consecratam esse?

755 *Quando de non certitudine agit Caramuel, non hãc solam, non illam, sed omnem Certitudinem excludit: sitque licitũ fore non posse actum certò interdictum esse secundi & inferioris generis Certitudo illa sit, modo illum esse interdictum certum sit. Vide n. 139. §. Vt intelligatur Conclusio.*

Hac duplici differentiâ Certitudinis Moralis notatâ videamus quâ Certitudine Illustrissimus Dominus Caramuel doceat requiri cognosci actionem esse prohibitam, ut mala, & illicita sit. Mihi certum apparet non loqui de certitudine Morali primi generis, & perfectissimâ. Moveorque ad hanc existimationem ratione dubitandi proposita num. 5. & 6. quæ ad hoc intentum probandum efficax est, quia si licitum esset elicere quamcumque actionem, quæ certò interdicta non est Certitudine perfecta, & excludente non tantum dubium prudens, sed etiam prudentem formidinem, sequeretur licitum esse cuicumque hanc hostiam Consecratam conculcare, & proiicere, quemcumque baptizatum infantem iterum baptizare; quemlibet hominem iteratis vicibus ad Sacerdotium accedere; quia non est certum certitudine Morali excludente omnem formidinem hanc hostiam esse consecratam: hunc infantem baptizatum: hunc hominem Sacerdotem. Aliàs fide divina, cui falsum non potest subesse, possemus credere hunc hominem esse baptizatum, Sacerdotem, & hanc hostiam vere consecratam. Sed hæc absurdissima sunt: nec tantùm Virum Sententiam, ex qua similia sequuntur absurda, docuisse in mentem cordati potest venire, ergo Sapientissimus, & doctissimus Vir non loquitur de certitudine Morali primi generis & perfectissima.

Hunc hominem esse baptizatum, illũ esse Sacerdotem, &c. istam hostiam esse consecratã, &c. quantâ certitudine credendum sit?

756 Ex quo mihi persuadeo Illustrissimum Dominum loqui de certitudine morali non

Bañes in 1. part. q. 1. art. 5. mihi pag. 51. b. ingeniosè disserit de Certitudine illamque dividit in Certitudinē quoad se, Certitudini, quoad nos, & Certitudinē quoad se & quoad nos. Agit de secunda Caramuel, & eam Certā Propositionem vocat, cuius oppsita ne quidem probabilis est.

Vide, quæ num. 763 ponebantur in margine. *Medullitus Caramuelis mentem penetrauit Reverendissimus Dominus, nam ille indefinitè loquens omnem certitudinem excludit.*

Oportet, ut qui obligationem aliquam probare vult, utatur rationibus, quæ omninò auferant probabilitatem opinionis contrariæ: impossibile est enim, ut sit certa Obligatio, quādiu est probabilis Nō obligatio.

non excludente formidinem prudentem, sed tantùm excludente dubium prudens, sive iudicium probabile partis oppositæ; qualis est Certitudo, qua nobis persuademus hanc hostiam esse consecratam, aut hunc hominem esse Sacerdotem: ita ut sit licitum elicere actionem, quoties esse interdictam non constat tanta Certitudine, quanta constat hanc hostiam esse consecratam, aut hunc hominem Sacerdotem esse. Sensus ergo propositionis tertiæ Illustrissimi Domini D. Ioannis Caramuel hic est (quantum possum conijcere) *Licitum est elicere quamcumque actionem qua certò interdicta non sit certitudine ex se excludente dubium prudens, seu iudicium probabile partis oppositæ*, v.g. rationibus tantùm probabilibus, similibusque illis, quæ non rarò, sed frequenter subsunt falsitati, quales sunt rationes quibus solent persuaderi opiniones purè probabiles, persuadet Franciscο Friderieus aliquam actionem esse prohibitam. Rationes illæ si non excludunt iudicium probabile partis oppositæ, Franciscus nulla speciali ratione fulcitur, quâ persuadeat actum, quem facit, interdictum non esse, & tamen licitum est Francisco actum elicere; quia, etsi non habeat pro se rationes probabiles, cognoscit Fridericum non probare sententiam oppositam ratione aliquâ certâ humano modo excludente iudicium probabile; sed tantum rationibus probabilibus, quæ ex se possunt cum iudicio probabili partis oppositæ componi; etsi de facto non componantur, quia Franciscus non invenit eas.

Hanc esse Authoris sapientissimi mentem probatur in medium expositis exemplis, quibus suam sententiam confirmat: Francisco non habenti rationes speciales probabiles, quibus persuadeat suum actum esse licitum, inducit Fridericum authoritate Dominici Soti probantis illicitum esse. Authoritas autem Dominici Soti non causat certitudinem ex se excludentem iudicium probabile partis oppositæ, sed puram probabilitatem, quæ cum probabilitate oppositæ partis coniungibilis erat: Et quod hic, & nunc non coniungatur, cum iudicio probabili partis oppositæ est per accidens, Et quia Petrus adhibita diligentiâ non invenit rationes probabiles pro se. Similiter numer. 111. §. *Petrus*, hoc idem explicat clarissimis verbis. *Respondeo ad secundum* (inquit) *Vt condemnetur Petrus, & è possessione trudatur, non sufficere ut Ioannis rationes sint probabiles, aut probabiliores, sed omninò requiri ut sint certa.* Vbi clarè significat tantùm requirere illam Certitudinem quæ probabilitati opponatur. Idem significat *num.* 113. §. *Crimen* ubi de Carolo contra Fridericum delictum intendente probare, sic loquitur. *Producit alium testem Carolus omni exceptione maiorem, Vnicum tamen, reddit accusationem suam probabilem. Interim hærent iudices, & propter informationem semiplenam (probabilem) nec Fridericum capite, nec infamiâ, nec honorum amissione condemnans.* Productio unius testis omni exceptione maioris non excludit ex se dubium prudens, & iudicium probabile partis oppositæ. E quibus apparet tantùm docere sapientissimum V[irum] prohibitionem probatam, probatione pure probabili, non excludente ex se dubium prudens, aut iudicium probabile partis oppositæ non esse sufficientem ad reddendum actum illicitum; sed ut actus illicitus sit requiri prohibitionem probari certò certitudine oppositâ probabilitati partis oppositæ: non verò certitudine excludente omnem formidinem, ut supra explicatum est. Hanc esse Illustrissimi Authoris mentem docet P. Moya *in Selectis tractat.* 1. *quæst.* 1. *num.* 3. his verbis. *Nomine* DEMONSTRATIONIS, *Vt explicat Caramuel loco à Bernardo citato, solum intelligitur conclusio Sillogismi, cuius utraque præmissa ita est, certa, ut neutra in dubium, aut quæstionem probabilem vocari possit.*

757 *Soti, aut cuiuscumque alius Doctoris authoritas, certitudinem causare non potest.*

758 *Quam certa & clara esse debeant rationes ob quas possit aliquis condemnari?*

Posuisset efficacius Caramuel suā sententiam suadere, si singularibus aliquorum Iuniorum sententiis velusset insistere; sed maluit remanere in communibus, ne diceretur obscura obscurioribus velle illucidare.

759 *Quanta efficacia sit informatio, qua unius tantum Viri gravis testimonio fulcitur?*

P. Moya explicat sententiam Caramuelis.

Quid sit Demonstratio Moralis? Quales Præmissas postulet, ut legitimè conformata dicatur?

Dices. Illustrissimus Dominus D. Ioannes Caramuel num. 116. §. *Franciscus est in certa*, ita loquitur. *Sed qualiter tandem sententiam suam persuadere debebit Fridericus, ut Franciscus sub mortali obstringatur. debebit, inquam ego, ratione tam certa, & manifesta, probatione tam plena, ut formidinem omnem excludat.* [d] Ergo male interpretamur mentem Authoris tantùm esse, ut actus sit illicitus requiri esse certò interdictum certitudine excludente solùm iudicium probabile, aut dubium prudens de parte opposita: non verò prudentem formidinem. Respondeo ex verbis immediatè sequentibus constare Authorem non loqui de formidine strictè sumpta; sed de formidine latè sumpta, quatenus est idem cum dubio prudente, & rationabili. Post allegata verba inquit. *Et donec demonstratio realis, aut moralis adducatur Franciscus in libertatis suæ possessione certa manutenebitur, quoniam in omni Iuris probabilitate, dubiore beatus ille, qui possidet.* In quo autem distinguantur formido prudens, dubium prudens & suspicio ex aliis materiis supponitur. Interim videantur Bossius *titul.* 1. *n.* 2. & *n.* 82. Cardinalis de Lugo *de Fide disp.* 6. *n.* 24. Ripalda *de Fide disp.* 11. *à n.* 30.

760 *Agit Illustr. Caramuel de formidine practicâ.*

Nemo tenetur obedire, nisi obligatio demonstretur realiter aut moraliter.

d] *Voce* formidinis *usus fuit Caramuel eo ipso sensu, quo illum Reverendiss. D. exponit: & ne interpretatione adhuc indigeat addito verbulo, quo sensu intelligi velit, explicat; quoniam modo sic inquit.* probatione tam plenâ, ut formidinem, aut omnem saltem probabilitatem excludat.

CAPVT II.

Sententia Illustrissimi Domini D. Ioannis Caramuel defenditur, & in favorem eius prima ratio proponitur.

E Tribus conclusionibus relatis *n.* 1068. existimo primam esse receptissimam Theolo 761

Iudicium de Caramuelis Conclusionibus.

Theologorum sententiam, nec in eius defensione oportet immorari. Secundam, & tertiam, quæ aliquibus visæ sunt difficiles, iudico veras esse, & probabiles, nixasque solidissimæ rationi: & doctrinæ Illustrissimi Ioannis Caramuel in hoc Dubio relatæ subscribo libenter. Sit ergo Conclusio. *Petrus habet rationes probabiles probabiliter persuadentes hanc actionem esse prohibitam: reflectit supra rationes prædictas, & advertit esse tantùm probabiles, & non convincentes, nec obtinentes aliquem gradum certitudinis opposita dubio prudenti, aut iudicio probabili partis opposita. Non habet rationes speciales pro se, quibus sibi persuadeat actionem licitam esse, & non esse prohibitam. In hoc casu Petrus licitè potest elicere actionem: non quia ipse speciali ratione probat licitam esse: sed quia esse interdictam non probatur ratione certâ certitudinis talis naturæ, quæ ex se excludat dubium prudens, & iudicium probabile partis opposita.*

Reverendissimi D. Antonij de San Pedro Resolutio.

Uberioribus & clarioribus verbis proponitur sententia Caramuelis.

762 Hæc Conclusio probatur primò. Licitè potest Petrus elicere actionem, quando præceptum prohibens actionem non obligat Petrum; sed in his circumstantiis præceptum prohibens actionem non obligat Petrum contra possessionem suæ libertatis, Ergo in his circumstantiis potest Petrus licitè elicere actionem. Probatur minor. Præceptum tantùm dubium non obligat Operantem contra possessionem suæ libertatis, sed in his circumstantiis præceptum prohibens actionem est dubium Petro, ergo non obligat. Maior est communissima doctrina nixa illi receptissimo principio: *In dubio melior est conditio possidentis*, quod non tantum in materiis Iustitiæ, sed etiam in aliis materiis locum habet; ita ut ratione possessionis libertatis licitum sit practice deponere dubium speculatiuum, & contra illud operari, ut cum gravissimis Doctoribus docent Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 9. & *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 32. Diana 4. *part. tract.* 3. *Res.* 2. Mag. Prado *tom.* 1. *quæst.* 2. §. 1. *num.* 3. & §. 2. *num.* 10. Vnde idem Prado ibidem *num.* 8. inquit. *Possessor semper est reus, quia ipse non postulat, sed ab ipso postulat actor; ergo dum non est certa obligatio, favendum est possessioni libertatis.* Et Matthæus de Moya *in Selectis tract.* 1. *quæst.* 5. *n.* 15. inquit. *In dubio præcepti (quod semper manet speculatiuum, dum non fertur iudicium moraliter certum) licitè quis poterit practicè deponere dubium, & operari ratione possessionis suæ libertatis; quæ per præceptum dubium superveniens spoliari non debet: sicut nec bonâ fide possidens in materiâ iustitiæ re possessa est privandus propter dubium subortum quod sit aliena.*

762 Securissima est semper ratio, quæ in libertatis possessione fundatur.

An præceptum dubiũ obliget?

Regula de Possessione in omni Virtute locum habet.

763 Vtitur Moya & bene, communi Theologorũ Lexi: at in hoc casu inquit Caramuel esse dubium de veritate actûs, & certitudinẽ de Bonitate actûs. Vide., num 389.

N. B. *Ecce Moya expressè habes Caramuelis sententiam; nam asserit te tutò posse contra dubium præceptum operari donec superveniat iudicium moraliter* (adde, *aut realiter*) *certum.*

Dubium in vulgari acceptione idẽ

Minor restat probanda, videlicet, quod in circumstantiis conclusionis præceptum prohibens actionem sit dubium Petro; quia omne quod est incertum subiecto dubium est ipsi, sed in prædictis circumstãtiis præceptum prohibens actionem est Petro incertum, Ergo dubium. Probatur minor. Incertum est Petro, quod rationibus tantùm probabilibus, & incertis sibi persuadet esse, si reflexè cognoscat rationes tantùm esse probabiles, & incertas: sed in præsenti Petrus rationibus tantùm probabilibus, & incertis sibi persuadet esse præceptum prohibens actionem, simulque reflexè cognoscit rationes esse dumtaxat probabiles, & incertas: ergo in præsenti Petro est incertum præceptum prohibens propriam actionem.

est ac incertum & hoc sensu etiam, quæ probabilia sunt, dubia vocantur.

CAPVT III.

Secunda Conclusionis probatio.

764 Secundò eadem doctrina suadetur. Quotiescumque non probatur certâ ratione hominem non esse liberum ab obligatione vitandi actionem, debet existimari, & iudicari liberi ab obligatione esse; ergo quoties non probatur certâ ratione præceptum interdicens actionem, inducensque obligationem eam vitandi, debet existimari, & iudicari hominem licitè posse elicere actionem. Consequentia constat. Antecedens (præter quam quod à Sapientissimo D.D. Ioanne Caramuel probatur doctissimè ex principiis illis communibus. *Melior est conditio possidentis; In dubio beatus qui possidet*) probatur hâc speciali ratione. Sunt aliquæ materiæ, in quibus prudenter iudicamus aliquid esse eo præcisè quòd oppositum, (sive contrarium, sive contradictorium) esse non probetur ratione aliquâ demonstrativâ, saltem moraliter, v.g. in quæstionibus de potentiâ absolutâ, An Deus possit producere hoc, aut illud, ita tam Philosophi, quàm Theologi argumentantur. *Debemus concedere Deum posse quidquid non probatur implicare manifestam contradictionem: ergo debemus concedere Deum hoc posse.* Maiorem concedunt omnes Philosophi, & Theologi hac nixi ratione; quia Deus ratione omnipotentiæ habet ius ut affirmemus de ipso posse omne quod est possibile: 765 Ergo dum non probatur certâ ratione hoc, aut illud esse impossibile, possumus prudenter affirmare Deum hoc, aut illud posse. Hâc tantum ducti ratione plures Theologi affirmant Deum hoc, aut illud posse de potentiâ absoluta, etsi nullam habeant specialem rationem persuadentem hoc, aut illud esse possibile, Et nullam aliam specialem rationem quærunt quam solutionem argumentorum partis oppositæ: quibus in medium prolatis, si constet non convincere, prudentissimè & probabilissimè affirmant Deum posse omne quod opposita sententia ratione convincente non probat esse impossibile.

764 Quàm esse certa debeant probationes, quibus legis obligatio est probanda.

Summè est efficax argumentum quod à possessione desumitur.

Multa Theologorum Resolutiones ratione tantùm generali probantur.

Deus est omnipotens.

An prudenter negare possimus Deum posse illa facere quæ implicare probabilem contradictionẽ? Multa sunt Opiniones probabiles, quæ solâ argumentorum obiectorum solutione probantur.

766 Ex hac doctrinâ sic argumentor. Sicut Deus ratione omnipotentiæ potest produ-

certe omne quod non implicat contradictionem: homo ratione libertatis potest elicere licitè omnem actionem, quæ interdicta non est. Sicut est evidens Deum posse producere omne quod impossibile non est: est etiam evidens hominem posse licitè elicere omnem actionem quæ prohibita non est. Sed sola ratio convincens aliquem terminum esse impossibilem, potest impedire quod creatura rationalis iudicet prudenter Deum posse illum terminum causare: Ergo sola ratio convincens actionem aliquam prohibitam esse potest impedire quod homo iudicet prudenter se posse licitè eam actionem elicere. Sicut ergo ex generali ratione omnipotentis tantùm imprudenter affirmamus Deum posse illa, quæ evidenti ratione probantur impossibili; etsi non habeamus rationem specialem probantem, esse aliquid possibile: ita ex generali ratione potentis licitè elicere omnem actionem non prohibitam, tantum imprudenter affirmamus de homine posse licitè elicere actionem, quæ evidenti ratione probatur prohibita. Sed in casu quæstionis, non probatur evidenti ratione actionem esse prohibitam: Ergo non erit imprudens, qui affirmaverit, *hic homo potest licite hanc actionem elicere*: Ergo hæc actio in circumstantiis quæstionis illicita non est. Consequentia patet, quia imprudens est iudicans licitè elici posse actionem illicitam.

Sicut Divina Omnipotentia est in possessione faciēdi omnia, quæ non sunt, impossibilia, ita & Humana Libertas est in possessione faciēdi omnia quæ non sunt prohibita.

CAPUT IV.

Tertia probatio eiusdem doctrinæ.

Tertiò eadem doctrina suadetur; & premamus exemplum, & paritatem in confirmationem suæ doctrinæ adductum ab Illustrissimo Caramuel. Dominicus Soto dixit esse obligationem diligēdi Deum, & eliciendi actum contritionis Omnibus diebus festis. Accedit Fridericus, & Francisco ignoranti & possidenti suam libertatem hanc obligationem notificat; & probat tantùm authoritate Dominici Soto, quæ probatio est purè probabilis. Franciscus nullam rationem specialem habet, quā sibi persuadeat sententiam Dominici Soto esse falsam: cognoscit tamen rationem desumptam ab authoritate Dominici Soto nō convincere, sed esse expositam errori: nec maioris ponderis, quàm aliæ rationes, quibus probantur opiniones purè probabiles, contra quas licitum est operari. Nunc inquiro, Franciscus in his circumstantiis positus aut tenetur diligere Deum omnibus diebus festis aut non tenetur? Si non tenetur, intentum habemus: nam tunc Franciscus nullam notitiam specialem habet repræsentantem omissionem amoris Dei esse licitam diebus festis: & tamen non tenetur Deum diligere omnibus diebus festis, eo præcisè quod obligatio sibi non proponitur certò; Ergo ut quis lege teneatur necessarium est legem & obligationem certo proponi.

767 *An habeamus obligationem eliciendi actū Charitatis omnibus diebus festis.*

N. B. *Hanc Soti opinionem (ut hoc saltem adducetur in margine) reticuit aliqui, quod festa obligent ex præcepto Canonico, quod ad actus pure internos non obligat, nam de occultis non iudicat Ecclesia. At potest respondere Sotus, præceptum esse divinum, & ab Ecclesiâ ad tales dies determinatum: & illa verba, Memento ut diem Sabbati Sanctifices, non esse de abstinentia ab operibus servilibus, sed de Sanctificatione, & illa opera inhiberi, ut hominem distrahant, & animæ sanctificationem impediant.*

Et hæc est doctrina expressa Scoti in 3. dist. 9. q. 1. nam agens de amandi Deum præcepto, ait. Hoc autem præceptum affirmativum non potest perpetuò impediri ab exequutione actûs, &c. Nihil autem potest excludere pro semper opportunitatem adorandi Deum, & ideò simpliciter ad actum huius præcepti affirmativi aliquando eliciendum tenetur quilibet adultus. Et pro tempore legis Mosaicæ videtur determinatio fuisse facta ad actum huius præcepti per illud tertium præceptum *Sabbatum sanctifica*, &c. Pro tempore verò legis Evangelicæ cultus ille exhibendus Deo in sanctificatione Sabbati, determinatur exhibendus die Dominico.

Si respondeas Petrum constitutum in prædictis circumstantiis teneri diligere Deum omnibus diebus festis, difficilem solutionem defendis. Nam si Petrus in dictis circumstantiis constitutus teneretur Deum diligere omnibus diebus festis, tenetur etiam assensum præstare sententiæ Dominici Soto, sed non tenetur assensum præstare sententiæ Dominici Soto; Ergo non tenetur Deum diligere omnibus diebus festis. Maior certa est; & minor evidens mihi videtur; quia nemo tenetur in conscientia assensum præstare propter rationem tantùm probabilem obnoxiam errori, dubitationi prudenti, & probabilitati oppositæ. Franciscus autem, etsi non habeat hic, & nunc rationem aliquam specialem contra sententiam Dominici Soto; cognoscit tamen rationem desumptam ab authoritate huius Doctoris esse tantùm probabilem, obnoxiam errori, dubio prudenti, & probabilitati partis contrariæ: contra quam, etsi Franciscus hic, & nunc non habeat rationem specialem, hoc est per accidens: ratio tamen desumpta ab authoritate Dominici Soto ex se coniungibilis est cum dubio prudente, & probabilitate oppositæ partis.

Nemo tenetur assentiri Opinioni purè probabili.

An quis indigeat speciali ratione ut à Soto dissentiat.

Confirmatur. Sola authoritas Dominici Soto oblati, & testis, non sufficeret, ut Iudex maneret obligatus in conscientia ad condemnandum reum, contra quem esset testis Dominicus Soto: Ergo sola Authoritas Dominici Soto sufficiens non est, ut homo sit obligatus ad subeundum æternam damnationem, si eliciat actionem. Consequentia à paritate est efficax: infinitè enim æstimabilior est æterna damnatio, quàm quælibet pœna temporalis à iudice humano potens infligi. Antecedens est evidens. Ponamus in causâ gravissimâ Iudici scienti virtutem, pietatem, doctrinam Dominici Soto hunc produci, ut testem contra reum; & quod nullus alius testis adesset reum condemnans. Reus nulla speciali ratione probat à delicto innocentiam. Solus Soto testificaretur delictum: testis est omni exceptione maior;

768 *Si Sotus esset in tribunali testis, nullus Iudex condemnaret reum ob testimonium Solius Soti.*

Sed

Sed Semiplenam tantùm faceret probationem, magna & gravissima Authoritas Dominici Soto. Iudex non teneretur assensum præstare Soto testificanti delictum:

769 nec propter delictum Semiplenè probatum esset obligatus in conscientia pœnam ordinariam iuris imponere reo. Si ergo Dominico Soto sub iuramento testificanti aliquid in Iudicio non tenetur Iudex assensium præstare, Etsi nullam specialem rationem haberet contra Dominici Soto dictum: Cur ergo teneor assensum præstare Dominico Soto testificanti esse obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis non tamen cum iuramento, neque ut testis ocularis huius obligationis? Me non teneri assensum præstare Dominico Soto in suis Scriptis docenti esse obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis, etsi ego contra Dominicum Soto nullam habeam specialem rationem, hoc syllogismo, quod mihi efficacissimum apparet, probatur. *Si non teneor credere digniori fide, non teneor credere minus digno fide: sed Dominicus Soto testificans aliquid in iudicio sub iuramento, & ut testis ocularis, est dignior fide, quàm ipse Dominicus Soto testificans in suis scriptis esse obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis, & hoc sine iuramento, & non ut testis ocularis: & aliàs Index non teneretur credere Dominico Soto testificanti aliquid in indicio sub iuramento, & ut testis ocularis; etsi nullam rationem specialem haberet contra Dominicum Soto: Ergo etsi ego non habeam rationem specialem contra sententiam Dominici Soto, non teneor credere Dominico Soto sine iuramento, & non ut testi Oculari testificanti esse obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis.*

Ergo nec Lector extra tribunal tenetur condẽnare seipsum propter authoritatem aut testimonium Soti.

Arguitur ingeniosè ob authoritate Soti testis oculati & iurati ad authoritatẽ eiusdem testis, nec oculati nec iurati.

770

Caput V.

Quarta probatio.

771 QVartò probatur eadem sententia, & probationi præmitto casum possibilem. Sicut Deus, ut supremus Dominus filiis Israël facultatem dedit ab Ægyptiis mutuò petendi vasa aurea & argentea, & ea non restituendi; ita, sic ut supremus Dominus potest dare facultatem Francisco, & sub gravi obligatione præcipere ut aurum & argentum Friderici sibi tollat, & non restituat. Revelet hoc decretum Petro. Petrus Francisco manifestet revelationem divinam, inquiens. *Deus tibi facultatem concessit auferendi, & non restituendi aurum Friderici; & hoc tibi sub gravi obligatione præcepit.* Franciscus Petro asserenti revelationem divinam non credit. Petrus probat revelationem sibi factam: non tamen ratione evidenti moraliter, sed tantùm probabili. Franciscus cognoscit motiva hanc revelationem persuadentia esse tantùm probabilia; & nulla ratione convincente sibi suadet talem extitisse revelationem. Nullam habet rationem specialem, quâ probet revelationem non factam Petro. In hoc casu (possibili absque dubio) teneretur Petrus auferre aurum Friderici, & non restituere, aut non teneretur. Si respondeas teneri, falsissimum est; quia evidenti ratione cognoscit Franciscus Deum prohibuisse auferre, & non restituere bona, quæ sub alterius dominio sunt, & certò cognoscit Fridericum esse in possessione sui auri & argenti. Licitè ergo Franciscus in prædicto casu non auferret aurum Friderici, conformando se legi communi non auferendi bona aliena, prout obliganti secundum providentiam communem, in quâ Deus dominium unius non transfert in alterum. Si concedas, ut debes secundum, concedis, quam negas, sententiam: quia in hoc casu eo quod Franciscus convincente ratione non sibi persuadeat se teneri auferre aurum alterius, non tenetur auferre; etsi haberet rationes probabiles persuadentes obligationem auferendi, & nullam habeat specialem, quâ probet non dari talem obligationem, & revelationem sibi intimatam probabiliter fuisse falsam.

Deus, qui est omnium rerum Dominus, concessit Hebrais ut Ægyptios spoliarent.

An, & quãdo debeamus credere revelationibus privatis?

Proponitur Casus similis & possibilis.

Quid faciendum in casu sic?

An posito præcepto certo & dispensatione probabili, sit obediendũ? Vide n. 638.

Quidquid dicatur stat Caramuelis sententia.

772 Respondebis in casu argumenti non teneri Franciscum auferre bona Friderici quia hic dantur duo præcepta incompossibilia: unum non furandi: alterum auferendi bona Friderici. Primum est Certum, & indubitatum: secundum tantum probabile. Primum est in certâ possessione obligandi: secundum minimè: & ex duobus præceptis illud obligat, quod certum est, & est in possessione obligandi: non illud quod incertum est, & cui non favet possessio. Sed solutio hæc probat efficaciter Illustrissimi Caramuelis sententiam. Quia in casu Argumenti Vnum præceptum certum est, aliud probabile tantùm: possessio favet præcepto certo contra præceptum incertum: sed in casu Conclusionis Illustrissimi Caramuelis libertas Petri certa est: præceptum prohibens actionem incertum, & tantùm probabile; Ergo propter eâdem rationem possessio debet favere libertati certæ contra prohibitionem supervenientem incertam. Contra secundò, quia in casu argumenti non essent duo præcepta incompossibilia, neque dispensatio in lege naturali non furandi; sed duo præcepta disparata: Vnum non auferendi à Friderico bona propriâ authoritate; alterum auferendi eadem bona authoritate divinâ, transferente dominium Friderici in Franciscum. Vnde communior Theologorum sententia docet Deum, concedentem Hebræis facultatem auferendi, & non restituendi Vasa Ægyptiaca, non dispensasse in lege naturali non furandi; sed tantùm transtulisse dominium Ægyptiorum in Hebræos. [a]

Si post præceptum certum superveniat aliud probabile, quod priori opponatur, standum est certo non probabili.

De concurrentia duorum præceptorum. An certo potiùs quàm probabili sit obediendum.

An quando Deus concessit Hebræis ut spoliarent Ægyptios in septimo Decalogi præcepto dispensaverit.

a] Ex hac Reverendissimi Domini Resolutione collige non dispensasse Deum cum Iudæis, ut possent cum alienigenis exercere usuras, nam in eos transtulerat illorum civitatum & terrarum dominium. Ergo nihil inde inferri poterit contra Christianos: nam nostrorum bonorum dominium in Iudæos nunquam transtulit.

773 *Praeceptum incertum non obligat: & omne probabile est incertum.*

Meliùs respondebis argumento relato Fridericum esse in possessione evidenti suorum b norum ; ius à Deo datum Francisco in ea bona , esse tantùm probabile; præceptum, & mandatum Dei ea auferendi non probatum certâ ratione : ideóque Franciscum præcepto incerto minimè obligatum , ad auferendum aurum Friderici contra ipsius certam possessionem. Optima solutio , sed confirmat Illustrissimi Caramuelis sententiam. Præceptum incertum contra Fridericum notificatum Francisco probabiliter , & revelatione divinâ probabiliter tantùm positâ , non obligat Franciscum , quia Fridericus est in possessione evidenti sui auri : sed etiam quilibet homo est in possessione evidenti suæ libertatis , dum non probatur oppositum , ergo præceptum incertum , notificatum contra libertatem propriam probabiliter tantùm, nullum hominem obligat.

Ratio incerta possessioni certa nunquam poterit præiudicare.

Capvt VI.

Quinta probatio.

774 *Quid sit opinari, aut assentiri probabiliter?*

QVintò eadem doctrina suadetur ex aliâ, quam tradit Bossius *part.* 1.*tit.*1. *num.*105. videlicet assentientem opinativè penetrantemque inefficaciam, & fallibilitatem mediorum, non iudicare absolutè illam partem, cui assentitur, esse veram; sed tantùm iudicare partem cui assentitur, esse probabilem , & verisimilem. Potest contingere assentientem obiecto ob rationem probabilem , quia non penetrat inefficaciam mediorum , & ex inconsideratione iudicat infallibilia , iudicare absolutè obiectum esse verum , & oppositum prorsus falsum. His tamen non assentitur opinativè ex parte subiecti ; sed firmiter , & sine formidine ex parte suâ ; etsi ex parte medij , & obiecti, assentiatur opinativè. Qui autem assentitur Opinativè ex parte subiecti alicui propositioni , non iudicat absolutè eam propositionem esse veram; sed tantum esse probabilem , & verisimilem, obnoxiam tamen errori , & falsitati, indicatque fortassis esse falsam; quia habet formidinem : formido autem est actus intellectûs explicatus his verbis , *fortassis hoc est falsum* , Vt optimè explicant Lugo , & Ripalda supra relati. Nunc sic argumentor. Ergo in casu quæstionis, qui pro non existentia prohibitionis nullam haberet rationem , pro existentia verò prohibitionis haberet rationem probabilem , nullam tamen demonstrativam , hoc iudicium prohibitionis tantùm formaret. *Probabile & verisimile est hanc actionem esse prohibitam , sed fortassis prohibita non est.* Sed prohibitio notificata hoc tantùm iudicio non potest certò obligare : Ergo in Casu quæstionis sic prohibitionem cognoscens liber omninò ab obligatione esset. Minor subsumpta probatur. Iudicium certò obligans vitare actionem requirit , & exigit esse improbabile iudicium partis oppositæ,

Est certissima hæc doctrina Bossij, eum , qui opinatur, nec dicere , nec dicere posse, Hoc est verū, Sed Hoc est tam verissimile, ut possit prudenter tanquam verū supponi. *Hanc ipsam doctrinam ab anno* 1639. *Lovanij in publicis disputationibus defendebat Caramuel, & posteà sæpe in suis libris scripsit. Et addebat, intellectum quādo comparat inter se duas opiniones probabiles, nec dicere nec posse dicere* Hæc est vera, *nec* Altera est vera, *nec* Vtraque est vera. *Sed* Vtraque est tam verisimilis, ut alterutra prudenter possit tanquam vera supponi. *Non solùm duæ Contradictoriæ possunt esse simul probabiles sed repugnat, quòd altera sit probabilis, & altera nō sit probabilis.* Vide Syndromi Epist. 17 à n. 115.

ergo non obligat. Maior, & minor restant probandæ. Maior suadetur sic , iudicium certò obligans , exigit omne illud quod requiritur ad certam obligationem; ad obligandum autem certò requiritur esse impossibile iudicium partis oppositæ ; nam si hoc esset probabile non obligaret : cum hic supponatur probabilitatem Oppositi excusare ab obligatione. Minor verò constat etiam , quia hoc iudicium est tantùm probabile , & cognoscitur , ut pure probabile : Vt autem aliquod iudicium sit, & cognoscatur esse purè probabile, non exigitur esse improbabile iudicium partis oppositæ ; cùm sine ulla repugnantia utrumque possit esse probabile.

Confirmatur , & explicatur argumentum , contra rationes speciales probabiles persuadentes aliquam actionem esse prohibitam potest in favorem libertatis formari iudicium desumptum ex generali ratione possessionis libertatis , [e] quod sit probabile , & repræsentet hominem hic , & nunc non teneri vitare actionem : sed qui habet iudicium probabile repræsentans hic , & nunc se non teneri vitare actionem licitè potest actionem elicere , quamvis tale iudicium non nitatur alicui speciali rationi, sed tantum rationi generali possessionis libertatis : Ergo habens speciales rationes probantes actionem esse prohibitam , & nullam specialem persuadentem honestatem actionis , potest licitè elicere actionem , titulo præcise possessionis libertatis. Probatur maior. Ex medio probabili proportionato ad probandam libertatem , & dominium potest formari iudicium probabile contra rationes speciales impugnantes libertatem , & dominium: sed possessio libertatis , & dominij , est medium probabile proportionatum ad probandam libertatem & dominium ; quia possessio probat proprietatem : ergo ex generali ratione possessionis libertatis potest formari iudicium probabile in favorem libertatis contra specialem rationem probabilem probantem prohibitionem , & impugnantem libertatem , & dominium : Ergo homo constitutus in circumstantiis quæstionis haberet duo iudicia probabilia unum nixum speciali rationi & hoc enuntians. *Propter specialem rationem est probabile hanc actionem esse prohibitam , & me teneri illam vitare :* aliud nixum generali rationi possessionis , & hoc enuntians. *Propter rationem desumptam ex generali ratione possessionis est probabile præceptum prohibens actionem probabiliter tantum a me cognitum me non obligare , & non teneri vitare actionem.* Cum his autem duobus iudiciis probabilibus (etsi nullum & speciale ratione favente non existentiæ præcepti haberet) posset homo licitè operari, & elicere actionem ; nam omnis probabiliter iudicans sibi actionem licere, potest licitè elicere actionem : sed tunc homo iudicaret probabiliter sibi licere elicere actionem ; ergo licitè actionem eliceret. Et parum refert quod iudicium repræsentans actionem , licere nitatur rationi probabili,

775 e] *Bene cōcludit hoc argumentū, etiam ex suppositione, quod hoc sit iudicium probabile: at putat Caramuel esse certum , & posse hoc ipsum manifestè probari discurrit enim sic.* Si domus A. sit probabiliter Petri, & sic etiam probabiliter Pauli: & Petrus sit in possessione , & Paulus sibi illam adiudicari postulet ; quid faciet iudex? Si Paulo nō adiudicat : Stat Cara-

776 muelis sententia , & possessio prævalet omni rationi probabili; si adiudicat, dabitur processus in infinitum : nā statim Petrus litem aget contra adquisitam à Paulo possessionem, & adquiret iterum domū propter suas rationes probabiles. Ergo , quia in Practicis nō dari processum in

infinitum certum est. Possessionē prævalere omni probabilitati alterius partis, certum est.

probabili, speciali, aut generali, possessionis; nam sive nitatur rationi speciali probabili, aut generali probabili, semper iudicium probabile est: Iudicium autem probabile repræsentans actionem licere, sivè nixum rationi speciali probabili, sive generali rationi probabili, sufficit ut homo illud habens licitè eliciat actionem.

Ad conscientiæ securitatem sufficit probabilitas.

Confirmatur hæc ratio. Hæc propositio certa est, *Homo est liber ab obligatione vitandi actionem, quoties adhibitâ sufficiente diligentiâ prohibitio actionis non constat ipsi.* [f] Ratio est manifesta, quia libertas ab obligatione naturalis est homini, in ipsoque necessariò resultat, nisi lege Superioris impediatur. Lege autem invincibiliter ignoratâ [g] non impeditur libertas ab obligatione, quia lex invincibiliter ignorata non magis obligat, quàm si non esset. Lex autem, quæ post adhibitam diligentiam non constat, invincibiliter ignoratur. Certa ergo est supra dicta propositio. Dissidium ergo, & controversia consistit in modo, quo lex prohibens debet constare. Duæ sunt sententiæ in hâc quæstione significata. *Homo est liber ab obligatione vitandi actionem, quoties adhibitâ sufficiente diligentiâ prohibitio actionis ipsi non constat certitudine morali; quamvis constet ratione probabili, & nullâ ratione speciali probabili suadetur actionem licitam esse.* Secunda sententia est huic opposita, hâc propositione declarata. *Homo non est liber ab obligatione vitandi actionem, si probabiliter constat prohibitio actionis, & eadem prohibitio aliqua speciali ratione probabili non impugnatur; quamvis libertas ab obligatione ex generali ratione possessionis probetur.* In præsenti hanc quæstionem reflexam proponimus; videlicet *Quænam ex his sententiis vera sit?* Nunc inquiro: propositâ hâc quæstione reflexa, vel potest dari dubium prudens, & rationabile, aut non? Si primum, sequitur evidenter sententiam Illustrissimi Caramuelis esse probabilem. Probatur assumptum. Evidens est esse probabilem sententiam, quæ in dubio prudenti, & rationabili legis, favet libertati, non tantùm in materiâ Iustitiæ, sed in aliis materiis: sed per te hâc quæstione reflexâ propositâ datur dubium prudens, & rationale: & sententia Illustrissimi Caramuelis favet libertati: ergo est sententia probabilis. Si respondeas secundum, teneris concedere nullum cordatum posse dubitare, An sententia Illustrissimi Caramuelis sit vera, vel falsa: sed ne velit imprudentissimum iudicium formare teneri asserere esse prorsus falsam. Si hoc secundum respondeas, durissimum est; [*] quia nullus cordatus tenetur asserere esse falsam, & improbabilem sententiam nixam apparentibus rationibus; & authoritate doctissimi Viri: Contra quam nullum argumentum evidens, & convincens formatur: sed sententia Illustrissimi Caramuelis ipsius authoritate fulcitur, rationibus apparentibus desumptis ex libertate, & possessione suadetur, nulla contra ipsam ratio demonstrativa opponitur: Ergo omninò falsum est quemcumque cordatum, ne imprudenter dubitet, aut iudicet, teneri asserere esse falsam, & improbabilem.

f] Hæc est Caramuelis Conclusio. Ergo Caramuelis doctrina non solùm probabilis, sed certa est.

g] Supponit Reverendissimus D. communem Doctorum sententiam, quæ asserit promulgationē non esse formam legis, sed conditionē sine quâ non obligaret, & solidè ratiocinatur: at si voluisset minùs communi (probabilissima tamen) adhærere sententiæ, potuisset dicere promulgationē esse formam constitutivā legis: & addere, eam, quæ non est sufficienter promulgata, non esse veram legem: adeoque actus, qui contra illam fierent, non fore materialia peccata. Insistens aliquando huic doctrinæ Caramuel; dari negat materialia peccata: admittitque hypothetica: quæ nō sunt peccata, sed essent, si lex fuisset intimata sufficienter: & addit legē, quæ non cognoscitur certò, sufficienter intimatam non fuisse.

An Caramuelis Resolutio sit evidenter probabilis?

*] Fortè erit inter æmulos aliquis stomacho tam forti præditus, ut hanc durissimam sententiam audeat transglutire & concoquere: sed compesci poterit ostendendo in S. Augustino, S. Thoma, (ut nihil de Aristotele dicam) multas in gravissimis materiis Resolutiones, quæ solâ ratione generali probantur.

Rursus Argumentum protendo. Ergo si omnis prudens tenetur iudicare sententiam Illustrissimi Caramuelis esse falsam & improbabilem; consequenter Omnis prudens tenebitur asserere sententiam oppositā esse certam, & evidentem: videlicet hanc propositionem. *Homo est spoliatus libertate ab obligatione vitandi actionem, eo præcisè quod ipsi probabiliter constet prohibitio actionis, & non habeat rationem specialem persuadentem se ab hac obligatione liberum esse; quamvis ex generali ratione possessionis probet propriam libertatem ab obligatione.* O bone Deus! Si omnis cordatus tenetur iudicare hanc propositionem esse certam, & evidentem, procul dubio ratione demonstrativâ, & per se nota fulcitur. Vbi est ergo demonstratio probans evidenter sententiam Illustrissimi Caramuelis esse falsam? Demonstratio, & Evidentia, quæ omni homini cordato patens est, tantùm latuit doctissimum & Sapientissimum Virum? Omnis homo prudens evidentiam huius propositionis clarè agnoscit; & solus Theologiæ Moralis communis Magister cœcutit? Sed ne admirationibus confirmemus doctrinam, accedamus ad rigorosi examinis Scholasticam trutinam. Vt verum fatear rationes utriusque sententiæ perpendi, & non tantùm contra sententiam Illustrissimi Caramuelis rationem demonstrativam nō inveni; sed omnibus pensatis hanc efficacioribus rationibus fultam agnosco: Contrariam debilioribus fundamentis munitam, quorum plurima ex non penetratione sententiæ doctissimi Viri, [h] originem ducunt. Nescio quibus rationibus alij sententiam Illustrissimi Viri impugnaverint (Vsque adhuc enim non vidit Salmantica tractatus huiusmodi): fundamenta, quæ contra sententiam celeberrimi Doctoris, & Magistri, mihi, & plurimis doctissimis Viris consultis occurrerunt proponam; & ex solutione illorum firmiùs confirmabitur doctrina Superiùs fulta.

778 *Est Caramuelis sententia, quæ opponitur improbabili.*

Quid requiratur, ut sententia al. quæ esse certa dicatur.

N. B. Contra Caramuelem longi libri scribantur, in quibus & labor & charta prodigitur. Demonstratio tribus lineis construitur. Cur ergo nō audent edere tres lineas, quibus eis placet uberrimè vociferari?

779 *An Caramuelis doctrina debeat admitti, ut probabilior?*

h] Vide, quæ num. 769. ex D. Passerino dicebantur in margine.

CAPVT VII.

Dissoluuntur Obiectiones impugnantes sententiam Illustrissimi Caramuelis.

OBIECTIO I.

OPPONES PRIMÒ contra doctrinam traditam. Conveniunt omnes Doctores certum esse, ut quis licitè opere- 780

tur,

De iudicio Practico ad operandum requisito.

tur, requiri iudicium practicum dictans, hic & nunc licere operari: sed habens rationes probabiles suadentes actionem esse interdictam, & nullam specialem probantem interdictam non esse, non potest habere iudicium practicum dictans, hic & nunc licere sibi operari, Ergo homo in his circumstantiis constitutus non potest licitè operari, & elicere actionem. Minor probatur. Nullus potest prudenter formare hoc iudicium. *Hic, & nunc licet mihi operari*, nisi aliquâ ratione apparente manuducatur: Sed supponimus hominem in prædictis circumstantiis constitutum nullam rationem apparentem habere, quæ suadeat actionem non prohibitam, & sibi licere operari, & eam elicere; Ergò non potest prudenter iudicare practicè sibi licere actionem elicere. *Confirmatur.* Cùm natura intellectus sit tendere circa verum, non potest assentiri obiecto nisi verum appareat: Ergò non potest homo practice iudicare, *Hac actio mihi licita est*, nisi appareat verum eam licitam esse. Sed hoc obiectum non apparet verum in se ipso; quia non cognoscimus illud intuitivè: Ergo debet apparere verùm in alio; videlicet in medio aliquo seu ratione probante esset verum. Sed supponimus nullum medium speciale, nullam rationem specialem dari probantem hoc esse verum: Ergo non potest intellectus practice iudicare, hic & nunc licitum esse elicere eam actionem.

Quale esse debeat, ut reddat conscientiam securam?

Non potest alicui assertioni assentire intellectus nisi vera appareat?

781

782

Argumentum, quo vir pius & prudens teste Caramuele suam reddit conscientiã securam, hoc est.

Mihi licet, quidquid nõ est certò prohibitũ. At tacere in confessione circumstantias aggravantes, quæ non mutant aut addunt novam speciem, v.g. nõ est mihi certò prohibitum.

Ergò illas in Confessione tacere, mihi licitũ est.

Hic syllogismus con[illegible] & [illegible]. Maior est manifesta. Minor specialis [illegible] non [illegible], sed generalis [illegible] vera, donec [illegible]

Hoc argumentum est (ni fallor) ex non penetratione Illustrissimi Caramuelis sententiæ: non enim absolutè negat ad licitè operandum requiri aliquod iudicium probabile repræsentans actionem licitam esse; solùm negat necessarium esse iudicium probabile nixum speciali rationi; sive deductum ex medio speciali suadente actionem non esse prohibitam. Minimè negat ad licite operandum requiri iudicium probabile repræsentans actionem licitam esse ex generali ratione possessionis & libertatis: sed hoc iudicium necessarium esse expressissimè affirmat, ut ex verbis ipsius constat. Ad argumentũ ergo respondeo hominẽ constitutum in dictis circumstantiis posse prudenter iudicare practicè sibi licere elicere actionem: & ad formandum hoc iudicium manuducitur, non à ratione speciali probante actionem non esse prohibitam; sed à ratione generali possessionis suæ libertatis: posset enim hunc discursum prudentissime formare. *Quoties prohibitio actionis mihi certò non constat, possideo libertatem, non obligor lege prohibente, & licitum mihi est elicere actionem: sed hic & nunc prohibitio actionis mihi certò non constat, ergo possideo libertatem, non teneor lege prohibente, & licitum mihi est elicere actionem.* Per hoc patet respõsio ad confirmationem. Intellectui enim tunc proponeretur, ut verũ hoc obiectũ: *Licitum est mihi elicere actionem*, non in se, sed in alio medio, & ratione apparente: non tamen ratione speciali; sed communi, & generali desumpta est ratione possessionis.

bitionem certò persuadeat adversarius. Consequentia non est tam probabilis, sed infallibilis & certa, non enim potest concessis præmissis negari.

N. B. Caramuelem semper iuvat Veritatis & Bonitatis in actu morali distinctio: inquit enim, *Non habeo certitudinem de Veritate interdictionis huius actûs; Ergo habeo certitudinem de Bonitate & Honestate (positiva, vel negativâ) eiusdem actus.*

Obiectio II.

783

Non licet adhærere Opinioni improbabili.

Sed neque opinioni, de cuius probabilitate dubitatur.

Ita cum R. D. contra Caramuel cõtra Gerson. Vasq. Salas, Sanch. Granad. Pasqualig. Baldell. ex quibus Vercellius *tra. 2. q. 11. n. 3.* deducit,

Ad honestatem actionis sufficere iudicium practicum probabile de honestate.

Opones secundò. Non licèt in praxi sequi opinionem, quam quis putat esse impossibilem, aut de cuius probabilitate dubitat; ut cum Angelico Magistro, citatis Medina, Reginaldo, Vasquez, Salas, Sanchez, Bordono, Pasqualigo, ut certum, & indubitatum supponit Bossius *tit. 1. num. 119.* Sed homo in prædictis circumstantiis (etsi non iudicet esse improbabilem hanc propositionem, *Hac actio mihi licita est*, quia ad hoc necessarium erat impugnari evidenti ratione, & prohibitionem ratione demonstrativâ suaderi) dubitat tamen de probabilitate ipsius: quia post adhibitam diligentiam experitur nulla ratione apparenti probari. Quis autem non dubitat de probabilitate possessionis, quam omni ratione probabili destitutam agnoscit; Ergo homini in circumstantiis quæstionis constituto non licet in praxi hanc propositionem sequi. Confirmatur. Nullus in praxi potest licitè sequi sententiam, quam expressè iudicat non esse probabilem; sed homo in circumstantiis quæstionis expressè iudicaret hanc propositionem *hac actio mihi licita est*; non esse sibi probabilem: ergo hanc propositionem non posset in praxi licite sequi. Minor constat; quia expressè cognosco mihi non esse probabilem sententiam, quæ mihi non apparet aliqua ratione probabili munita: sed tunc expressè, & ab experientia cognoscerem hanc propositionem, *Hac actio mihi licita est*, non apparere mihi munitam aliquâ ratione probabili Ergò expressè cognoscerem mihi esse probabilem.

784

Improbabilis opinio illa est, quæ nulla probabili ratione fulcitur.

Vide quæ n. 711. dicebantur in margine.

Nemo illam eligere potest in praxi.

Quid requiratur, ut quis iudicet actionem aliquam sibi licitam esse.

785

[i] Hac ponuntur doctissimè, nec aliter posset loqui Caramuel, nec aliter ellum est loquutus, cùm communi utebatur Theologorum dialectica: sed quia in hoc ipse tractatu alia uti voluit, & Veritatẽ à Bonitate seu Honestate actus distinguere, stãdo doctrina num. 38 tradita diceret.

Existimo etiam hoc argumentum ortum ducere, è non penetrata mente Illustrissimi Caramuelis. Verum est in praxi non licere sequi sententiam, quam quis iudicat improbabilem, aut de cuius probabilitate dubitat, vel quam certò cognoscit sibi non esse probabilem ullo modo, neque ex ratione speciali, neque ex ratione generali possessionis. Huic oppositum non docuit sapientissimus Vir. Doctrina ipsius in hac propositione continetur. *Licitum est homini elicere actionem, quando honestas ipsius non est improbabilis, quando dubitat de probabilitate speciali honestatis actionis desumpta ex ratione speciali, & quando certò cognoscit honestatem actionis sibi non esse probabilem probabilitate speciali ob rationem specialem: si tamen cum his omnibus sibi persuadeat probabiliter ex ratione generali possessionis propriæ libertatis actionem illam esse sibi honestam, & licitam.* [i] Homo in circumstantiis prædictis constitutus hæc omnia haberet iudicia. Primum,

Est certò licitû homini elicere actioné, quando Veritas practica ipsius non est improbabilis, quando videlicet dubitat de probabilitate speciali, eiusdem Practicæ Veritatis desumptâ ex ratione speciali, & quando certò cognoscit veritatem actionis sibi non esse probabilem probabilitate speciali ob rationem specialem: si tamen his omnibus non obstantibus, sibi persuadeat probabiliter ex ratione generali possessionis propriæ libertatis actionem illam habere veritatem practicam, hoc est, interdictam non esse. *Est enim certò licitum, quidquid certò interdictum non est.*

Nota obiter, non esse idem dicere, *Hæc sententia non est probabilis ob rationem specialem*, ac dicere, *Hæc sententia est non probabilis ob rationem specialem.*

nium, Hæc propositio, [*Licitum est mihi elicere hanc actionem,*] *non est impossibilis quia non impugnatur evidenti ratione.* Secundum, *Dubium mihi est, an sit hæc propositio probabilis ex ratione speciali, quia nullam specialem eam probantem inveni.* Tertium, *Certum est hanc propositionem mihi non esse probabilem speciali ratione directè probante non esse prohibitam; quia negatio prohibitionis huius actionis mihi non apparet munita speciali aliquâ ratione probabili.* Quartum. *Hæc propositio est probabilis probabilitate desumpta ex generali ratione possessionis propriæ libertatis; quia quoties mihi certò non probatur actionem esse interdictam, & me spoliatum libertate, est probabile me possidere libertatem, & licitè posse elicere actionem.*

786 *An Probabilitas sit prima radix moralitatis, seu honestatis?*

Dicet aliquis, has solutiones non cohærere cum secunda conclusione Illustris. Caramuelis, quæ est huiusmodi. *Probabilitas non est prima radix moralitatis.* In his autem solutionibus recurrimus ad probabilitatem desumptam ex generali ratione propriæ libertatis, vt quis possit licitè operari; Ergo deserimus sententiam Illustrissimi Caramuelis, & aliam diversissimam tuemur. *Respondeo* sensum Illustrissimi, & Sapientissimi Viri constare ex dictis in resolutione quæstionis. Non negat probabilitatem desumptam ex ratione generali possessionis propriæ libertatis esse radicem omnis moralitatis: imò hoc absolutè affirmat in tertia conclusione, quando, ait, *Hæc propositio* [*licitum est actionem quamcumque elicere, quæ certò interdicta non sit*] *est non solum vera, sed continet, & exprimit rationem formalem honestatis.* Radix ergo moralitatis (inquit Author) est prædicta propositio quam docet esse probabilem, probabilitate desumpta ex ratione generali possessionis propriæ libertatis; non ex ratione speciali directè probante actionem non esse prohibitam.

Conclusio, quæ ex generali illa possessionis lege deducitur ad securitatem sufficeret, etsi esset merè probabilis: at eamdem ipsam certam & infallibilem desiderat esse Caramuel. Vide, quæ num. 241. dicebantur in margine.

Obiectio III.

787 *De peccandi periculo.*

OpPONES TERTIÒ, cognoscens, etsi non demonstrativis, probabilibus tamen rationibus actionem esse interdictam, & nullam habens rationem specialem suadentem interdictam non esse, se exponit periculo peccandi, si actionem eliciat; sed illicitum est cuilibet se exponere periculo peccandi: ergo illicitum est in prædictis circumstantiis elicere actionem. Probatur Maior. Operari cum cognitione prudēter proponente actionem esse interdictam, & sine ullâ cognitione repræsentante prudenter interdictam non esse, se exponit periculo eliciendi actionem, quæ in re sit interdicta: sed elicere actionem interdictam in re, quam interdictam esse cognoscit operans, nullam habens rationem prudenter proponentem non esse interdictam, est peccare: Ergo cognoscens, etsi non demonstrativis, probabilibus tamen rationibus actionem esse interdictam, & nullam habens rationem suadentem interdictam non esse, se exponit periculo peccandi, si actionem eliciat.

An liceat se tali periculo exponere?

N. B. Ratio generalis, est ratio prudēter proponens actionem interdictam non esse.

HOC ARGUMENTUM, etiam originem trahit, e non penetretâ Illustrissimi Caramuelis sententia. Respondeo habentem duas opiniones probabiles oppositas non se exponere periculo peccandi, quia format, iudicium practicum evidens dictan., hic & nunc licitum esse operari conformiter ad opinionem probabilem docentem licitum esse elicere actionem. Homo in circumstantiis quæstionis constitutus, etsi tantùm haberet unicam opinionem probabilem suadentem ex speciali ratione actionem esse interdictam, & nullam opinionem haberet ex speciali ratione probantem interdictam non esse; haberet tamen probabilem opinionem probantem ex generali ratione possessionis libertatis actionem licitam esse. Ex quo sequitur non magis se exponere periculo peccandi, qui sententiam Illustrissimi Caramuelis sequeretur, quam qui habet duas opiniones probabiles oppositas, quarum quælibet probabilis est ob aliquam specialem rationem. Ad probabilitatem enim opinionis parum refert quod nitatur speciali rationi, aut alicui generali principio; si tamen illud sit probabile, & probabiliter inferatur conclusio. 788

Sicut monet Reverendissimus D. rationem esse generalem, aut specialem, modo probabilis sit, perinde esse.

Et etiam ideò non, ideò Caramuelê negare esse necessariam specialem rationem, quia affirmat generalem sufficere.

N. B. Meritò Reverendissimus Dominus abstinet à divisione peccati in materiale & formale, ad quam passim Scriptores recurrunt: repugnat enim conceptus materialis peccati; si doctrinæ positæ, *num. 37. & 697.* consternus.

Obiectio IV.

QVARTÒ OPPONES, Patr. Thom. Sanch. *tom. 1. in Decal. lib. 1. epist. 10. num. 3.* qui hanc difficultatem expressè tetigisse videtur, & sic respondet. *Si enim rationes illæ non omnino convincentes* [K] *ita assensum opinativum dictantem esse rem alienam, generent, ut nullus partis contrariæ assensus supersit, sed sola formido inclusa in opinione; iam non manet res dubia, cùm intellectus verè assentiat alteri parti, nullum alterius assensum habens. Et ideò tenetur rem illam restituere. Et in hoc sensu optimè dixit Vasquez exigi ut rationes assensum non generent. Atque hoc inde constat, quia tunc rem illam retinens operaretur contra opinionem propriam, carens prorsus probabilitate contraria.* 789

K] Involuit hic contradictoria Sanchez, repugnat enim in Moralibus ut ex unâ parte sint rationes non convincentes, & non sint rationes ex alterâ: ideò enim illæ nō convincunt, quia probabiliter dissolvuntur, quia sententia opposita probabili ratione fulcitur: nam responsio ad unius sententiæ probationes, sumitur ex rationibus, quibus succollatur contraria. vide Syndromum, epist. 17. à num. 535.

RESPONDEO

Respondeo primò, Venerando authoritatem Thomæ Sanchez, quæ propriam sententiam reddit probabilem, sed non convincit esse falsam sententiam Illustrissimi Caramuelis.

790 *Etsi Sanchez affirmaret oppositum, liceret Caramueli in suo sensu abundare.*

Secundò respondeo Thomæ Sanchez, opponendo Ioannem de Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *tract.* 8. *disp. unica num.* 231. Vbi inquit. *Ego cum Vasquez probabilius puto, etiamsi rationes magis in contrariam partem inclinent, licitum esse rem ipsam à possidente retineri, & consumi; non solùm quando rationes assensum pro contraria parte generare non valent, ut ait Vasquez, sed etiam quando illum valent generare, & generant, modò non convincant, nec assensus sit certus physicè, aut moraliter, sed merè opinatiuus: adhuc enim vere res est dubia, & possessio præponderat omnibus rationibus non convincentibus; eo quod rationes, quæ nō convincunt, sed utramque partem reddunt probabilem æquales, aut fere æquales sunt.* Vbi videtur, Ioannes de Salas docere sententiam Illustrissimi Caramuelis. Et licet in Vltimis verbis videatur loqui in casu, quo pro utraque parte sunt rationes probabiles; quarum unæ sint efficaces, non aliæ: favet tamen sententiæ Illustrissimi Caramuelis illis verbis, *Possessio præponderat omnibus rationibus non convincentibus.* Ex quo sequitur habentem rationes purè probabiles, & non convincentes persuadentes actionem esse prohibitam, & nullam rationem specialem probabilem probantem interdictam non esse, posse probabiliter iudicare eam actionem sibi licere, argumento desumpto ex possessione propriæ libertatis: quia possessio libertatis efficacius medium est ad probandum actionem licere, quàm qualibet alia ratio non convincens probans esse interdictam: quia possessio præponderat omnibus rationibus non convincentibus.

Relege & perpende hæc verba, *modò non convincant, nec assensus sit certus, &c.*

An Salas opinionem Caramuelis tueatur?

Quàm sit efficax argumentū, quod sumitur à possessione?

Omnibus rationibus incertis, quæ in contrariū adducātur, præponderat?

791 *l] Ergo Sanchez loquitur in casu impossibili: nunquam enim rationes probabiles generant assensum determinatū. Qui enim ex fundamentis probabilibus iudicaret aliquā propositionē esse certam, temerè iudicaret: at hoc iudicio posito, si oppositum faceret contra propriam conscientiā (erroneam videlicet) operaretur. At posito iudicio, quale probabiles præmissa in-*

Tertiò respondeo, Patrem Thomam Sanchez loqui in casu, quo rationes probabiles generant assensum determinatum [*l*] Quid si non generent? Exempli gratiâ habeat quis rationes probabiles probantes actionem esse interdictam, & nullam specialem suadentem interdictam non esse: non generent assensum hæ rationes probabiles. Tunc poterit licite elicere actionem; quia tunc nulli parti assentitur operans; & licet eliciat actionem, non operatur contra opinionem propriam earens prorsus contrariæ probabilitate (hoc erat inconveniens à Thomâ Sanchez illatum) Ergo iam in hoc casu sententia Illustrissimi Caramuelis est vera. Et, si bene perpendatur non dixit Illustrissimus Vir post formatum assensum prohibitionis licitum esse elicere actionem nullam rationem habenti suadentem non esse prohibitam, sed potiùs ante formatum assensum. Expende illa verba *è num.* 116. §. *Franciscus,* Vbi ab authoritate Dominici Soto Fridericum introducit suadentem Francisco obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis. At Sotum Fridericus adducit, qui lect. B. de Pœnitentiâ hanc sententiam tutatus. Honorat Franciscus Soti nomen, interim; quia liber est non autem Soti servus, non vult intellectum in Soti obsequium captivare. Sotum probabiliter loquutum esse non negat; sed tamen in suo sensu abundat, & adhæret opinioni contrariæ (opinioni, inquam, contrariæ, non ex ratione speciali, sed ex generali ratione possessionis propriæ libertatis) vbi Illustrissimus Caramuel nil amplius docet, quam ante assensum genitum licitum esse Petro elicere actionem, etsi rationes speciales sint prohibitioni faventes, & nulla specialis probabilis probans actionem non esse prohibitam.

servant videlicet. Hoc ita est verisimile ut etiam verisimile oppositum sit.

792 *Ergo utrūque est verisimile. Ergo alterutrū potest, in praxi prudentes tanquam verū supponi. Tunc, inquam, tutâ ipsa conscientiâ poterit alterutrum facere.*

Qvartò, respondeo doctrinam Thomæ Sanchez componi cum doctrinâ Illustrissimi Caramuelis. Ille enim tantum dixit post formatum, & genitum assensum illius partis, quæ probabiliter suadetur, non posse licitè operari eum, qui nullam prorsus partis contrariæ habet probabilitatem; [*m*] sed habens rationes probabiles suadentes prohibitionem actionis, & nullam specialem probantem non esse prohibitam, potest licitè prohibito suspendere assensum; ergo adhuc admissâ doctrinâ Thomæ Sanchez potest licitè elicere actionem. Minor est probabilissima doctrina, quam tuetur Bossius *tom.* 9. *in Appendice ad titul.* 1. *num.* 2351. Vbi docet rationes probabiles non necessitare quoad exercitium ad præstandum assensum; sed esse necessarium imperium liberum voluntatis, ut intellectus præstet assensum ob rationes purè probabiles. Verum est non posse voluntatem imperare assensum Contrarium, Si pro parte contrariâ non adsunt rationes probabiles, & apparentes. Er ita; ut voluntas maneat libera quoad specificationem ad imperandum assensus contrarios sub disiunctione necessarium est utramque opinionem contrariam suaderi probabilibus rationibus, aut aliquo modo apparentibus. Cæterùm rationibus probabilibus pro unâ sententiâ existentibus, & nulla ratione favente, oppositæ sententiæ, voluntas manet libera quoad exercitium; etsi voluerit potest imperare assensum illius sententiæ; quæ probabiliter suadetur; & pro libito potest non imperare assensum. Ex quo sententia Illustrissimi Caramuelis confirmatur ex principiis Thomæ Sanchez. In doctrinâ Thomæ Sanchez potest voluntas licitè operari quando non generatur assensus prohibitionis: sed quoties non probatur certâ ratione actionem esse prohibitam potest voluntas licitè impedire quod generetur assensus prohibitionis; quia licitè potest non imperare assensum, Cum nullus teneatur in Conscientiâ imperare assensum ob solam rationem probabilem: ergo iuxta doctrinam Thomæ Sanchez potest homo licite operari quoties certa ratione non probatur actionis prohibitio.

793 *m] Iterum hic involuit repugnantiā Sanchez repugnat enim alteram contradictionis partem rationibus suaderi probabilibus, & oppositam carere probatione probabili.*

Vide in Syndromo, Epist. 17. n. 555.

Assensus in materiâ probabili est actus Intellectûs à Voluntate imperatus.

N. B. Quia exempla, quò notiora, eò clariora iudicantur, contra Sanchez & Bossium hoc propono.

Simul in campo, & Pinum altissimam, quæ se subrigit, consideramus. Solvitur Circius vehementer, & eam inclinat, non tamen prosternit & eradicat. Et cur illā inclinat? Quia magnas vires habet Circius. Et cur eam nō prosternit: Quia magnâ vi Pinus Vento resistit; nam, si careret resistendi virtute, ictu oculi prosterneretur.

Ecce exhibui imaginem Opinionis Probabilis. Rationes partis

Affirmativæ

Affirmativæ, Negativam inclinant non prosternunt. Cur inclinant? quia fortes sunt. Cur non prosternunt? Quia ex parte Affirmativæ gravem resistentiam inveniunt. Stat ergo repugnare, quod altera Opinio sit probabilis, quin opposita probabilis sit.

794 *Licitè possum actionem elicere, quæ prohibita probabiliter sit.*

QVINTÒ respondeo, etiam post genitum assensum probabiliter tantùm repræsentantem actionem esse prohibitam, posse hominem licitè elicere actionem in casu nostræ quæstionis: nec vt licitè operetur necessarium esse deponere, & suspendere assensum, & iudicium, ut optime probat Bossius *tom.1.tit.1.num.*104.105. *&* 134. nec ratio Thomæ Sanchez vrget. Verum est illum hominem tunc operaturum contra propriam opinionem; sed non peccaret; quia non operaretur contra propriam conscientiam: ductus enim ex ratione generali possessionis propriæ libertatis indicaret practicè licitum sibi esse elicere actionem, quâ ratione est probabilissima sententia licitum esse operari contra propriam opinionem, & sequi contrariam: imò, etsi oppositam censeat improbabilem, ut contra Vasquez & Sanchez docet Arriaga 1. 2. *tom.*1.*disput.*24.*sect.*3. *num.*10, & Bossius *ibid.n.*170.

Dictò refelmit Bossium; nam, vt cõstat ex dictis, si alterutrum possum prudenter velut verum supponere potero hodie supponere unũ; & cras si magis placeat alterum.

SEXTÒ, respondeo Thomam Sanchez loqui in casu [o] quo quis careat prorsus probabilitate partis contrariæ, sive illa probabilitas oriatur ex speciali ratione, sive ex generali ratione possessionis. Illustrissimus Caramuel non loquitur in casu, quo operans careat omni prorsus probabilitate desumptâ ex omni capite: sed loquitur de homine carente probabilitate nixâ speciali rationi: non verò de carente probabilitate desumptâ ex generali ratione possessionis propriæ libertatis, nam hanc essentialiter requiri ad licitè operandum docet expresse. Vnde doctrina Thomæ Sanchez non opponitur doctrinæ Illustrissimi Caramuelis.

o] *Hũc autem casum, quem supponit Sanchez impossibilem esse iam fuit pluries persuasum.*

OBIECTIO V.

795 *An illud Principium* in dubio melior est cõditio possidentis *benè applicetur huic doctrinæ.*

OPPONES QVINTÒ doctrinam Illustrissimi Caramuelis niti Principio male applicato; nititur enim huic, *In dubio melior est conditio possidentis*; hoc autem principium non bene operatur ad circumstantias nostræ quæstionis; in casu enim quæstionis non datur dubium prudens & rationale. Ratio huius est, Dubium est duplex, unum negativum; quod procedit ex ignorantia, quia non apparet, aliqua ratio ullam partem persuadens: quo genere dubij dubitamus, an astra sint paria? Aliud dubium est positivum, quod datur quando vtrinque sunt rationes apparentes; quarum aliquæ vnam partem persuadent, aliæ oppositam partem: sed in casu quæstionis non datur dubium pure negativum circa prohibitionem; quia sunt rationes persuadentes unam partem determinatam, videlicet prohibitionis exiftentiam. Deinde non datur dubium positivum; quia hoc requirit rationes pro vtraque parte utrinque pugnantes: & supponimus non dari rationes utramque partem suadẽtes; sed tantùm rationes probabiles probantes existentiam prohitionis, & nullam suadentem non existentiam prohibitionis: ergo in casu quæstionis non daretur dubium positivum: alias nec daretur negativum; ergo nullum dubium daretur: ergo tota Machina fundamenti Illustriss. Caramuelis omninò ruit; nititur enim huic syllogismo. *In dubio melior est conditio possidentis: sed in circumstantiis quæstionis datur dubium prohibitionis, & operans possidet libertatem; ergo in circumstantiis quæstionis melior est conditio operantis possidentis, & debet iudicari in favorem libertatis.* Negabunt enim defensores sententiæ contrariæ minorem: quo fundamentum Illustriss. Caramuelis evanescet.

Dubium est duplex alterum negativum. Et alterum positivum.

Quomodo distinguantur.

Adde Dubium sumi Politicè & Philosophicè. Politicè sumptũ latè patet, & est idem ac incertum, & cõprehendit probabile: & hoc sensu est intelligenda illa Regula. In dubio melior est conditio possidentis. *Philosophicè sumptum distinguitur à probabili; & hoc aut per defectum, cùm utrimque rationes minùs quàm probabiles sunt, nempè cum sunt rationes leves: ut patet in quæstione, qua inquirit, an numerus stellarum sit impar? non enim occurrit ratio gravis, quæ alteram partem suadere aut refellere possit. Per excessum, cùm utrimque plus quàm probabiles rationes sunt, ut patet in continuo, nam utraque sententia videtur habere certissimas; ut patet etiam in Practica, ubi aliquando datur una informatio plena contra aliam informationem etiam plenam.*

796 *An possit suspendere assensum qui dubitat? Quid Dubitet? an necessariò sit dubitandi suspensionem requirat?*

Confirmatur. Qui dubitat, an sit prohibitio, aut non, si dubium sit prudens, potest suspendere assensum circa existentiam prohibitionis: sed homo constitutus in circumstantiis quæstionis; non posset prudenter suspendere assensum: circa existentiam prohibitionis; ergo non dubitaret prudenter de existentiâ prohibitionis: Ergo tunc non esset dubium prudens, & rationale de hac quæstione: *Existit nunc prohibitio, vel non existit?* Maior constat ex definitione dubij, quod consistit in eo, quod intellectus suspendat iudicium circa utramque partem contradictionis, neutri parti assentiens, aut dissentiens, dum efficaciam rationum perpendit. Minor verò probatur. Ad suspendendum assensum circa unam partem contradictionis probabiliter probatam requiritur prudens ratio dubitandi favens alteri parti contradictionis: sed tunc nulla datur ratio dubitandi favens non existentiæ prohibitionis: ergo non posset homo suspendere assensum circa existentiam prohibitionis. Maiorem supponit ut certam, & indubitatam Bossius *part.* 2. *num.*1137. *Si enim*, inquit, *non essent utrinque rationes æquales; sed pro una parte leves, & pro altera vrgentes (ut in scrupulosis contingit) immeritò suspenderetur assensus circa unam partem pro qua apparent sufficientes, & vrgentiores rationes.* Ratióque huius est. Prima, quia maius motivum suspendendi assensum habent scrupulosi, quia aliquam habent rationem (etsi levem) ad dubitandum; quàm homo constitutus in casu quæstionis, qui nec levem rationem dubitandi haberet pro altera parte, videlicet pro non existentia prohibitionis: sed scrupulosi immeritò, & imprudenter suspendunt assensum circa unam partem contradictionis: ergo longè imprudentiùs suspenderet assensum homo constitutus in circumstantiis quæstionis. Secunda, quia in dubio prudente suspensio

N. B. Inter Probabilitatẽ & Dubium analogiam manifestam invenio. Nõ dicit sẽ esse certam, qui opinatur: sed neque, qui dubitat. Qui opinatur, dicit sẽ esse probabilem: esse dubiam, qui dubitat. Ille rem asserit probabiliter; iste autem dubiè. Vnde quidquid de vno dicitur, poterit etiã dici de hoc, proportione servatâ.

An scrupulosi, suspendant assensum?

N. B. *Etiam impossibile est, ut pro alterâ contradictionis parte graves rationes militant, & pro altera sint*

Bañes in 1. part. q. 1. art. 5. mihi pag. 51. b. ingeniosè disserit de Certitudine, eamque dividit in Certitudinē quoad se, Certitudine, quoad nos, & Certitudinē quoad se & quoad nos. Agit de secunda Caramuel, & eam Certā Propositionem vocat, cuius opposita ne quidem probabilis est.

Vide, quæ *num. 763* ponebantur in margine. *Medullitus Caramuelis mentem penetravit Reverendissimus Dominus, nam ille indefinitè loquens omnem certitudinem excludit*

Oportet; ut qui obligationem aliquam probare vult, talibus utatur rationibus, quæ omninò auferant probabilitatem opinionis contrariæ: impossibile est enim; ut sit certa Obligatio, quādiu est probabilis Nō obligatio.

non excludente formidinem prudentem, sed tantùm excludente dubium prudens, sive iudicium probabile partis oppositæ; qualis est Certitudo, qua nobis persuademus hanc hostiam esse consecratam, aut hunc hominem esse Sacerdotem: ita ut sit licitum elicere actionem, quoties esse interdictam non constat tanta Certitudine, quanta constat hanc hostiam esse consecratam, aut hunc hominem Sacerdotem esse. Sensus ergo propositionis tertiæ Illustrissimi Domini D. Ioannis Caramuel hic est (quantum possum coniicere) *Licitum est elicere quamcumque actionem quæ certò interdicta non sit certitudine ex se excludente dubium prudens, seu iudicium probabile partis opposita*, v.g. rationibus tantùm probabilibus, similibusque illis, quæ non raro, sed frequenter subsunt falsitati, quales sunt rationes quibus solent persuaderi opiniones purè probabiles, persuadet Francisco Fridericus aliquam actionem esse prohibitam. Rationes illæ si non excludunt indicium probabile partis oppositæ, Franciscus nulla speciali ratione fulcitur, quâ persuadeat actum, quem facit, interdictum non esse, & tamen licitum est Francisco actum elicere; quia, etsi non habeat pro se rationes probabiles, cognoscit Fridericum non probare sententiam oppositam ratione aliquâ certâ humano modo excludente iudicium probabile; sed tantum rationibus probabilibus, quæ ex se possunt cum indicio probabili partis oppositæ componi; etsi de facto non componantur, quia Franciscus non invenit eas.

757 *Soti, aut cuiuscūque alius Doctoris authoritas, certitudinem causare non potest.*

Hanc esse Authoris sapientissimi mentem probatur in medium expositis exemplis, quibus suam sententiam confirmat: Francisco non habenti rationes speciales probabiles, quibus persuadeat suum actum esse licitum, inducit Fridericum authoritate Dominici Soti probantis illicitum esse. Authoritas autem Dominici Soti non causat certitudinem ex se excludentem iudicium probabile partis oppositæ, sed puram probabilitatem, quæ cum probabilitate oppositæ partis coniungibilis erat: Et quod hîc, & nunc non coniungatur, cum indicio probabili partis oppositæ est per accidens, Et quia Petrus adhibita diligentiâ non invenit rationes probabiles pro se. Similiter numer. 111. §. *Petrus*, hoc idem explicat clarissimis verbis. *Respondeo ad secundum* (inquit) *Vt condemnetur Petrus, & è possessione trudatur, non sufficere ut Ioannis rationes sint probabiles, aut probabiliores, sed omninò requiri ut sint certæ.* Vbi clarè significat tantùm requirere illam Certitudinem quæ probabilitati opponatur. Idem significat *num. 113. §. Crimen* ubi de Carolo contra Fridericum delictum intendente probare, sic loquitur. *Producit alium testem Carolus omni exceptione maiorem, Vnicum tamen, reddit accusationem suam probabilem. Interim hærent iudices, & propter informationem semiplenam (probabilem) nec Fridericum capite, nec infamiâ, nec honorum amissione condemnant.* Productio unius testis omni exceptione maioris non excludit ex se dubium prudens, & iudicium probabile partis oppositæ. E quibu apparet tantùm docere sapientissimum V um prohibitionem probatam, probat ne pu è probabili, non excludente ex s dubium prudens, aut iudicium probabile partis oppositæ non esse sufficientem ad reddendum actum illicitum; sed ut actus illicitus sit requiri prohibitionem probari certò certitudine oppositâ probabilitati partis oppositæ: non verò certitudine excludente omnem formidinem, ut supra explicatum est. Hanc esse Illustrissimi Authoris mentem docet P. Moya *in Selectis tractat. 1. quæst. 1 num. 3.* his verbis. *Nomine* DEMONSTRATIONIS, *Vt explicat Caramuel loco à Bernardo citato, solùm intelligitur conclusio Sillogismi, cuius utraque præmissa ita est, certa, ut neutra in dubium, aut quæstionem probabilem vocari possit.*

758 *Quam certæ & claræ esse debeant rationes ob quas possit aliquis condemnari?*

Potuisset efficaciùs Caramuel suā sententiam suadere, si singularibus aliquorum Iuniorum sententiis voluisset insistere; sed maluit remanere in communibus, ne diceretur obscura obscurioribus velle dilucidare.

759 *Quanta efficacia sit informatio, quæ unius tantum Viri gravis testimonio fulcitur?*

P. Moya explicat sententiam Caramuelis.

Quid sit Demonstratio Moralis? Quales Præmissas postulet, ut legitimè conformata dicatur?

Dices. Illustrissimus Dominus D. Ioannes Caramuel num. 116. §. *Franciscus est in certa*, ita loquitur. *Sed qualiter tandem sententiam suam persuadere debebit Fridericus, ut Franciscus sub mortali obstringatur. debebit, inquam ego, ratione tam certa, & manifesta, probatione tam plena, ut formidinem omnem excludat.* [d] Ergo male interpretamur mentem Authoris tantùm esse, ut actus sit illicitus requiri esse certò interdictum certitudine excludente solùm iudicium probabile, aut dubium prudens de parte opposita: non verò prudentem formidinem. Respondeo ex verbis immediatè sequentibus constare Authorem non loqui de formidine strictè sumpta; sed de formidine latè sumpta, quatenus est idem cum dubio prudente, & rationabili. Post allegata verba inquit. *Et donec demonstratio realis, aut moralis adducatur Franciscus in libertatis suæ possessione certa manutenebitur, quoniam in omni Iuris probabilitate, dubiore beatus ille, qui possidet.* In quo autem distinguantur formido prudens, dubium prudens & suspicio ex aliis materiis supponitur. Interim videantur Bossius *titul. 1. n. 1. & n. 82.* Cardinalis de Lugo *de Fide disp. 6. n. 24.* Ripalda *de Fide disp. 11. à n. 30.*

760 *Agit Ill. Caramuel de formidine practicâ.*

Nemo tenetur obedire, nisi obligatio demonstretur realiter aut moraliter.

d] Voce formidinis *usus fuit Caramuel eo ipso sensu, quo illum Reverendiss. D. exponit: & ne interpretatione adhuc indigeat addito verbulo, quo sensu intelligi velit, explicat: quoniam modo sic inquit.* probatione tam plenâ, ut formidinem, aut omnem saltem probabilitatem excludat.

Caput II.

Sententia Illustrissimi Domini D. Ioannis Caramuel defenditur, & in favorem eius prima ratio proponitur.

E Tribus conclusionibus relatis *n. 1068.* 761
existimo primam esse receptissimam Theolo

Iudicium de Caramuelis Conclusionibus.

Theologorum sententiam, nec in eius defensione oportet immorari. Secundam, & tertiam, quæ aliquibus visæ sunt difficiles, iudico veras esse, & probabiles, nixasque solidissimæ rationi: & doctrinæ Illustrissimi Ioannis Caramuel in hoc Dubio relatæ subscribo libenter. Sit ergo Conclusio. *Petrus habet rationes probabiles probabiliter persuadentes hanc actionem esse prohibitam: reflectit supra rationes prædictas, & advertit esse tantùm probabiles, & non convincentes, nec obtinentes aliquem gradum certitudinis oppositi dubio prudenti, aut iudicio probabili partis oppositæ. Non habet rationes speciales pro se, quibus sibi persuadeat actionem licitam esse, & non esse prohibitam. In hoc casu Petrus licitè potest elicere actionem: non quia ipse speciali ratione probat licitam esse: sed quia esse interdictam non probatur ratione certâ certitudinis talis naturæ, quæ ex se excludat dubium prudens, & iudicium probabile partis oppositæ.*

Reverendissimi D. Antonij de San Pedro Resolutio.

Vberioribus & clarioribus verbis proponitur sententia Caramuelis.

762 Hæc Conclusio probatur primò. Licitè potest Petrus elicere actionem, quando præceptum prohibens actionem non obligat Petrum; sed in his circumstantiis præceptum prohibens actionem non obligat Petrum contra possessionem suæ libertatis, Ergo in his circumstantiis potest Petrus licitè elicere actionem. Probatur minor. Præceptum tantùm dubium non obligat Operantem contra possessionem suæ libertatis, sed in his circumstantiis præceptum prohibens actionem est dubium Petro, ergo non obligat. Maior est communissima doctrina nixa illi receptissimo principio: *In dubio melior est conditio possidentis*, quod non tantum in materiis Iustitiæ, sed etiam in aliis materiis locum habet; ita ut ratione possessionis libertatis licitum sit practicè deponere dubium speculatiuum, & contra illud operari, ut cum gravissimis Doctoribus docent Thomas Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 9.* & *lib. 2. disp. 41. num. 32.* Diana *4. part. tract. 3. Res. 2.* Mag. Prado *tom. 1. quæst. 2. §. 1. num. 3.* & *§. 2. num. 10.* Vnde idem Prado ibidem *num. 8.* inquit, *Possessor semper est reus, quia ipse non postulat, sed ab ipso postulat actor; ergo dum non est certa obligatio, favendum est possessioni libertatis.* Et Matthæus de Moya *in Selectis tract. 1. quæst. 5. n. 25.* inquit. *In dubio præcepti (quod semper manet speculatiuum, dum non fertur iudicium moraliter certum) licitè quis poterit practicè deponere dubium, & operari ratione possessionis suæ libertatis; quæ per præceptum dubium superveniens spoliari non debet: sicut nec bonâ fide possidens in materiâ iustitia re possessa est privandus propter dubium subortum quod sit aliena.*

Securissima est semper ratio, quæ in libertatis possessione fundatur.

An præceptum dubium obliget?

Regula de Possessione in omni Virtute locum habet.

763 *Vtitur Moya & bene, communi Theologorū Lexico: at in hoc casu inquit Caramuel esse dubium de veritate actûs, & certitudinē de Bonitate actûs. Vide, num 389.*

N. B. *Ecce moya expressè habet Caramuelis sententiam; nam asserit se tutò posse contra dubium præceptum operari donec superveniat iudicium moraliter* (adde, *aut realiter*) *certum.*

Dubium in vulgari acceptione idē

Minor restat probanda, videlicet, quod in circumstantiis conclusionis præceptum prohibens actionem sit dubium Petro; quia omne quod est incertum subiecto dubium est ipsi, sed in prædictis circumstātiis præceptum prohibens actionem est Petro incertum, Ergo dubium. Probatur minor. Incertum est Petro, quod rationibus tantùm probabilibus, & incertis sibi persuadet esse, si reflexè cognoscat rationes tantùm esse probabiles, & incertas: sed in præsenti Petrus rationibus tantùm probabilibus, & incertis sibi persuadet esse præceptum prohibens actionem, simulque reflexè cognoscit rationes esse dumtaxat probabiles, & incertas: ergo in præsenti Petro est incertum præceptum prohibens propriam actionem.

est ac incertum & hoc sensu etiam, quæ speculabilia sunt, dubia vocantur.

CAPVT III.

Secunda Conclusionis probatio.

764 Secundò eadem doctrina suadetur. Quotiescumque non probatur certâ ratione hominem non esse liberum ab obligatione vitandi actionem, debet existimari, & iudicari liberi ab obligatione esse; ergo quoties non probatur Certâ ratione præceptum interdicens actionem, inducensque obligationem eam vitandi, debet existimari, & iudicari hominem licitè posse elicere actionem. Consequentia constat. Antecedens (præter quam quod à Sapientissimo D.D. Ioanne Caramuel probatur doctissimè ex principiis illis communibus. *Melior est conditio possidentis; In dubio beatus qui possidet*) probatur hâc speciali ratione. Sunt aliquæ materiæ, in quibus prudenter iudicamus aliquid esse eo præcisè quòd oppositum, (sive contrarium, sive contradictorium) esse non probetur ratione aliquâ demonstrativâ, saltem moraliter, v.g. in quæstionibus de potentiâ absolutâ, An Deus possit producere hoc, aut illud, ita tam Philosophi, quàm Theologi argumentantur. *Debemus concedere Deum posse quidquid non probatur implicare manifestam contradictionem: ergo debemus concedere Deum hoc posse.* Maiorem concedunt omnes Philosophi, & Theologi hac nixi ratione; quia Deus ratione omnipotentiæ habet ius ut affirmemus de ipso posse omne quod est possibile: Ergo dum non probatur certâ ratione hoc, aut illud esse impossibile, possumus prudenter affirmare Deum hoc, aut illud posse. Hâc tantum ducti ratione plures Theologi affirmant Deum hoc, aut illud posse de potentiâ absoluta, etsi nullam habeant specialem rationem persuadentem hoc, aut illud esse possibile, Et nullam aliam specialem rationem quærunt quam solutionem argumentorum partis oppositæ: quibus in medium prolatis, si constet non convincere, prudentissimè & probabilissimè affirmant Deum posse omne quod opposita sententia ratione convincente non probat esse impossibile.

Quàm esse certa debeāt probationes, quibus legis obligatio est probanda?

Summè est efficax argumentum quod à possessione desumitur.

Multa Theologorum Resolutiones ratione tantùm generali probantur.

Deus est omnipotens.

765

An prudenter negare possimus Deum posse illa facere quæ implicant probabilem contradictionē?

Multa sunt Opiniones probabiles, quæ solâ argumentorū obiectorum solutione probantur.

766 Ex hac doctrinâ sic argumentor. Sicut Deus ratione omnipotentiæ potest produ-

certè omne quod non implicat contradictionem: homo ratione libertatis potest elicere licitè omnem actionem, quæ interdicta non est. Sicut est evidens Deum posse producere omne quod impossibile non est: est etiam evidens hominem posse licitè elicere omnem actionem quæ prohibita non est. Sed sola ratio convincens aliquem terminum esse impossibilem, potest impedire quod creatura rationalis iudicet prudenter Deum posse illum terminum causare: Ergo sola ratio convincens actionem aliquam prohibitam esse potest impedire quod homo iudicet prudenter se posse licitè eam actionem elicere. Sicut ergo ex generali ratione omnipotentis tantùm imprudenter affirmamus Deum posse illa, quæ evidenti ratione probantur impossibilia; etsi non habeamus rationem specialem probantem, esse aliquid possibile: ita ex generali ratione potentis licitè elicere omnem actionem non prohibitam, tantum imprudenter affirmamus de homine posse licitè elicere actionem, quæ evidenti ratione probatur prohibita. Sed in casu quæstionis, non probatur evidenti ratione actionem esse prohibitam: Ergo non erit imprudens, qui affirmaverit, *hic homo potest licite hanc actionem elicere*: Ergo hæc actio in circumstantiis quæstionis illicita non est. Consequentia patet, quia imprudens est iudicans licitè elici posse actionem illicitam.

Sicut Divina Omnipotentia est in possessione faciedi omnia, quæ non sunt, impossibilia, ita & Humana Libertas est in possessione faciēdi omnia quæ non sunt prohibita.

Caput IV.

Tertia probatio eiusdem doctrinæ.

767 *An habeamus obligationem eliciendi actū Charitatis omnibus diebus festis.*

Tertiò eadem doctrina suadetur; & premamus exemplum, & paritatem in confirmationem suæ doctrinæ adductum ab Illustrissimo Caramuel. Dominicus Soto dixit esse obligationem diligēdi Deum, & eliciendi actum contritionis Omnibus diebus festis. Accedit Fridericus, & Francisco ignoranti & possidenti suam libertatem hanc obligationem notificat; & probat tantùm authoritate Dominici Soto, quæ probatio est purè probabilis. Franciscus nullam rationem specialem habet, quâ sibi persuadeat sententiam Dominici Soto esse falsam: cognoscit tamen rationem desumptam ab authoritate Dominici Soto nō convincere, sed esse expositam errori: nec maioris ponderis, quàm aliæ rationes, quibus probantur opiniones purè probabiles, contra quas licitum est operari. Nunc inquiro, Franciscus in his circumstantiis positus aut tenetur diligere Deum omnibus diebus festis aut non tenetur? Si non tenetur, intentum habemus: nam tunc Franciscus nullam notitiam specialem habet repræsentantem omissionem amoris Dei esse licitam diebus festis: & tamen non tenetur Deum diligere omnibus diebus festis, eo præcisè quod obligatio sibi non proponitur certò; Ergo ut quis lege teneatur necessarium est legem & obligationem certo proponi.

N. B. *Hanc Soti opinionem (ut hoc saltem adnotetur in margine) retinent aliqui, quod festa obligent ex præcepto Canonico, quoad actus saltem internos non obligat, nam de occultis non iudicat Ecclesia. At potest respondere Sotus, præceptum esse divinum, & ab Ecclesiâ ad tales dies determinatum: & illa verba*, Memento ut diem Sabbati Sanctifices, *non esse de abstinentia ab operibus servilibus, sed de Sanctificatione, & illa opera inhiberi, ne hominem distrahant, & animæ sanctificationem impediant.*

Et hæc est doctrina expressa Scoti in 3. dist. 9. q. 1. nam agens de amandi Deum præcepto, ait. Hoc autem præceptum affirmativum non potest perpetuò impediri ab exequutione actûs, &c. Nihil autem potest excludere pro semper opportunitatem adorandi Deum, & ideò simpliciter ad actum huius præcepti affirmativi aliquando eliciendum tenetur quilibet adultus. Et pro tempore legis Mosaicæ videtur determinatio fuisse facta ad actum huius præcepti per illud tertium præceptum *Sabbatum sanctifica*, &c. Pro tempore verò legis Evangelicæ cultus ille exhibendus Deo in sanctificatione Sabbati, determinatur exhibendus die Dominico.

Si respondeas Petrum constitutum in prædictis circumstantiis teneri diligere Deum omnibus diebus festis, difficilem solutionem defendis. Nam si Petrus in dictis circumstantiis constitutus teneretur Deum diligere omnibus diebus festis, tenetur etiam assensum præstare sententiæ Dominici Soto, sed non tenetur assensum præstare sententiæ Dominici Soto; Ergo non tenetur Deum diligere omnibus diebus festis. Maior certa est; & minor evidens mihi videtur; quia nemo tenetur in conscientia assensum præstare propter rationem tantùm probabilem obnoxiam errori, dubitationi prudenti, & probabilitati oppositæ. Franciscus autem, etsi non habeat hic, & nunc rationem aliquam specialem contra sententiam Dominici Soto; cognoscit tamen rationem desumptam ab authoritate huius Doctoris esse tantùm probabilem, obnoxiam errori, dubio prudenti, & probabilitati partis contrariæ: contra quam, etsi Franciscus hic, & nunc non habeat rationem specialem, hoc est per accidens: ratio tamen desumpta ab authoritate Dominici Soto ex se coniungibilis est cum dubio prudente, & probabilitate oppositæ partis.

Nemo tenetur assentiri Opinioni purè probabili.

An quis indigeat speciali ratione ut à Soto dissentiat.

Confirmatur. Sola authoritas Dominici Soto oblati, & testis, non sufficeret, ut Iudex maneret obligatus in conscientia ad condemnandum reum, contra quem esset testis Dominicus Soto: Ergo sola Authoritas Dominici Soto sufficiens non est, ut homo sit obligatus ad subeundum æternam damnationem, si eliciat actionem. Consequentia à paritate est efficax: infinitè enim æstimabilior est æterna damnatio, quàm quælibet pœna temporalis à iudice humano potens infligi. Antecedens est evidens. Ponamus in causâ gravissimâ Iudici scienti virtutem, pietatem, doctrinam Dominici Soto hunc produci, ut testem contra reum; & quod nullus alius testis adesset reum condemnans. Reus nulla speciali ratione probat à delicto innocentiam. Solus Soto testificaretur delictum: testis est omni exceptione maior;

768 *Si Sotus esset in tribunali testis, nullus Iudex condemnaret reum ob testimonium Solius Soti.*

Sed

Sed Semiplenam tantùm faceret probationem, magna & gravissima Authoritas Dominici Soto. Iudex non teneretur assensum præstare Soto testificanti delictum: nec propter delictum Semiplenè probatum esset obligatus in conscientia pœnam ordinariam iuris imponere reo. Si ergo Dominico Soto sub iuramento testificanti aliquid in Iudicio non tenetur Iudex assensum præstare, Etsi nullam specialem rationem haberet contra Dominici Soto dictum: Cur ergo teneor assensum præstare Dominico Soto testificanti esse obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis non tamen cum iuramento, neque ut testis ocularis huius obligationis? Me non teneri assensum præstare Dominico Soto in suis Scriptis docenti esse obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis, etsi ego contra Dominicum Soto nullam habeam specialem rationem, hoc syllogismo, quod mihi efficacissimum apparet, probatur. *Si non teneor credere digniori fide, non teneor credere minus digno fide: sed Dominicus Soto testificans aliquid in iudicio sub iuramento, & ut testis ocularis, est dignior fide, quàm ipse Dominicus Soto testificans in suis scriptis esse obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis, & hoc sine iuramento, & non ut testis ocularis: & aliàs Iudex non teneretur credere Dominico Soto testificanti aliquid in indicio sub iuramento, & ut testis ocularis; etsi nullam rationem specialem haberet contra Dominicum Soto: Ergo etsi ego non habeam rationem specialem contra sententiam Dominici Soto, non teneor credere Dominico Soto sine iuramento, & non ut testi Oculari testificanti esse obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis.*

769 *Ergo nec Lector extra tribunal tenetur condēnare seipsum propter authoritatem aut testimonium Soti.*

Arguitur ingeniosè ab authoritate Soti testis oculati & iurati ad authoritatē eiusdem testis, nec oculati nec iurati.

770

Capvt V.

Quarta probatio.

771 *Deus, qui est omnium rerum Dominus, concessit Hebræis ut Ægyptios spoliarent.*

QVartò probatur eadem sententia, & probationi præmitto casum possibilem. Sicut Deus, ut supremus Dominus filiis Israël facultatem dedit ab Ægyptiis mutuò petendi vasa aurea & argentea, & ea non restituendi; ita, sic ut supremus Dominus potest dare facultatem Francisco, & sub gravi obligatione præcipere ut aurum & argentum Friderici sibi tollat, & non restituat. Revelet hoc decretum Petro. Petrus Francisco manifestet revelationem divinam, inquiens. *Deus tibi facultatem concessit auferendi, & non restituendi aurum Friderici; & hoc tibi sub gravi obligatione præcepit.* Franciscus Petro asserenti revelationem divinam non credit. Petrus probat revelationem sibi factam: non tamen ratione evidenti moraliter, sed tantùm probabili. Franciscus cognoscit motiva hanc revelationem persuadentia esse tantùm probabilia; & nulla ratione convincente sibi suadet talem extitisse revelationem. Nullam habet rationem specialem, quâ probet revelationem non factam Petro. In hoc casu (possibili absque dubio) teneretur Petrus auferre aurum Friderici, & non restituere, aut non teneretur. Si respondeas teneri, falsissimum est; quia evidenti ratione cognoscit Franciscus Deum prohibuisse auferre, & non restituere bona, quæ sub alterius dominio sunt, & certò cognoscit Fridericum esse in possessione sui auri & argenti. Licitè ergo Franciscus in prædicto casu non auferret aurum Friderici, conformando se legi communi non auferendi bona aliena, prout obliganti secundum providentiam communem, in quâ Deus dominium unius non transfert in alterum. Si concedas, ut debes secundum, concedis, quam negas, sententiam: quia in hoc casu eo quod Franciscus convincente ratione non sibi persuadeat se teneri auferre aurum alterius, non tenetur auferre; etsi haberet rationes probabiles persuadentes obligationem auferendi, & nullam habeat specialem, quâ probet non dari talem obligationem, & revelationem sibi intimatam probabiliter fuisse falsam.

An, & quādo debeamus credere revelationibus privatis?

Proponitur Casus similis & possibilis.

Quid faciendum in casu sit?

An posito præcepto certo & dispensatione probabili, sit obediendū? Vide n. 638.

Quidquid dicatur stat Caramuelis sententia.

Respondebis in casu argumenti non teneri Franciscum auferre bona Friderici quia hic dantur duo præcepta incompossibilia: unum non furandi: alterum auferendi bona Friderici. Primum est Certum, & indubitatum: secundum tantum probabile. Primum est in certâ possessione obligandi: secundum minimè: & ex duobus præceptis illud obligat, quod certum est, & est in possessione obligandi: non illud quod incertum est, & cui non favet possessio. Sed solutio hæc probat efficaciter Illustrissimi Caramuelis sententiam. Quia in casu Argumenti Vnum præceptum certum est, aliud probabile tantùm: possessio favet præcepto certo contra præceptum incertum; sed in casu Conclusionis Illustrissimi Caramuelis libertas Petri certa est: præceptum prohibens actionem incertum, & tantùm probabile; Ergo propter eâdem rationem possessio debet favere libertati certæ contra prohibitionem supervenientem incertam. Contra secundò, quia in casu argumenti non essent duo præcepta incompossibilia, neque dispensatio in lege naturali non furandi; sed duo præcepta disparata: Vnum non auferendi à Friderico bona propriâ authoritate: alterum auferendi eadem bona authoritate divinâ, transferente dominium Friderici in Franciscum. Vnde communior Theologorum sententia docet Deum, concedentem Hebræis facultatem auferendi, & non restituendi Vasa Ægyptiaca, non dispensasse in lege naturali non furandi; sed tantùm transtulisse dominium Ægyptiorum in Hebræos. [a]

772 *Si post præceptum certum superveniat aliud probabile, quod priori opponatur, standum est certo non probabili.*

De concurrentia duorum præceptorum. An certo potius quàm probabili sit obediendum?

An quando Deus concessit Hebræis ut spoliarent Ægyptios in septimo Decalogi præcepto dispensaverit?

a] Ex hac Reverendissimi Domini Resolutione collige non dispensasse Deum cum Iudæis, ut possent cum alienigenis exercere usuras, nam in eos transtulerat illorum civitatum & terrarum dominium. Ergo nihil inde inferri poterit contra Christianos: nam nostrorum bonorum dominium in Iudæos nunquam transtulit.

Praeceptum incertum non obligat: & omne probabile est incertum.

773 Meliùs respondebis argumento relato Fridericum esse in possessione evidenti suorum b norum: ius à Deo datum Francisco in ea bona, esse tantùm probabile; praeceptum, & mandatum Dei ea auferendi non probatum certâ ratione: ideóque Franciscum praecepto incerto minimè obligatum, ad auferendum aurum Friderici contra ipsius certam possessionem. Optima solutio, sed confirmat Illustrissimi Caramuelis sententiam. Praeceptum incertum contra Fridericum notificatum Francisco probabiliter, & revelatione divinâ probabiliter tantùm positâ, non obligat Franciscum, quia Fridericus est in possessione evidenti sui auri: sed etiam quilibet homo est in possessione evidenti suae libertatis, dum non probatur oppositum, ergo praeceptum incertum, notificatum contra libertatem propriam probabiliter tantùm, nullum hominem obligat.

Ratio incerta possessi ni certa nunquam poterit praeiudicare.

Capvt VI.

Quinta probatio.

Quid sit opinari; aut assentiri probabiliter?

774 Qvintò eadem doctrina suadetur ex aliâ, quam tradit Bossius *part. 1. tit. 1. num.* 105. videlicet assentientem opinativè penetrantemque inefficaciam, & fallibilitatem mediorum, non indicare absolutè illam partem, cui assentitur, esse veram; sed tantùm iudicare partem cui assentitur, esse probabilem, & verisimilem. Potest contingere assentientem obiecto ob rationem probabilem, quia non penetrat inefficaciam mediorum, & ex inconsideratione iudicat infallibilia, iudicare absolutè obiectum esse verum, & oppositum prorsus falsum. His tamen non assentitur opinativè ex parte subiecti; sed firmiter, & sine formidine ex parte suâ; etsi ex parte medij, & obiecti, assentiatur opinativè. Qui autem assentitur Opinativè ex parte subiecti alicui propositioni, non indicat absolutè eam propositionem esse veram; sed tantum esse probabilem, & verisimilem, obnoxiam tamen errori, & falsitati, indicatque fortassis esse falsam; quia habet formidinem: formido autem est actus intellectûs explicatus his verbis, *fortassis hoc est falsum*. Vt optimè explicant Lugo, & Ripalda supra relati. Nunc sic argumentor. Ergo in casu quaestionis, qui pro non existentia prohibitionis nullam haberet rationem, pro existentia verò prohibitionis haberet rationem probabilem, nullam tamen demonstrativam, hoc iudicium prohibitionis tantùm formaret. *Probabile & verisimile est hanc actionem esse prohibitam, sed fortassis prohibita non est.* Sed prohibitio notificata hoc tantùm iudicio non potest certò obligare: Ergo in Casu quaestionis sic prohibitionem cognoscens liber omninò ab obligatione esset. Minor sublumpta probatur. Iudicium certò obligans vitare actionem requirit, & exigit esse improbabile iudicium partis oppositae,

Est certissima hac doctrina Bossij, enim, qui opinatur, nec dicere, nec dicere posse, Hoc est verû, Sed Hoc est tam verisimile, ut possit prudenter tanquam verû supponi. Hanc ipsam doctrinam ab anno 1630. Lovanij in publicis disputationibus defendebat Caramuel, & posteà saepe in suis libris scripsit. Et addebat, intellectum quãdo comparat inter se duas opiniones probabiles nec dicere nec posse dicere Haec est vera, nec Altera est vera, nec

ergo non obligat. Maior, & minor restant probandae. Maior suadetur sic, iudicium certò obligans, exigit omne illud quod requiritur ad certam obligationem: ad obligandum autem certò requiritur esse impossibile iudicium partis oppositae; nam si hoc esset probabile non obligaret: cum hic supponatur probabilitatem Oppositi excusare ab obligatione. Minor verò constat etiam, quia hoc iudicium est tantùm probabile, & cognoscitur, ut pure probabile: Vt autem aliquod iudicium sit, & cognoscatur esse purè probabile, non exigitur esse improbabile indicium partis oppositae; cùm sine ulla repugnantia utrumque possit esse probabile.

Vtraque est vera. Sed Vtraque est tam verisimilis, ut alterutra prudenter possit tanquam vera supponi. Non solùm duae Contradictoriae possunt esse simul probabiles sed repugnat, quòd altera sit probabilis, & altera nõ sit probabilis. Vide Syndromi epist. 17 à n. 553.

Confirmatur, & explicatur argumentum, contra rationes speciales probabiles persuadentes aliquam actionem esse prohibitam potest in favorem libertatis formari iudicium desumptum ex generali ratione possessionis libertatis, [e] quod sit proba-
775 bile, & repraesentet hominem hic, & nunc non teneri vitare actionem: sed qui habet indicium probabile repraesentans hic, & nunc se non teneri vitare actionem licitè potest actionem elicere, quamvis tale iudicium non nitatur alicui speciali rationi, sed tantum rationi generali possessionis libertatis: Ergo habens speciales rationes probantes actionem esse prohibitam, & nullam specialem persuadentem honestatem actionis, potest licitè elicere actionem, titulo praecise possessionis libertatis. Probatur maior. Ex medio probabili proportionato ad probandam libertatem, & dominium potest formari iudicium probabile contra rationes speciales impugnantes libertatem, & dominium: sed possessio libertatis, & dominij, est medium probabile proportionatum ad probandam libertatem & dominium; quia possessio probat proprietatem: ergo ex generali ratione possessionis libertatis potest formari iudicium probabile in favorem libertatis contra specialem rationem probabilem probantem prohibitionem, & impugnantem libertatem, & domi-
776 nium: Ergo homo constitutus in circumstantiis quaestionis haberet duo iudicia probabilia unum nixum speciali rationi & hoc enuntians. *Propter specialem rationem est probabile hanc actionem esse prohibitam, & me teneri illam vitare:* aliud nixum generali rationi possessionis, & hoc enuntians. *Propter rationem desumptam ex generali ratione possessionis est probabile praeceptum prohibens actionem probabiliter tantum a me cognitum me non obligare, & non teneri vitare actionem.* Cum his autem duobus iudiciis probabilibus (etsi nullum & speciale ratione favente non existentiae praecepti haberet) posset homo licitè operari, & elicere actionem: nam omnis probabiliter iudicans sibi actionem licere, potest licitè elicere actionem: sed tunc homo iudicaret probabiliter sibi licere elicere actionem; ergo licitè actionem eliceret. Et parum refert quod iudicium repraesentans actionem, licere nitatur rationi probabili,

[e] Benè cõcluait hoc argumentũ, etiam ex suppositione, quòd hoc sit iudicium probabile: at putat Caramuel esse certum, & posse hoc ipsum manifestè probari discurrit enim sic. Si domus A. sit probabiliter Petri, & sic etiam probabiliter Pauli, & Petrus sit in possessione, & Paulus sibi illam adiudicari postulet: quid faciet iudex? Si Paulo nõ adiudicat: Stat Caramuelis sententia, & possessio praevalet omni rationi probabili: si adiudicat, dabitur processus in infinitum: nã statim Petrus liteaget contra adquisitam à Paulo possessionem, & adquiret iterum domũ propter suas rationes probabiles. Ergo, quia in Practicis nõ dari processum in

infinitum certum est. Possessione prævalere omni probabilitati alterius partis certum est.

Ad conscientiæ securitatem sufficit probabilitas.

probabili, speciali, aut generali, possessionis; nam sive nitatur rationi speciali probabili, aut generali probabili, semper iudicium probabile est: Iudicium autem probabile representans actionem licere, sive nixum rationi speciali probabili, sive generali rationi probabili, sufficit ut homo illud habens licitè eliciat actionem.

f] Hæc est Caramuelis Conclusio. Ergo Caramuelis doctrina non solum probabilis, sed certa est.

g] Supponit Reverendissimus D. communem Doctorum sententiam, quæ asserit promulgationē non esse formam legis, sed conditionē sine quâ non obligaret, & solidè ratiocinatur: at si voluisset minùs communi (probabilissima tamen) adhærere sententiæ, potuisset dicere promulgationē esse formam constitutivā legis: & addere, eam, quæ non est sufficienter promulgata, non esse veram legem: adeoque actus, qui contra illam fierent, non fore materialia peccata. Insistens aliquando huic doctrinæ Caramuel, dari negat materialia peccata: admittitque hypothetica: quæ nō sunt peccata, sed essent, si lex fuisset intimata sufficienter: & addit legē, quæ non cognoscitur certò, sufficienter intimatam non fuisse.

Confirmatur hæc ratio. Hæc propositio certa est, *Homo est liber ab obligatione vitandi actionem, quoties adhibitâ sufficiente diligentiâ prohibitio actionis non constat ipsi.* [*f*] Ratio est manifesta, quia libertas ab obligatione naturalis est homini, in ipsoque necessariò resultat, nisi lege Superioris impediatur. Lege autem invincibiliter ignoratâ [*g*] non impeditur libertas ab obligatione, quia lex invincibiliter ignorata non magis obligat, quàm si non esset. Lex autem, quæ post adhibitam diligentiam non constat, invincibiliter ignoratur. Certa ergo est supra dicta propositio. Dissidium ergo, & controversia consistit in modo, quo lex prohibens debet constare. Duæ sunt sententiæ in hâc quæstione significata. *Homo est liber ab obligatione vitandi actionem, quoties adhibitâ sufficiente diligentiâ prohibitio actionis ipsi non constat certitudine morali; quamvis constet ratione probabili, & nullâ ratione speciali probabili suadetur actionem licitam esse.* Secunda sententia est huic opposita, hac propositione declarata. *Homo non est liber ab obligatione vitandi actionem, si probabiliter constat prohibitio actionis, & eadem prohibitio aliqua speciali ratione probabili non impugnatur; quamvis libertas ab obligatione ex generali ratione possessionis probetur.* In præsenti hanc quæstionem reflexam proponimus; videlicet *Quænam ex his sententiis vera sit?* Nunc inquiro: propositâ hâc quæstione reflexa, vel potest dari dubium prudens, & rationabile, aut non? Si primum, sequitur evidenter sententiam Illustrissimi Caramuelis esse probabilem. Probatur assumptum. Evidens est esse probabilem sententiam, quæ in dubio prudenti, & rationabili legis, favet libertati, non tantùm in materiâ Iustitiæ, sed in aliis materiis: sed per te hâc quæstione reflexâ proposita datur dubium prudens, & rationale: & sententia Illustrissimi Caramuelis favet libertati: ergo est sententia probabilis. Si respondeas secundum, teneris concedere nullum cordatum posse dubitare, An sententia Illustrissimi Caramuelis sit vera, vel falsa: sed ne velit imprudentissimum iudicium formare teneri asserere esse prorsus falsam. Si hoc secundum respondeas, durissimum est; [*] quia nullus cordatus tenetur asserere esse falsam, & improbabilem sententiam nixam apparentibus rationibus; & authoritate doctissimi Viri: Contra quam nullum argumentum evidens, & convincens formatur: sed sententia Illustrissimi Caramuelis ipsius authoritate fulcitur, rationibus apparentibus desumptis ex libertate, & possessione suadetur, nulla contra ipsam ratio demonstrativa opponitur: Ergo omninò falsum est quemcumque cordatum, ne impudenter dubitet, aut iudicet, teneri asserere esse falsam, & improbabilem.

An Caramuelis Resolutio sit evidenter probabilis?

*] Fortè erit inter æmulos aliquis stomacho tam forti præditus, ut hanc durissimam sententiam audeat transglutire & concoquere: sed compesci poterit ostendendo in S. Augustino, S. Thoma, (ut nihil de Aristotele dicam) multas in gravissimis materiis Resolutiones, quæ solâ ratione generali probantur.

Rursus Argumentum protendo. Ergo si omnis prudens tenetur iudicare sententiam Illustrissimi Caramuelis esse falsam & improbabilem; consequenter Omnis prudens tenebitur asserere sententiam oppositā esse certam, & evidentem: videlicet hanc propositionem. *Homo est spoliatus libertate ab obligatione vitandi actionem, eo præcisè quod ipsi probabiliter constet prohibitio actionis, & non habeat rationem specialem persuadentem se ab hac obligatione liberum esse; quamvis ex generali ratione possessionis probet propriam libertatem ab obligatione.* O bone Deus! Si omnis cordatus tenetur iudicare hanc propositionem esse certam, & evidentem, procul dubio ratione demonstrativâ, & per se nota fulcitur. Vbi est ergo demonstratio probans evidenter sententiam Illustrissimi Caramuelis esse falsam? Demonstratio, & Evidentia, quæ omni homini cordato patens est, tantùm latuit doctissimum & Sapientissimum Virum? Omnis homo prudens evidentiam huius propositionis clarè agnoscit; & solus Theologiæ Moralis communis Magister cœcutit? Sed ne admirationibus confirmemus doctrinam, accedamus ad rigorosi examinis Scholasticam trutinam. Vt verum fatear rationes utriusque sententiæ perpendi, & non tantùm contra sententiam Illustrissimi Caramuelis rationem demonstrativam nō inveni; sed omnibus pensatis hanc efficacioribus rationibus fultam agnosco: Contrariam debilioribus fundamentis munitam, quorum plurima ex non penetratione sententiæ doctissimi Viri, [*h*] originem ducunt. Nescio quibus rationibus alij sententiam Illustrissimi Viri impugnaverint (Vsque adhuc enim non vidit Salmantica tractatus huiusmodi): fundamenta, quæ contra sententiam celeberrimi Doctoris, & Magistri, mihi, & plurimis doctissimis Viris consultis occurrerunt proponam; & ex solutione illorum firmiùs confirmabitur doctrina Superiùs fulta.

778 *Est certa sententia, quæ opponitur improbabili.*

Quid requiratur, ut sententia aliqua esse certa dicatur.

N. B. Contra Caramuelem longi libri scribuntur, in quibus & labor & charta prodigitur. Demonstratio tribus lineis construitur. Cur ergo nō audent edere tres lineas, quibus sibi placet uberrimè vociferari?

779 *An Caramuelis doctrina debeat admitti ut probabilier?*

h] Videatque num. 769. ex D. Pasterino dicebantur in marginem.

Capvt VII.

Dissoluuntur Obiectiones impugnantes sententiam Illustrissimi Caramuelis.

Obiectio I.

Opponis Primò contra doctrinam traditam. Conveniunt omnes Doctores certum esse, ut quis licitè opere- 780

tur,

De indicio Practico ad operandum requisito.

tur, requiri iudicium practicum dictans, hic & nunc licere operari: sed habens rationes probabiles suadentes actionem esse interdictam, & nullam specialem probantem interdictam non esse, non potest habere iudicium practicum dictans, hic & nunc licere sibi operari, Ergo homo in his circumstantiis constitutus non potest licitè operari, & elicere actionem. Minor probatur. Nullus potest prudenter formare hoc iudicium. *Hic, & nunc licet mihi operari*, nisi aliquâ ratione apparente manuducatur: Sed supponimus hominem in prædictis circumstantiis constitutum nullam rationem apparentem habere, quæ suadeat actionem non prohibitam, & sibi licere operari, & eam elicere; Ergò non potest prudenter iudicare practicè sibi licere actionem elicere. *Confirmatur.* Cùm natura intellectus sit tendere circa verum, non potest assentiri obiecto nisi verum appareat: Ergò non potest homo practice iudicare, *Hac actio mihi licita est*, nisi appareat verum eam licitam esse. Sed hoc obiectum non apparet verum in se ipso; quia non cognoscimus illud intuitivè: Ergo debet apparere verùm in alio; videlicet in medio aliquo seu ratione probante esset verum. Sed supponimus nullum medium speciale, nullam rationem specialem dari probantem hoc esse verum: Ergo non potest intellectus practicè iudicare, hic & nunc licitum esse elicere eam actionem.

Quale esse debeat, ut reddat conscientiam securam?

Non potest alicui assertioni assentire intellectus nisi vera appareat?

781

782

Argumentumque vir pius & prudens teste Caramuele suam reddit conscientiâ securam, hoc est.

Mihi licet, quidquid nō est certò prohibitū.

At tacere in confessione circumstantias aggravantes, quæ non mutant aut addunt novam speciem, v.g. nō est mihi certò prohibitum.

Ergò illas in Confessione tacere, mihi licitū est

Hic syllogismus continuus c'a rò & le..o. Maior est manifesta. Minor speciali probatione non indiget, sed ex generali ratione erit vera, donec dari probe

Hoc argumentum est(ni fallor)ex non penetratione Illustrissimi Caramuelis sententiæ: non enim absolutè negat ad licitè operandum requiri aliquod iudicium probabile repræsentans actionem licitam esse; solùm negat necessarium esse iudicium probabile nixum speciali rationi; sive deductum ex medio speciali suadente actionem non esse prohibitam. Minimè negat ad licitè operandum requiri iudicium probabile repræsentans actionem licitam esse ex generali ratione possessionis & libertatis: sed hoc iudicium necessarium esse expressissimè affirmat, ut ex verbis ipsius constat. Ad argumentū ergo respondeo hominē constitutum in dictis circumstantiis posse prudenter iudicare practicè sibi licere elicere actionem: & ad formandum hoc iudicium manuducitur, non à ratione speciali probante actionem non esse prohibitam; sed à ratione generali possessionis suæ libertatis: posset enim hunc discursum prudentissimè formare. *Quoties prohibitio actionis mihi certò non constat, possideo libertatem, non obligor lege prohibente, & licitum mihi est elicere actionem: sed hic & nunc prohibitio actionis mihi certò non constat, ergo possideo libertatem, non teneor lege prohibente, & licitum mihi est elicere actionem.* Per hoc patet respōsio ad confirmationem. Intellectui enim tunc proponeretur, ut verū hoc obiectū: *Licitum est mihi elicere actionem*, non in se, sed in alio medio, & ratione apparente: non tamen ratione speciali; sed communi, & generali desumpta est ratione possessionis.

bilitatem certò persuadeat adversarium. Consequentia non est tam probabilis, sed infallibilis & certa, non enim potest concessis præmissis negari.

N. B. Caramuelem semper iuvat Veritatis & Bonitatis in actu morali distinctio: inquit enim, *Non habeo certitudinem de Veritate interdictionis huius actûs; Ergo habeo certitudinem de Bonitate & Honestate (positivâ, vel negativâ) eiusdem actus.*

Obiectio II.

783

Non licet adhærere Opinioni improbabili.

Sed neque opinioni, de cuius probabilitate dubitatur.

ita cum R. D. adit Caramuel cōtra Gerson. Vasq. Salas, Sanch. Granad. Pasqualig. Baldell. ex quibus Verricellius tra. 2. q. 11. n. 3. deducit, *Ad honestatem actionis sufficere iudicium practicum probabile de honestate.*

Opponens secundò. Non licèt in praxi sequi opinionem, quam quis putat esse impossibilem, aut de cuius probabilitate dubitat; ut cum Angelico Magistro, citatis Medina, Reginaldo, Vasquez, Salas, Sanchez, Bordono, Pasqualigo, ut certum, & indubitatum supponit Bossius *tit. 1. num. 119.* Sed homo in prædictis circumstantiis (etsi non iudicet esse improbabilem hanc propositionem, *Hac actio mihi licita est*, quia ad hoc necessarium erat impugnari evidenti ratione, & prohibitionem ratione demonstrativâ suaderi) dubitat tamen de probabilitate ipsius: quia post adhibitam diligentiam experitur nulla ratione apparenti probari. Quis autem non dubitat de probabilitate possessionis, quam omni ratione probabili destitutam agnoscit; Ergo homini in circumstantiis quæstionis constituto non licet in praxi hanc propositionem sequi. Confirmatur. Nullus in praxi potest licitè sequi sententiam, quam expresè iudicat non esse probabilem; sed homo in circumstantiis quæstionis expressè iudicaret hanc propositionèm *hac actio mihi licita est*; non esse sibi probabilem; ergo hanc propositionem non posset in praxi licitè sequi. Minor constat; quia expresè cognosco mihi non esse probabilem sententiam, quæ mihi non apparet aliqua ratione probabili munita: sed tunc expresè, & ab experientia cognoscerem hanc propositionem, *Hac actio mihi licita est*, non apparere mihi munitam aliquâ ratione probabili Ergò expresè cognoscerem mihi esse probabilem.

784

Improbabilis opinio illa est, quæ nulla probabili ratione fulcitur.

Vide quæ n. 711. dicebantur in margine.

Nemo illam eligere potest in praxi.

Quid requiratur, ut quis indicet actionem aliquam sibi licitam esse.

Existimo etiam hoc argumentum Ortum ducere, è non penetrata mente Illustrissimi Caramuelis. Verum est in praxi non licere sequi sententiam, quam quis iudicat improbabilem, aut de cuius probabilitate dubitat, vel quam certò cognoscit sibi non esse probabilem ullo modo, neque ex ratione speciali, neque ex ratione generali possessionis. Huic oppositum non docuit sapientissimus Vir. Doctrina ipsius in hac propositione continetur. *Licitum est homini elicere actionem, quando honestas ipsius non est improbabilis, quando dubitat de probabilitate speciali honestatis actionis desumpta ex ratione speciali, & quando certò cognoscit honestatem actionis sibi non esse probabilem probabilitate speciali ob rationem specialem: si tamen cum his omnibus sibi persuadeat probabiliter ex ratione generali possessionis propriæ libertatis actionem illam esse sibi honestam, & licitam.* [i] Homo in circumstantiis prædictis constitutus hæc omnia haberet iudicia. Primum,

785

[i] *Hac ponuntur dedissimè, nec aliter posset loqui Caramuel, nec aliter olim est loquutus, cùm communi utebatur Theologorum dialectico: sed quia in hoc ipse tractatu alia uti voluit, & & Veritatē à Bonitate seu Honestate actus distinguere, stāde doctrine num. 383 tradita dicerit.*

nium, Hæc propositio, [*Licitum est mihi elicere hanc actionem,*] *non est impossibilis quia non impugnatur evidenti ratione.* Secundum, *Dubium mihi est, an sit hæc propositio probabilis ex ratione speciali, quia nullam specialem eam probantem inueni.* Tertium, *Certum est hanc propositionem mihi non esse probabilem speciali ratione directè probante non esse prohibitam; quia negatio prohibitionis huius actionis mihi non apparet munita speciali aliquâ ratione probabili.* Quartum. *Hæc propositio est probabilis probabilitate desumpta ex generali ratione possessionis propriæ libertatis; quia quoties mihi certò non probatur actionem esse interdictam, & me spoliatum libertate, est probabile me possidere libertatem, & licitè posse elicere actionem.*

Est certò licitũ hominj elicere actionẽ, quando Veritas practica ipsius non est improbabilis, quando videlicet dubitat de probabilitate speciali, eiusdem Practicæ Veritatis desumptâ ex ratione speciali, & quando certò cognoscit veritatem actionis sibi non esse probabilem probabilitate speciali ob rationem specialem; si tamen his omnibus non obstantibus, sibi persuadeat probabiliter ex ratione generali possessionis propriæ libertatis actionem illam habere veritatem practicam, hoc est, interdictam non esse. *Est enim certò licitum, quidquid certò interdictum non est.*

Nota obiter, non esse idem dicere, *Hæc sententia non est probabilis ob rationem specialem,* ac dicere, *Hæc sententia est non probabilis ob rationem specialem.*

786 Dicet aliquis, has solutiones non cohærere cum secunda conclusione Illustris. Caramuelis, quæ est huiusmodi. *Probabilitas non est prima radix moralitatis.* In his autem solutionibus recurrimus ad probabilitatem desumptam ex generali ratione propriæ libertatis, vt quis possit licitè operari; Ergo deserimus sententiam Illustrissimi Caramuelis, & aliam diversissimam tuemur. *Respondeo* sensum Illustrissimi, & Sapientissimi Viri constare ex dictis in resolutione quæstionis. Non negat probabilitatem desumptam ex ratione generali possessionis propriæ libertatis esse radicem omnis moralitatis: imò hoc absolutè affirmat in tertia conclusione, quando, ait, *Hæc propositio* [*licitum est actionem quamcumque elicere, quæ certò interdicta non sit*] *est non solum vera, sed continet, & exprimit rationem formalem honestatis.* Radix ergo moralitatis (inquit Author) est prædicta propositio quam docet esse probabilem, probabilitate desumpta ex ratione generali possessionis propriæ libertatis; non ex ratione speciali directè probante actionem non esse prohibitam.

An Probabilitas sit prima radix moralitatis, seu honestatis?

Conclusio, quæ ex generali illa possessionis lege deducitur ad securitatem sufficeret, etsi esset mere probabilis: at eamdem ipsam certam & infallibilem docet esse Caramuel. Vide, quæ num. 241. dicebantur in margine.

Obiectio III.

787 OPPONES TERTIÒ. cognoscens, etsi non demonstrativis, probabilibus tamen rationibus actionem esse interdictam, & nullam habens rationem specialem suadentem interdictam non esse, se exponit periculo peccandi, si actionem eliciat; sed illicitum est cuilibet se exponere periculo peccandi: ergo illicitum est in prædictis circumstantiis elicere actionem. Probatur Maior. Operari cum cognitione prudẽter proponente actionem esse interdictam, & sine ullà cognitione repræsentante prudenter interdictam non esse, se exponit periculo eliciendi actionem, quæ in re sit interdicta: sed elicere actionem interdictam in re, quam interdictam esse cognoscit operans, nullam habens rationem prudenter proponentem non esse interdictam, est peccare: Ergo cognoscens, etsi non demonstrativis, probabilibus tamen rationibus actionem esse interdictam, & nullam habens rationem suadentem interdictam non esse, se exponit periculo peccandi, si actionem eliciat.

De peccandi periculo.

An liceat se tali periculo exponere?

N. B. Ratio generalis, est ratio prudenter proponens actionem interdictam non esse.

HOC ARGUMENTUM, etiam originem trahit, e non penetratâ Illustrissimi Caramuelis sententia. Respondeo habentem duas opiniones probabiles oppositas non se exponere periculo peccandi, quia format, iudicium practicum evidens dictans, hic & nunc licitum esse operari conformiter ad opinionem probabilem docentem licitum esse elicere actionem. Homo in circumstantiis quæstionis constitutus, etsi tantùm haberet unicam opinionem probabilem suadentem ex speciali ratione actionem esse interdictam, & nullam opinionem haberet ex speciali ratione probantem interdictam non esse: haberet tamen probabilem opinionem probantem ex generali ratione possessionis libertatis actionem licitam esse. Ex quo sequitur non magis se exponere periculo peccandi, qui sententiam Illustrissimi Caramuelis sequeretur, quam qui habet duas opiniones probabiles oppositas, quarum quælibet probabilis est ob aliquam specialem rationem. Ad probabilitatem enim opinionis parum refert quod nitatur speciali rationi, aut alicui generali principio; si tamen illud sit probabile, & probabiliter inferatur conclusio. 788

Sicut monet Reverend. D. rationem esse generalem, aut specialem, modo probabilis sit, perinde esse.

Et etiam ostendit monet, ideò Caramuelē negare esse necessariam specialem rationem, quia affirmat generalem sufficere.

N. B. Meritò Reverendissimus Dominus abstinet a divisione peccati in materiale & formale, ad quam passim Scriptores secuti sunt: repugnat enim conceptus materialis peccati, si doctrinæ positæ, *num. 37. & 697.* constemus.

Obiectio IV.

QVARTÒ OPPONES, Patr. Thom. Sanch. *tom. 1. in Decal. lib. 1. epist. 10. num. 3.* qui hanc difficultatem expressè tetigisse videtur, & sic respondet: *Si enim rationes illæ non omnino convincentes* [x] *ita assensum opinativum dictantem esse rem alienam, generent, ut nullus partis contrariæ assensus supersit, sed sola formido inclusa in opinione; iam non manet res dubia, cùm intellectus verè assentiat alteri parti, nullum alterius assensum habens. Et ideò tenetur rem illam restituere. Et in hoc sensu optimè dixit Vasquez exigi ut rationes assensum non generent. Atque hoc inde constat, quia tunc rem illam retinens operaretur contra opinionem propriam, carens prorsus probabilitate contraria.* 789

x] Involvit hic contradictoria Sanchez, repugnat enim in Moralibus ut ex unâ parte sint rationes non convincentes, & non sint rationes ex alterâ: ideò enim illæ nõ convincunt, quia probabiliter dissolvuntur, quia sententia opposita probabili ratione fulcitur: nam responsio ad unius sententiæ probationes, sumitur ex rationibus, quibus suffulcitur contraria. vide Syndromum, epist. 17. à num. 555.

RESPONDEO

Affirmativæ, Negativam inclinant non prosternunt. Cur inclinant? quia fortes sunt. Cur non prosternunt? Quia ex parte Affirmativæ gravem resistentiam inveniunt. Stat ergo repugnare, quod altera Opinio sit probabilis, quin opposita probabilis sit.

794 *Licitè possum actionem elicere, quæ prohibita probabiliter sit.*

QVINTÒ respondeo, etiam post genitum assensum probabiliter tantùm repræsentantem actionem esse prohibitam, posse hominem licitè elicere actionem in casu nostræ quæstionis: nec ut licitè operetur necessarium esse deponere, & suspendere assensum, & iudicium, ut optimè probat Bossius *tom.* 1. *tit.* 1. *num.* 104. 105. & 134. nec ratio Thomæ Sanchez urget. Verum est illum hominem tunc operaturum contra propriam opinionem; sed non peccaret; quia non operaretur contra propriam conscientiam: ductus enim ex ratione generali possessionis propriæ libertatis indicaret practicè licitum sibi esse elicere actionem, quâ ratione est probabilissima sententia licitum esse operari contra propriam opinionem, & sequi contrariam: imò, etsi oppositam censeat improbabilem, ut contra Vasquez & Sanchez docet Arriaga 1. 2. *tom.* 1. *disput.* 24. *sect.* 5. *num.* 10. & Bossius *ibid. n.* 170.

Doctè resolvit Bossius; nam, ut constat ex dictis, si alterutrum possum prudenter velut verum supponere potero hodie supponere unū & cras si magis placeat alterum.

SEXTÒ, respondeo Thomam Sanchez loqui in casu [o] quo quis careat prorsus probabilitate partis contrariæ, sive illa probabilitas oriatur ex speciali ratione; sive ex generali ratione possessionis. Illustrissimus Caramuel non loquitur in casu, quo operans careat omni prorsus probabilitate desumptâ ex omni capite: sed loquitur de homine carente probabilitate nixâ speciali rationi: non verò de carente probabilitate desumptâ ex generali ratione possessionis propriæ libertatis, nam hanc essentialiter requiri ad licitè operandum docet expresse. Unde doctrina Thomæ Sanchez non opponitur doctrinæ Illustrissimi Caramuelis.

o] *Hūc autem casum, quem supponit Sanchez impossibilem esse iam fuit pluries persuasum.*

OBIECTIO V.

795 *An illud Principium in dubio melior est cōditio possidentis benè applicetur huic doctrinæ.*

OPPONES QVINTÒ doctrinam Illustrissimi Caramuelis niti Principio male applicato; nititur enim huic, *In dubio melior est conditio possidentis*; hoc autem principium non bene operatur ad circumstantias nostræ quæstionis; in casu enim quæstionis non datur dubium prudens & rationale. Ratio huius est, Dubium est duplex, unum negativum; quod procedit ex ignorantia, quia non apparet, aliqua ratio ullam partem persuadens; quo genere dubij dubitamus, an astra sint paria? Aliud dubium est positivum, quod datur quando utrinque sunt rationes apparentes; quarum aliquæ unam partem persuadent, aliæ oppositam partem: sed in casu quæstionis non datur dubium pure negativum circa prohibitionem; quia sunt rationes persuadentes unam partem determinatam, videlicet prohibitionis existentiam. Deinde non datur dubium positivum; quia hoc requirit rationes pro utraque parte utrinque pugnantes: & supponimus non dari rationes utramque partem suadentes; sed tantùm rationes probabiles probantes existentiam prohibitionis, & nullam suadentem non existentiam prohibitionis: ergo in casu quæstionis non daretur dubium positivum; alias nec daretur negativum; ergo nullum dubium daretur: ergo tota Machina fundamenti Illustriss. Caramuelis omninò ruit; nititur enim huic syllogismo. *In dubio melior est conditio possidentis: sed in circumstantiis quæstionis datur dubium prohibitionis, & operans possidet libertatem; ergo in circumstantiis quæstionis melior est conditio operantis possidentis, & debet iudicari in favorem libertatis.* Negabunt enim defensores sententiæ contrariæ minorem: quo fundamentum Illustriss. Caramuelis evanescet.

Dubium est duplex alterum negativum. Et alterum positivum.

Quomodo distinguantur.

Adde Dubium sumi Politicè & Philosophicè. Politicè sumptū latè patet, & est idem ac incertum, & cōprehendit probabile: & hoc sensu est intelligenda illa Regula. In dubio melior est conditio possidentis. Philosophicè sumptum distinguitur à probabili: & hoc aut per defectum, cùm utrimque rationes minùs quàm probabiles sunt, nempè cùm sunt rationes leves: ut patet in quæstione, quæ inquirit, an numerus stellarum sit impar? non enim occurrit ratio gravis, quæ alteram partem suadere aut refellere possit. Per excessum, cùm utrimque plus quàm probabiles rationes sunt, ut patet in continuo, nam utraque sententia videtur habere certissimas; ut potest etiam in Practica, ubi aliquando datur una informatio plena contra aliam informationem etiam plenam.

796 *An possit suspendere assensum qui dubitat? Quid Dubiū sit? an necessariò includat suspensionem requirat?*

Confirmatur. Qui dubitat, an sit prohibitio, aut non, si dubium sit prudens, potest suspendere assensum circa existentiam prohibitionis: sed homo constitutus in circumstantiis quæstionis; non posset prudenter suspendere assensum: circa existentiam prohibitionis; ergo non dubitaret prudenter de existentiâ prohibitionis: Ergo tunc non esset dubium prudens, & rationale de hac quæstione: *Existit nunc prohibitio, vel non existit?* Maior constat ex definitione dubij, quod consistit in eo, quod intellectus suspendat iudicium circa utramque partem contradictionis, neutri parti assentiens, aut dissentiens, dum efficaciam rationum perpendit. Minor verò probatur. Ad suspendendum assensum circa unam partem contradictionis probabiliter probatam requiritur prudens ratio dubitandi favens alteri parti contradictionis: sed tunc nulla datur ratio dubitandi favens non existentiæ prohibitionis; ergo non posset homo suspendere assensum circa existentiam prohibitionis. Maiorem supponit ut certam, & indubitatam Bossius *part.* 2. *num.* 1137. *Si enim*, inquit, *non essent utrinque rationes æquales; sed pro una parte leves, & pro altera urgentes (ut in scrupulosis contingit) immeritò suspenderetur assensus circa unam partem pro qua apparent sufficientes, & urgentiores rationes.* Ratióque huius est. Prima, quia maius motivum suspendendi assensum habent scrupulosi, quia aliquam habent rationem (etsi levem) ad dubitandum; quàm homo constitutus in casu quæstionis, qui nec levem rationem dubitandi haberet pro altera parte, videlicet pro non existentia prohibitionis: sed scrupulosi immeritò, & imprudenter suspendunt assensum circa unam partem contradictionis: ergo longè imprudentiùs suspenderet assensum homo constitutus in circumstantiis quæstionis. Secunda, quia in dubio prudente suspensio assensus

N. B. Inter Probabilitatē & Dubium analogiam manifestam invenio. Nā dicitur esse certum, qui opinatur: sed neque, qui dubitat. Qui opinatur, dicitur esse probabilem: esse dubium, qui dubitat. Ille item asserit probabiliter; ille item dubiè. Vnde quidquid de illo dicitur, poterit etiā dici de hoc, proportione servatâ.

An scrupulosi, suspendant assensum?

N. B. Etiam impossibile est, ut pro alterâ contradictionis parte graves rationes militant, & pro altera sint

tantùm leves. Ergo dicendi sunt Sanch Hurtad. Bossius, & alij prae judicio laborare certissimo.

assensus debet esse rationabilis & prudens, ergo mota ex aliqua ratione dubitandi apparente contra existentiam legis prohibentis actionem: sed supponimus nullam prudentem, & apparentem rationem dubitandi dari contra existentiam legis prohibentis actionem; ergo tunc homo non posset prudenter suspendere indicium, & assensum circa existentiam prohibitionis; ergo non daretur dubium prudens, & rationabile.

N. B. *Tu autem contra argumentatorem dic, esse tibi sufficientem rationem ad suspendendum assensum, non habere rationem ob quam alteri parti debeas necessario assentiri.*

RESPONDEO, in praesenti dari dubium
798 prudens; quia tunc dubium prudens contingit, quando propter prudentem rationem suspenditur assensus circa utramque partem: sed in praesenti potest suspendi assensus circa utramque partem propter rationem prudentem: ergo potest dari dubium prudens. Minor probatur; & inprimis circa unam partem contradictionis, videlicet circa non existentiam prohibitionis suspenditur iudicium negans existentiam prohibitionis ob prudentissimam rationem. Primò propter rationes probabiles probantes actionem esse prohibitam quae movent voluntatem ut suspendat iudicium negans existentiam legis prohibentis. Secundò quia prudentissimum est suspendere iudicium negans existentiam, quando nulla ratio datur probans apparenter non existere praeceptum prohibens actionem: Ergo prudentissimè suspenditur iudicium negans existentiam praecepti prohibentis actionem.

Sumitur vox Dubium in sensu Pelit eo, quo illam etiam Bonifacius usurpavit in Regulâ.

Probatur posse suspendi intellectus assensum circa alteram partem.

799 Restat probanda altera pars, videlicet quod propter rationem prudentem potest intellectus suspendere assensum circa alteram partem contradictionis scilicet circa existentiam praecepti. Ratio verò huius est; quia prudens ratio suspendēdi assensum est periculum imminens incidendi in errorem: sed homo in circumstantiis quaestionis constitutus cognoscit se exponi periculo imminenti incidendi in errorem; si assentiatur existentiae praecepti, & affirmet existere: ergo vitatio erroris, aut ipsius periculi imminentis erit sufficiens, & prudens ratio suspendēdi assensum. Minor constat, quia homo in circumstantiis quaestionis. Constitutus cognoscit rationes probantes existere praeceptum prohibens actionem esse tantùm probabiles, &
800 non convincentes: cùm autem omnis ratio purè probabilis possit falsum probare: & ordinariè contingat falsum probare, & esse expositam falsitati; cognoscens hanc rationem esse tantùm probabilem, & ex his quae ordinariè subsunt falsitati, cognoscit etiam se exponi imminenti periculo errandi, si ea manuductus assentiatur obiecto: Ergo homo in casu quaestionis constitutus cognoscit se exponi imminenti periculo errandi, si assensum praestet existentiae praecepti. Ergo voluntas prudentissimè potest imperare suspensionem assensus ex fine vitandi imminentem errorem. Per quod patet responsio ad confirmationem, scrupulosi enim imprudentissimè suspendūt assensum, quia non tantum habent rationes probabiles similes illis, quae ordinariè falsae evadunt, sed certas moraliter ad probandum actionem sibi licere, & ob imprudentem, & vanum timorem, trepidantes, ubi timor non erat, suspendunt assensum.

Probatur adhuc posse etiam suspendi circa alteram.

Cur possit, aut debeat assensum intellectus suspendere?

An rationes merè probabiles possint falsum probare, & aliquando falsum probent?

An nō prudēter modo, sed etiam imprudenter assensum possit Intellectus suspendere?

Si autem inquiras, quod dubium esset hoc? Siquidem nec esset negatiuum purè, nec positiuum, ut manet probatum. 801
Respondeo utriusque dubij naturam participare; & esset partim negatiuum, & partim positiuum. Foret positiuum quoad suspensionem iudicij negativi negantis existentiam praecepti prohibentis actionem; quia illa suspensio fieret propter rationes probabiles, & apparentes suadentes praecepti existentiam. Foret negatiuum quoad suspensionem iudicij affirmativi affirmantis existentiam praecepti; quia suspensionem hanc imperaret voluntas, non propter aliquam rationem apparentem probantem non existere prohibitionem, sed propter vitandum errorem, qui posset contingere in assensu nixo fundamento non convincenti, & tantum probabili.

An detur dubiū mixtum ex negativo & positivo compositum?

Secundò respondeo argumentum hoc facere quaestionem praesentem de nomine. 802 Certum est enim tunc non dari Certitudinem praecepti prohibentis actionem; quia Certitudo non potest dari, nisi aut visione intuitivâ cognoscamus obiectum in seipso; aut propter certas rationes assentiamur obiecto: tunc nec intuitivè cognosceremus prohibitionem Existentem in se, neque propter certas rationes assentiremur Existentiae ipsius: Ergo homo in circumstantiis quaestionis Existens, non esset certus de praecepto prohibente actionem, sed incertus. Difficultas argumenti reducitur ad hoc, *An omne incertum sit dubium?* 803
Si omne incertum dubium est argumentum in oppositum obiectum nullius est roboris; quia in praesenti datur praeceptum dubium, quia datur praeceptum incertum: sed in dubio melior est conditio possidentis. Ergo in praesenti melior est conditio possidentis libertatem si autem respondeas in casu quaestionis praeceptum esse incertum, sed non esse vocandum *praeceptum dubium*; facis quaestionem de nomine. Et probatur praeceptum incertum posse vocari *praeceptum dubium*; quia communis modus loquendi incerta appellat *dubia*, sicut non dubia nuncupat certa. Et, si tota difficultas contra sententiam Illustrissimi Caramuelis consistit in hac quaestione de nomine, *An quod est incertum possit vocari dubium?* Citò omni nebula evanesceret; & doctrina Sapientissimi non esset tanto examine digna, quaestioni enim de nomine facillimè quisque posset satisfacere.

Quaestio, qua inquirit, quid Dubij nomine intelligendum sit, est de puro nomine.

Quid requiratur ut detur Certitudo?

Si omne tollitur ... vide quid num. 115. nomine Dubij Politicè & Philosophicè significetur.

An omnia incerta possint vocari dubia?

Sed, ne haereamus vocibus: permittamus in casu quaestionis praeceptum prohibens actionē non esse praeceptum dubium, 804
sed

Sive omnia incerta vocentur, aut nō vocentur dubia æquè stat doctrina Caramuelis.

sed tantum incertum. Sententia Illustrissimi Caramuelis est, non tantùm in dubiis, sed etiam in incertis contra libertatem, meliorem esse conditionem possidentis. Ratio utrobique eadem est. Ideò in dubio melior est conditio possidentis, quia in dubio dantur tantum contra libertatem rationes probabiles, & non convincentes, & quia possessio præponderat cuicumque rationi non convincenti, ut aiebat Ioannes de Salas supra citatus: sed etiam in incerto dantur contra libertatem rationes tantùm probabiles, & non convincentes: & possessio præponderat cuicumque rationi non convincenti: ergo in incertò etiam est melior conditio possidentis. Quare videtur dicendum in illo principio communi, *In dubio melior est conditio possidentis*, vocem *dubium*, sumi pro omni incerto moraliter: sive sit incertum, quia nulla est ratio persuadens partem aliquam contradictionis: sive quia rationes vtrinque pugnantes impediunt partis determinatæ generari assensum; sive quia res de quà agitur incerta est, & non probata convincenti ratione. Eadem enim in omnibus est ratio. Et possessio fortior ratio est, quam quælibet alia ratio non convincens. Vnde ad intentum verificandi illud commune proloquium, parum refert quod sit dubium omni rigore sermonis, & metaphysicè loquendo: aut quod tantùm sit incertum, & non probatum evidenti ratione utrumque enim comprehenditur in illo Axiomate, quia ut dictum est in vtroque eadem militat ratio.

Possessio omni incerta probationi præponderat.

805 *Quo sensu accipiatur vox dubium in Regula. In dubio melior est conditio Possidentis?*

Obiectio VI.

806 *An liceat adhærere sententiæ minus tutæ si habeat rationes tantùm leves & probabiles dici non possint?*

Oppones sextò non est licitum sequi sententiam minùs tutam levi fundamento nixam, & non accedentem ad gradum probabilitatis contra sententiam magis tutam, & communem Doctorum. Sed hoc licitum esse sequitur ex sententia Illustrissimi Caramuelis: Ergo hæc est falsa. Maiorem supponunt ut certam omnes, quos legi Doctores: etsi enim sit probabile licitum esse sequi sententiam probabilem minùs tutam, contra æquè probabilem, aut probabiliorem magis tutam: nullus tamen dixit licitum esse operari contra sententiam omnium Doctorum, sequendo sententiam levissimo fundamento nixam; & quæ non accedit ad gradum probabilitatis. In minori difficultas est; & suadetur in hunc modum. Nulla sententia leviori fundamento nititur; & minus accedenti ad gradum probabilitatis, quam illa, quæ nulli est innixa fundamento. Quid enim levius, & remotius à gradu probabilitatis, quàm nihilum? Sed in sententiâ Illustrissimi Caramuelis licitum est sequi sententiam nulli fundamento nixàm, & non accedentem ad gradum probabilitatis contra sententiam probabilem magis tutam: quia homo habens probabiles rationes suadentes actionem esse prohibitam, & nullum ut probet prohibitam non esse, potest in hac sententia licitè

Licitum est opinionem minus probabilem, & minùs tutā eligere.

807 *An sequatur ex resolutione Caramuelis, esse licitum sententia adhærere improbabili?*

elicere actionem, etsi hoc sit minùs tutum: ergo potiori ratione posset sequi sententiam minùs tutam levi fundamento nixam, & non accedentem ad gradum probabilitatis contra communem sententiam Doctorum. Aliquod enim fundamentum, etsi leve, aliquid maius est, quam nihilum, seu nullum fundamentum, nec grave, nec leve.

Fundamentum quodcumque leve, etsi sit ad probabilitatem insufficiens plus est, quàm nullum fundamentum.

808 Si respondeas ex doctrina Illustrissimi Caramuelis hominem constitutum in circumstantiis quæstionis posse licitè elicere actionem: non ex vi fundamentorum; quibus probat specialiter actionem interdictam non esse: sed ex vi possessionis libertatis, quæ est medium sufficiens ad probandum probabiliter sibi licere, hic & nunc elicere actionem. Si hoc respondeas, robur accipit objectio facta, & ita contra solutionem argumentor. Ideò in casu nostræ quæstionis licitum est operari contra opinionem probantem actionem esse interdictam, sine ullo fundamento speciali pro parte oppositâ, quia præceptum prohibens non probatur evidenti ratione: & quia possessio libertatis præponderat cuicumque rationi non convincenti: sed quando aliqua sententia defenditur probabiliter à communi catervâ Doctorū; & contra illa ut communem sententiam mihi occurrit levis ratio, non attingens gradum probabilitatis. [p] Sententia communis Doctorum non probatur convincente ratione; sed tantum probabiliter; & possessio libertatis præponderat omni rationi non convincenti: ergo propter eamdem rationem licitum erit contra sententiam communem Thelogorum magis tutam sequi sententiam minùs tutam, levi fundamento nixam, & non accedentem ad gradum probabilitatis.

p] Sæpe recurrit hoc argumentatoris præiudicium, interim tu semper dic repugnare, ut una sententia sit merè probabilis, & contra illā non esse nisi rationē levem. vide n. 813. 814. &c. & rāīi ad Syndicum in quo epist. 17. à n. 555. hanc quæstionem luculenter edisserui.

An eligere liceat sententiam levi fundamento subnixam?

809 Confirmatur primò. Omnia argumenta Illustrissimi Caramuelis instātur in eo, qui contra communem sententiam Theologorum magis tutam, sequeretur sententiam minus tutam ductus levi fundamento, & non attingente gradum probabilitatis: sed hoc non probant; sed absque dubio qui sic operaretur ilicitè ageret: Ergo fundamenta Illustriss. Caramuelis nullius sunt efficaciæ. Confirmatur secundò. Licitum est elicere actionem quamcumque quæ certò interdicta non est, ut ait Illustriss. Caramuel in tertia conclusione. Sed actio, quam communis sententia Theologorum docet esse interdictam ob rationes purè probabiles; & quam aliquis levi & non accedente ad gradum probabilitatis fundamento tuetur interdictam non esse, non est certò interdicta; quia nullâ demonstratione morali probatur esse interdicta: ergo licitum est elicere actionem, quam ob rationes graves probabiles tamen pure, communis sentētia Doctorum docet esse interdictam, sequendo sententiam oppositam nixam debilissimo fundamento, & non attingenti gradum probabilitatis.

Diguentur legere & intelligere adversarij Caramuelis sententiam, antequam instantias adducant.

Qualis sit, si Dijs placet, sententia Caramuelis.

N. B. Repugnat, ut pro alterâ Contradictionis parte sint rationes probabiles, & pro altera leves & improbabiles.

810 *Sententia quam omnes defendunt, & cuius rationes non habent probabilem solutionem sed levem, ex levi fundamento opposita partis desumptam non merè probabilis, sed certa est.*

RESPONDEO negando sequelam, quæ ex sententiâ Illustrissimi Caramuelis non sequitur. Doctissimus vir tantum docet licitum esse elicere actionem, quando certò interdicta non est. Sententia autem, quam omnes Doctores defendunt, & contra quam hucusque non est inventa plus quam levis obiectio, non est sententia purè probabilis, sed humano modo certa sententia. Vnde, si omnes Doctores doceant actionem aliquam esse prohibitam, & tantùm levis ratio inveniatur probans interdictam non esse; illa actio non tantùm probabiliter, sed certò certitudine quadam morali, prohibita est. Hoc autem multiplici suadetur ratione. Prima, quia

Quàm certa sint in praxi opiniones communes?

cùm hominum genia, sicut facies, sint dissimilia, impossibile moraliter est omnes Doctores in unam conspirasse sententiam nisi aliqua ratione evidenti moraliter convictos, quæ ad assensum præstandum illi sententiæ necessitet. Si enim convincens non esset, & assensum liberum re-

811 *Sicut nec omnes eamdem faciem habent, nec eamdē characterum in scribendo speciem formant, nec eodem idiomate utuntur, nec eisdem moribus vivunt. Sic in rebus liberis & probabilibus non est possibile, ut omnes philosophentur eodem modo. Ergo hæc est bona cōsequentia Omnes viri docti sic definiūt. Ergo hoc realiter aut saltem moraliter, est certum.*

linqueret, videtur impossibile humano modo omnes Doctores uniformiter ei assentiri, cum experiamur quamdam impossibilitatem moralem in hominibus uniformiter operandi in actionibus liberis; imò & in eodem homine respectivè ad tempora diversa est moraliter impossibile uniformiter semper operari: aut semper eadem peccata committere; aut semper eadem opera bona exercere; nisi extraordinariâ gratiâ adiuvetur. Natura enim exigit varietatem actionum. Vnde ex naturæ exigentiâ neque omnes anni æquè calidi, aut frigidi æquè: Neque in taxillis, uniformes diu possunt sortes contingere. Et quid dicemus in discursibus non convincentibus, sed liberis? Quando enim discursus non convincunt, tot, pro varietate, geniorum solent esse sententiæ, quot capita.

Secunda, quia etiam impossibile moraliter est omnes Doctores unam quæstionem disputantes nunquam contra aliquam sententiam: rationem probabilem, nec plusquam levem invenisse, si posset talis sententia ratione momenti probabilis impugnari. Perspicacia enim, & acumen

812 *Sententia certa quoad nos censeri poterit certa quoad se, nam, si rationes, quibus illa probatur haberent solutionem firmā, aliquis illā invenisset.*

intellectûs humani reconditissima penetrat, ut experientia magistra docemur; & in abstrusioribus difficultatibus hinc & inde pugnantes inter se rationes Doctores excogitant: Et non potest credi prudenter aliquam sententiam ab omnibus Doctoribus defensam falsam esse, & nullam ullo tempore inventam contra ipsam rationem probabilem: præcipuè his temporibus, in quibus accuratissimè, & rigido examine discutiuntur quæstiones. [q]

813 *q] Hodie Quæstiones singula melius, quàm olim, discutiūtur, quod vel invitis philosophis antiquariis, quibus sola decrepita placent, est verum.*

Non nego contra sententiam ab omnibus Doctoribus prioribus defensatam, posse Doctorem posteriorem modernum rationem efficacem probabilem invenire, quà propriam singularem reddat probabilem Contra omnes antiquos: sed dum non occurrit ratio probabilis contra sententiam communem omnium Doctorum, imprudentia erit docere eam sententiam esse falsam ob levem tantum rationem, & non accedentem ad gradum probabilitatis. Postque confirmari solutio doctrinâ Cardinalis de Lugo superiùs relati; quia nullus sine speciali ratione potest prudenter dubitare, an eveniet, quod rarò accidit: Sicut quia rarò accidit Sacerdotem celebrantem non consecrare, aut quia ordinatus non est, aut quia ex perversitate non habet intentionem, nullus sine aliquâ speciali ratione, & probabili motivo dubitandi, potest dubitare prudenter, An hic homo celebrans consecret; An hæc hostia sit consecrata.

Est iudiciū temerarium asserere aliquam propositionem esse falsam propter leves rationes.

Hæc consequētia. Hoc rarò fieri ergo nunc fit Est temeraria, ut in Logicâ Morali Caramuelis suadetur.

Vnde dum non adest specialis ratio probabilis persuadens hanc hostiam non esse consecratam, non tantum probabile, sed certum moraliter est humano modo hanc hostiam esse consecratam: sed rarò etiam accidit omnes

814 *Cur debeas dicere hanc hostiam esse certò consecratam, & tam adorare certò debeas, iam superius num. 705. expressum est*

Theologos in eamdem sententiam conspirare, & falsam esse. Ergo si non occurrat specialis aliqua ratio probabilis contra omnium Doctorum sententiam, nemo potest prudenter dubitare, an ea sententia sit falsa.

Nunquam dixit Illustrissimus Caramuel contra sententiam omnium Doctorum licitum esse operari sine speciali ratione, & tantum eum fundamento levi, & non ac-

815 *Non licet ex ratione levi contra omnium Doctorum sententiam operari.*

An propositiones probabiles soleāt frequenter esse falsæ?

cedente ad gradum probabilitatis. Tantum docuit nullam habentem specialem rationem pro se posse licitè elicere actionem, etsi habeat rationes probabiles probantes actionem esse interdictam (Probabiles, inquam, & apparentes illâ apparentiâ, quæ non rarò; sed frequenter solet falsitati subesse; qualis est authoritas, unius, aut aliquorum gravium Doctorum asserentium actionem prohibitam esse.) Exempla ab Illustrissimo & Sapientissimo Caramuele adducta nil amplius

816 *Testimonio unius, etiam gravissimi authoris, potest subesse falsum.*

persuadent, v.g. testificatio unius testis, non rarò, sed frequenter solet falsitati subesse: dictum unius gravis Doctoris sæpissimè solet evadere falsum. Hoc tantùm intendit, & probat, quando docet Franciscum nullam specialem rationem habentem, ad probandum non dari obligationem diligendi Deum omnibus diebus festis; & habentem authoritatem Dominici Soto, ut sibi persuadeat talem obligationem existere ratione possessionis libertatis posse licitè non diligere Deum diebus festis.

OBIECTIO VII.

817 *An in ratione Caramuelis, aut petatur principium, aut nihil probetur?*

SEPTIMO OBIICIES Fundamentum Illustrissimi Caramuelis aut esse petitionem Principij, & probandum supponere; aut nihil probare. Intentum suadetur sic. Fundamentum est hoc. Posito casu quæstionis, quod aliquis nullam habeat rationem probantem actionem non esse interdictam, & habeat rationes suadentes probabiliter interdictam esse, ille homo possidet suam libertatem: Ergo titulo possessionis libertatis potest licite agere contra præceptum probabiliter tantùm, & non certò sibi persuasum. Probat antecedens,

818 *Quàm certum sit hominem esse liberum?*

De quânam libertate agat Caramuel? Agit de Morali

cedens; quia tam certum est hominem esse liberum, ut possit id iuramento firmare: ut negantes possit hæreseos evidenter arguere. Hoc autem fundamentum, aut nihil probat, aut petit principium, & supponit probandum. Nam quando dicis *Iste homo possidet suam libertatem*, Inquiro, de quâ libertate loquaris? aut de libertate a coactione, & necessitate: aut de libertate ab obligatione vitandi actionem? Si de primâ libertate loquaris, nihil probat argumentum; nam quando obligatio vitandi actionem evidenter est cognita, possidet homo libertatem à coactione, & necessitate physicâ; & tamen peccat, si actionem eliciat: ergo intellectum argumentum de libertate à coactione, & necessitate physicâ prorsus nihil probat. Si loquaris de secundâ libertate ab obligatione vitandi actionem, petis principium, & supponis probandum [r] De hoc enim est quæstio, An videlicet, homo, in casu quæstionis sit liber ab obligatione vitandi actionem, & an possideat hanc libertatem: idem enim est inquirere, *An licitum sit homini tunc elicere actionem?* ac inquirere, *An homo possideat libertatem ab obligatione vitandi actionem?* Et sententia contraria negans actionem in casu quæstionis licitam esse negat etiam hominem possidere tunc libertatem ab obligatione vitandi actionem: Ergo Illustrissimus D. Caramuel supponens tunc hominem possidere suam libertatem ab obligatione, supponit quod probare debebat, & in quo cardo controversiæ consistit. Vnde si negetur hominem tunc possidere hanc libertatem totum fundamentum evanuit.

r] *Non quæritur Principium nec supponitur probandum quia principium quod assumit Caramuel est hoc, certù essentiale & universale.* Homo potest facere quidquid velit, nisi lege prohibeatur. *Et, ut ostendat hic & nunc posse hominē rem talem facere, non debet aperire suum os Caramuel, nam hic actus particularis clauditur in Vniversali, donec legem prohibentē adversarius exhibeat.*

819 N. B. *Per leges & præcepta moralis libertas non adimitur, sed ligatur.* Vide, quæ num. 24. ed dicuntur.] *Nec puto aliter sentire Theologos, licèt aliter passim loquantur.*

In Immemoriali possessione (quo nomine illa intelligitur, cuius initiū testium memoriam superat) nulla alia ratio dari solet quàm. Possideo, *Sed cur?* Vide quæ num. 842. dicentur.] *An possimus probare, idē per idem.*

Si respondeas Illustrissimum Caramuel hoc principium probare, videamus quibus probationibus id persuadeat. Prima probatio, quæ colligitur ex *num.* 308. §. *Iterum erat*, hæc est, *Possidet, quia possidet.* Sed hæc profectò nulla est probatio. Quod vertitur in dubium est, An tunc homo possideat libertatem ab obligatione vitandi actionem, aut non possideat? Et huic dubio respondere, *Possidet, quia possidet*, ineptum videtur. Nō enim dubium eodem dubio debet resolui. Sicut inquirenti, An sacramenta novæ legis causent, vel non causent physicè gratiam: an Physica prædeterminatio cum creatâ libertate componatur, vel non? ineptè responderes hoc modo: *Sacramenta novæ legis causant physicè gratiam, quia causant physicè gratiam: & Prædeterminatio physica non destruit libertatem creatam, quia non destruit.*

820 Secunda probatio desumitur ex eodem *num.* 331. §. *Franciscus.* Et est huiusmodi? *Franciscus scit tam certò hominem* esse liberum, ut possit id *iuramento firmare.* Hæc etiam probatio, si intelligatur de libertate ab obligatione vitandi actionem, nulla videtur in casu quæstionis. De hoc enim est dubium, & primum quod debet negare sententia contraria. Immò falsum omninò videtur Franciscum sub iuramento posse affirmare se liberum esse ab obligatione vitandi actionem in circumstantiis quæstionis: quia nullus potest sub iuramento affirmare esse verum, quod rationibus probabilibus sibi persuadet esse falsum, & nulla ratione probabili apparet verum: sed Franciscus in circumstantiis quæstionis rationibus probabilibus sibi persuadet se non esse liberum ab obligatione vitandi actionem; & nulla ratione probabili probatur esse verum se liberum esse ab obligatione vitandi actionem. Ergo non potest sub iuramento affirmare se liberum esse ab obligatione vitandi actionem. Probatur minor. [s] Dari præceptum prohibens actionem est hominem non esse liberum ab obligatione vitandi actionem: cùm per prohibitionem excludatur libertas ab obligatione; & per negationem prohibitionis resultet in homine hæc libertas: sed Franciscus in circumstantiis quæstionis rationibus probabilibus sibi persuadet dari præceptum prohibens actionem; & nulla ratione probabili probat non dari præceptum prohibens actionem: ergo rationibus probabilibus sibi persuadet se non esse liberum ab obligatione vitandi actionem. Quo ergo fundamento tunc Petrus sibi persuadebit se liberum esse, & possidere libertatem ab obligatione vitandi actionem? Non fundamento speciali, ut supponimus. Non ex generali ratione possessionis libertatis. Nam quod in præsenti vertitur in dubium est, An homo in casu quæstionis possideat libertatem, vel non? Probanda ergo est hæc propositio. *Homo in casu quæstionis possidet libertatem ab obligatione vitandi actionem.* Quam ergo propositionem assumis ad probandam hanc? Respondes eamdem possessionem. Bene: ergo probas propositionem eâdem propositione: Et hanc propositionem, *Homo possidet libertatem ab obligatione vitandi actionem*, probas ex hoc antecedente *Homo possidet libertatem ab obligatione vitandi actionem.* Et probas idem per idem; formasque argumentum irrisione dignum, & nugatorium.

N. B. Dignetur legere Adversarij, quæ in Prodromo I. à num. 24. de libertate dicuntur: sicut enim catenę & cōpedes non auferūt libertatem realem, sed impediunt & ligant, sic præcepta & leges non auferunt libertatem moralē, sed eam impediunt & ligant: quò videtur respexisse S. Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 2. quò etiam Ovidius in *Metam.* si dicat, *Nec verba minantia fixò Ære ligabantur*, ut legunt Isidorus, & alij; fero enim *legebantur* ab aliquibus legi.

s] *Adversarius hic à Veritate Practicâ ad Bonitatem Practicam, & contra, argumentum desumit, & ideò diceret Caramuel hanc Propositionem,* Dari præceptum prohibens actionem, est hominem non esse liberum ab obligatione vitandi actionem. *Si nihil addatur, falsam esse: quoniam dato præcepto probabili prohibente actionem, est homo certò liber ab obligatione vitandi actionem. Deberet igitur argumentator dicere.* Dari præceptum certum prohibens actionem, est hominem certò non esse liberum ab obligatione vitandi actionem. *Et deberet addere.* Ergo non dari præceptum certum prohibens actionem (detur probabile, aut non detur) erit hominem certò esse liberum ab obligatione vitandi actionem. *Etsi sic adsumat (nam sic debet) nil omninò concludet.*

Tertia ratio ibidem adducta est, quia *Franciscus tam certò scit hominem esse liberum, ut negantes possit hæreseos evidentis* 821 *Caramuelo afferente.*

hominem realiter & moraliter esse liberum de fide est. *Et tamen hac veritate non obstante impediri ab extrinseco poterit, non ut libertatem habeat, aut non habeat, sed ut illam (nimirum tam reale, quam moralem) exerceat, aut nō exerceat. Tametsi enim homo secundum se considerātus currere potest & nō currere, si tamen compedibus, & catenis vinciatur, non curret: & sic similiter*

822 *tametsi licitè possit tacere & loqui, si tacendi præceptū superveniat non poterit licitè loqui. Ergo tametsi non sit de fide hoc, aut illud libertatis exercendæ impedimentum dari, aut non dari, esse tamen hominem realiter & moraliter liberum, & posse facere quidquid velit, nisi reale aut morale impedimentum superveniat, de fide est. Bene inquiritur,* Quid sit Triangulus *est enim figura habēs tres angulos: at male quæreretur,* Cur Triangulus habeat tres angulos? *quia hæc est eius essentia.*

823 SIC ETIAM *bene inquiritur*, quid sit homo? *est enim animal rationale: at male quæreretur*, Cur homo sit animal rationale? *quia hæc est eius essentia.* ET sic *similiter bene inquiritur* An homo sit liber? *nā respondemus esse liberum realiter & moraliter. & bene inquiritur*, Quid sit Agens liberum realiter? *dicimus enim esse*, Quod positis omnibus ad operandum præerequisitis quando operatur potest non operari, videlicet simultate potentiæ, & non potentiā simultatis. *Et bene etiam quæritur*, Quid sit agens liberum moraliter? *respondemus enim* Agens moraliter liberum esse, quod potest facere quidquid velit, nisi lege impediatur. *Sed malè quæreretur*, Cur agens liberum tale sit? *quia hæc est eius essentia & essentiarum non exigitur ratio.*

arguere. Hæc ratio etiam videtur evidenter falsa loquendo de libertate ab obligatione vitandi actionem in casu Quæstionis. Certum enim est non futurum hæreticum, qui in circumstantiis quæstionis diceret hominem non esse liberum ab obligatione vitandi actionem; nam sententia contraria opinioni Illustrissimi Caramuel docet hominem in circumstantiis quæstionis non esse liberum ab obligatione vitandi actionem: sententia autem contraria non est hæretica. Deinde tantùm est hæreticum negare hominem habere libertatem physicam à coactione & necessitate: negare verò habere libertatem ab obligatione vitandi actionem, quando prohibitio est apparenter proposita, & nulla est ratio probans actionem non esse prohibitam, non est hæreticum, alias sententia Illustrissimi Caramuel foret de fide divinâ. Ratioque huius manifesta, & evidens apparet; quia libertas ab obligatione non est homini essentialis, aut naturalis, sed est accidens quoddam quod potest abesse, & à Superiori potest pro libito auferri per legem obligantem. Sicut ergo non est hæreticum dicere, *Superior prohibuit hanc actionem subdito*: hæreticum non est asserere, *Subditus non habet libertatem ab obligatione vitandi hanc actionem.*

HOC ARGVMENTVM latè proposui, quia quamvis existimem procedere ex non penetratione sententiæ Illustrissimi D.D. Ioannis Caramuel, Occasionem tamen præbet doctrinam, & fundamentum ipsius clariùs explicandi. Respondeo fundamentum Sapientissimi Viri nec probandum supponere, nec nihil probare sed esse solidissimum, & efficacissimum, & niti Principio certo, & indubitato. Hoc Principium assumit ad probandum intentum. *Homo est liber ab obligatione vitandi actionem, quamdiu nō probatur actionem esse prohibitam lege: & hanc libertatem possidet, si lex non probatur.* Hoc principium tam certum est, ut homo possit iurare esse verum; & qui illud negant hæreseos possent argui. Non loquitur doctissimus vir de libertate à coactione, & necessitate physicâ; sed de libertate ab obligatione vitandi actionem. Supponit hominem hanc libertatem possidere, dum non probatur actionem esse prohibitam. Hoc non est supponere probandum: sed assumere Principium certum, de quo nullus dubitat, ad persuadendum intentum. Etsi Petrus interrogaretur, *Cur possides libertatem ab obligatione vitandi actionem quamdiu non probatur actionem esse prohibitam?* Optimè responderet *Possideo, quia possideo:* Quia prædictum Principium est certum, & per se notum; & Principij per se noti ineptè quæritur ratio; quia ipsum explicatione terminorum convincit intellectum. Hoc Principium docet Illustrissimus Caramuel esse certum, & probat rationibus allegatis, quæ ad intentum efficacissimæ sunt; quia evidens est libertatem ab obligatione necessariò resultare in homine, nisi mediâ lege impediatur. Non potest autem per legem impediri hæc libertas, nisi lex constet, & probetur. Difficultas ergo quæstionis non stat in hoc Principio: Vnde omnes Obiectiones propositæ procedunt ex non penetratione sententiæ doctissimi Viri. Difficultas tota devolvitur ad indagandum, *Qua probatione debeat probari prohibitio actionis, ut actio sit illicita?* Sententia opposita hanc Conclusionem defendit. *Vt actio sit illicita non sufficit prohibitionem actionis probari ratione tantum probabili.* Illustrissimus Caramuel hanc Conclusionem tuetur. *Vt actio sit illicita non sufficit prohibitionem ipsius probari ratione tantum probabili; sed necessarium est probari ratione certâ, aut physicè aut moraliter.* Hoc probat optimis, & gravissimis rationibus, ut constat ex contextu Resolutionis ipsius: ergo abs re dicitur fundamentum Authoris, aut supponere probandum, & Principium petere aut probandum supponere.

Lex, quam à ligando dici volumus, priùs debet esse certa, quàm ligare.

Qualiter probari debeat prohibitio, ut obliget

Quæ verè sit Caramuelis sententia?

Assertio ad quam tota difficultas devolvitur.

Quia tamen tota difficultas devolvitur ad hanc quæstionem, *Homo est in possessione libertatis ab obligatione vitandi actionem, quamdiu certa ratione non constat actionem esse prohibitam, & hominem esse spoliatum libertate ab obligatione vitandi actionem*; Probatur ulteriùs hæc propositio: ex eâ enim tota resolutio dependet; etsi hæc propositio vera est, evidenter infertur, Illustrissimi Caramuelis sententiam esse veram. Suadetur ergo prædicta propositio. Probatio contra reum debet esse certa, & indubitata: sed in præsenti quæstione, *An Petrus sit spoliatus libertate ab obligatione vitandi actionem*, Petrus est reus; qui contrarium allegat Actor: ergo quando Actor probatione certâ non probat Petrum esse spoliatum libertate ab obligatione vitandi actionem, possidet Petrus hanc libertatem, & est liber ab obligatione vitandi actionem. Minor est certa; nec minùs indubitata maior; nam ut omnes docent Doctores, probationes contra reum non debent esse incertæ, sed luce meridianâ clariores. Confirmatur. Regula communis Doctorum est, illum possidere, pro quo stat præsumptio? Præsumptio autem censetur stare pro illâ parte, quæ onus probandi transfert in alteram partem. In casu nostræ quæstionis, Petrus, cui Franciscus persuadet actionem esse interdictam, est Reus, Franciscus Actor. Petrus onus probandi transfert in Franciscum: ergo in hac quæstione, *An Petrus possideat libertatem ab obligatione vitandi actionem?* Præsumptio stat pro Petro, qui onus probandi transfert in Franciscum; ergo quamdiu Franciscus non probat

Nisi plena præcedat informatio reus condemnari non potest. Subditus, ubi agitur de obediendi obligatione gerit vices rei.

Quisnam possidere censendus sit.

An & quādo quis in alterū probandi obligationem transfert?

probat plenè seu certâ ratione Petrum esse spoliatum libertate ab obligatione vitandi actionem, Petrus possidet hanc libertatem.

814 *Si Franciscus coram Iudice contendat Petrum esse suum servũ: nihil probare debet Petrus, quem tuetur generalis illa Lex, Omnes homines sũt naturâ liberi. Et ideò Francisco incumbit totum onus probandi.*

Confirmatur idem intentum: sicut homo est liber, ab obligatione vitandi actionem quamdiu non probatur per præceptum spoliatum esse hâc libertate: ita liber est à servitute legali, dum non probatur esse servum, & spoliatum libertate omnibus hominibus naturali. Accedat Franciscus, & probabilibus argumentis, non tamen plene probantibus, ante Iudicem persuadeat se esse Dominum Petri, Petrumque servum ipsius. Petrus nullam habet rationem probabilem, quâ se defendat, quia ignotus est, nec patriam, nec Parentes potest probare. Allegat tamen Petrus in Iudicio. Ego liber à servitute debeo pronuntiari; quia *Omnes homines liberi sunt a servitute quamdiu non constat servos esse, & libertate spoliatos* In hoc iudicio non constat me servum esse; quia Franciscus non plenè me servum esse probavit; sed rationibus tantùm probabilibus & fallibilibus, quibus communiter, & ordinariè solet falsum subesse. Reclamat in Contrarium Franciscus hic debet pronuntiari servus meus, & libertate spoliatus; quia, etsi post adhibitam diligentiam, ego non plene probaverim servitutem; hic post adhibitam diligentiam nullam pro se obtulit probationem, nec probabilem. Nunc inquiro. Quid Iudex in hoc iudicio agere debet? Tenetur pronuntiare Petrum esse servum Francisci? aut non tenetur? (Et supponimus Francisco Actori non favere possessionem) Si respondeas secundum, videlicet Iudicem non teneri declarare Petrum esse servum Francisci, sed posse manutenere Petrum in libertate allegata: Ergo similiter in casu nostræ quæstionis prudentissimè potest intellectus proferre sententiam in favorem libertatis, & in iudicio interno manutenere hominem in possessione libertatis ab obligatione. Consequentia probatur; quia sicut evidens est hominem esse liberum à servitute legali, quamdiu non probatur servum esse; ita est evidens esse liberum ab obligatione uitandi actionem, quamdiu non probatur per legem prohibentem hâc libertate spoliatum. Sed Iudex in foro externo potest pronuntiare sententiam in favorem libertatis naturalis à servitute legali, & manutenere hominem in possessione huius libertatis, quamdiu plenâ, & certâ probatione non constat hominem esse servum, & libertate spoliatum: ergo in iudicio interno potest intellectus proferre sententiam in favorem libertatis moralis, sive libertatis ab obligatione vitandi actionem, quamdiu plenâ & certâ ratione non constat, hominem hâc libertate spoliatum. Si respondeas secundum, est evidenter falsum; quia nullus iudex tenetur proferre sententiam contra reum non præmissâ plena & certâ probatione: sed hic contra Petrum reum non præcessit plena, & certa probatio servitutis legalis: ergo iudex non tenetur proferre sententiam contra Petrum pronuncians esse servum Francisci, & libertate naturali spoliatum.

Sed qualis probatio sufficere? plena, an semiplena?

825 *Si nemo declarari servus potest, nisi post probationē plenam: nemo condemnari ad obeundum potest, nisi post informationem plenam: quia servitus quadam est, omnis obediendi obligatio.*

Iudex nõ tenetur (immò nec potest) condemnare reum ex informatione semiplenâ.

826 *An probatio, quæ Iudicem prædeterminat debeat necessariò concludere?*

Confirmatur ex doctrinâ communi, quam tradit Augustinus Barbosa *in lib. 4. Codicis, Titulo 19. L. neque natales 10.* Vbi pluribus citatis probat probationem debere de necessitate Concludere: probatio autem non convincens, sed purè probabilis non concludit de necessitate. Et quod ad proferendam sententiam probatio debeat de necessitate concludere, & non sufficiat ratio purè probabilis, probat ex verbis textûs eiusdem legis. *Illud, quod solet & potest abesse, non probat illud esse.* Ac si dicat, Ratio, quæ solet, & potest à veritate abesse non probat aliquid esse: sed rationes probabiles tantùm solent, & possunt à veritate abesse: experimur enim plures rationes probabiles tantùm, decursu temporis probari falsas, & ordinarie contingit falsitati subesse: Ergo rationes probabiles purè non probant aliquid esse sufficienti modo ad proferendam sententiam contra reum, & eum condemnandum in iudicio. In iudicio ergo prædicto non teneretur iudex pronuntiare Petrum esse servum, & libertate spoliare propter rationes purè probabiles, quæ ex genere probabilitatis putæ possunt, & solent à veritate abesse, nec bene respondetur argumento facto, non fieri efficax argumentum à foro externo ad internum. Non satisfacit responsio; nam ut pluribus citatis *lib. 1. Sum. epist. 10. num. 11.* docet Thomas Sanchez *Idem in utroque foro iudicandum est, quando externum non innititur falsæ præsumptioni, nec in pœnam Iudicis sententia agentem damnat. Sed in foro externo cognita veritate quod dubia sit obligatio, nemo adstringetur, sed pro libertatis possessione iudicabitur. Quia favorabilior est causa rei quam Actoris; & actore non probante plenè, reus est absolvendus: Ergo idem in foro interno iudicandum est.*

est mala cõsequentia, Hoc potest, & solet non esse ergo nunc est.

827 *Ergo etiam hæc erit mala. Præmissæ probabiles possunt & solent non inferre verũ. Ergo nunc non inferunt verum.*

Propter probabiles rationes nemo potest possessâ libertate privari.

An ex foro externo ad internum efficax argumentum sumatur?

Reus absolvitur Actore probante semiplenè.

828 *An Iuristæ in praxi habeant, & observent ipsissimam Caramuelis sententiam? An eu consentiat Sanchez?*

Confirmatur ex eodem Thomâ Sanchez *ibidem num. 48.* qui explicans illa verba communissima iuris Canonici, *Cum enim Iuris sit explorati quod actore non probante, is qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit, debet absolvi*: inquit hic Auctor, *id est, si reus non probavit se liberum à delicto; quasi sola probationis negatio in Actore, sit sufficiens absolvendi rei ratio.* En Casum simillimum aut identicum, quo efficacissimè confirmatur Illustrissimi Caramuelis sententia. Franciscus agit contra Petrum ipsi persuadens esse spoliatum libertate ab obligatione vitandi actionem, & esse obligatum. Petrus nihil præstitit pro se, nullam rationem specialem habet, ut probet se liberum esse ab obligatione. Franciscus similiter non probat, quia rationes probabiles purè non probant contra reum. Franciscus est Actor, Petrus reus: neuter probavit, nec reus, nec actor, ergo Petrus reus debet absolvi; *quia sola negatio probationis in Actore est sufficiens absolvendi rei ratio.*

Certa & sufficiens ratio, ut absolvatur reus est non dari certam & sufficientem (plenã) ne condemnetur.

Respondes, Franciscus; qui fuit actor, probavit contra Petrum saltem probabiliter;

ter: Petrus pro se nihil, nec probabiliter probavit. Sed contra. Quotiescumque factum spoliationis libertatis manet tantum probabiliter probatum, manet dubium; & quamdiu manet dubium, manet factum non probatum: ergo tunc absoluendus est Petrus reus; non quia ipse probat se liberum esse; sed quia Actor non probavit non esse liberum: *quia sola negatio probationis in actione est sufficiens absoluendi rei ratio.*

In omni dubio semper est absoluendus reus.

830 *An in nostrâ Quæstione detur dubium?*

Respondebis secundò in casu nostræ quæstionis non dari dubium. Sed contra primò superius explicuimus, quomodo in casu quæstionis detur dubium. Contra secundò. Ideò cùm factum spoliationis libertatis manet dubium, absoluendus est reus; quia quamdiu manet dubium non manet probatum: sed quando probabiliter tantùm est persuasum non manet probatum: ergo quando probabiliter tantùm est persuasum, & probatum absoluendus est reus, etiamsi pro se nihil præstiterit: id est pro se nullam specialem probationem probabilem obtulerit. Minor constat; quia quamdiu factum probabiliter tantùm est persuasum, manet incertum factum, quia ratio probabilis nihil certò manifestat: sed quamdiu factum manet incertum, non manet probatum; quia probatio facti ad condemnandum reum sufficiens causat certitudinem facti: ergo quamdiu factum tantùm probabiliter est persuasum, non manet probatum.

Probatio merè probabilis, ut realiter aliquid sit, virtualiter tamen & moraliter (canonicè & civiliter) nihil est: ita enim in morum regimine, (& in Ecclesiasticis, ac Civilibus Tribunalibus) se habet ac si nihil esset omninò.

Idem est dubiè probari, ac non probari.

Hæc ratio desumpta est ex Thomâ Sanchez *ibidem n.48. citato*, inquit enim. *At quoties factum manet dubium manet delictum non probatum absoluendus est ergo tunc reus.* Contemplare etiam uniformitatem discursũ Illustrissimi Caramuel, & Thomæ Sanchez: discursus Thomæ Sanchez hic est *Delictum est quid facti: ergo dum hoc certo non probatur, absoluendus est reus, etiamsi reus pro se nihil præstiterit: id est nullam pro se rationem obtulerit probantem se liberum à delicto; quia sola probationis negatio in actore est sufficiens absoluendi rei ratio.* Discursus Illustrissimi Caramuel idem omninò est, ut constat ex tertia Conclusione. *Lex est quid facti: Lex libertate spoliat hominem: ergo dum lex non probatur certò absoluendus est homo ab obligatione legis: etiamsi pro se nihil præstiterit: id est nullam rationem specialem probabilem invenerit probantem se liberum esse ab obligatione legis, sive per legem non esse spoliatum libertate, quia sola probationis negatio in actore est sufficiens absoluendi rei ratio.* Discursus omninò sunt uniformes: Ergo si probabilissimus est discursus Thomæ Sanchez; cur eadem probabilitate non gaudet discursus, quem format Illustrissimus Caramuel: Ratio utrobique eadem est; quia sicut delictum est quid facti, lex est quid facti: sicut homo præsumitur liber à delicto, quamdiu delictum non probatur; homo præsumitur possidere libertatem ab obligatione, quamdiu lex spolians eum libertate non probatur: sed quamdiu delictum certo fundamento non probatur absoluendus est homo à delicto, & iudicandus liber à delicto: ergo quamdiu lex certò fundamento non probatur, absoluendus est homo ab obligatione legis, & iudicandum liberum ab obligatione esse.

831 *Thomæ Sanchez discursus.*

Caramuelis discursus.

An per omnia sint similes?

N. B. *Petrus die tali, qui erat ieiunij, dicitur comedisse carnes, & accusatur.*

Dico, ut condemnetur, debere duo aquè plenè probari: alterum ipsum commedisse carnes illâ die & alterum illam fuisse ieiunij diem, nempe fuisse legem, quæ carnes prohiberet illâ die Ergo aquè debet probari lex & factum.

Mitto Obiectionem desumptam ex singularitate doctrinæ, quæ tantum posset terrere tyrones. Singularis est, non quia contra Doctores; sed quia quæstio hæc parum, aut nihil ab antiquis & modernis discussa. nititur tamen solidissimis fundamentis & Principiis à Doctoribus plausu communi receptis: nec potest vocari singularis doctrina, quæ ex vetustissimis, & receptissimis principiis Theologiæ colligitur. Mitto aliàs obiectiones, quæ æque militant contra sententiam docentem posse quemlibet sequi opinionem probabilem minùs tutam contra probabiliorem magis tutam. Mitto hæc argumenta, quia communia sunt, & solutiones procul dubio probabiles, & cuilibet obviæ.

832 *An hæc Caramuelis doctrina sit nova & singularis? Hæc obiectio, quæ aliquos fortassis movere posset, proponitur & soluitur num. 457. usque ad num. 618.*

Hæc sunt Illustrissime, & Reverendissime Domine fundamenta, quæ me movent ad vestra subscribendum sententiæ; quam non tantum probabilem, sed veram existimo. Sic sentio, salvo semper iudicio Sanctæ Matris Ecclesiæ, cuius correctioni omnia hucusque dicta submitto. Valete, & auspicatissimis annis ad honorem Ecclesiæ vos incolumem servet Divina Maiestas. In Collegio Salmantino Parentis nostri Bernardi die 9. Decembris 1670.

RESOLVTIO Reverendissimus D.D. Antonius de Azvedio, nõ solum probabilem sed veram iudicat Caramuelis sententiam.

AD

AD REVERENDISSIMOS ET EXIMIOS
Dominos, Magiſtros noſtros.

D. D. MICHAELEM DE FVENTES, &
D. D. ANTONIVM DE SAN PEDRO,
In almâ Salmanticenſi Vniverſitate Sacræ Theologiæ Doctores Publicos Profeſſores, &c. necnon Ciſtercienſis Ordinis per Hiſpaniam (ſucceſſivè & immediatè) Generales, &c.

Eiuſdem *IOANNIS CARAMVELIS.*

EPISTOLA III.

Gratias agit quòd DIALEXIS, quæ non niſi merè probabilis erat, antequam ad Reverendiſſimos DD. mitteretur, iam ab ipſis promota, & apodicticis ratiociniis exornata & firmata, in ipsâmet Non-Certitudine Certitudinem indepta ſit. Pergit ulterius, & oſtendit, inanes Anticaramuelium vociferationes (quas non moratur) ex purâ Dialecticæ ignorantiâ procedere.

833 PVTARE *Veteres dicebant* deputare: *hoc eſt*, vacantia quæcumque, & non neceſſaria, aut etiam obſtantia & aliena auferre atque excidere: *ſicque* putari *arbores & vites dicuntur*; *&* putamina *vocantur* ſarmenta, *& alia, quæ auferuntur. Hinc factum eſt, ut* putare *pro* cogitare *atque* animo volvere *capiamus: nam cogitando reſecamus mente, quæ falſa ſunt, aut inutilia, aut ſupervacanea: &, quod verum eſt & bonum, ei cogitando hæremus.* [a] Hanc ego ob rem Difficultates cogitare & penetrare puto, cùm, quæ magno ab aliis foliorum apparatu tractantur, hinc inde deputans ad ſynopſim reduco: dum ramos, in quos dividuntur & ſubdividuntur & Doctorum Opiniones, amputo, ut ad ipſummet Quæſtionis truncum, aut etiam radicem perveniam. Hoc ſemper habeo in votis, non tamen ſemper adſequor,

Nam caret effectu ſpes bona ſæpe ſuo.

At hodie (Domini Reverendiſſimi) obſtetricantibus, & vices Lucinæ gerentibus veſtrâ Humanitate & Doctrinâ, mea qualicumque Mens novis ſplendoribus illuminata enixa eſt feliciter Quatuor propoſitiones (vel unicam potiùs Quadrimembrem) quibus ſtantibus, minùs videntur neceſſaria, quæ de hoc argumento per copioſa Volumina à Viris Eruditis ſcripta. Omnia, quæ dici debent, ad paucas lineas Mea DIALEXIS reſtrinxit; & quod vix deſiderare auderet, Certitudinem, à tot & tam perſpicacibus quæſitam Scriptoribus, in Non-Certitudine reperit. Hanc dudum conceperam Reſolutionem; ſed quia proprio diffidebam Ingenio, illam tranſmiſi ad Vos, ut Ingenio ipſa Veſtro, velut Lydio lapide tacta, an purum aurum, an fortè adulterinum & ſpurium præ ſe ferret, oſtenderet. Auro puriſſimo Aurichalcum [a] eſt ſimile: & verebar, ne dum Veritatem ipſam quærerem, me deciperet ſimilitudo: & ideò λίθῳ ἡρακλείῳ volui DIALEXIM meam integerrimo ſubiacere Iudicio. Habebat illa (quod debet ſemper confiteri ſinceritas) vilioris metalli [b] characteres nonnullos, quos potuiſſetis proculdubio ſuppingere [c] ſed Ingenium Veſtrum, tametſi eximium ſuperavit Vrbanitas.

Rationes Diſputabiles, ut ſcitè nos monet D. Thomas, non ſecundum totum, ſed tantummodò ſecundum aliquid, Verum concludunt: & ideò, ita pro vero militant ut omnem falſi ſuſpicionem non arceant. Quamobrem, cùm Διάλεξις, nonniſi *Diſputatio* quædam ſit, illi ex toto

a] Verba ſunt Ioſephi Langij *in Florilegio*, §. *Diſputatio*, *col.* 825.

Quid putare, & deputare ſit?

Authoris in ſuis Scriptis votum.

De Dialexeos doctrinâ.

An in Non-Certitudine ſit Certitudo?

a] *Aurichalcum*, eſt genus metalli apud Fauſtum.

b] Quos alij *Characteres*, Hiſpani Aurifices *Quilates* vocant.

c] Plauto *in Bacch.* eſt *ſuppingere* pavimentũ inaurare.

S. Thomas lib. 1. Phyſic. text. 4.

Rationes Probabiles tãtummodò ex parte cõcludunt.

Cur ad Reverendissimos Dominos fuerit Dialexis missa?

toto non audebam confidere? & quia eamdem ipsam ex toto fore veram desiderabam, ad vestram limam & censuram recurri; ad limam, ut quidquid minus solide scriptum, decircinaretur; ad Censuram, ut Vestrâ Approbatione honorata, suæ haberet innocentiæ publicum testimonium, quo Invidiam insultantem retunderet.

834 *Qualem apud indoctos docta scripta fortunam & censurâ patiantur?*

Ivit tandem ad Vos: mansit; rediit: sed quâ, quæso, fortunâ? Illâ profectò, quàm semper Scripta mea apud Viros doctos & ingeniosos nanciscuntur. Si ad aliquem primæ tonsuræ Theologum pervenisset, fuisset dimissa hac, κατέγνωσι, *Vidi, legi, damnavi* [d] est enim impotens ignorantium temeritas: unde varia & diversa.

d] Lupius Epist. 44. Leod.

Pro captu Lectoris habent sua fata Libelli.

Quales sint Domini Reverendissimi?

Sed pervenit ad vos, nobilissimæ totius Hispaniæ (ne Orbis Terrarum, dicam) Vniversitatis Lumina, Regios Theologiæ Professores, sublimium literarum Antistites, Viros Ingeniosissimos: qui habetis à doctrinæ eminentiâ, ne decipi & adlucinari positis: & à Pietatis studio, ne vota Veritatem quærentium retardare velitis. Et ideò aurichalcum, si quod in illâ latuit, fuit in aurum conversum: quoniam Doctrina mea, quæ mearum probationum virtute se continebat intra terminos Probabilitatis, à vestra dignatione & Ingenio alas nacta, supervolat, & in regiones superiores se insinuat, ut iam imposterum dicatur certa.

Quid ab ipsis nostra sit consequuta Dialexis?

835 *Humanus Herdeman. Concessit Caramueli Deus ingenium ut octo, eloquentiâ ut quinque, & prudentiam ut duo.*

Cesset ergo iam illa, toties ad tribunal vocata, controversia, de Caramuelis Ingenij & Iudicij mensurâ. Nam censeretur prudentissimus, si responderet singulis, qui in ipsum ausi; & ideo asseritur in iudicio deficere, quod aurâ populari fretus, Eruditorum Censuras & Criteria non timeat. At ego in ipso Caramuelis silentio clarum Prudentiæ argumentum invenio: est enim res pretiosa tempus, & illud expendit, non prodigit. Prodeat vel minimus Dialecticus, & in arena Caramuelem inveniet. Nihil in Mundo est quod aliter dici non possit. Quæ ab Angelico Doctore solidissimè scripta, aliter à Scoto ponuntur: & hæc ipsa aliter ab Ochamo: & omnia tandem aliter à Cartesio. Ergo ideò S. Thomas erravisse dicetur. Negat Dominus noster Iesus-Christus, qui dicens, *Bene scripsisti de me Thoma*, non esse male dicta, quæ aliter dici possent, evidenter testatur. Non ergo directè in hostem irruit, qui istud vel illud probat aliter & aliter potuisse dici: sed qui demonstrat sic non potuisse dici. Et quia Demonstratio in Caramuelem nulla prodiit, quæ Adialectici vocant κενὰ, ille minimè curat.

Vedrochius. Asserunt illi, non deesse eruditionê, sed minimè recoctam: & ingenio valere, cui non par sit iudicium nimiâ, quo sui fiduciâ, quasi popularis aura secutum, nil timere, aut fortè curare eruditorum criteria, quibus prope infinitam Censurarum materiam suppeditat.

Interim, ut ad Vos redeam (Domini Reverendissimi) hodie perspectant æmuli Caramuelem ingenio pollere & iudicio. Ingenio, siquidem inter Viros doctissimos, qui in Europâ nunc florent, potuit illos cognoscere, in quorum mentes Cælestis Amalthea Charites liberaliùs profudit. Iudicio, siquidem illos semel cognitos, suspexit, veneratus est, & tandem in Patronos obtinuit; ut illorum Ingenio (illud *Ignem* Quintilianus appellat) sua minimè recocta Eruditio condiatur, ut possit ministrari Catonibus, qui apud Ciceronem *propter sermonis delectationem tempestivis conviviis delectantur.* [e]

Id. apud Vincentium Baronium in suâ Manud. ad Moral. Theolog. disp. 4. sect. 1. pag. 377.

Cicero lib. de senect.

e] Hac ignis & auri similitudine Viri clari sunt usi: nempe Pindarus *in Nemeu hymn.* Cicero *in Epist. famil.* & *lib. 2. Offic.* S.P.N. Benedictus *in Reg. cap. 1.* & alij.

Valete igitur (Literarum Antistites Reverendissimi) & siquidem in nostro Cisterciensi ordine, Vos iure supremæ dignitatis ut Patres, & ratione Eminentis doctrinæ ut Magistros veneratur Caramuel, hoc testimonium gratitudinis, animo benigno suscipite: & ad maiorem Dei gloriam, & Literarij Orbis decus & ornamentum salvi, & incolumes, vivite multos annos. Romæ, Martiis Idibus, M. DC. LXXI.

EPISTOLA

EPISTOLA IV.

Non-Certitudinis conceptus, qui totam Dialexim honorat, in merâ Ignorantiâ consistit: Oportet ergo hanc bene noscere, ut ille exactè intelligatur.

Reverendissimo & Eruditissimo Domino, P. HYACINTHO AVENGOZARIO, Cisterciensis Ordinis Procuratori Generali, &c. Nunc (ut spero) Cœli Incolæ, & Amico intimo etiam post facta, &c. reverentiam & preces I. C. offerebat.

Ad Empyreum.

Suadet, pia amicorum funera, siccis oculis despicienda non esse: at sobriis illa tantùm lachrymis honorari debere. Tam ignorantes esse homines, ut nisi doceantur, nesciant aut lugere aut gaudere: & tamen tantâ superbiâ inflari, ut ne suspicari quidem velint, se ignorantiæ tenebris præpediri. Et ideò debere coram ipsis, dum superstites sunt, de Ignorantiæ essentiâ, passionibus, & attributis minimè disputari. Ostendit ad Ignorantiam cognoscendam medullitus, magnam scientiam requiri. Differit accuratè de variis Ignorantiæ generibus. Ostendit Invincibilem reperiri in omni Opinione Probabili. Examinatque. An Divinæ, Pontificiæ, Cæsareæ, Regiæ, &c. leges, sine culpâ nescitæ, ad culpam: & cum ulpâ ignoratæ, ad pœnam obligent?

836 *An in Amicorum obitu lugere, aut gaudere debeamus?*



TRISTI-NE lachrymarum profluvio, an verò festivo rosarum apparâtu, Amici Intimi honorabo Sarcophagum; pressus-ne aut oppressus mœrore, an gaudio & lætitiâ suffusus? Lugebo hilaris, gaudebo mœstus; affectusque contrarios immiscens, attemperabo gaudiis lachrymas, & angori subrisum. Lugebo Philosophicè, hoc est, doctè & prudenter; Optimum nempe Virum, qui visus est oculis insipientium mori, ipse autem (sic spero) est in Pace.

Homines, nisi doceamur, gaudere & lugere nescimus.

Et, quia tam est ignorans hominum naturalis conditio, ut nisi à doctore didicerint, nec sobriè illachrymari sciant, nec gaudio præscribere modum cognoscant, quæram lugendi & gaudendi Præceptores doctissimos, qui inter tristitiæ Boream, & lætitiæ Austrum ad portum, meum phaselum propellant. Inveniamque Horatium, & Ovidium; ut illo duce, scitè lugeam; & hoc præcursore, doctè gaudeam.

Quomodo in Amici morte luxerit Horatius Flaccus?

Profectò Horatius Flaccus, ut dolorem exprimeret, quo ob Viri illustris, Amici sui dum viveret, agitabatur, ut & præberet Posteris lugendi Methodum, lyræ Apollineæ hos numeros attemperavit.

Horatius lib.1. Ode 24

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam [a] chari Capitis? Præcipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum citharâ dedit.

Sic ille olim Latinè; at nuper D. Iosephi Antonij imperio obediens, [*in Hispan. Parnass, Musa III. proœmio*] audet Hispanicè; & ut suam adversus defuncti Amici fidem notam faciat, repercutit sequentes fides.

Quien en la ansia de tanto
Amable Amigo limite o verguenza
Tendrâ de que le venza
Grave dolor? Melpomene tu canto
Lugubre pues me enseña, y a que inspira
Como de tierno llanto.
En ti su voz Apolo con su lyra.

a] Contendunt multi Critici nomen Charus sine aspiratione esse scribendum: ac videntur à cæteis, ac si pingui Minervâ vocabulum à carne deduxerint, cùm potuerint & debuerint à χάειν.

Melpomene est Musa funerum.

Funereis Melpomene lachrymis modum & pudorem imponit; Musa nimirùm, quam Plato, & eius Discipuli Academici [*in Argumento ad Ionem* asserente Ficino] *Solis vocem* appellant. Non enim clam, sed palam, marmori, quod cineres Amicorum sigillat, debemus lachrymas loco characterum inscribere: quantis prudens modum imponat Pudor: quoniam

Solis vox à Platone vocatur.

En perdida de Amigo,
Que fué otro Yo commigo, [a]
El llorar sin consuelo,
Sin acordarme de el Empyreo Cielo,
Seria grande verguenza,
Y el no llorar, notable desverguenza.

Prudentia & Pudor lachrymis modum præscribit.

Adesto Ovidius igitur, temperato tristitiam, modum mœrori imponito, & dicito: [*6. Fast.*]

Scilicet interdum miscentur tristia lætis.

a] Amicus debet esse *Alter Ego.*

Et, si alicubi [7. Metamorph.] cecinerit,

Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.

Canat, si velit, alibi,

Principium gaudij nam solet esse dolor.

Considerabo itaque Admonitionum harum numeros, & ad illos lachrymas in pondere & mensurâ climabo. Solum, Cœlumque contemplabor attentè: Et quam-

diu solum; quia deseror, & solus maneo, & animæ meæ dimidium [*b*] abripi & excidi percipio, ut solamen inveniam.

b] Hieronymus *super Mich. Proph.* Legimus, *Sit Amicus eadem anima.* Et Lyricus pro Amico precans, *Serves*, inquit, *Anima dimidium mea.*

Flebo tuum casum; nam est quædam flere voluptas:
Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

Me exhibebo pro rostris, laudesque Avengozarias oculis declamabo, in linguasque convertam oculos; quoniam, ut Transformationum Author [*lib. 3. de Pont. eleg. 1.*] ingemiscit.

Ovidius 4. *Trist.* *Loquuntur lachrymæ.*

Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

Suspiciam posteà Cœlum & metamorphosi alterâ vertam suspiria in gaudia, obediam Philosophi antiqui præcepto,

Non datur vera Amicitia sine Deo.

Ἶσα Θεῷ σὺ τοὺς φίλους τιμᾶν θέλε.
Honora Amicos tanquam honorares Deum.

Est enim amicitia, si vera, Deus: est enim illa duum animorum vinculum, & sine Deo Animi sinceri non vinciuntur. *In Epistolâ ad Paulin.* Hieronymus. *Vera illa Amicitia est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantùm, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor, & Divinarum Scripturarum conciliant studia.* Nos ergo veri amici fuimus, veri sumus: in Te olim colui Deum, in Te etiamnum illum colo: Sol enim Empyreus est Deus: & sicut in Pareliis, Solis prospectamus imagines, sic in piis Hominibus Deum, hîc per gratiam, & ibi per gloriam se totum communicantem, adoramus. In Te igitur, Avengozar Charissime, in quo dum viveres, dotes, prærogativasque cœlitus inditas reverebar humanitus, ad gaudia finis nescia (sic spero) translato, adorabo Deum, qui te laureâ coronat; solem, inquam, qui te suffundit scientiæ radiis, ut Parelij instar, nobis splendores communices. Lucem Ego à patrocinio. Tuo, & Summi Misericordiâ Numinis semper spero: & impræsentiarum præcipuè, & exspectationis meæ causam expono.

In animabus piis Dominus habitat: et in ipsis suspicitur.

Beati adinti divinitùs, mortales adiuvant.

Sumus profectò homines, imperiti & superbi: & quia nostra ad supremum gradum ignorantia pervenit, cœcutimus sponte, & nos esse ignorantes, ignorare aut nescire ausu temerario præsumimus. Omnes in scientiis, in quibus nunquam fuimus discipuli, Magistros agimus, & ægrè ferimus, si aliquam nescire dicamur. Frustra clamat Apostolus, cùm ait, *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum agnovit, quo modo oporteat eum scire.* claudit enim aures nostras vana-gloria, & præsumptio, & nolumus illum audire. Ergo tædiosum, aut etiam periculosum erit coram ullo mortali de ignorantiâ disserere: quæ enim proponentur in genere, hæc ille ita contrahet, ut contra se evomi vel profundi dicantur. Subrigam ergo ad Cœlum oculos, ubi nulla est ignorantiæ suspicio, ubi sapientes omnes sunt; &, quia in Verbo universa respiciunt, ut Hierarchiæ Eminentioris Angeli notitiarum supernaturalium splendore poterunt Superstites illuminare. Coram te igitur, Amice Optime, qui Infinitæ Sapientiæ splendore (sic spero) suffunderis, de Ignorantiâ perorare decrevi; & carebo ignorantiâ, si de illâ disputavero exactè. Tuum erit igitur orare Deum, ut meam mentem illuminet, ut sine ignorantiæ notâ, Ignorantiæ nomen, essentiam, passiones, adtributa, &c. possim dilucidare.

Quàm ignorantes & superbi sint homines?

1. Corinth. 8

Beati in Divino Verbo universa, quæ sua referunt, intuitivè cognoscunt.

Orat Deum ut nostra mentis illuminentur.

A Verbo antiquo, aut etiam antiquato *Gnoro*, habemus hodie nomen *Gnarus*: & ab *Ignoro*, ducimus *Ignarus*, & ab isto *Ignorantia*. Nonnulli tamen Critici à verbo γνωρίζω, *notifico*, vocem istam derivant: nam inde est γνωστὸς, *notus*, & γνῶσις, *notitia*. [Græcis autem *Ignorantia* est ἄγνοια, & ἀγνοέω, *Ignoro*. 837

Latinæ voces, Gnoro Gnarus, Ignoro, Ignarus, Scio, Scientia, &c. nec non Græcæ γνωρίζω, γνωστὸς γνῶσις, ἄγνοια, ἀγνοέω. &c. dilucidantur.

Verbum *scio*, additâ negativâ particulâ dat verbum *Nescio*: & quia ab illo vocem *Scientia* deduxerunt Politici, ab isto vocem *Nescientia* (de cuius inferiùs significatione differam) deduxerunt Theologi.

Et Cur in Ethicâ agitur de Ignorantiâ? Quoniam eam aliquando esse peccaminosam, & ex illâ gravissimâ peccata aboriri, indubitatum est. Augustinus. *Non rectè dici potest*, Si nescit homo, non peccat, *sunt enim peccata ignorantium; quamvis minora, quàm scientium.* Ita Sanctus Pater *lib. de adulterinis coniugiis* [Et habetur 37. *quæst. 7. Quemadmodum.*] Et hoc ultimum rescribit iterum dicens, *Peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur* [habetur 6. *quæst. 1. quæro ergo.*] Hoc ultimum negarunt Veteres, docti à Senecâ, qui *in Pro.* Scripserat, *Non est levius omnino nescire, quoad liceat, quàm facere aliquid, quod scias, non licere.* Iuniores sub distinctione loquuntur, peccata enim, quæ ex ignorantiâ affectatâ admittuntur graviora esse fatentur, quæ ex supina vel crassâ minùs gravia. Ita Illustrissimus Accacius *tom. 1. verb.* Ignorancia, *resol. 81. pag. 176. n. 4. & 5.* Sed qualitercumque hæ circumstantiæ aggravêt aut non aggravent, non addunt peccato novam speciem. Secundò sæpe ignorantia est utilis, & potest positivè eligi & procurari: ut enim idem testatur Augustinus multa utiliter ignorantur. *In adversis rebus*, ait, *id est cùm iste scit alia, & ille utiliora, & ille minùs utilia, vel etiam noxia, quis non in eis, quæ ille scit, ei præferat nescientem? sunt enim quædam, quæ nescire melius est, quàm scire*, [habetur *distinct. 38. Quamvis errare.* Tertiò, ut peccatum sit, & homini ignorantia imputetur oportet, ut rerum sit, quas scire tenetur. Honoratius 1. *serm. 6.*

Cur Theologi Morales disputent de Ignorantiâ.

An ignorantes peccent & an cæteris gravius?

An ignorantia aliquando sit utilis?

Non est culpabilis ignorantia, si rerum sit, quas non teneris scire.

—— *Sed quod magis ad nos*
Pertinet, & nescire malum est, &c.

Quartò oportet etiã, quod hæc ipsa ignorantia eidem voluntaria & libera sit. Audiamus iterum Augustinum, inquit enim: *Non omnis ignorans immunis est à pœna: ille enim* (nimirùm, solus) *ignorans potest excusari*

Neque si rerum sit, quas non potuisti scire.

cusari à pœnâ, quid quod à quo disceret non invenit: illis autem hoc ignosci non poterit, qui à quo discerent habentes, operam non dederunt. [habetur *dist.37.can.vlt.*] Modò voluntaria sit ignorantia, causæ eius ad illius conceptum essentialem non pertinent: interim *in quad.epist.* præcipuas producit Bernardus, his verbis: *Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut inquirendi verecundiâ; & quidem huiusmodi ignorantia non habet excusationem.* Et his testimoniis, ut sint nobis luci, præmissis, aliquas Ignorantiæ diuisiones, & subdivisiones exponamus.

Quæ sint causæ ignorantiæ.

838 Ignorantia primò in positivam, & non-positivam: [Voco *non-positivam*, quam alij *negativam* dicerent, ne rationem genericam cum specificâ confundam: nam Ignorantia negativa est non-positivæ species, vt statim videbimus.] dividitur: cùm negativè sumitur, est non notitia, non scientia: cùm autem positivè, est *inscitia*, quæ potiùs importat falsum scire, quàm verùm ignorare. Sunt sociæ, & altera alteram concomitatur. Tertullianus à Timanno Gesselio in Historiæ Præfat. citatus: *Duæ species cæcitatis facile concurrunt, ut qui non videant quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt.* Cicero pro Syl. *Vos denique in tantis tenebris erroris, & in scientiæ clarissimum lumen præfulsistis menti meæ.* Et hæc positiva ignoratia, est, quam alij *errorem*, & *ignorantiam pravæ dispositionis* S.Thomas *de malo,quæst.3.art.3.* & cum ipso Recentiores appellant.

In positivã & Negativam ignorantia divisio.

Secundò, Ignorantia Non-positiva in Negationem Privationem & Defectum subdividitur. Metaphysica non bene hanc divisionem tradit: bimembrem enim facit, quam trimembrem deberet: quoniam, ubi Carentiam dividit, Negationis, & Privationis, non autem Defectûs ipsa meminit. Positis ergo legitimis membrorum dividentium vocabulis, illa dilucidemus. Negatio est carentia formæ in subiecto incapaci; & talis est in lapide carentia visionis Beatificæ: Privatio est carentia formæ in subjecto capaci; & talis est in lapide carentia caloris, nam illum recipere potest. Et Defectus est carentiæ formæ debitæ; & talis est in homine cœcitas (carentia visûs) quinque enim sensus naturaliter illi debentur. Et hinc ad Ignorantiam redeundo. Ignorantia Negativa est carentia notitiæ in subjecto incapaci: sic arbores, quis eas cædit; & feræ, quis eas capiet, ignorare dicuntur. Privativa est carentia notitiæ in subjecto capaci, non tamen debitæ: sic Petrus Musicam ignorare dicetur, est enim capax, ut eam addiscat, sed illam nõ tenetur adquirere. Defectuosa est carentia notitiæ debitæ. Qui debitam dicit aptum subiectum subintelligit, nulla enim debetur inepto. Sic in Cive Iurisprudentiæ ignorantia erit mera Privatio, & in Iudice, Senatore, Assessore Defectus; tametsi enim Cives & Iudices capaces sint, ut Iurisprudentiam sciant: eam illi didicisse non debent, isti debent. [Hanc ignorantiam Defectuosam, voca *Defectivam*, si velis.]

Carentia, universim sumpta dividitur in Negationẽ, Privationẽ, & defectũ.

Etiam in Negativã, Privativã, & Defectivam Ignorantia.

Hæc doctrina solvit, quamdam difficultatem, quam gravem reddiderat sola vocum carentia. Contra eos, qui Puras omissiones admittunt, hoc solet argumentum formari. [Inter actum primum & secundum debet dari distinctio. At pura omissio per modum actûs primi non distinguitur à purâ omissione per modum actûs secundi consideratâ. Ergo repugnat pura omissio. Probatur minor. Nam, qui omittit amare Deum, verbi gratia, quando est in actu primo, caret omni actu: quando in actu secundo omittendi, similiter caret omni actu: Ergo, si pura admittatur omissio, actus primus à secundo minimè distinguetur.] 839

Quàm utile fuerit addere in divisione Carẽtiæ tertium mẽbrum?

An pura Omissio libera possibilis sit?

Semper debet actus primus à secundo distingui.

RESPONDENT ALIQUI, dari differentiam clarissimam; quia, si debeam amare Deum horâ tertiâ, & omittam: horâ primâ & secundâ fui in actu primo, at horâ tertiâ in secundo, quia supervenit præceptum, quod horâ primâ & secundâ non erat; & sic datur inter actum primum, & secundum manifestum discrimen. At hoc non sufficit: quoniam inter actum primum & secundum differentia est intrinseca, & quæ à præcepto sumeretur, esset tantum extrinseca. ALII, re oculatiùs consideratâ, dixerunt carentiam actûs in actu primo & secundo puræ omissionis reperiri: sed, cùm voluntas ex actu primo in secundum transit, hanc carentiam ex negatione in privationem transire. Adluxit illis aliqualis veræ doctrinæ radius, sed defectu vocum fuerunt adlucinati: nam voluntas, cùm est in actu primo, non habet negationem actûs, sed privationem. Ergo vel non Respondebunt bene, vel meâ dialecto uti debebunt. EGO SIC dissolvo hoc argumentum. *Inter actum*, &c. concedo Majorem. *At pura omissio*, &c. nego Minorem. Ad probationem respondeo subsumptam Minorem distinguendo. *Qui omittit amare Deum, v. gr. quando est in actu primo, caret omni actu.* distinguo, caret privativè (hoc est, caret actu, quem potest habere) concedo: caret defectivè (hoc est, caret actu, quem debet habere) nego hanc Minoris partem: & transiens ad alteram, sic inquam: *Quando est in actu secundo omittendi, similiter caret omni actu.* nego illud *similiter*. nam quando est in actu secundo caret non tantum privativè, sed etiam defectivè; nam caret actu, quem potest & debet habere.

Præceptum est extrinsecũ, & inter actum primum & secundũ differentia esse debet intrinseca.

An carentia actus ex negatione in privationem transeat?

An ex privatione in defectum.

N. B. Sicut Binarius materialiter non tamen formaliter clauditur in Ternario, seu Privatio materialiter, non tamen formaliter clauditur in defectu.

Theologi vt secundam à tertia (meram privationem à defectu) distinguant, indiguere vocabulis: & quia, ut monet Hieronymus difficilè aut etiam impossibile est, mutare labium annosi senis maluerunt novam vocem fingere, quam antiquam præscriptâ acceptione privare. A verbo itaque nescio deduxerunt *nescientiam*, & quia Virgilius Æneid. 1. dixerat.

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ.

Ignorantiam omnis peccati expertem (nemo enim tenetur fata futura scire, *Nescientiam* appellarunt. Videri poterit S. Thomas *quæst. de malo 3. artic.3.* ex quo

Quid Nescientia sit? An hoc nomine Ignorantia veril, quas homo non tenetur scire intelligatur?

Iosephus Langius hanc doctrinam deducit. *Differunt prætereà error, Nescientia, & Ignorantia sic. Quod Nescientia simplicem negationem Scientiæ* (debuit dicere, *simplicem privationem Scientiæ indebitæ*) *importat: Ignorantia vero quandoque significat Scientiæ privationem. & tunc Ignorantia est carentia Scientiæ, quam quis natus est habere: hoc enim est de ratione cuiuslibet privationis. Quandoque autem Ignorantia est aliquid scientiæ contrarium, quæ dicitur* Ignorantia perversæ dispositionis: *puta, cùm quis habet habitum falsorum Principiorum, & falsarum Opinionum, ex quibus impeditur Scientia Veritatis. Error autem est approbatio falsorum pro veris, unde approbare falsa pro veris addit actum quemdam supra ignorantiam. Potest esse ignorantia sine hoc quod aliquis de ignotis sententiam ferat, Et tunc ignorans est, & non errans. Sed quando iam falsam sententiam fert de his, quæ nescit, tunc propriè dicitur errare.*

De Ignorantiâ positivâ iam sub initium egimus.

De Defectuosâ Ignorantiâ.

His præmissis de Ignorantiâ defectuosâ, quæ est rerum, quas homo deberet scire in particulari disputemus, & in quæ membra dividatur exponamus.

840 *Eius prima divisio: in Iuris, Facti, & Pœnæ.*

Primò, Ignorantia, si materiam, circa quam versatur, consideremus, alia est Iuris, alia Facti: & Iuris vel est Præcepti, vel Pœnæ est. Hanc Ignorantiæ divisionem tanquam fundamentalem tradunt & ediſſerunt Leander *de Censur. tract.* 1. *disp.* 9. *quæst.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *vers. Quartus.* Navarrus *cap.* 27. *num.* 274. Bonacina *disp.* 1. *de Censur. quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 1. Hurtadus *de Censur. in comm. diff.* 21. *num.* 87. Suarius *disp.* 4. *sect.* 8. *num.* 8. Avila 2. *part. Censur. disp.* 5. *dub.* 6. Sanchez *lib.* 1. *Summ. cap.* 6. *à princip.* Montesinus *tom.* 1. *in* 1. 2. *quæst.* 6. *artic.* 8. *quæst.* 11. Cotonius *in Summa Dianæ verb. ignorantia.* Candidus *disquis.* 22. *art.* 31. *dub.* 1. quod ex Bonacina eo non citato Leander adsumpsisse testatur, &c. At hîc nimiùm hærere non volo; unum tamen exemplum loco Regularum proponam, has enim ignorantiæ differentias meliùs illo, quàm multis verbis declarabo. Ioannem clericum non communi consilio, sed diversis temporibus, Petrus, Caius, & Celsus percusserunt. An ne omnes sunt excommunicati. Petrus dicit se ignorasse esse Ecclesiasticam legem, quæ iuberet nequis percutiat Clericum: sed Caius, tametsi fateatur se habuisse notitiam illius legis, succlamat se Ioannem esse clericum ignoravisse: & tandem Celsus se habuisse legis notitiam fatetur, & se scivisse Ioannem esse clericum minimè negat: se tamen excusat, quòd putaverit Canonem illum esse legem merè moralem, & violatores nulli pœnæ aut censuræ subiicere. His positis assero Petrum habuisse ignorantiam legis, Caium facti, Celsum pœnæ: & nullum ex illis incurrisse censuram, si illorum ignorantia invincibilis sit. Et, si de Celso dubites, lege inferiùs Concl. XIII.

Mēbra eius dividentia exemplo clarissimo dilucidantur.

Secunda Ignorantiæ divisio, in

Quælibet ex his tribus Ignorantiis (videlicet, legis, facti, & pœnæ) dividitur in Vincibilem & Invincibilem. Invincibilis est eadem ac Insuperabilis, quæ minimæ est libera: quæ à naturæ imperfectione, & non à voluntate provenit: Vincibilis est eadem, quæ libera; quando quis omittit addiscere, quæ scire potest. Ignorantia Vincibilis in Privativam & Defectivam subdividitur. Ignorat Petrus privativè, quæ potest, sed non tenetur scire: ut, si Concionator Hispanus nesciat linguam Arabicam: sunt enim multi servi Africani, à quibus illam possit addiscere, sed non tenetur. Ignorat autem defectivè, quæ potest, & tenetur scire: ut, si Iudex, Ius nesciat, quod potest, & tenetur scire. Quod si fortè (N. B.) non sit capax, ut illud sciat, poterit saltem & debebit Iudicis munus non admittere. Et patere Amice Lector, ut mea Ignorantia post tot Viros illustres audeat de Ignorantiâ disserere, nam hæc materia mentem postulat oculatissimam, & nescio, an omnes, qui de hoc argumento ausi scribere, sint oculati. Sic discurro.

Vincibilem, & Invincibilem.

Vincibilis in Privativã, & Defectivam subdividitur.

Doctrina de Culpabili & inculpabili ignorantiâ à Tractatu de Peccatis dependet: nisi enim bene scivero, Quid sit peccatum? & Quomodò committatur? quomodo, & quando peccem ignorando, nec scire, nec exponere potero. Ergo à generali doctrinâ de peccatis incipiens, sic inquam.

841 *Non omnis vincibilis est culpabilis.* Immo non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem laudabile est.

Nihil peccaminosum, quin volitum.

Nihil volitum, quin præcognitum, & etiam actu cognoscatur.

Ergo nihil peccaminosum, quin præcognitum, & etiam actu cognoscatur.

At, quia aqua quæ fluxit heri, non movet hodie rotas molendini; nec cognitio, quam heri habui, & hodie non habeo, sufficiet, ut rem aliquam nunc incognitam velim; nec volitio, quam heri habui, & hodie non habeo, sufficiet, ut sine volitione, aut fortè cum contrariâ volitione peccem. Ergo eumdem syllogismum strictiùs reponamus.

Omnis ignorantia culpabilis est interdicta, cognita, & volita.

Nihil hic & nunc est peccaminosum, quin hic & nunc sit volitum.

Est propositio certa: & tam in peccatis ex malitiâ seu scientiâ, quàm ex vincibili ignorantiâ provenientibus verificatur.

In actuali peccato actualis cognitio & volitio realiter aut virtualiter invenitur.

Nihil hic & nunc est volitum, quin hic & nunc sit præcognitum, & etiam actu cognoscatur.

Actu igitur debet cognosci sciendi, inquirendi aut operandi obligatio. Si enim ego rem possum & debeo scire, si tamen hic & nunc me hanc habere potentiam & obligationem non adverto, mea ignorantia hic & nunc transit in invincibilem.

Ergo nihil hic & nunc est peccaminosum, quin hic, & nunc sit præcognitum, & etiam actu cognoscatur.

842 *Intellectus est Microcosmi Solium. Inadvertentia non minus ac ignorantia excusat.*

Consequentia est legitima; & bene totus syllogismus decurrit. Hæc est doctrina veterum Patrum, qui excusationem in peccatis ab inadvertentiâ sumptam frequenter admittunt. Ille enim qui non advertit, & qui nescit, sunt similes. Audi S. Ioannem Chrysostomum, qui *in sermon. de*

Inadvertentia & inconsideratio, si inculpabiles sint, & praeter voluntatem accidat, excusant à peccato mortali.

de S. Pauli conversione, sic in fit. *Quid lucidius sole? attamen & lux eius deficit. Et profectò, sicut fulgidam illam lucem, & fulgurosum jubar sapenumerò supervenientes tenebra obtegunt: ita & intellectum nostrum, quasi in meridie fulgentem & conspicuum, inconsiderantia obrepens tenebrosum reddit*, Ecce non solùm Ignorantia, quâ imperiti laborant; sed etiam inconsiderantia, quæ etiam in Viris doctissimis invenitur, Intellectum eclipsat, ne obligationem à lege provenientem cognoscat. Hanc doctrinam admittit & dilucidat Doctor Angelicus *de actib. hum. quæst.6.artic.3.* ubi eius celeber Commentator Caietanus, sic inquit: *Si quis certâ intentione perseverans nullo modo peccandi mortaliter, & sciens contractum talem redolere usuram, & nihilominùs non recolens actualiter eius quod habitualiter scit, facit talem contractum, non peccavit mortaliter. Et similiter sciens Sortem sibi notum esse nominatim excommunicatum, & tamen communicans cum eo in Divinis; ex hoc, quod non actualiter sibi occurrit, hunc esse excommunicatum, excusatur à mortali.*

Non semper est libera inconsideratio.

Quilibet enim in se ipso experitur, non esse in potestate suâ, quòd recordetur eorum, quæ habitualiter meminit: propter quod inconsideratio hæc, cùm non sit concomitans, nec consequens, quia non est omninò in potestate nostrâ, locanda est sub antecedente, causat enim involuntarium simpliciter, & ipsa nullo modo est volita, ac per hoc excusat, non solùm à peccato, sed à censuris consequentibus culpam. Hæc, & scitissimè Cajetanus scripsit: & quia hæc ipsa relegens esse pulchra, & valde utilia novit, subiunxit, *Et hæc pro consolatione bonarum mentium, ibi culpam timentium, vbi non reperitur* [a] *notanda applicandáque sunt occurrentibus casibus.* Et meus Charissimus Amicus, D. Carolus de Thomasiis, ex Duce Palmæ Clericus Regularis *quodlib. 4. de actib. human. schol.10. pag. 265. b.* postquam hæc lectu digna Cajetani verba retulerat, ait. *Ex quâ doctrina, & ex quibus Principiis noster Pater meúsque Magister P. Diana, cuius in omnem terram exivit sonus laudis, & in fines orbis terræ Codices eius* in part. 11. tract.4.res.4. *multos varios & curiosos casus mirabiliter deducit.*

a] Habebit ob mentis oculos Cajetanus dum hæc scriberet illa sancti Gregorij verba. *Bonarum mentium est confiteri culpam, ubi non sit.*

Hæc Caietani doctrina bona est: at quia quod in vno casu ille admittit, videtur negare in opposito, volo addere Scholium, quo illa clariùs dilucidetur. P. Poncius *in 2.dist.43.quæst.2.n 41.pag.1068.a.* sic scribit. [Cajetanus respondet esse tunc inculpabilem, quando inconsiderans habet actu propositum firmum, non peccandi mortaliter. Sed licèt, cùm dubitaretur, Vtrùm inconsideratio esset culpabilis, necne? tale propositum esset bonum iudicium, quòd non esset; immò, certum, quando haberetur pro eodem instanti pro quo esset inconsideratio: tamen posset esse inconsideratio inculpabilis sine tali proposito, immò cum proposito peccandi mortaliter: nam, qui esset paratus ad interficiendum, & ex inconsideratione die veneris manducaret carnes, alioquin eas non comesturus, non peccaret contra ieiunium.] Et duo in his verbis reperio. alterum inconsiderate dictum, & alterum consideratè. Vult definire; *An, & quando inconsideratio sit culpabilis?* & tamen id non quæritur, sed inculpabilẽ esse supponimus & scire volumus, *An actus cũ inadvertentiâ inculpabili factus, sit culpabilis?* Quæstionem ergo Poncius non bene consideravit: at est bene considerata Resolutio, sed non exhaurit omnem difficultatem. Dicamus ergo

Quid dicendum sit in casu, quo quis decreverit non peccare mortaliter, & in casu, quo quis decreverit peccare mortaliter?

Poncius veram quæstionem nõ proponit.

Bene tamen decidit.

De illo, qui decreverat, non peccare.

Primò. *Ille, qui habet firmum propositum non peccandi mortaliter, si ex inadvertentiâ aliquid faciat, quod alias esset mortale, si est involuntaria hæc inadvertentia, non peccat mortaliter.* Ita Cajetanus, & bene.

De illo, qui decreverat, peccare in alio genere.

Secundò, *Ille, qui habet propositum peccandi mortaliter in vno genere, si ex inadvertentiá inculpabili aliquid faciat in alio genere, quod aliàs esset mortale, non peccat mortaliter.* Ita Poncius, & etiam bene.

De illo, qui decreverat, peccare in eodem genere.

Ergo tota difficultas est, *An ille peccet mortaliter, qui ex inadvertentiâ carnes comedit, quas voluit comedere, & de facto comederet, etsi inadvertentiâ illâ careret?*

An imputetur homini, quæ fecisset, aut faceret?

Respondeo me reperire hic tria. *Voluit carnes comedere. Comedit illas. Comedisset*, Sanè, quia voluit comedere carnes; commisit peccatum cogitationis, hoc est, per consensum in peccatum peccavit. At Deus non imputat homini, quid faceret, aut quid fecisset, sed quid facit, aut fecit. Ergo considerandum tantum est, an fuerit libera illa actio? nam, si de facto non fuit libera, non addit cogitationis culpæ, operis circumstantiam. Pono istum casum. [Erat Sabbati dies, & Petrus format istum actum. *Ego cras (die Dominicâ) nolo audire missam.* interim capitur, truditur in carcerem, & redditur impotens ad audiendam missam.] Et interrogat, an cogitatione simul & opere, an solá cogitatione peccaverit? Quo enim modo est dicendus opere peccavisse, qui totâ die Dominicâ in carcere fuit, & missam audire non potuit. Vide igitur, quid de Petro dicturus sis, & quæstionem propositam servatâ doctrinæ consequentiâ decide. Et, si velis, sequere, Poneium, qui *in 2. dist. 43. q.2. num.37.pag.*1067 sic inquit. [Ignorantia concomitans, de quâ hîc agitur, est illa, per quam ignoratur aliquis actus esse contra Ius, quem tamen, qui sic ignorat, faceret, quamvis sciret esse contra Ius, v.g. An aliquis, qui emissâ sagittâ interfecit hominem, quem invincibiliter putavit esse feram, & quamvis sciret esse hominem nihilominus interficeret, excusetur à peccato homicidij, necne? Conclusio est affirmativa cum Alensi *2. part. q.112. m.7.* Vasquez *disput.125.* Lorcâ *disput.32.* & communiori Moderniorum contra Durandum, Gabrielem, Marsilium, & alios.]

An qui non potest observare præceptum, illud opere possit violare?

An possit, qui ex errore facit aliquid, ouod etiam fecisset, si illum errorem non habuisset?

843

An requiratur attentio interna in Officio Divino?

Est tam necessaria hæc actualis advertentia, ut in probabilissimâ illorum Opinione, qui petunt attentionem internam, ut satisfiat Horis Canonicis, dicendum sit

sit, eos qui sine advertentiâ actuali sunt distracti obligationi satisfacere, & ut male distracti dicantur, actualem distractionis advertentiam requiri. Ita ex Cajetano, Suarez *lib.4. cap.26. num.21.* inquit enim: *Immò addit Cajetanus* in summ. *non satis esse, ut quis advertat quid cogitet; sed etiam, quod advertat, sed diverti ab Oratione. Oportet enim, ait, secessum humanum à termino fieri per se, id est, ex intentione saltem virtuali, qua requirit advertentiam. Ita enim doctrina illa intelligenda est, & est prae oculis habenda hominibus scrupulosis, ut facile repetitiones horarum faciant, qua nihil prosunt, quia semper habent easdem & majores imperfectiones, & habent munera inconvenientia, quando ex conscientiâ scrupulosâ fiunt. Isti ergo, si bonâ fide & cum proposito attendendi ad recitationem accedant, etiam si in fine psalmi advertant se fuisse distractos, nihil curent, nec repetant, sed iterum ad attendendum mentem applicent, & prosequantur.* Et hæc Suarij verba, ut opinionem suam suadeat, adducit Leander *in Decalog. tract. 8. de Horis Canon. disputat. 4. quæst. 15. pag. 244.* & ait Bonacinam *disp. 1. quæst. 3. punct. 2. n. 13.* Filliucium *tract. 23. num. 255.* Sanchez *lib. 7. cons. cap. 2. dub. 8. num. 11.* Navarrum *cap. 25. num. 106* Armillam, Sotum, Nievam, aliósque Cajetano & Suarezio adsentiri. Ergo ad peccatum actuale actualis advertentia requiritur. Relego ergo omnia verba Suarezij; &, ne multis te onerem ultimam periodum rescribo: & suadens omnibus, ut saltem aliqua pia meditatione mentem muniant, & elevent, sic inquam: *Isti ergo si bonâ fide & cum proposito pia & sancta cogitandi ad recitationem accedant, etiam si in psalmi fine advertant se fuisse distractos & lasciva cogitavisse, siquidem mala se cogitare non animadvertebant, nihil curent, non enim ad peccatum reputantur, male cogitationes, que non sunt libera; nec Horam cum involuntariâ distractione lectam repetant; sed iterum ad pia cogitandu mentem applicent, & prosequantur.*

Vt distractio cēseatur voluntaria, debet homo se distractum esse cognoscere.

An debeat quis repetere, quæ legit distractus?

Ad peccatum actuale actualis advertentia requiritur.

Hinc natum est Fundamentale illud totius Theologiæ Moralis Protheorema, *Vt actio quæpiam sit peccaminosa, oportet ut procedat liberè ab homine, qui noscit & percipit, quid boni malive in eâ sit & antequam id videat, aut animum reflectat, actio, neque bona est neque mala.* Et æquivalet huic. *Actus indeliberati non sunt peccata mortali.* Hanc admittunt universi Theologi, qui experientiâ & ratione reguntur; ex quibus, ne te multis onerem, unum producam, qui laudem ab ingenio & doctrinâ meretur; nempe P. Georgium de Rhodes S. I. nam *tom. 1. disputat. 3. quæst. 2. sect. 1.* sic inquit. *In materia conscientiæ prima & indubitata regula* [nota bene: prima est, indubitata est: ergo, qui contrariam adsumat, maximos velle errores committere censendus est, errores enim, qui in principio sunt parvi, maximi sunt in fine.] *Est, quòd nullus unquam actus potest esse bonus aut malus, nisi Conscientia & Ratio superior cognoscat & dictet, illum esse bonum aut malum, aut certè periculosum. Ita unanimiter docent Ethnici omnes Philosophi cum Aristotele.* 2. Ethic. cap. 4. *quos lumen ipsum naturæ docet.* [Ergo, si qui aliter sentiunt, lumini naturæ contradicunt.] *Ita etiam Catholici omnes omnes Theologi cum S. Thomâ, quos ratio & authoritas Patrum convincit, nihil esse honestū aut turpe sine cognitione honestatis aut turpitudinis, ut merito novos Dogmatistas* (Iansenianos, nimirùm) *rideas.* Et hanc ipsam doctrinam tam certam & indubitatam judicavit S. Augustinus, ut *lib. de duab. animab. cap. 11.* rotundè pronuntiaverit, *à Pastoribus eam cantari in montibus, à Poetis in theatris, ab indoctis in circulis, à doctis in bibliothecis, à Magistris in Scholis, à Pontificibus in templis, & à genere Humano in orbe terrarum.*

Fundamentum certissimum.

De actibus indeliberatis.

An sint peccata?

P. Rhodes laudatur.

Quàm certa sit hæc doctrina opinione Augustini?

Hac doctrinâ præmissâ oportebit distinguere peccatum ignorantiæ (ignorantiam ipsam peccaminosam) à peccato ignorantiæ (à peccato, quod à peccaminosâ ignorantiâ procedit) actio enim, quæ ab ignorantiâ non peccaminosâ, aut ab eâ, quæ leviter sit peccaminosa (si hæc sit possibilis) processerit, non erit mortale peccatum.

Peccatum ignorantiæ duplex est.

Sed quomodo peccatum ignorandi committetur? Exponam. *Vt ignorantia admissio sit peccaminosa, oportet, ut fiat liberè ab homine, qui noscit & percipit, quid boni malive in eâ sit, & antequam id videat, aut animum reflectat, Ignorantia admissio neque bona est, neque mala.* Et qui valet huic: *Ignorantia indeliberatè volita vel admissa, non est peccatum mortale.* Quò scitè D. Carolus de Thomasiis respiciens nullam admittit ignorantiam peccaminosam, quæ non sit volita. *pag. 264. num. 2.* sic inquit. [*Nota* cum Cajetano Ignorantiam, &c. triplicem esse; scilicet affectatam, malæ electionis, & Iuris. Prima differt ab aliis, quòd ipsa est objectum actûs voluntatis; est enim volita. Aliæ verò sunt quasi objectum voluntatis potentis & debentis ipsas obiicere. Sunt autem voluntariæ, quia voluntas potest & debet actualiter considerare & applicari ad opus, & sic excludere ignorantiam malæ electionis. Item & velle adquirere scientiam sibi necessariam tempore debito, & excludere Ignorantiam Iuris. Vnde ignorantia malæ electionis consistit in ipsâ voluntariâ inconsideratione actuali. Ignorantia verò Iuris in ipsâ voluntariâ privatione scientiæ actualis. Ideò, si quis ex actuali oblivione eius, quod scit, & habitualiter meminit, operatur, neutram ignorantiam incurrit; quoniam omnium reminisci supra hominis est facultatem, quod totum suo docuit *Caietanus*, &c.] Ita D. Carolus in suo doctiss. Quodlibetorum libro impresso Romæ ann. 1657.

Quomodo ignorantia peccatum committatur?

Omnis ignorantia peccaminosa est volita.

Ignorantia divisio.

De Ignorantia affectata.

De Ignorantia mala electionis.

De Ignorantia Iuris.

Oblivio naturalis, nec libera, nec peccatū est.

Patet ex dictis, quid judicandum sit de illâ Ignorantiæ Vincibilis divisione, quâ in Crassam, Supinam, & affectatam dividitur Leander *de Censur. tract. 1. disputat. 9. quæst. 1. pag. 63.* his verbis propositas Ignorantiæ species exponit. [Ignorantia vincibilis crassa & supina dicitur illa, quando quis

De Crassa, supina, & Affectata Ignorantia.

Vnde dicatur Crassa

quis non ex proposito, sed ex quadam negligentiâ, incuriâ, seu desidiâ, ignorat, quæ scire potest & debet. Dicitur enim *Crassa*, quando ex desidiâ oritur, sumptâ metaphorâ ex hominibus crassis & pinguibus, qui desides esse solent. *Supina* verò, quando oritur ex nimiâ solicitudine circa alia, & modicâ cura ignorantiæ vincendæ, instar supinè in lecto jacentium, quasi nihil de rebus curantium. Ignorantia verò *Affectata* est illa, quâ quis studio ignorat, quod scire debere cognoscit, ut sic liberiùs & sine remorsu conscientiæ peccare possit: juxta illud Psal. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Coninck *de sacr. disp.* 13. *dub.* 11. *pag.* 556. *b.* ponit primò duas Ignorantias ante crassam & supinam, alteram, quæ peccatum veniale non excedat, alteram, quæ adscendat ad mortale. Illam secundo loco numerat & exponit, his verbis. [Est aliquomodo vincibilis, ut quando quis aliquam negligentiam commisit in veritate inquirendâ, quæ tamen levis sit, ita ut non peccarit mortaliter.] Istam quinto loco recenset, & vult contingere [quando negligentia commissa non est quidem omninò supina, est tamen maior eâ, quæ præcisè sufficiat ad peccandum mortaliter.] Ponit secundo Affectatam, quam à Crassâ & supinâ non distinguit, ait enim: [Est Affectata, ut quando aliquis studio omittit Veritatem inquirere, ut possit liberiùs peccare; cui, quod ad præsentem attinet, communiter DD. æquiparant eam, quæ ita crassa ac supina est, ut eâ laborans possit quodammodo dici rem scire.] Quæ omnia postulāt, ut quinque ignorātiæ species à Doctore hoc assertas. [I. Levem, II. Gravem, III. Crassam, IV. Supinam, V. Affectatam.] in examē vocemus. Et, ut possimus meliùs, rem ab ovo sumamus, & has Conclusiones proponamus, & brevissimâ efficaciâ firmemus. Sit

Vnde Supina?

Vnde Affectata?

An detur Ignorantia leviter peccaminosa?

An Ignorātia crassa, supina, & Affectata in Morali tribunali coincidant?

844 Prima. *Ignorare liberè quæ te non tangunt, nullum peccatum est.* Nam, tametsi Princeps exercitus teneatur Artem Militarem scire sub mortali: erit enim homicida, si vitam vel vilissimi militis prodigat: milites enim expendere potest, non prodigere, Sacerdos aut Canonicus sine crimine poterit notitiâ Artis Militaris carere, quoniam illâ, ut Missam legat, aut recitet Horas, non indiget. Et tametsi Ecclesiasticus Iudex, qui iuxta Canones pronunciare tenetur, debeat sub mortali cognoscere Ius Pontificium, hac scientiâ non indiget Religiosus, cuius cantare in choro officium est. Audi S. Bernard. qui *lib. de præcept. & disp. cap.* 19. sic inquit: *Prætermitto & aliqua de Canonibus, quæ vos requiritis, tum, quoniam talium nostra non refert, qui Monachi sumus; tum, quia in libris ipsi facilè reperire potestis, si quærere non gravemini.*

Non semper Ignorantia voluntaria est peccatū.

Militiæ Princeps vitas militum potest expendere, sed non prodigere.

An Monachi Ius Canonicum teneantur scire?

Secunda. *Quando dubium est inter rem, quæ est certò bona, & alteram de cuius bonitate, quæritur, qui semper illam voluerit facere, quæ bona est; & nunquam illam, de quâ ambigitur, non peccabit, etsi positivè nolit examinare, an detur præceptum, vel non?* Sic, si occurrant rationes dubitandi, An crastina dies sit festa, an jejunij veriùs, si ego volo cras jejunare, audire missam, & & ab opere servili abstinere, etsi habeam librum, aut magistrum, à quo possim veritatem rescire, nec illum aperire teneor, nec hunc consulere, sed tutò potero in meâ ignorantia liberâ remanere.

Qui decernit facere rem, de quâ dubitatur, an sit præcepta? non tenetur examinare, an sit præcepta?

845 Tertiâ. *Quando dubium est inter res, quarum alteram debebo necessariò facere, & utraque videtur obligatoria, nolle rem examinare, & veritatem addiscere, peccatum est.* Pono exemplum. Est doctrina certa depositum esse reddendum; est etiam certa, homicidio non esse cooperandum. Ioannes, qui heri ensem suum apud te deposuerat, eum furore insaniens hodie postulat, ut suum inimicum occidat. Et tu, quia hæres, & quo te vertas ignoras, interrogare teneris. Et 3. off. respondet Cicer. *Si gladium quis apud te sanâ mēte deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatū sit, nō reddere officiū.*

Quando utriūq; contradictionis extremum apparet interdictum, rem debes examinare antequam operer.

Quarta. *Si hæc duo extrema sint leviter obligatoria, esse peccatum leve, omittere liberè veritatis examen.* Et tunc erit illa ignorantia leviter mala, de quâ agebat Coninckius. Pono exemplum. Nescis, an mendacia officiosa sint venialia, saltem non esse mortalia non ignoras; occurrit tamen casus, in quo si veritatem detegas, Petrus levem sit passurus injuriam. Et tu hæres, & ais. Non impedire, ne proximo levis injuria fiat, est veniale: mentiri officiosè est veniale. Inter tacere, & non tacere, non datur medium. Ergo, quia quidquid fecero, peccabo venialiter, & tamen non peccare teneor. Quid ergo faciam? Debes doctiorem consulere sub peccato veniali. Cæterùm si utrumque extremum graviter malum appareat, & alterū necessariò faciendū sit, non video quomodo libera examinis in casu omissio sit peccatū veniale. Sit igitur cōcl.

Et hoc etiā si materia sit levis.

An mendacium officiosum peccatum sit?

Quinta. *Si hæc duo extrema sint graviter obligatoria, omittere liberè veritatis examen, erit mortale non veniale.* Exemplum esse potest illud, quod conclusione III. ponebâtur, si ensis depositus dicatur esse pretiosus, & qui reddi debeat sub mortali.

An semper depositū reddendum sit?

846 Sexta. *Ignorantia Gravis & Crassa coincidunt.* nam omnis gravis crassa est, & omnis crassa gravis. Vel exhibeat nobis unam gravem Ægidius, cui crassæ definitio non conveniat.

Omitto, quæ de nominibus dicta: nam licet in voce *crassa* negligētia appareat, cur in voce *supina* debeat subintelligi diligētia circa alias res, non video; qui enim supini in lecto jacent, stertere, non autem res alias curare dicuntur. Ad rem venio.

An bene crassa & supina Ignorantia nominaexponantur?

Septima. *Ignorantia crassa & supina, adhuc stante expositione à Leandro tradita, coincidunt.* Sicut enim eodem modo peccat, qui ob meram desidiam & ignaviam, quàm qui ob negotia minimè necessaria missam noluit audire: sic similiter eodem peccabit modo, qui ob meram desidiam & ignaviā, quàm qui ob negotia minimè necessaria examinare veritatem, quam scire debebat, neglexit. Ergo si aliqua inter has ignorantias differentia invenitur, in genere moris non est.

Eodem modo peccat, qui ob negligentiam ac qui ob nō necessaria negotia rem præceptam non facit.

An omnis Ignorantia peccaminosa, non tantum virtualiter, sed etiam realiter sit affectata?

Octava. *Omnis ignorantia Crassa & Supina etiam est affectata.* Hæc conclusio non est plus quam probabilis; nam opposita est communis, & doctissimè defendi solet. Et, si bene & accuratè perpendatur, duplicem habere sensum potest: nam Coninchius in sensu virtuali illam admittit. [Ejus verba habes, §. *Patet.* ante concl. I. & tu inquiris, an etiā in reali admitti debeat? Et affirmativè respondeo: & sic arguo est peccatum ignorare quando quis potest & debet aliquam veritatem addiscere, & sciens & volens & obligationem advertens non vult illam addiscere (vel, ut ego loquor, vult illam non addiscere.) At, qui hoc modo aliquid ignorat, habet ignorantiam affectatam. Ergo omnis ignorantia peccaminosa est affectata. Præterea; crassam ignorantiam habere dicitur, qui vult non examinare veritatem ob meram ignaviam: supinam, qui vult non examinare veritatem, quia aliis rebus invigilat. Ergo vterque positivè vult veritatem nescire. Ergo vterque affectatā vult habere ignorātiam. Vbique volitionē positivam requiro: non enim sine causa ad puram omissionem recurram.

847 *An ignorantia vincibilis aliquando in invincibilē transeat?*

Nona. *Ignorantia vincibilis & peccaminosa in invincibilem potest & solet aliquando converti.* Est certissima. Nam, si Petrus, homo laicus sed eruditus, cum Anglis in Indiam navigaturus sit, & dubitet, an debeat cum illis disputare, vel non? habebit rationes dubitandi hinc, inde; nisi Theologos consulat, hærebit anceps. Sunt enim Hæretici in extremâ necessitate, & quicumque vir eruditus aliquem possit convertere, etiam tenetur; & sunt sanctissimæ & omninò observandæ Apostolicæ leges, quæ, ne laici cum Hæreticis disputent, interdicunt. *An laicus possit cum heretico de Religione disputare?* Hoc Petrus dubio, inter duo mortalia peccata (vide concl. 3.) agitabatur: nam ex vnâ parte vrgebat charitatis præceptum, ut illos converteret, & ex aliâ præceptum Apostolicum, ne perversionis periculo se exponat imperitus rerum Theologicarum, dū erat in portu, & habebat Theologos Orthodoxos, quos consulere posset torquebatur: sed neminem voluit consulere: & posteà ingressus navim, in quâ omnes sunt Lutherani, quem consulere possit, non habet. Assero (1) hanc ipsam ignorantiam Petro, quamdiu mansit in portu, & habuit quos interrogaret fuisse vincibilem & voluntariam. *Quid debeat facere, qui utramque contradictionis partem interdictā, & quem cōsulere possit, non habeat?* Assero (2) peccavisse mortaliter, quando decrevit navim ingredi, quin veritatem doceretur: quia utrumque extremum iudicabat præceptum sub peccato mortali, & ideò tenebatur veritatem quærere & indagare. Assero (3) eumdem, postquam ingressus navim fuit, iam invincibili & insuperabili laborare ignorantiâ; iam enim non habet, quem consulat, & debet necessariò disputare, vel non disputare. Quid ergo faciet? suum tunc dictamen sequi, & quod magis obligatorium iudicaverit, facere. Hanc quæso, dignentur considerare conclusionem quotquot Confessarij & Theologi de peccatis commissis ex ignorantiâ iudicant.

Hæc dicta sint de ipsâ Ignorantiâ, nunc de peccatis per ignorantiam commissis pronunciemus. Et sit Conclusio

Decima. *Ignorantia comparata cum peccato, vel antecedens, vel comitans, vel subsequens est.* Et ipsæ non bene exponuntur in libris. Ego sic eas intelligo. 848 *De Antecedente, Concomitante, & subsequente Ignorantiā.* Antecedens, est quæ præcedit actum, & influit in actū, nam est causa, ut ille fiat, aut ut ille non fiat; aut ut sic, & non aliter fiat: nam ideò Iacob cognovit Liam, quia ignoravit eam Liam, & credidit esse Rachelem: nam, si scivisset non esse Rachelem, illam non cognovisset. Concomitans est, quæ coëxistit actui, at in illum non influit: Adest quidem, sed tamen tam per accidens adest, ut si abesset, non solùm idem actus fieret, sed eodem prorsus modo fieret. Sic Ioannes occidit Petrum, inimicum suum, quem sumpsisse jentaculum ignorabat: hæc enim ignorantia concomitatur homicidium, sed in eum non influxit; nam etsi hæc ignorantia affuisset, Petrum ille occidisset. *Qualis fuerit ignorantia Iacob, quando cognovit Liā, quam esse Rachelem putabat.* Tandem, Ignorantia Consequens, est ignorantia volita, & hac omnis vincibilis realiter aut virtualiter reduci poterit. Hac luce suffusus lege S. Tho. 1. 2. *q. 6. art. 8. & q. 76. art. 1.* Medin. *ibid.* Montesin. *ibid.* Suar. *de Censur. disp. 4. sect. 8. n. 5.* Castrum Pal. *tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 15.* Candid. *disquis. 22. art. 31. dub. 4.* Sanchez. *lib. 1. summ. cap 16. à n. 3.* Bonac. *disp. 1. q. 2. p. 1. n. 5.*

849 *De Ignorantia antecedente.*

Leander *de censur. tract. 1. disp. 9. q. 1. pag. 63. b.* sic inquit. [Præterea, Ignorantia dividitur in Antecedentem, concomitantem, & consequentem. *Antecedens* appellatur illa, quæ est inculpabilis, & invincibilis, & quâ non positâ, actus malus non fieret, v. g. Petrus percutit Clericum, nesciens omninò illū esse Clericum, aut esse specialiter prohibitū percutere Clericum, quòd si sciret, illum non percuteret, hic namque dicitur habere ignorantiam antecedentem. *De Concomitante.* *Concomitans* dicitur illa, quæ ita coniuncta est cum actu, quod etiamsi non adesset, actus nihilominùs fieret, contingit autem, cùm quis, v. g. casu, & ignorans occidit inimicum, quem tamen meliùs occideret, si novisset. Consequens tandem ignorantia est illa, quæ quovis modo est volūtaria, & peccabilis: *De Consequente.* Diciturq; *Consequens*, quæ sequitur voluntatem, eo quod verè volita est, aut directè, ut cum est affectata; aut indirectè, quando ignorans, potuit, & tenebatur illam expellere, sed non curavit. De hac ignorantiæ definitione agūt Theologi cum D. Th. 1. 2. *q. 6. art. 8. & q. 7. art. 1.* Medina 1. 2. *q. 6. art. 8. §. sequitur ut dicamus.* Montesin. 1. 2. *q. 6. art. 8. q. 11.* Suarez *de censuris, disput. 4. sect. 8. n. 5.* Sanch. *lib. 1. sum. c. 16. à n. 3.* Bonac. *disp. 1. q. 2. p. 1. n. 5.* Candid. *disq. 22. art. 31. dub. 4.* Cast. Pal. *t. 1. tr. 2. disp. 1. pun. 15.*]

Male has species Ignorantiæ explicavit: nam errat primò, asserendo, antecedentem semper esse invincibilem: quoniam (& hoc est mihi certum) etiam ignorantia vincibilis, & culpabilis, si in actum influat, est antecedens. Si enim Petrus percussit Clericum, quem vincibiliter ignorabat esse Clericum, quem non percussisset, si scivisset esse Clericum, habuit Ignorantiam vincibi

An ignorantia vincibilis possit esse antecedens?

vincibilem, & antecedentem. Sed quia Petrus posset dicere, se non habere obligationem sciendi, an iste vel ille sit Clericus, & posset prudenter judicare illum non esse Clericum, aliud exemplum proponamus. Petrus non vult scire, an infra hebdomadem sit festum aliquod: incidit tamen in feriam quintam S. Petri solennitas: non audit missam, quam reverà audivisset, si scivisset illam diem esse solennem: peccat, quia hæc ignorantia est vincibilis. Et ecce, quæ vincibilis est, antecedens est.

Quid sit Ignorantia concomitans?

Venio ad concomitatem ignorantiam, & admitto à Leandro traditam definitionem. Tu sic eam explica. Concomitans est ea, quæ nullo modo influit in actum; nam si illa abesset, actus nihilominus fieret eodem modo. Exemplum ibi positum non admitto. Vnde illa verba, ***quem tamen melius occideret, si novisset.*** debent corrigi, vt sint, ***quem tamen æquè bene occideret, si novisset.*** Nam, si relinquatur illud ***melius***, dicā ignotiam influxisse, ne esset illud ***melius***, & ideò antecedentem fuisse. Et, ut id meliùs in-

850

Ignorantia, si influit in actum, aut in aliquam circumstantiam actus, non est concomitās, sed Antecedens

telligas, exemplum à Leandro positum clarioribus verbis repono. Sic inquam. Paulus erat inimicus Francisci: & quia agebat satellitem, contra latrones & grassatores viarum cum militum manipulo missus, invenit in sylvâ nebulonum decuriam; pugna est inita: cecidit vnus latro, fugerunt reliqui. Recognoscit cadaver, & videt se occidisse Franciscum, nempe inimicum suum. Aio hanc ignorantiam fuisse antecedentem: nam Paulus ratione sui muneris, ut illos latrones occideret æqualem diligentiam adhibuit; at, adhibuisset specialem, si cognovisset Franciscum: ergo hæc ipsa specialis diligentiæ omissio ab ignorantiâ illâ provenit. Ergo illa fuit antecedens, vi cuius actus aliter fuit factus, quàm fuisset, si illa ignorantia non interesset. Et hanc ob rem in Paulo peccatum

An Paulus peccaverit peccato operis?

operis à peccato cogitationis distinguo: nam voluisse priùs occidere Franciscum, & habuisse posteà de morte eiusdem gaudium, sunt interna peccata, ab operis malitia præcisa: at ipsamet externa Francisci occisio non fuit peccatum operis, non enim fuit volita, quia non fuit cognita. Voluit enim, Paulus, illo unum latronem ictu, non autem Franciscum occidere.

Quid ignorantia consequens sit?

Consequentem tandem Ignorantiam bene Leander exponit: quia sicut ***antecedens*** dicitur, quæ est voluntatis causa, sic & dicitur ***consequens***, quæ est voluntatis effectus.

Vna & eadem Ignorantia simul consequens, & antecedens esse potest.

Ignorantia consequens, potest esse respectu alterius volitionis Antecedens. Nam, si Petrus vult legem ignorare, ut liberiùs peccet, tunc ignorantia est volita, & respectu volitionis quâ amatur consequens: sed respectu libertatis peccandi, quam causat, Antecedens.

851

An ignorātia, ut mala & peccaminosa sit, debeat esse cognita?

Vndecima. ***Vt aliquis peccet ex ignorantia vincibili, necessarium est, (1) ut actu ipsammet ignorantiam cognoscat, aut habeat saltem dubitandi rationem: & (2) ut actu possit opus omittere, aut illam vincere.*** Patet: & quoad priorem partem suadetur, quia nihil volitum, quin præcognitum; volitio enim, non habitualem, non virtualem, sed actualem cognitionem requirit; &, si in objecto est, vel vna circumstantia, quæ non cognoscitur, illa etiam non amatur. Pono casum, Hesterna dies jejunij erat, & Petrus, quia nesciebat, esse jejunij diem, & Paulus, quia tametsi sciret, non recordabatur, comederunt in jentaculo carnes. Peccarúnt-ne? Cornelius Iansenius, si conse-

Iansenij error.

quentiam amat, asserit: quoniam ***tom. 2. lib. 2. de natur. lapsæ cap. 24. col.*** 416. hanc rationem adducit: ***Quamvis enim ignoretur esse peccatum, factum tamen, quod concupiscitur, non ignoratur.*** Sic etiam Lutherani, sic etiam Calvinistæ loquuntur; & tamen rationales videri volunt, ubi manifestè, delirant. Inquiunt: Ad peccatum

Oblivio, inadvertētia, ignorantia, si invincibiles sint, simper excusant à peccato.

sufficit, quod non ignorent illi se comedere carnes; quod autem illas esse interdictas id ignorent, sciāntve perinde est. Infecto. Ergo peccare aut non peccare non à Virtute, sed à fato vel fortunâ dependet. Quis non rideat? Respondeo ego. Si ignorantia in Petro fuit invincibilis, & inadvertentia in Paulo fuit invincibilis, non peccarunt. Sed vnde sciemus an ignorantiā & inadvertentia invincibiles fuerint? An sufficiet habuisse illos, quos interrogarent, si vellent? Minimè: non enim quis peccat, ignorando, quæ potest scire: sed ig-

Vt censeantur vincibiles debent cognosci.

norando, quæ debet scire. Ergo, ut ignorantia unius, & inadvertentia alterius sit peccaminosâ, oportet, ut fuerit actu gravis ratio dubitandi cognita, & illâ neglectâ carnes ipsi comederint. Et hinc ingreditur posterior conclusionis pars. Quoniam supervenīēte dubio (nimirū, an carnes essēt interdictæ illâ die) debuissent abstinere, aut interrogare. Et, si de facto abstinere voluissent, interrogare minimè tenerentur.

N. B. Hic & in nec cunmodo sciam, an talis vel talis persona laborat volūtaria ignorantia? Respondet Tabiena in summ. verb. Ignorantia. 4. dicens. [Qui elaborat pro viribus scire sibi necessaria: puta si est mulier, vel rusticus, mercator, & huiusmodi, vadit libenter ad prædicationes, & alia loca, ubi declarantur talia & facit, quod communiter faciunt, alij de sua qualitate, & convenit facere. Si est Religiosus, studet libenter, interrogat, &

Hæc doctrina est hodie in Scholâ communis; illam S. Thomâ ***de Verit. quæst.*** 15. ***art.*** 4. ***ad*** 10. se didicisse testatur Vasq. 1. 2. ***quæst.*** 74. ***art.*** 7. ***disp.*** 107. ***c.*** 3. ***à n.*** 6. necnon ***quæst.*** 76. ***art.*** 2. ***disput.*** 124. ***cap.*** 2. ***num.*** 5. Illam amplexus fuit Diana 4. ***part. tract.*** 5. ***resol.*** 36. Tanner. ***in*** 1. 2. ***disp.*** 4. ***q.*** 9. ***dub.*** 1. ***n.*** 17. Layman ***lib.*** 1. ***tract.*** 2. ***part.*** 4. ***n.*** 6 Ægid. ***de actib. supern. disp.*** 14. ***dub.*** 11. ***n.*** 129. Sanch. ***lib.*** 1. ***sum. cap.*** 16. ***n.*** 21. Suarius ***disput.*** 4. ***de cens. sect.*** 8. ***num.*** 18. Castrus Palaus ***tom.*** 1. ***tract.*** 2. ***disput.*** 1. ***punct.*** 15. ***n.*** 5. Sylvest. ***verb. delectatio*** 5. 1. ***dist.*** 4. Corduba ***lib.*** 1. ***q.*** 23. ***dub.*** 10. Quos omnes Leander ***de Censur. tract.*** 1. ***disput.*** 9. ***q.*** 1. ***pag.*** 63. ***a.*** §. ***Ignorantia.*** hoc doctissimo Scholio dilucidat. [***Multò probabilius*** (certissimè dixissem ego) ***alij dicunt, quòd, ut ignorantia sit vincibilis, & peccaminosa, præter obligationem advertendi requiratur ante consensum aliqua cogitatio & consideratio actualis malitiæ, aut periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio vel scrupulus malitiæ operis; alias opus inquantum malum non est voluntarium, cum fieri nequeat, ut voluntas velit malum, quod intellectus non præcognoverit.***] Mihi hæc doctrina est tam clara, ut putem posse demonstrari certissime. Relego verba Cajetani, quæ dedi §. ***Consequentia***, & considero illa, quæ in Coninck ***de fact. disp.*** 13.

huiusmodi, quæ talis ignorantia excusat eum ab omni pœnâ etiam excommunicationis in Iure positâ. quoad forū animæ: etiā ab omni culpâ *per text. clarum in c. fin. qui matr. accus.* & per ratione *c. cognoscentes, de consf.* Absurdum enim esset ad pœnam obligari ignorantem. *facit l. fin. ff. de decret. ab ord. facien.* Iura verò, quæ videntur innuere contrarium fundant se super præsumptione, ut evidenter colligit glo. *in verb. non opportet, in l. 1. C. de interdic. matr.* approbata per Doct. ibi & *in l. fin. ff de ritu nupt. & in l. qui contra, C. de incest. & inutil. nupt.* Et magis apertè colligitur ex his, quæ notantur *in d. c. cognoscētes*, ubi determinatur, quod volens probare ignorantiam ad evitandam pœnam sit audiendus. Hæc non intelligo de Prælatis, officialibus, medicis artificibus & huiusmodi, qui exercere habent aliqua officia, ex quibus damnū notabile posset inferri proximo ex ignorantiâ quia nō debent officia talia assumere nisi sint sufficienter instructi ad ea exercenda: aliàs eis imputatur.

disp. 13. dub. 11. pag. 556. b. §. 93. reperio: inquit enim. [Est omninò invincibilis, quando nunquam de aliquâ re dubitatur, &c. Eademque est ratio omnimodæ inadvertentiæ; ut quando aliquis habitualiter scit hoc esse prohibitum, tamen ex aliquâ inconsideratione hic & nunc apprehendit ut licitum, nec ulla occurrit ratio dubitandi. Hæc enim omnia excusant omninò à peccato.] Et sic arguo. In his, quæ bene scimus, experimur nos aliquos actus ob mentis distractionē facere, qui essent mali, si animadverteremus, nos illam habere notitiā, quæ in nobis habitualiter est, & tamē excusantur, quia distractio impedit, ut scientia nostra habitualis in illos influat; non enim actualiter influere potest, nisi sit actu cognita. Ergo in his, quæ ignoramus, à fortiori poterimus aliquos actus ob mentis distractionem facere, qui essent mali, si animadverteremus nos illam habere ignorantiam, & tamen excusantur, quia distractio impedit, ut ignorantia habitualis in illos influat; non enim actualiter influere illa ignorantia potest, nisi sit actu cognita. Ergo, etsi prius (heri, vel olim) quando cognoscebatur, erat vincibilis, hic & nunc, si me habere talem ignorantiam, vel nescio, aut non adverto, invincibilis dicenda est. Relege *Concl. 9.*

Scio Gordonum *tom. 1. Theol. Moral. lib. 1. quæst. 8. cap. 10. num. 37.* Valentiam *tom. 2. disp. 6. quæst. 6. punct. 1.* Zumelem *in 1. 2. quæst. 76. art. 3. disp. 2. dict. 4. & 5.* Adrianum *quodl. 7. art. 1. ad 1. lit. P.* Gersonem *part. 2. Alphabet. 33. Lit. H.* Navarrum, Angelum, Vgolinum, & Azorium, citari pro sententiâ contrariâ, quia dicunt committi peccatum ex ignorantiâ vincibili, quando quis elicit actum malum, quem esse malum scire potest & debet, etiam, si actualiter, quando operatur, non animadvertat malitiam actûs. Attendite & videbitis hos Authores, aut nobiscum sentire, aut docere sibi contraria. Pono iterum ob oculos Petrum, quem *§. Male*, comedisse carnes die ieiunij ex ignorantiâ dicebamus. Actu, quando illas comedebat, non animadvertebat esse interdictas. Cur ergo dicendus est habere ignorantiam vincibilem & peccare? Respondent. Quia, tametsi actualiter non advertat malitiam facti. scire potest & debet carnes illas esse interdictas. Ego autem noto illud *debet*, & interrogo: an Petrus illud debitum cognoscat nunc, aut habeat de illo dubium, quod examen requirat, vel non. Si primum, nobis ipsi assentiuntur; hæc enim est nostra sententia. Si secundum, illos involuere repugnantias ostendo. Debitum nascitur ex obligatione certâ & cognitâ, Ergo repugnat dari debitum, quod obliget, & non cognoscatur.

Ergo habe patientiam, Lector Candide, nam ego illam habere nescio, quando audio esse, qui tam claræ contradicunt sententiæ, & ut addam lineas istas permitte. Sic inquam.

Ventus, qui heri spirabat, non potest hic & nunc movere meam navim; nam hæc, ut moveatur hic & nunc, ventum hic & nunc spirantem requirit.

Aqua, quæ heri præcipitabatur per canalem non potest hic & nunc torquere mei molendini rotam; nam hæc, ut torqueatur hic & nunc, ut aqua hic & nunc per eundem canalem præcipitetur, requirit, &c.

Ergo cognitio illa, quâ sciebam heri me habere obligationem examinandi tale dubium, vi cuius heri non licuisset mihi procedere ad opus ante examen; vi cuius heri, si ante examen processissem ad opus, peccavissem: si supervenienti oblivione, aut ingruente inadvertentiâ aut distractione, hic & nunc in meo intellectu non existat, hic & nunc non habebo obligationem examinandi tale dubium: hic & nunc licebit mihi procedere ad opus ante examen: &, si hic & nunc ante examen procedam ad opus, non peccabo. Ergo (& nota id bene) Ignorantia, quæ heri erat vincibilis, mutatis circumstantiis hic & nunc invincibilis est.

Duodecima. *Ignorantia invincibilis est, ut nomen ipsum præ se fert, quam non possumus vincere.* Hæc impotentia nascitur, quia vel est de re, quam scire quidem possumus, sed nos habere obligationem illam sciendi omninò nescimus. [Consultò illud *omnino* ponitur; quoniam, qui dubitat, non dicitur omninò rem nescire;] vel est de re, quam scire non possumus; quam cognoscimus, humanitùs non posse sciri. Vide Bauny *tract. de Censur. in comm. quæst. 18. pag. 26.* Hurtadum *de Cens. in comm. diff.*

Cur vocetur Probabilis *Ignorantia invincibilis?*

Appellatur probabilis. Leander *ubi supr.* [Ignorantia verò inculpabilis, quæ etiam invincibilis, probabilis, iusta, & involuntaria solet appellari, &c.] Sed cur tale nomen sortitur? Quia in omni Probabili Opinione invenitur: ubi enim veritas potest resciri, non habent locum Opiniones probabiles. Coninch. *de Sacram. disp. 13. dub. 11. pag. 556. b. num. 93.* [Est omninò invincibilis, ut quando nunquam de aliquâ re dubitatur. Cui æquivalet ea, quæ nititur probabili opinione, quam quis tutò potest sequi.]

852 *An ignorantia invincibilis culpæ excuset à culpâ & à pœnâ?*

Hæc de culpâ dixisse sufficiat: & antequam ad pœnam transeam, monere volo pœnam & culpam ita esse correlativas, ut ubi culpa non præcessit, pœna infligi non possit. Vnde scitè Poncius: quem statim citabo ait [Ignorantia invincibilis culpæ ob quam statuitur pœna, sive in committendâ tali culpâ detur opera rei licitæ, sive illicitæ, excusat à pœnâ saltem in foro interiori. Hæc est communis cum Adriano *in 4. quæst. 13. de clavib.* Castro *lib. 2. de leg. pœn cap. 14.* Suario *de censur. disp. 5. quæst. 9.* &c.] In foro externo ignorantia legum (nam publicantur) in uno particulari non præsumitur; & ideò, qui ob ignorantiam excusari voluerit, debebit ignorantiam probare.

An, & quando excuset à pœna ignorantia invincibilis?

Tertia decima. *Ignorantia pœnæ, etsi invincibilis sit, ex naturâ rei non excusat à pœnâ.* Consultò illud; *ex natura rei*, posui, ut monerem, non solum invincibilem, sed etiam vincibilem excusare à pœna,

na, quoties hæc impoſita illis non ſit, qui invincibiliter, aut vincibiliter legem ignorent: hoc enim à merâ Superioris voluntate dependet. Ita Scotus *in 4. distinct. 6. quæſt. 8.* Corduva, Covarruvias, & alij, quos ſequitur Poncius *in 2. diſt. 43. q. 2. pag. 1070. à. num 49.*

De his, qui ignorant Deum.

De his, qui pœnas inferni neſciunt.

Hinc ſolvuntur difficiles Quæſtiones, quæ concernunt Ethnicos & antiquos. PRIMA, *An qui invincibiliter Deum, aut eius præcepta ignoraverunt, faciendo, quæ interdicit Decalogus, peccaverint mortaliter, & ſint ad infernum damnati?* SECUNDA. *An, qui cognoverunt Deum, & eius præcepta; nullam tamen habuerunt de pœnâ inferni, aut de Beatitudinis præmio notitiam, peccaverint, & ſint condemnati ad infernum.*

853\. *An poſſit aliquis invincibiliter atheus?*

Si ſint, an peccare poſſint?

Quid fiat de illis poſt mortem?

Circa primam nullam ego difficultatem reperio. Non enim facilè credam eſſe multos, qui Deum invincibiliter ignorent; nec eſſe aliquem, qui Deum eſſe ſciat; & proſequendum eſſe honore neſciat: & aliquorum habeat præceptorum notitiam; interim, ſine erroris formidine pronuncio eum, qui invincibiliter ignoret eſſe Deum, non poſſe peccatum committere, nec à Deo iuſto Iudice condemnari. Ergo in morte eidem ſubiacebit ſententiæ, cui ſubiacuiſſet, ſi in ventre matris ſuffocatus periiſſet. Damnabitur ergo propter peccatum originale, ſicut illi pueri, qui ante rationis uſum ſine Baptiſmi Sacramento devivunt. Ita P. Ioannes Poncius *in 3. diſt. 36. num. 78. pag. 543.* & *diſt. 32. num. 75. pag. 470.* Idem dicendum eſſet de illo qui ſciret quidem dari Deum, neſciret tamen eum aliquâ actione humanâ offendi. Sed, ut dicebam, vix erit talis homo poſſibilis.

An, qui de inferni pœna nullam notitiam habeant, ſi peccent poſſint illâ damnari?

Qui verò cognoverunt dari Deum; & tamen, aut eius perſonam dehonoraverunt, aut eius præcepta noluerunt obſervare, etſi pœnæ æternæ non habuerint notitiam, potuerunt à Deo æternâ pœnâ condemnari. Profectò, ſi Deus nullam legem tuliſſet, qui eum odio haberet, aut dehonoraret, eliceret actum, qui non eſſet inobedientia: eſſet tamen Philoſophicus formaliter, & Theologicus obiectivè. Et dignus graviſſimâ pœnâ. Hæc doctrina conſonat noſtræ Concluſioni. Interim vix credibile eſt, eſſe homines, qui eſſe Deum ſciant; &, ſi illum contemnant, ſe eſſe puniendos neſciant: licèt enim ad æternæ gloriæ & pœnæ cognitionem diſcurſu naturali pervenire non poſſint, aliquâ illâque gravi pœnâ ſe afficiendos ſcirent, nam in illorum aures tinnirent illi Virgilij numeri.

An eſſe aliquam pœnam in alterâ vitâ contra peccata, Ethnici potuerint cognoſcere?

At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

An pœnâ æternâ damnari poſſit, qui de pœnâ æternâ nihil ſciret?

Vt meliùs meam hanc doctrinam intelligas, audire proderit, quid dicant alij. P. Ioannes Poncius *in 3. diſt. 37. quæſt. unic. num. 77. pag. 543. a.* interrogat; *An Iuris Naturalis præcepta connexionem cum pœnâ & præmio tantam habeant; ut, qui illa cognoſcerent aut craſsè ignorarent, ſi tamen de inferno nihil omninò ſcirent, eadem violando pœnam æternam mererentur?* & expedit Quæſtionem his verbis. [Reſpondeo ex dictis contra ſententiam Ochami, aliqua præcepta Iuris naturæ ſine dubio obligare ad illam pœnam, ut illa, quæ reſpiciunt Deum, prohibentque ipſi inferre iniuriam, aut irreverentiam; nam non eſt potior ratio, cur obligaremur in conſcientiâ ſub tali pœnâ ad obediendum Deo præcipienti, quàm ad non inferendum ipſi irreverentiam aliquam directè. Nec refert quòd non poſſimus naturaliter cognoſcere dari de facto talem pœnam æternam: nam non eſt neceſſe ut quis mereatur pœnam, quod cognoſcat illam inferendam eſſe, aut etiam eſſe poſſibilem, ſed ſufficit quòd faciat actum, propter quem poſſet talis pœna infligi, ſi eſſet poſſibilis, aut daretur.

An etiam ille, qui neſciret talem eſſe pœnam poſſibilem?

An præcepta ſecundæ Tabulæ obligent ad vitam æternâ præſcindendo ab ordinatione Divinâ?

An autem omnia præcepta Legis Naturæ reſpicientia proximum, aut rempublicam, ut ſic præcisè, obligent naturaliter ſub tali pœnâ abſque ordinatione ſpeciali Dei, non eſt mihi tam certum. Suarez *de legib. cap. 9.* videtur aſſerere quòd ſic, ex Paulo ad Romanos. 2. *Quicunque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Sed hic locus nihil favet, tum quia poſſet intelligi de peccatis, ſeu tranſgreſſionibus Legis Naturalis reſpicientis Deum, non verò reſpicientis proximum præcisè; tum etiam, quia poſſet intelligi de facto ex ſuppoſitione ordinationis Divinæ cognitæ aliquo modo hominibus; aut ex ſuppoſitione quod cognoſceretur abſque lege ſcriptâ Deus offendi per illas tranſgreſſiones, fierique ipſi iniuria, ſi non ſervarentur præcepta Iuris Naturalis reſpicientia proximum, aut rempublicam. Itaque ſatis probabile puto quod tranſgreſſiones Legis Naturalis reſpicientis creaturas præcisè, quatenus non conſiderantur, ut pertinentes ad Deum, nec cognoſcitur Deus offendi per illarum tranſgreſſionem, non obligent ad pœnam æternam, quam patiuntur in inferno de facto damnati, quia non reperio rationem ſufficientem in illis tranſgreſſionibus, ut ſic, ob quam talis pœna deberet infligi. Quæ ſententia videtur eſſe Gerſonis *3. par. de vitâ ſpirituali lect. 4. alphab. 61. litera G.* Et omnium Authorum, qui dicunt quod tranſgreſſiones, quæ fierent in caſu, quo non daretur prohibitio poſitiva Divina, eſſent quidem malæ, ſed non peccata, nec meritoriæ pœnæ infinitæ.] Hæc Poncius: cuius ſententia, quâ ſecundam concernit Tabulam vera eſt: quâ concernit primam, ita remittenda eſt, ut nolit Deo legem imponere. Deus nullam habuit dandi hominibus gloriam & pœnam æternam. Ergo utraque pendet ab ordinatione Divinâ. Modò ſic fit, quia ſic ordinavit, ſed potuit aliter ordinare: ex gratia enim & non ex neceſſitate homines ordinavit ad vitam æternam.

Quid ſine lege peccare, & ſine lege perire apud Apoſtolum ſit?

An per odium proximi offendatur Deus præſcindendo à Decalogo?

Quid ſentiat Gerſon?

Beatitudo æterna vocatur magna gratia, quia præſtatio & elevatio procedit à miſericordiâ, & non à neceſſitate naturæ.

Quarta-decima. *Ignorantia pœnæ excuſare debet in caſu, quo nolit Legiſlator eam pœnam incurrere, qui illam ignorent.* Corollarium I. *Ergo, qui invincibiliter ignorant legem obligare ſub tali pœnâ, ſi legiſlator ad illam pœnam invincibiliter ignorantes obligare*

An & quando ignorantia à pœnâ excuſet?

obligare noluerit, eam non incurrent. Corollarium II. *Ergo, si Legislator ab incursione pœna exemerit vincibiliter ignorantes legem aut pœnam (puta, aut eos, qui vincibiliter esse talem legem ignorant: aut eos, qui eam legem sciunt, ignorant tamen vincibiliter obligare sub tali pœnâ) qui fuerint exempti pœnam prædictam non incurrent.*

An hoc ipsum à Legislatoris voluntate dependeat?

Consideras Conclusionem, & interrogas, *An similes leges reperiantur in Iure?*

854 In Divino non reperiri certum est. Qui enim sciens, aut vincibiliter ignorans violaverit Decalogum, etsi legem illam Definitivam, quæ huic violationi æternum supplicium præscribit, invincibiliter ignoret, in æternum peribit.

Quid dicendum sit de Iure Divino?

In Civili ignorantia pœnæ non excusat. Morte damnatur homicida; &, si ob ignorantiam se excusare prætendat, excusatio in tribunali non admittitur. Contingit autem, ut in minus atrocibus criminibus, habeatur ignorantiæ ratio, & non procedatur ex rigore Iustitiæ.

Quid de Cæsareo?

Et in Pontificio quid dicemus? Quomodo infligunt pœnas Canones? An-ne, sicut pœnæ à Deo indictæ peccatis, etiam incurruntur ab eis, qui illarum præpediuntur ignorantiâ, sic etiam pœnas (censuras) incurrent Ecclesiasticas, qui illarum notitiam non habent? Videtur Ægidius *disp. 13. de Censur. dub. 11. num 95.* paritatem admittere, ait enim. [Non videri credibile, Ecclesiam nunquam velle punire eam negligentiam, quæ committitur in Censuris cognoscendis, quæ præcisè sufficit ad peccatum mortale, cùm in inferno pœna æternâ puniatur à Deo.] Interim alij Authores aliter philosophantur. Nullus dicit non incurri Censuras, quia ex naturâ rei ab illis excusat ignorantia; nam, ut excusentur, ignorantia non sufficit: sed tenent omnes Ecclesiam noluisse ignorantes irretire Censuris: & tamen, quia docent Ignorantiam in Invincibilem & Vincibilem dividi; & hanc subdividunt in tres species, (nempe, Crassam, Supinam, Affectatam) & illas diversimodè exponunt, non possunt inter se convenire.

Et quid denique de Pontificio?

An à Iure Divino ad Pontificium valeat argumentatio?

Quot sint species Ignorantiæ?

Leander lib. de Censur. tract. 1. disp. 9. aliquas Quæstiones proponit, quæ huc conducunt. Et inter illas VII. est, *An ignorantia invincibilis, non Ecclesiastici præcepti, sed solius censuræ, excuset, ne censura incurratur?* Et posteà est XIV. *An ignorantia vincibilis culpabilis venialiter tantùm excuset à Censura?* XV. *An ignorantia vincibilis, mortaliter culpabilis, quæ affectata, crassa, & supina non est, etiam excuset?* XVI. *An ignorantia affectata excuset?* XVII. *An ignorantia crassa seu supina, tam facti quàm Iuris, liberet à Censurâ?* XVIII. *An saltem ignorantia crassa excuset à Censurâ impositâ facienti aliquid scienter?* XIX. *An etiam ignorantia supina excuset sicut excusat crassa à Censurâ inflictâ contra facientem aliquid scienter?* XX. *An item ignorantia crassa & supina excusent à Censurâ Canonis latâ sub his verbis.* Si quis præsumpserit, *vel* Si quis ausus fuerit. *Vel* ausu temerario fecerit? XXI. *An deinde ignorantia affectata vel crassa, etsi moraliter censeatur intenta seu affectata excuset à Censuris scientiam, temeritatem, aut præsumptionem exigentibus?* XXII. *An ignorantia concomitans excuset à Censuris incurrendis?* XXIII. *An saltem si quis laborans ignorantiâ comitante putans se occidere feram occideret Clericum inimicum, eliciens actualiter hunc actum,* Vtinam quod video esset talis Clericus: nam adhuc illum occiderem. *Excommunicationis Censuram incurreret?* XXIV. *An tandem naturalis oblivio, inadvertentia, & inconsideratio excusent à Censurâ?* Proderit itaque singulatim Quæstiones istas recognoscere, & summâ brevitate decidere.

N. B. Lege Articulum V. Dialexeos: ibi enim, ut cuidam Adversarij argumento respondeam, coactus sum uberiùs de ignorantiâ disserere.

Profectò dico ad SEPTIMAM, stando naturæ rei ignorantiam invincibilem minimè excusare à censuris. Et Covarruvias *in cap. Alma mater. part. 1. §. 10. num. 9.* quia nullum Canonem putat esse qui excuset, manifestum errorem, & maximam pudendamque oscitantiam contrariam opinionem appellat. Sed plurimi & doctissimi Viri ex *cap. ut animarum, de constit. in sext.* colligunt ignorantes non ligari Censuris. Quamobrem utramque sententiam probabilem esse censemus. Pergamus.

An ignorantia invincibilis à censuris excuset?

Lege, quæ in expositione Quæstionis XXII §. Banny dicemus.

855 QVARTA-DECIMA videtur esse de subiecto non supponente; non enim bene intelligitur, quomodo possis committere venialem culpam, admittendo ignorantiam de re, quam scire teneris sub peccato mortali. Interim, si talis ignorantia detur, benè ait Leander eam excusare ab excommunicatione, suspensione, Interdicto, & ab illâ Irregularitate, quæ imponitur ob delictum. Probatio huius Conclusionis oritur primò à pœnæ essentiâ; nam censuræ sunt pœnæ graves; & sicut pœna imponi non potest sine culpâ, sic gravis imponi non potest sine gravi. Et oritur secundò à benignâ multorum Theologorum Resolutione in sequentibus Resolutionibus: quia, si Ecclesia in mortaliter ignorantes Censuras, illas non fulminat, à fortiori dicenda est, nolle illas in venialiter ignorantes explodere.

An de obligatione gravi ignorantia venialis possit esse?

Vt QVINTAM-DECIMAM decidat Leander duas sententias, & Authores pro utraque & rationes præmittit: & posteà ait [Respondeo dicendum, quod licet prima sententia (affirmativa) sit satis probabilis, tam speculativè quam practicè loquendo; probabilior longè sit secunda (negativa) & in praxi omninò servanda.] At ego puto, Andabatarum instar, hîc oculatissimos Viros disserere, nam duo sunt in quibus maiorem ego lucem desiderarem. Vellem enim mihi ostendi unam Censurarum ignorantiam, quæ sit mortaliter peccaminosa: &, eam à crassâ, supinâ, & affectatâ distingui.

An sit possibilis ignorantia, quæ sit peccatum mortale, & tamen, nec crassa, nec supina, nec affectata sit?

Porrò existimo debere scire exactè, an tali crimini sit adnexa Censura, Episcopos, Vicarios Generales, & Consistorij Assessores; non, quando munera acceptant, sed quando sententiam pronunciant: at cæteri, & ipsi aliàs, nullâ lege graviter obligante

Quinam teneantur scire censuras?

gante

gante ad Censuras cognoscendas tenentur. Sicut nec Cives sub aliquo tenentur peccato scire, cui crimini laqueus, cui gladius, cui rota, cui triremis, cui flagellum respondeat. Ergo ignorantia voluntaria pœnarum (Ecclesiasticæ, aut Politicæ sint) extra tribunal sine peccato admitti potest.

An sit malum velle iuere pœnam?

Præterea, esto fur sit flagello excipiendus. Dicam eum quando furatur peccare mortaliter, non tamen dicam eum peccare mortaliter, quia pœnam à Republicâ præfixam furto, sponte ignorat.

An, & quando in causâ capitali se accusare quis possit?

Præterea tametsi sit malum peccare, non est malum velle puniri: unde, qui grave crimen commisit, ut læsæ Iustitiæ satisfiat, se posse prodere, etsi capite damnandus sit, docent Viri doctissimi. Ita Sancius *disp.46.n.13.* Diana *part.3.tract.5. resol.7. §. Notandum,*

An lex merè pœnalis possit obligare sub gravi peccato per accidens?

Cotonius *in Summ. verb. occidere, num.37.* quod ipsum habere locum poterit, quando propria hæc accusatio nemini alij noceat, & sit in tali materiâ & sub talibus circumstantiis, ut non inde scandalum populus, sed ædificationem suscipiat. In Theologiâ Regulari *disp.52.res.13.pag.253.a.n.758.* habeo specialem doctrinam de lege pœnali: illam dico per se obligare ad pœnam, non ad culpam: sed tamen, si pœna sit talis, quam quis sibi imponere nequeat sine mortali, qualis est pœna capitis, per accidens obligare ad mortale; aliàs non. Quoniam, si sub decem aureorum pœnâ præcipiatur, ne in talem locum intres ingredi poteris sine peccato, sed poteris cogi, ut pœnam luas.

Committens crimen, cui adnexa est excommunicatio, duplex peccatum est: non autem duplex committeret crimen, cui adnexa sit irregularitas.

Hinc ad Excommunicationem & Interdictum oculos convertendo, qui has vellet, Censuras incurrere, non auderem à novo peccato excusare: at de Irregularitate & suspensione aliter omninò discurrerẽ: quia, cùm incurrere Irregularitatem non sit peccatũ mortale (aliàs secundæ nuptiæ, &c. Et tribunalia, &c. essent illicita; & qui homicidiũ perpetraret duo peccata specie diversa (alterum hominem occidendo, alterum irregularitatem incurrendo) committeret, hinc necessariò erit, ut nolle scire, an tali, vel tali actui irregularitas adnexa sit, non censeatur peccatum mortale. Idem dicerem de Suspensione ad tempus; sicut enim Sacerdos v.gr. non tenetur celebrare quotidie, sic neque sub diverso peccato obligabitur non incurrere Suspensionem, à quâ scit se posse citò dispensationem impetrare. Interim, qui irretitur Censuris tenetur scire, earumdem Censurarum effectus: hoc est, quæ sint illa, quæ illicitè & validè; & quæ sint illa, quæ illicitè & invalidè faceret.

Ad secundam Quæstionis partem respondeo me nihil præter verba in eâ invenire, nam ignorantia mortaliter peccaminosa, quæ tamen nec crassa, neque supina, neque affectata sit non invenitur.

856 *De ignorantiâ affectatâ.*

Ad Sextam-decimam respondeo non excusare à Censuris Ignorantiam, quam affectatam dicunt. Suppono *affectata Ignorantia* nomine eam intelligi, quæ directè eligitur, ut liberiùs peccetur. Ita D. Thomas *1.2.quæst.76. art.3.* quem omnes sequuntur.

An laborans ignorantiâ antecedente sit contumax?

Ad Septimam-decimam iam responsum est, si omnis ignorantia vincibilis, quocumque nomine significetur, verè affectata sit, quod ego puto. Quid, si crassa & supina ab affectatâ distinguatur? Adhuc non excusare dicendum est cum Suario *disp.4. sect.10. num.4.* quem sequitur Leander de Censur. *tract.1.disp.9.q.17.* & Henriquez, Sotus, Candidus, Ægidius, Corneius, Navarrus, &c. apud ipsum. Bauny *tract.1. de Censur. quæst.18.* abest à sententiâ communi: & licèt ignorantiam crassam concomitantem non excusare asserat, antecedentem excusare contendit. Et probat; quia antecedente ignorantiâ laborans non est contumax aut incorrigibilis, & tamen contra contumaces & incorrigibiles tantùm fulminantur censuræ. Eum, de quo loquitur, non esse contumacem, negat Leander, [Quia licèt non sit ita expressè & directè, sicut est ille, qui transgreditur legem ex ignorantiâ affectatâ, est tamen virtualiter & indirectè contumax & inobediens, cùm negligat legem aliàs satis publicam, & omnibus notam, ut tam crassâ ignorantiâ illius laboret. Unde satis etiam est, quod lex, quantum est ex se, illum admoneat, quamvis eius admonitio ad aures eius non perveniat ex supinâ eius negligentiâ, ut bene docet Suarez.

Contumacia est duplex, directa & indirecta, hoc est, formalis & virtualis.

An, & quæ ignorantia excuset à censurâ vel pœnâ, quando lex scientiam, præsumptionem, audaciam, aut temeritatem, ut censura incurratur, requirit?

Ad Octavam-decimam respondet Navarrus *cap.27. num.141. & 155.* quem doctissimi Viri sequuntur aliquid voluisse Legislatorem illâ voce *scienter* significare: ergo, si omissâ illa voce crassè & supinè ignorantes obligaret censura, videtur Legislator noluisse eos obligare, quando illam vocem restrictivam (nempe, *scienter*) legi apposuit. Et hinc patet, quid

Ad Undevigesimam respondendum sit. Has duas Leander Resolutiones esse certas existimat, casque multorum Doctorum testimonio confirmat. Et eodem prorsus modo & ex eodem fundamento

Ad Vigesimam est respondendum. Certum est enim generaliùs loqui Pontificem, cùm ait, *qui fecerit*, quàm cùm dicit, *qui facere præsumpserit*, vel *qui facere ausus fuerit*, vel *qui ausu temerario fecerit.* Ergo illæ restrictiones legis amplitudinem contrahunt, ut pauciores concernat, quàm si fuissent omissæ. At, si non fuissent positæ crasse & supine ignorantes lex includeret, ergo ubi sunt positæ, lex eos non includit. An consequenter

857 *Cur nobis severa sententia magis placeat?*

Ad Vigesimam-primam respondebimus? Affirmat Diana *part.3. tract.6. resol.7.* & *part.5.tract.9.resol.17.* & *par.7. tract.4. resol.14.* & *tract.5. resolut.11.* & multi Doctores apud ipsum.] Leander opinionem contrariam probabiliorem esse existimat, & pro illâ plurimos Authores adducit. Interim, tametsi Quæstiones præcedentes (XVIII. XIX. XX. & XXI.) Viri Eruditissimi benignè & clementer decidant, cùm scientia sit duplex, nimirum realis & virtualis, & cùm in Iure igno-

rantia

rantia affectata sit virtualiter scientia, & cum ignorantia tam crassa quàm supina virtualiter (immò realiter, ut ego existimo sit affectata, cogor oppositam inire viam & dicere à censurâ, quæ imponitur rem talem facientibus *scienter*, solam ignorantiam invincibilem excusare: qui enim peccat ex ignorantiâ vincibili, scienter peccat: virtualis enim scientia est illa ignorantia. Interim oppositas Scriptorum sententias non condemno, sed eas tantam habere probabilitatem, quantam Theologi qui eas propugnant, & rationes quibus substruuntur postulant, sine invidiâ permitto.

Leander sibi ipsi contradicit.

Ad Vigesimam-secundam responsurus, moneo Leandrum, ut hos locos componat. *Quæst.17. pag.69. b.* dixerat. [Absolutè & sine distinctione ullâ, tanquam quid certum respondeo nullam ignorantiam crassam aut supinam sive antecedentem sive comitantem excusare à censurâ.] & *quæst.22. pag.71. b.* ait. [Probabilius respondeo, ignorantiam concomitantem semper excusare operantem à censuris, &c.] Et moneo etiam Lectorem Authores non mihi placere, cùm de ignorantiâ comitante philosophantur.

An excuset à pœnâ ignorantia concomitâs.

Bauny *tract.1. de Censur. quæst.18.* sic scribit. [Dico quarto. A censurâ excusat ignorantia eius crassa quando est causa antecedens, &c. Dico quintò, Quando ignorantia, quæ est crassa non est causa sine quâ non, sed concomitans, hæc à censurâ non excusat. Sensus est, quòd quando ignorans ita est dispositus, ut etiamsi scivisset opus, cui vacat, esse prohibitum sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, illud nihilominùs fecisset, eum censuram non effugere, sed eâ teneri perinde ac si sciens incurrisset in legem.] Contra quartum Bauny dictum sic Leander argumentatur. [Ignorantia crassa aut supina alicuius Iuris positivi vetantis aliquid sub simplici præcepto, nullo modo excusat quem à peccato, si ex tali ignorantiâ frangat præceptum, ut omnes concedunt. Ergo similiter omninò nec ignorantia crassa seu supina censuræ impositæ tali facto aut omissioni excusare poterit quem ab incursione talis censuræ, si ex dictâ ignorantiâ tale factum sub tali censurâ prohibitum efficiat.] Sed non benè dialecticatur: nam à peccato ad pœnam ex naturâ rei consequentia non valet: ignorantia enim invincibilis culpæ ex naturâ rei excusat à culpâ, at ignorantia invincibilis solius pœnæ (quam habet qui scit furtum, v.gr. esse interdictum, & invincibiliter ignorat quænam respondeat illi pœna) ex naturâ rei non excusat à pœnâ. Et huc respicientes Hurtadus *de Censur. in comm. diff.22. §. Addunt Suarez*, Luysius *lib.1. de censur. disput. 5. dub.3. §. Mihi sanè* Driedus, *lib.2. de libert. Christi, cap.9. in fin.* Vasqnez *tract. de excomm. dub.16. num.7. & 8.* Corduba *lib.2. quæst. 25. in princ.* Ledesma *2. p.4. quæst.24. art.6. sub fin.* Medina *in 1.2. quæst.76. art.3. in fin.* & alij, asseruerunt eos, qui sciunt præceptum, etsi invincibiliter censuram ignorent, eam incurrere. Interim, ut bene monet Poncius *in 2. dist.43. quæst.2. pag.1070. a.* non solùm invincibilis, sed etiam crassa excusat ubi Legislator ignorantes pœnam ad illam luendam condemnare noluerit. Et hanc esse Pontificum mentem (hoc est, non velle eos, qui invincibiliter censuras ignorant, eas incurrere) tenet probabilior sententia, apud Leandrum *lib. de censur. tract.1. disput.9. quæst.9.*

An punire quis debeat, possitve propter crimen, quod commisisset?

An sicut de culpâ sic etiam de pœna sit philosophandum?

An ignorantia invincibilis pœnæ excuset à pœnâ?

An, & cur censuras ignorans non incurrat?

858

Prætereà, si paritas à culpâ ad pœnam admittatur, huic argumento Leander respondere debebit: nimirùm, Ignorantia legis concomitans excusat à peccato: ergo ignorantia pœnæ concomitans excusabit à censurâ. Probatur antecedens ex Ioanne Poncio *in 3. distinct.39. quæst. unic. pag.670. b. num.63. §. Deinde* dicente. [Non, quod faceret, quis, imputatur illi ad laudem, vel vituperium, sed quod facit. In casu autem nostro, iurans iurat ex indeliberatione, & propterea non peccat mortaliter, quamvis fortè si haberet plenam advertentiam iuraret & peccaret mortaliter. Confirmatur responsio hæc exemplis communibus; quia qui comedit carnes ex inadvertentiâ die Veneris, licèt in actu primo esset ita fortè dispositus, ut eas comederet, etiamsi cognosceret esse diem Veneris, non peccat: &, qui proiicit sagittam in hominem putatum feram, eumque interficit, non peccat peccato homicidij, licèt esset sic dispositus in actu primo, ut eum interficeret, si cognosceret ipsum: ergo non quod faceret quis, sed quod facit in proposito, attendendum est.]

N. B. Aliqui Pelagiani, nam negabant culpam originalem, ut ostenderent, infantes ante usū rationis iustè morbis & morte puniri, dicebant, Deum in illis punire peccata, quæ erant facturi; aut, quæ facerēt, si ad usum rationis pervenirent. At hæc opinatio pluries est ab Ecclesiâ damnata.

859

In Vigesima-tertia maiorem difficultatem non reperio, licèt maiorem obscuritatem infundere nonnulli contendant. Distinguo igitur cum Leandro ignorantiam vincibilem ab invincibili: nam, qui dubitat, an id quod videt, sit homo aut fera, debet examinare; &, si ante examen, explodat, etsi non hominem, sed feram occidat, peccabit mortaliter. Et, si occidat clericum, incurret excommunicationem. Cæterùm, si illa ignorantia concomitans est invincibilis, illum excusat: nam tametsi illa voluntas sit peccatum mortale propter homicidium, quod vult perpetrare, & iterum mortale propter excommunicationem, quam vult incurrere, est de re, quam faceret, non autem de re, quam facit, & ideò ad hanc actualem clerici occisionem non concurrit. Authores non cito: quia plurimos apud Leandrum reperies.

Qui dubitat, tenetur rem examinare: & temerè si ante examen operetur, peccabit.

Vigesimæ-Quartæ Resolutio, sumitur ex præcedentibus: nam oblivio, inadvertentia, & inconsideratio vix potest esse crassa; nam, ut aliquis actu peccet, debet actu habere advertentiam. Ergo, ut inadvertentia culpabilis esset, deberet homo cum advertentiâ cognoscere suam inadvertentiam: quod videtur implicantiam involuere: nam licèt possim advertere in instanti B. me non habuisse advertentiam in instanti A. non possum tamen advertere

An inadvertentia crassa sit possibilis.

in

in instanti B. me non habere advertentiam in ipsomet instanti B. Hac doctrinâ præmissâ.

860 *De oblivione, aut inadvertentiâ circa legem.*

Dico primò, *Oblivio, & inadvertentia legis, si invincibilis sit, excusat à culpâ.* Demonstratur. Quia peccatum debet esse volitum: & nihil volitum, quin præcognitum.

Non datur pœna sine culpâ.

Dico secundò, *Oblivio & inadvertentia, quæ excusant à peccato, etiam excusant à censurâ.* Patet: quia censura est pœna, & pœna non habet locum, ubi non est culpa.

Dico tertiò. *Quando quis advertit & de facto cognoscit præceptum, & tamen ob oblivionem aut inadvertentiam non cognoscit pœnam, sub qua illud imponitur, peccat, & ex natura rei a pœnâ excusari non potest.* Patet, quia Leges, quæ pœnas præscribunt delictis, sunt Definitivæ; & ideò etiam ignorantes obstringunt. *Definitivæ leges etiam obstringunt ignorantes.*

An oblivio & inadvertentia à censuris excusent?

Consultò posui illud *ex naturâ rei*; quia, si Legislator voluerit ignorantes & inadvertentes à lege eximere, poterit. Et Pontificem voluisse, quòd oblivio, inadvertentia, & inconsideratio pœnæ ab illâ excuset, ut certum affirmat Leander, & suam Resolutionem Suarij, Bonacinæ, Baunij, Candidi, & aliorum authoritate confirmat.



PERILLVSTRIS ET CLARISSIMI

DOMINI FELICIS AQVADIA,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS

& in Vniversitate Neapolitana Regij

Professoris, &c.

AD AVTHOREM

EPISTOLA V.

Confirmat hæc Epistola omnia illa, quæ in Dialexi à num. 108. edisseruntur.

Examinat, *An unus testis, omni exceptione maior, faciat informationem semiplenam? An debeat admitti in Iudicio? An testis alterius defectus possit iuramento suppleri?* Sententiam Asserentem ignotam fuisse Veteribus Iurisconsultis, clarè ostendit; & Negativam rationibus, & testimoniis expressimis firmat.

Illustrissime Domine: Domine ac Patrone Colendissime.

861 *a] Quæstionem, quæ inquiris, An Terra Lunam illuminet? Galilæus assertivè decidit, & sententiâ suam clarissimâ experientiâ demonstrat. Eam D. Caramuel in suâ Mathesi, illam etiã alij dilucidant.*



GAVISVS sum valde, & mecum Amici omnes, qui suâ virtute & doctrinâ Parthenopæam hanc Vniversitatem honorant, DIALEXIM illam Tuam, quam mens dudum conceperat, à pennâ in chartam, à chartâ in prælum, & à prælo denique in lucem confidenter prodire. Ab illâ sumus omnes, qui Tuum Ingenium veneramur: nimirùm, qui cognoscimus; illud enim, ubi primùm suspicitur, in admirationem rapit, & hanc illico in venerationem convertit. Et ab illâ sum ego præcipuè: & quia breve hoc syntagma (Tu sic iudicas) ut infans Luna lucis radios, quos à Tellure recipit in Tellurem refringit [a] Lucem vicissim potest à DIALEXI recipere, & illi iterum communicare. Iubes ut illud mittam, & ut Domino ego meo, & Protectori illi maximò satisfaciam, obedio, ut, vel sic, si non operis perfectione saltem obedientiæ promptitudine meum adversus dignationem tuam animum testatum faciam. Sed omissis his, quæ potiùs debent supponi, quàm probari, ad rem venio, & nonnulla quæ præsenti Quæstioni lucem proferant, quà possum brevitate præmitto. Sit igitur.

ANTELVDIVM I. Vnius dictum recipi in iudicio & plenissimè probare, quoties illius depositio nemini esset nocumento, & alteri prodesset, nempè si deponeret, quem fuisse baptizatum, vel Ecclesiam fuisse consecratam apud omnes est in comperto *ex cap. cum itaque cap. paruulis de consecrat. dist.4. cap. placuit. de infantib.* Viccius *in decis.* 172. *num.* 3. Idem *ex l.1. ff. de ventre inspiciendo*, ubi creditur obstetrici *in l. vice & l. donationibus, Cod. de donationib.* ubi unus sufficit testis, qui vice donatoris, voluntate eius subscribat donationi scriptæ. Sic in tabellione adfirmante se scripsisse instrumentum, si ab alio negaretur, quia illius 862 *Depositio unius testis, quæ nemini nocet, & alteri prodest plene probat.* *An sit obstetrici credendum?*

An tabellioni?

fides publica est *Auth. de fide instrumentorum* §. 1. Idipsum asservat Baldus *in l. bona fidei num.* 8. *Cod. de rebus creditis.* Pergit. *in cons.* 26. *num.* 10. *volum.* 5. Si à Summo Pontifice, vel à supremo Principe esse ordinatum, ut uni testi crederetur; quamvis hoc displiceat Camillo Bonello *in Summâ decisionum tit. de numero testium.* Eo quod videtur contra illud Deuteronomij *cap.* 17. *&* 19. quemadmodum Papæ aliquid attestanti, plenè credendum esse magis communiter adfirment apud Iulium Clarum *in praxi criminali*, §. *final. quæst.* 53. non solùm si testificaret de iis, quæ tempore Pontificatûs vidit, verùm etiam de illis, quæ vidit, tempore quo non erat Pontifex. Ioann. Crotus *de testib. part.* 4. *num.* 195. Franciscus Marcus *decis.* 779. *per totam vol.* 1. Seraphinus *decis.* 271. *num.* 2. *vol.* 1. etiamsi de facto suo proprio attestaretur, Glossa & DD. communiter *in Clementina* 1. per illum text. *de probationib.* qua propter attestando aliquem esse suum Capellanum, cubicularium, familiarem, ei creditur, dummodo principaliter in tali assertione se fundet; secus si illa verba essent enunciativè prolata ex Gabrielio *communium conclusion. tit. de probationib. concl.* 2. *per totam*, qui idem dicendum adfirmat de Imperatore, Rege, alioque Superiorem non recognoscente.

N. B. Testes olim *superstites* dicebantur, quia super statum causæ respondere debebent; nunc per sphæresin priori nominis parte sublatâ vocantur *Testes.* Dicto Summi Pontificis vel Principis nō recognoscentis superiorem, plena adhibetur fides.

N. B. Aliud est dicere, *Petrus meus Capellanus fecit eam talem:* & aliud *Testor Petrū meum esse Capellanum* nam in hoc Affectu, & non in illo Capellani circūstantiis ponitur enūciativè.

ANTELVDIVM II. In arduis & magnis Causis non deferri iuramentum suppletiuum, uno ore fatentur *in l. admonendi* 31. *ff. de iureiurando & in cap. ult. extra illo titulo.* Afflictus *decis.* 375. *num.* 5. Idcirco denegatur in causâ feudali. Iason *in d. l. admonendi num.* 231. Rolandus à Valle *cons.* 82. *num.* 23. *vol.* 2. & alij relati à Schredero de Feudis *part.* 9. *sect.* 18. *num.* 67. In causâ matrimoniali Franc. Marcus *decis.* 753. *per totam vol.* 2. Cujacius *Institution. Canonicar. lib.* 5. *tit.* 5. *num.* 173. In causâ beneficiali, & Monachationis. Baldus *in d. in bona fidei.* Marsilius *l. maritus, num* 14. *ff. de quæstionibus* Ant. Scappi. *de iure non scripto, lib.* 3. *cap.* 42. *num.* 5. dummodo quæstio principaliter esset super causâ beneficiali, secùs si incidenter, nam tunc posse dari hoc iuramentum adfirmat Iason *ubi supr. num.* 30. *ex argumento, cap. ex insinuatione extra de procuratorib.* Idem in causis criminalibus: Mynsingerus *centuria* 2. *observation.* 87. Cevallos *practicar. quæst. cap.* 449. *num.* 3. Maximè, si pro causâ criminali ageretur criminaliter ad publicam vindictam, ut sentiunt Menochius *de arbitriis lib.* 2. *cent.* 5. *cap.* 464. Fachineus 1. *controvers.* 15. & Ant. Faber. *in Cod. lib.* 4. *tit.* 1. *definit.* 43. *num.* 2. Ex quibus sequitur in prædictis causis unum testem semiplenè non probare, etiam in sententiâ communi, ut ex infra dicendis patebit.

863 *In causis criminalibus & arduis non datur iuramentum suppletiuum, nec unus testis semiplenè probat.* *Causæ graves sunt præter criminales, etiam, quæ de Matrimonij, Beneficij, Professionis solemnis, &c. valore disputant.*

Vnus testis semiplenè non probat.

864 ANTELVDIVM III. Præfatum iuramentum, non solùm parte petente deferri posse *Ex d. l. bonæ fidei C. de rebus creditis voluerunt* Capucius *decis.* 35. *num.* 1. Seraphinus *de privilegiis iuramenti, privileg.* 53. *num.* 190. & Faber. *in Cod. lib.* 4. *tit.* 1. *definit.* 8. Verùm etiam parte non petente ex

Iuramentū suppletiuum non solùm parte petente deferendum est, verùm etiam

Canonistis *in cap. ultimo* §. *Sanè extra. de iureiurando* Fachineo 1. *controvers.* 15. imò adhoc teneri, Iudicem unanimi consensu concludunt scribentes apud Francisc. Marcum *decis.* 454. & Mascard. *de probationib. conclus.* 95. *num.* 2. aliàs faceret litem suam per text. *in d. l. in bona fidei* 3. *C. de rebus creditis, & iureiurando*, ibi *Causas inopia probationum iureiurando decidi oportere.* Quod verbum necessitatem importat, Quo sensu est accipiendum verbum. Solent *in d. l. admonendi, ff. de iureiurando.* Nam dictio illa non videtur necessitatem imponere *ex l. non quicquid, ff. de iudiciis l.* 1. *C. quomodo & quando Iudex.* Inde est, quòd licèt Iudex soleat summatim in causis levioribus procedere, si tamen velit, poterit ordinem iudiciarium servare. Glossa *in Clement. dispendiosum de iudiciis*, & *in Clement. sæpe de verborum significat.* per text. *in cap. Consuluisti, de officio delegati.* Nihilominùs, non est nouum, ut dictio. *Solet.* exponatur pro *debet.* Et sic necessitatem inducat *l. ubi autem* 4. *alias l. si res.* 5. §. *idem Iulianus, ff. de in diem addictione l. non solet, ff. locati*, proinde prout subiecta materia patitur intelligi debet.

ex officio à Iudice deferri debet.

De significatione verbi oportet, & verbi: solet.

An in levioribus causis possit Iudex iuris ordine observato procedere?

His præmissis Communis, & recepta in palatiis sententia est, Vnum testem in iudicio recipi, & semiplenè probare, dummodo sit omni exceptione maior ex traditis à Mascardo *de probationibus conclus.* 1957. *num.* 10. Et propterea consanguineus ad finis, & amicus ad testimonium dicendum idoneè non admittuntur, *l.* 3. *de testibus*, cum magna adfectio veritatem impediat, *cap. accusatores.* 3. *quæst.* 5. 865

Vnus testis omni exceptione maior in Iudiciis recipitur ad semiplenè probandum.

Probatur primò ab Accursio *in d. l. admonendi.* Duo testes plenè probant, ergo unus testis semiplenè probat. Ex quo fit, quòd si per duos testes plenè non probaretur, unus testis, nec semiplenè probaret; sic cùm in testamentis, septem sint necessarij testes, *l. hac consultissima (de testamentis,)* duo testes non semiplenè probabunt. Ex quibus

Si duo testes plenè probant; Vnus testis semiplenè probabit. *An, & cur in testamentis duo testes non probent semiplenè?*

Deducunt producenti unum testem deferri iuramentum suppletiuum, quod in semiplenis probationibus conceditur, iuxta text. *in d. l. admonendi*, in illis verbis [*Solent enim sæpe indices in dubiis causis exacto iureiurando, secundum eum indicare, qui iuravit.*] & *l. in bonæ fidei* 3. *C. de rebus creditis*, ubi Cæsar scripsit, *In bona fidei contractibus, nec non etiam in cæteris causis, inopia probationum per Iudicem iureiurando causâ cognitâ res decidi oportere.* 866

Iuramentū suppletiuum datur semiplenis probationibus, & per consequens producenti unum testem.

Respondetur primò, negando consequentiam, nam ea quæ certam habent formam ex numero, individua sunt, ita ut si pars numeri tollatur, quod superest corruit, ut colligitur *ex l. peculium*, 65. §. *quadriga, ff. de legatis* 2. ubi plura cumulat Cujacius *in lib.* 16. *quæst. Papiniani.* Atqui forma probationis habetur per vocem pluriū, saltem duorum testium, *cap. in omni negotio*, & *cap. licet extra. de testibus, l. ubi numerus* 9. *ff. illo eod. tit.* Ergo probatio, quæ ex testium dictis resultat, est indivisibilis, & per consequens non potest in semiplenam dimidiari.

Vnus testis semiplenè non probat, nam quæ certam habent formā ex numero individua sunt.

Respondetur

867 *Vnus testis non potest recipi in iudicio remissivè.*

Respondetur secundò posse procedere argumentum (dato quod probatio reciperet divisionem) quoties unus testis recipi posset in iudicio, quod falsum est ut infra.

De iuramento, si offeratur à parte

Nec minùs infelix est Corollarium deductum; nam in primis Iure non probatur dari præfatum iuramentum suppletiuum, cùm in eo non alia fiat mentio Iurisiurandi, nisi eius, quod extra iudiciale, seu voluntarium dicitur, & illius, quod à parte parti Iudice adprobante defertur ut *in l.1. ff.de iureiurando ubi Cuiacius inquit [per iusiurandum decidi controversias, vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex iudiciali authoritate;]* nec alibi verbum fit de suppletivo, & per consequens est merum figmentum Doctorũ, cùm procedat argumentum ab inclusione ad exclusionem. Nec est credibile, vel vero simile, non fieri mentionem huius iurisiurandi in tot Iurisconsultorum, & Imperatorum respõsis, rescriptis, dum ex eo illius usus hodie frequẽtissimus est, ita tractatus maximæ utilitatis fuisset.

Negatur dari iuramentum suppletiuum.

An illud admiserint, aut etiam cognoverint Veteres Iurisconsultit

868 *Quando, & ubi illud à Iunioribus admittatur?*

Præterea (dato quod haberet locum iuramentum suppletiuum) adhuc negatur dari in semiplenis probationibus, quod evidẽter ostenditur. Nam iuramentum suppletiuum, ut dicunt, datur in causis dubiis, vel ubi adest inopia probationum ex citata *lege admonendi & d.l. in bona fides.* Sed semiplena probatio non facit causam dubiam, nec inopiam inducit probationum; Ergo in semiplenâ probatione non potest esse locus iuramento suppletivo. Minor probatur: certum est, [*a*] Actore nihil probante, vel suam intentionem non implente reum esse absoluendum, *l. qui accusare 4. C.de edendo l. siquidem 9. C. de exceptionibus, l. ante omnia 2 . ff.de probationibus l.1. C. eodem; & l. negantes 9. C. de obligationib. & actionib.* quod etiam in reo procedit, *l. exceptionibus, ff.de probationibus.* Sed actor semiplenè probando suam non implet intentionem, alias non esset opus iureiurando, prout in plenâ probatione non exigitur, quia Actor, iam suam implevit intentionem, ergo plus quàm certum est in casu semiplenæ probationis, reum fore absoluendum; Ergo si certa erit absolutio, quis negare poterit per semiplenam probationem causam non reddi dubiam, nec Iudicem ancipitem, vel ambiguum, & consequenter non esse locum iuramento suppletivo, quod nonnisi in causis dubiis datur?

a) Ergo certa est doctrina Dialexeos.

Ostenditur non dari iuramentum suppletiuum in semiplenis probationibus.

An causam reddat dubiã & ambiguam semiplena probatio?

Quod neque etiam inducat inopiam probationum, patet quia inopia est, quæ facit causam dubiam, ut concordetur *d.l. admonendi cum d. l. in bona fidei* prout etiam admittunt adversarij: sed semiplena probatio non facit causam dubiam, ergo nec inopiam inducit.

De probationum inopiá.

869 N. B. Hîc Clarissimus Dominus, licèt utatur aliis verbis subdubium à superdubio cum D. Caramuele sentit.

Nec alicuius momenti sunt considerationes adductæ pro sententia communi; nam præcitata iura non loquuntur de causâ dubiâ, quæ provenit ex semiplenâ probatione, quia tunc cessat dubium, dum constat reum fore absoluendum, sed quia plena adest probatio ab utraque parte, propter quod Iudex dubius & anceps redditur, non aliter, ac dicitur dubia quæstio *l.non puto 10. ff.de iure fisci,* dubia lis, dubia interpretatio, dubius eventus, ita ut dubium idem sit, ac ambiguum, ut ex pluribus consultorum locis congerit Brissonius *lib.4. de verbor. significat. pag. 165. part.2.* Sicut apud Terentium. Dubia cœna dici soleat ea, in quâ tantus est ciborum apparatus, ut nesciatur, quid potissimum sumendum sit, ita hanc rem perbelle explicant Duarenus *lib.2. disputationum anniversariarum, cap.33.* Cuiacius *lib.22. observationum, cap.28.* Pichardus *in §. item si quis postulante à num.71. Instit. de actionib. & Auth. Faber. de errorib. pragmaticorum decade 19. errore 1. & 5.* ubi manum Triboniani *in d.l. admonendi* agnoscit, licet eam lectionem defendat Ossualdus ad Donellum *lib.24. cap.17. lit. G.* Ex quo convincitur responsio Accursij *in d.l. qui accusare 4. Cod. de edendo,* ut reus tunc sit absoluendus, quoties actor, nec plenè, ne semiplenè probavit.

Explicatur quæ nam sit causa dubia, & verus traditur sensus l. admonendi. ff. de iureiur. & l. in bonæ fidei C. de reb. credit.

Dubia cœna quæ?

Quæ Tribonianus de suo posuit, Tribonianismi à peritis vocantur.

Quando dimittendus sit reus?

Nec denique obstat opinio Pauli Castrensis *in l.iusiurandum, §.ait. prætor.* Alexandri & Iasonis *in l. manifestè, ff.de iureiurando,* Duareni *ad titul. de iureiurando cap.3.* Fachinei *1.controvers.19.* & aliorum apud Thesaurum *decis.93.* quòd licet actor nihil probaverit, poterit nihilominùs iuramentum deferri, quod tenetur reus recipere, aut actori referre, aliàs condemnabitur per text. *in d. l. tutor. 35.* ubi Paulus [*Tutor pupilli:* inquit: *omnibus probationibus aliis deficientibus, iusiurandum deferens, audiendus est:*] & *in d.l. manifestè 38.* idem Paulus scripsit, *Manifestæ turpitudinis est, & confessionis, nec iurare, nec iusiurandum referre.* Et per consequens à fortiori iusiurandum tribuendum venit, quoties semiplenæ probationes unius testis: in iudicio deductæ sunt. Idem habetur *in l.ult. C.de fidei commissis* & *l.ult. §.licentia, C.de iure deliberandi.*

Ab actore nihil probante potest deferri reo iuramentum quod debet recipere, vel referre, aliàs condemnabitur.

Nam respondetur in prædictis Iuribus agi de iuramento litis decisorio, quod defertur à parte parti Iudice approbante, quod longè diversum est à iuramento suppletivo, quia non habet reus in casu prædicto, de quo conqueri possit, dum ex delatione iuramenti, & testis, & Iudex in causa propria efficitur, ita ut post iuramentum præstitum, nihil aliud quæratur, nisi an iuratum sit, *d. §.item si postulante Instit. de actionib.* & prætereà, recusando, vel non referendo, malam videtur fovere causam, & suæ turpitudinis manifestum præbet signum. In quo etiam casu loquitur text. *in l. delata 9. C. de rebus creditis & iureiur.* quod non sic eveniret in iuramento suppletivo, quod secundum communem actori unum testem producenti, atque semiplenè probanti esset deferendum, quare propositionem illam deductam ex *d. l. accusare:* quatenus ad iuramentum litis decisorium pertinet, sic procedere posse Fachineus *notat:* Actore non probante, nec iuramentum deferente reum esse absoluendum; secus, si ei iuramentum esset oblatum.

870 *Intelligitur de iuramento decisorio, ex quo pars, & testis, & Iudex in causa propria efficitur, nec aliud deinde quæritur, nisi an iuratum sit.*

871 *Verum dictũ semiplenè probat obligationem factam Monasterio.*

Probatur secundò Communis sententia *ex cap.ult. de successionib. ab intestato*, ubi unus testis admittitur ad probandam oblationem factam Monasterio de se, & suis bonis, ergo unus testis non reiicitur, saltem ad Semiplenè probandum.

Depositio unius testis de per se nõ probat semiplenè sed cũ aliis adminiculis.

Respondetur. Admittitur unus testis de vero actu concurrentibus aliis adminiculis, & præsumptionibus concedo, quia solum fuit unicus testis nego, itaque dico, ibi præter unum testem de actu oblationis fuisse alios testes, qui à defuncto audierunt talem fecisse oblationem, quæ adminicula magis probant, quam iuramentum, quod defertur parti, imò puto ex præcitato textu magis nostram firmari sententiam: dicitur enim ibi; *quod, si probaretur à parte adversâ tempore declarationis ultimæ defunctum fuisse mente captum, nihil obtinebit Monasterium*, Ergo nulla habetur ratio illius testis deponentis de oblatione, aliàs aliquid operaretur, quia semiplenè probaret secundum communem; Sed hoc est falsum, ut ibi, Ergo & sententia communis. Vnde miror, quare Bartolus asserat ex præfato textu amplius non esse dubitandum, unum testem recipi posse.

Notatur allucinatio Bartoli.

Ex Iure Pontificio producenti unũ testem conceditur iuramentum suppletivum ad probandã revocationẽ non dari procuratorij.

Probatur tertiò, *per cap. ex insinuatione extra de procuratorib.* ubi asseruit quidam Archidiaconus, se revocasse mandatum procuratorium coram duobus testibus Clericis, quorum unus obiit, super quo Consultus Papa respondit, esse præstandum iuramentum Clerico superstiti, & Archidiacono principali. Ergo iam clarum est secundum Ius Pontificium unum testem admitti in iudicio, eique dari iuramentum suppletivum.

Refertur & reiicitur responsio Apostillæ.

Respondetur primò *ab Apostilla* ibidem, Clericum præmortuum fuisse in alio iudicio introductum, & sic fidem faciebat in secundo, iuxta *l. ultimam C. de testibus*, & licèt de hoc non appareat *in d. cap. ex insinuatione* poterit esse, ut in aliâ causâ quoque reiiciendo procuratorem illum usus fuerit testimonio Clerici præmortui, probando revocationem. Non satisfacit hæc responsio; tum, quia divinationem sapit; tum quia, si in alio iudicio de revocatione procuratorij actum fuerat, sat erat gestum in eo iudicio ostendere, nec opus erat recurrere ad iusiurandum, ideò.

872 *In rebus modici præiudicij, stante qualitate & dignitate testis, atque principalis permittitur iuramentũ.*

Respondetur secundò *à Coratio in d. l. admonendi num. 34. cap. 3. in d. cap ex insinuatione*; non agi de negocio principali, quod terminatur, & diciditur per unum testem, sed solummodò tractari de revocatione mandati, quæ parvi præiudicij est, idcircò non mirum, si eorum iuramento stetetur; ubi quæso, ut inspiciatur, quod testis erat Clericus, & principalis Archidiaconus, in quibus non est credibile, ob rem tam modici momenti, ut periurij suspicio cadat, quæ omnia si simul iungantur faciunt ibi casum specialem.

Proponitur species l. Theopompus 15 ff. de dote prælegata.

Probatur quartò ex difficili *text. in l. Theopompus 15. ff. de dote prælegata*, ubi habetur, quod quis postquam in testamento æquis partibus hæredes instituit duas filias, & filium in codicillis, cavit, ut nuptui traderetur filia sua minor nomine *Crispina*, cui pro dote providebitur, iuxta quod *Pollianus* explicabit quia scit mentem suam in æqualibus portionibus, in quibus, & sororem eius tradidi (erat iam nuptui tradita alia soror maior) Mortuo testatore, nuptiis in personam sororis minoris sequutis, *Pollianus* à marito adiuratus, ut quantitatem dotis declararet, dixit candem quantitatem sibi deberi, quam maior filia accepit, & eius dicto statur, Ergo dictum unius non reiicitur.

873 *Favore dotis institutio captoria sustinetur.*

Pro resolutione nonnullas in medium attulere responsiones Scribentes, cum text. non tam nos, quàm omnes feriat, quia ex eo habetur, standum esse dicto unius, qui plenè probat, contra alias leges, hoc expressè negantes. Et primò Bartolus *ibid.* recursum habuit ad specialitatem, nimirum, quod illa dispositio, tanquam captatoria erat invalida, sed favore dotis sustinetur, qua propter ad consequentias trahi non debet *iuxta l.ius singulare, ff.de legibus*, & cum hac solutione transit *Alex.ibidem & in cons. 54.vol.2.*

Quænam Decisiones in consequentiam trahi non possint

De intelligentiâ verâ Textûs.

Verum hæc responsio summoperè displicet; tum, quia nec per somnium Textus ille se fundat in aliquo speciali, nec nos multiplicare, sed bene vitare specialia debemus iuxta doctrinam *glossæ in l.filium, quem habentem, C.familiæ herciscundæ.* Tum, quia dispositio prædicta nullatenùs dici potest captatoria, cùm non in voluntatem Polliani fuerit commissa, sed ei tanquam informato de mente suâ, ut dicebat *Raphael Comensis in cons.117.* Imò dispositio, quæ in alterius voluntatem confertur, ut bene Moderni (*Lexcepto Merenda*) contra antiquos concludunt, non est captatoria, ut patet *ex l.captatorias, ff.de hæredibus instituendis.* Vbi definitur institutio captatoria, ut sit, cuius contradictio in secretum alienæ voluntatis confertur, & sic conditio, non dispositio in alterius voluntatem confertur, ut bene discurrit *Ant. Faber de errorib. pragmatic. decade 41. errore 6.*

Non sunt multiplicanda specialia.

Quænam dispositio captatoria cẽsenda sit?

Quid sit institutio captatoria.

Dictũ unius adprobatum à parte admittitur.

Respondetur secundò ab aliquibus, ideò admitti testimonium Polliani, quia adprobavit pars, & propterea non habet de quo conqueri possit, & sibi debet imputare.

An valeat pactũ ut uni testi credatur.

Quæ responsio posset aliqualiter subsistere, sed maximam patitur difficultatem ex eo, quod satis controversum est, an valeat pactio, ut uni testi credatur, prout videre est apud *Alciatum in l.1. §.eadem, num.18. & seq. ff.de verborum significatione & Afflictum in cap.1. de controversia investitura.*

874 *Alia expositio d. L Theopompus Pol.*

Respondent tertiò alij, negando Pollianum fuisse iudicialiter examinatum, sed dicunt id evenisse extraiudicialiter, & propterea habetur, tanquam declarator voluntatis patris prædefuncti, ut dicebat Bartolus *ibid.* non aliter, ac habetur interpres, qui declarat talem fuisse contrahentium voluntatem, non autem admittitur, ut unus testis in iudicio, nam aliàs non reciperetur, dummodò ille interpres non esset solus in Civitate, qui illam linguam intelligeret,

Quid faciendum, quando, non nisi unus potest consuli?

intelligeret, quia tunc ob necessitatem admitteretur, ut ex aliis notat Alciatus *n.* 21. qui *num.* 55. rectè advertit, quod, si res esset valde ardua, vel à lege præcisè determinatus numerus requireretur, non esset standum dicto unius periti, etsi solus in Civitate reperiretur, nam mittendum esset ad loca convicina. Quæ responsio non displicet.

875 *Vnde debentur dotis quantitas?*

Respondetur quartò *cum Cuiacio in d.l. Theopompus*, non deberi dotis quantitatem ex communi pecuniâ, titulo prælegati extra partem hæreditatis; quia Pollianus adiuratus à marito puellæ, scripserit, eam fuisse voluntatem patris, ne minùs daretur ei in dotem, quam sorori datum fuit; sed quia pater expressè declaravit in testamento partes hæreditarias equales inter filios, & in codicillis quantitatem dotis nomine prælegatam esse parem prout, & Polliano apertum priùs fecerat. Igitur difficulta illius legis ut bene explicat Alciatus *n.* 19. non consistit circa quantitatem ex adiurato Polliano declaratam, quia etiam absque eo nota erat ex testantis voluntate expressa, sed circa prælegatum, quod extra partem hæreditariam filiæ minori hæredi institutæ præcipuum datur de communi pecuniâ, quæ responsio vera est.

Vera traditur intelligentia d. l. Theopompus.

Tabula testamenti suspecta redduntur, si unus ex signatoribus suum sigillum non agnoscit.

Probatur quintò *ex l.* 1. *in fine, ff. quemadmodum testamenta aperiantur.* Vbi tabulæ testamentariæ suspectæ fiunt, si unus ex signatoribus neget se suum sigillum agnoscere; Ergo dictum unius recipitur.

Suspicio habetur ex qualitate sigilli incogniti, & in quo differat suspicio à præsumptione.

Respondetur suspicionem haberi, non ex negatione signatoris, sed ex qualitate sigilli incogniti, quia, ut *Cuiacius* inquit res plus movet, quam fabulator homo. Esto, quod ibi dicitur, suspicari de tabulis, ex quo neque præsumptio aliqua oritur; nam qui suspicatur aliquid prævidet, qui præsumit, iam animo suo rem ipsam videt, & sic plus est præsumere, quàm suspicari, ut authoritate Diui Hieronymi firmat Cuiacius.

876 RESOLVTIO

Confutata igitur communi sententiâ, dicimus, cum prætitulatis *Duareno Cuiacio & Fabro*, unum testem non esse admittendum, nec semiplenè probare, & per consequens ei non concedi iuramentum suppletiuum.

Vni testi neque Catoni credendum.

Probatur primò; quia, si unus testis cum iuramento partis admitteretur, unus testis in effectu plenè probaret, quia iuramentum partis nunquam deficeret. Quare Plato *lib.* 12. *de legib.* scripsit. *In quibus aliquis ex periurio utilitatem assequitur, ea sine iureiurando iudicentur, &* Scevola apud Valerium Max. *lib.* 4. [*Pessimi exempli esse*; inquit, *unius testimonio credere.*] Inde Quintilianus *declamatione* 338. dicebat. *Succurrant vobis Catonis, & Scipionis, & tot clarissima nostræ Civitatis nomina, quorum unico testimonio fides nunquam est habita.* Vnde olim dictum. *Vni testi neque Catoni creditum.*

Adagium. *Vnus testis, nullus testis.* Est verum in sensu virtuali, quia sic se habet, ac si esset nullus.

Improbatur sententia lata ob dictũ unius.

Probatur secundò *ex l. maritus.* 20. *ff. de quæstionib.* ubi retractatur sententia lata à Iudice, ex eo quod quæstionem ancillæ alicuius dedit propter unius testimonium adductum in illis verbis *Imperator pronunciavit quæstione illicita habita, unius testimonio non esse credendum, ideoque rectè provocatum.* Ergo dictum unius non solùm semiplenè non probat, verùm etiam nec suspicionem inducit. *Ex eodem Vlpiano in l. ultima sub eodem titulo cap. ult.* [*Qui sine accusatoribus in custodiam recepti sunt, quæstio de eis habenda non est, nisi aliquibus suspicionibus urgeantur.*] Ex quo cessat responsio *Accursij in d.l. maritus*, ut non credatur ad plenè probandum, sed ad semiplenè probandum. Quare Dionysius Gothofredus *in l.* 1. *§.* 4. *eod. tit. de quæstionib.* reprobat *Glossa* sententiam *in l.* 4. *C. ad l. Iuliam Maiestatis* asserentis dictum unius testis ad torturam sufficere.

An solum prudentem suspicionem inducat.

Confutatur Accursius.

Reprobatur Glossa.

An unius dictum ad torturam sufficiat?

877 *Imperator unius testis dictum non esse admittendum statuit.*

Probatur iterum *ex l. iurisiurandi* 9. *C. de testib.* ubi Constantinus Augustus mentionem faciens Constitutionis, ex quâ aliquando admittebatur unius testimonium, expressè sancivit nullatenus esse recipiendum per hæc verba. *Et nunc manifestè sancimus, ut unius omninò testis responsio non audiatur.* Vbi notanda est dictio illa: *omninò*, quæ peremptoria est, & omnes casus, & personas excludit, cùm sit indefinita, & prævisa, *cap. Si Christus*, ubi Abbas & Baldus *extra de iureiurando l. ait prætor, §. Si quis cum pupilla, ff. de his quæ in fraudem creditorum, glossa & DD. in cap. ex parte l.* 1. *de officio delegati*, & habet vim Decreti irritantis, Osascus *decis.* 165. *num.* 14. Matescotus *variarum resolutionum cap.* 29. *num.* 11. *lib.* 2. Lambertinus *de iure patronatus lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 7. *artic.* 30. *num.* 19. Et idem importat, ac ipso iure iuxta *l.* 2. *C. de iure emphyteutico gloss. in l.* 1. *§. si pecuniam, ff. d. positi; & alij apud Gratum de dictionibus dictione omninò.* Proinde, ut omnem tolleret dubitationem *Constantinus* subiunxit *Etiamsi præclara Curiæ honore præfulgeat*, hoc est etiamsi Senator sit, ut ex pluribus eruditè comprobat Iacob Gotofredus *tom.* 4. *Cod. Theodosiani pag.* 423. Ex quo rectè inquit iugulari eorum sententiam, qui unum testem semiplenam facere probationem censent. Quâ de re *in tom.* 6. *pag.* 306. ad longum probat esse suspectam aliam Constitutionem à Constantino factam, ut testimonio unius Episcopi standum esset.

Quem vim importet vox omninò?

An Decreti irritantis vim habeat?

Quinam honore Curiæ præfulgere dicantur?

An testimonio unius Episcopi standum sit?

Verùm eâ constitutione pro verâ datâ, cuius etiam meminit Gratianus *in cap. quicumque & cap. Omnes.* 11. *quæst.* 1. parum refert, Episcopi præeminentiâ consideratâ, ut in illis verbis *in d. cap. omnes.* [*Testimonium etiam ab uno licet Episcopo perhibitum, omnes Iudices indubitanter accipiant nec alius audiatur, cùm testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud enim est Veritatis authoritate firmatum, illud incorruptum, quod à Sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit.*] Et meritò, quia Episcopus est persona illustris & egregia Gloss. & DD. *in l. ad egregias, ff. de iureiurando* Bartolus *in l. omnes populi in fine, ff. de iustitia & iur.* Baldus *in l. ad similitudinem, C. de Episcopis, & Clericis.*

Quanta Episcoporum esse debeat veracitas?

N. B. Hanc in exulcerato hoc sæculo virtutem in aliquibus desiderari, experientia nos docet.

Episcopalis dignitas quanti sit?

An, & cur Principes nominentur Episcopi?

Et illius appellatione, venit Dux, Marchio, Rex *Speculator de receptus, §. final. vers. sed nunquid, num.* 5. & ideò *Serenissimus* dicitur *à glossa, & Cardinali in Clementina in plerisque. de electione: Corradus in Templo omnium Iudicum, lib. 2. cap. 5. §. 4. de dignitate, & potentia Episcopi, num. 1. & per tot.* nec mirum quia Episcopi *Sanctissimi legati Iesu Christi dicuntur, Clementina* 1. *de pœnis. Alvarez Guerreno in speculo Summorum Pontificum Imperator. & Regum, cap* 1. *& num.* 22. *&* 38. Et Ecclesiæ Majestatem repræsentant, vt notat *Mosconius de Majestate militantis Ecclesia, lib. 1. p. 1. cap. 8. §. 1. lit. C. ex Sacro Tridentino de reformat. sess. 25. cap. 17. & sess. 13. cap. 4.*

Legati Iesu Christi, qui?

N. B. Multũ præstat sanctitatis opinio, nam ob illam Monachi Cistercienses habent privilegium, ut in causis propriis debeant admitti ut testes.

Ideóque non mirum ut dixi: videri debet, si Episcopi testimonio plena adhibeatur fides; nam si in nonnullis casibus specialibus unius testimonium plenè probat, maximè si à Principe testificaretur, ut in Anteludio I. notavimus, & refert *Dionysius ad l. maritus, ff. de quæstionib. & l. iurisiurandi 9. C. de testibus*, multò magis hoc in Episcopo admitti debet, quia non solùm, quod Episcopus *Princeps* dicitur *ex Moscovio ubi supra, cap. 8. lit. C.* & successores Apostolorum sunt, & proinde in statu perfectionis, vt docet *D. Thomas* 2. 2. *q. 184. art. 6.* [*Inde ut Sanctus inquit Ambrosius de dignitate Sacerdotali, cap. 1. Honor & sublimitas Episcopalis, nullis potest comparationibus adæquari; Si Regum fulgori compares, & Principum Diademati, longè erit inferiùs quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares.*]

An, & cur Episcopi vocentur Principes?

Quanta sit dignitas Episcopalis?

878 Hæc sunt, Illustrissime Domine, quæ ad propositam quæstionem adduci mihi visa sunt. Tuum erit tuâ prudentiâ, atque eruditione, antequam ineptus noster Discursus ad Amicorum manus perveniat, omnia expendere atque expolire. De illo autem communi nostratum errore, quod communis error ius inducat, alibi discurram. [*b*]

b] Doctrinã communem de cõmuni errore, non esse probabilem, sed certã & indubitatam, Machadus, Verricell. & allij Viri docti contendunt.

Interim Sacras Illustrissimæ Dominationis vestræ vestes humillime osculando, rogo Deum, vt Illustrissimam Dominationem Tuam ad eius maiorem gloriam, & Ecclesiæ tutamen conservare dignetur ad mille annos Neapoli hac die 1. Martij 1672.

EPISTOLA VI.

Quænam fuerit Sanctissimi P. N. Benedicti de delectu Opinionum sententia.

Ad Reverendissimum Dominum Iosephum Castalta, Ordinis Sancti Benedicti. Romæ apud S. Paulum Abbatem, &c. Dominum suum observandissimum.

Romam.

879 *De hac revelatione redibis sermo epist. 9. num. 367.*

MVLTI (Domine Reverendissime) legerunt mirabilem, illam ἀποκάλυψιν, quam in Beatissimi P. N. Benedicti solennitate concinimus [videlicet, *Intempesta noctis horâ Vir Dei, instans vigiliis assiduæ orationis, velut sub vno Solis radio omnem mundum collectum conspexit: videnti enim Creatorem angusta est omnis creatura.*] Multi illustrarunt: at nullus ita copiosè & eruditè, ut nihil, quod ab aliis diceretur, omiserit. Videtur sanè brevis; sed tamen per tantam sensuum sublimitatem latitudinem, & profunditatem diffunditur, ut sit infinito simillima. Aptè Philosophus, *Infinitum est*, inquit, *cuius semper aliquod est extra: quoniam ij qui ratione quantitatis accipiunt, plus semper accipere possunt.* Vel ut ait S. Thomas, *Infinitum est, cuius quantitatem accipientibus semper est aliquod extra adsumere.* Et paucis illam verbis descripsisse videntur: in ipsâ enim, ut Sapientiæ utar verbis, *infinitus thesaurus est hominibus.* Tametsi enim multa & erudita de hac ἀποκάλυψι dicta & scripta sint, quæ indicta & inscripta, sunt plura: & ideò nemini mirum videri debet, si tanta in illa τῶν λεπτομερῶν copia & vbertas affluat, ut qui illam edisserunt, semper altiùs & altiùs eam edisserere possint. Ergo & mihi post tot Viros doctissimos licebit, unam vocem, omissam fortè à cæteris, considerare.

Est in infinito simillima.

Arist. *lib. 3. de Natur. c. 7. text. 63.* S. Thom. 1. *p. q. 14. a. 12.*

Quid infinitum sit

Sapient. 7.

Author vocem unam iubet considerari.

Lego *omnem Mundum*, & ibi primo videretur intuitu syncategorema *omnis* pro *totus* poni, ut sensus sit, *sub uno Solis radio totum mundum collectum conspexit*: nec hoc indulgentiâ, quæ S. Gregorij sæculo audaciam in Priscianum condonat, sed ex Arte factum fuisse probaret Cicero, exclamans, *Vsque dum inveniretur, qua ratione res ab usitatâ ratione recederet, & in hoc singulari iudicio causa omnis* (hoc est, *tota*) *concluderetur.* Sed tamen assero illud *omnem* sumi distributivè: ut idem sit *omnem mundum*, ac *omnes mundos conspexisse*. Sed quid asserimus? An-ne cum Ethnicis dari dicemus plures mundos.

An omnis pro totus sumatur?

Cicero *pro Quint.*

An plures Mundi dentur?

Negat Peripatus, nam dixit Aristoteles, *Nec plures Mundi sunt, nec plures esse possunt:*

Arist. lib. 1. de Cal. c. 9. text. 93. — *possunt: si modò hic ex universâ materiâ constet, sicut constat.* Quidquid de consequenti sit, de quo iam dicam; consequentia nil valet; nam è falso protruditur antecedenti: non enim tantus est Aristoteles, ut

An alia sint materia possibiles. — huic argumento respondeat, [Si materia, ex quâ constat hic Mundus esset duplò major, non ideò duæ simul contradictoriæ essent veræ. Ergo præter materiam, ex quâ constat hic mundus, aliæ, & aliæ sine termimino possibiles sunt.] Fuit Aristoteli istius adlucinationis occasio, illud ab Ethnicis receptum Præjudicium, *Ex nihilo nihil fit*, at illum ego verbis S. Augustini ad loquor;

S. Augustin. lib. 7 Confess. cap. 4. — & sic inquam: *Quid si potentiam, quâ (Deus) cælo imperat, quâ terras sustinet, quâ calcat inferos, quâ sexcentos Mundos condere, conditósque vel tenuissimo halitu difflare potest? quid, si alia innumera coneris investigare? quoties argumentorum oppressus magnitudine coneris exclamare: O divitiarum altitudinem!* Interim nostra sententia ad has duas Conclusiones reducitur.

An Mundi immateriales veniant necessariò admittendi. — Prima. *Mundus hic materialis est vnicus.* Secunda. *Præter hunc materialem alij in alio genere sunt admittendi.* Has Conclusiones didici ab Evangelio, in quo Christus Dominus ait: *Regnum meum non est de hoc Mundo. Si ex Mundo hoc esset regnum meum, Ministri utique mei decertarent, ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.* (Ioan. c. 18. 36.)

880 Sed quot sunt Mundi immateriales? Alij plures, alij pauciores numerant. Præcipui hi sunt: Archetypicus, hoc est, Creator; Intelligibilis, quem Ideæ Artificis [a] Æterni constituunt: Spiritualis, qui complectitur Angelorum exercitus: Moralis, ad quem omnes reducuntur Virtutes; quæ Ethici Firmamenti sunt sydera, & ut candidiùs micent, respiciunt è regione Vitia, quæ sunt tenebræ & noctes. Et tandem supernaturalis, ad quem Divina Gratia, Theologiæ Prærogativæ, & Beatitudo æterna pertinent. Et de hoc Magnus Hiponensium Episcopus intelligebat illa Christi Domini verba: *Ecce enim merces vestra multa est in cælis:* quæ noster Melleus Doctor, hoc pulchro Commentario dilucidat. A Cænobij Carnotensis Religiosis consultus sic ait: [Interrogatis quid sentiendum arbitror de eo, quod in Evangelio nobis promittitur: *Ecce enim merces vestra multa est in cælis:* mirantes maximè Sanctum Augustinum dixisse super hoc, non cœlos istos visibiles, & corporeos oportere intelligi, ne merces nostra in rebus mobilibus volubilibúsque videatur collocari, ideoque quædam firmamenta esse intelligenda: de quibus nescitis (vt dicitis) quid vel suspicari debeatis. Sed si attenditis quod legistis: *Regnum Dei intra vos est: & habitare Christum per fidem in cordibus vestris*, tanquam vtique regem in regno suo: & *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, non quidem quæ revelabitur nobis velut aliquis exterius; sed in nobis, quasi intus iam manens, sed nondum apparens. Et item: *Omnis gloria*

Quot Mundi immateriales sint? a] Vide n. 23. — Luc. 6. d. — Bernard. de præcept. & dispens. cap. ult. n. 60. — Luc. 17. e. — Ephes. 3. d. — Rom. 8. d. — Psal. 44. e.

eius, filia regis, ab intus: & ascendet homo ad cor altum; sed *ascensiones in corde suo disposuit:* rursúmque *anima iusti sedes est Sapientiæ*, cuius sine dubio illa vox est, *Cælum mihi sedes est?* si hæc, inquam, hisque similia non pauca in Scripturis advertitis, profectò studebitis ad requirendum regnũ Dei & iustitiam eius, intrare potiùs ad vos, quam vel extra exire, vel ascendere supra. Sed supra sanè vel extra dixerim loci positione, sicut cœlum à terra locum tenet exteriorem: Sol Luna, & sydera superiorem: nam eadem ipsa, quæ intra nos sunt sublimiori suæ naturæ invisibilitate, etiam supra nos sunt sublimiori excellentiæ dignitate, & extra quoque immensitate maiestatis. Sed altissima sunt hæc, egentia utique & diligentiori disputatione; & doctiori disputatore, & opere prolixiori. Et *Serm. IX. in vltima cœnâ, n. 57.* (& habetur *tom. 5. part. 247. a.*) idem S. Pater, sic infit. [*Mundus* dicitur pluribus modis. Dicitur enim *Mundus* trina machina rerum, cœlestium, terestrium, & infernorum: Cœlum, & quidquid Cœli ambitu continetur. Dicitur *Mundus* amator Mundi: vt hic. *Adhuc modicum, & Mundus me iam non videt.* Dicitur & *Mundus*, qui est ab omni sorde lotus & mundus; sicut est illud,

Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

De illo solo Mundo: immò de illis solis immundi; scilicet, amatoribus Mundi, dicitur, *Mundus non videt Deum*, &c.

Psal. 63. b. — Psal. 83. b. — *An supra nos sit exacta spiritualium rerum cognitio?* — *Varia acceptiones vocis* Mundus. — Hic sermo est valde pius, sit, aut non sit Divi Bernard. — Hymn. ad Primam.

Sunt ergo præter hunc corporeum, quinque ut minimum Mundi: videlicet, Archetypicus [a] Intelligibilis, Spiritualis, Moralis, & Supernaturalis: quibus si Microcosmon addideris Senarius, qui perfectorum primus, Mundorum numerum determinabit. Et hos omnes in uno Divini Solis radio collectos uno simplici intuitu S. Benedictus suspexit. Et, quia Mentis Ideæ derivantur in Paginam, & est calamus Intellectus interpres, grandium quæstionum, quæ hos quinque Mundos concernunt, in solâ S. Bened. Regulâ accuratam Decisionem invenio. In illâ reperi, & in Proœmio Theologiæ Regulari præfixo exhibui, eruditas & devotas doctrinas, quæ suffecerunt ibi toti Decalogo dilucidando. Et, quia quoties occurrunt nova dubia, ad eumdem Præceptorem recurro, interrogatus modò. *An eligenda sit Probabilior sententia?* eumdem consulo, quæstionémque eius verbis decido.

An quinque immateriales Mundos in uno Divini Solis radio S. Benedict. perspexerit? a] Vide n. 23. — *Quàm gravium quæstionum Resolutiones in S. Benedicti Regula inveniantur?*

Sed, quia accidere potest, ut prejudicio aliquo præoccupatus, in alicuius Testimonij intelligentia adluciner, sub tuo præsidio volui de re tam subtili discurrere, vt si cespitem, habeam cuius Doctrina sit Ariadna, quæ ex cæco hoc Labyrintho me ad splendorem Veritatis conducat. Me ergo audire digneris; nam tua fretus dignatione, sic inquam.

Cur velit Author coram R. D. de gravi hac Controversiâ disserere?

Nova est, & à paucis admissa tota doctrina de Probabilioritate. Habemus ex Authoribus, qualis ante annos centum fuerit 881

An nova sit Opinio de probabiliori Opinione eligendâ?

fuerit Opinionum Probabilium electio: nova enim omnia sunt, quæ hodie à paucis de Probabiliori Opinione dicuntur. Proderit audire Angelum de Clavasio, suo ævo Doctorem celeberrimum; qui *in Summ. verb. Opinio.* Sic inquit. [*Aut, una Opinio nititur rigori scripto, & alia æquitati scriptæ: & sic ista præponitur.* cap. unic. de re permu. lib.6. & leg. placuit, C.de iudic. *& per Cyn.* in leg. 1. Cod. de legib. *& ibi plenè Bartolus. Fallit in odium Iudæorum, contra quos rigor præfertur æquitati.* cap. 2. de Iudæis. *Et ibi Glossa* in verb. severitas *In aliis autem Opinio benignior debet observari*, leg. benignus, ff. de legib. *Facit* cap. fin. de transact. cap. *Tenet hoc Panormitanus* in d. Clem. ne Romani. in princ. *Et benignior dicitur illa, quæ favet Iuramento, Testamento, Libertati, Matrimonio, Religioni, & Sacramento. Facit* cap. 2. de cogn. spir. leg. sunt personæ, in fin. ff.de relig. & sumpt. funer. *Similiter illa, quæ solvit, quàm quæ ligat.* reg. Odia. lib.6. leg. Arrianus, ff. de action. & oblig. *&c.*] Ecce nihil de Probabiliori cogitat, Ecce de Tutiori nil dicit. Consulentium solamini & utilitati prospicit; & uno se potuisset verbulo expedire dicendo, *In Probabilium Opinionum concursu, favorabilior & utilior semper est eligenda:* nec obest, quod de Iudæis dicebatur; quoniam, quæ Iudæis minùs favet, regulariter est Christianis utilior. Canit enim Hispanus, *Que no hay mal sin bien ageno; ni bien sin ageno daño.*

An, ubi de Iudæis agitur, severior opinio sit tenenda?

An universim loquendo semper Prudentia dictet, ut nobis favorabiliorem, & utiliorem eligamus?

882 Et hæc est illa doctrina, quam ut Regulam morum suis Monachis S. Benedictus præscribit: quoniam *cap. 3.* ut Prælatus sententiam semper utiliorem & salubriorem eligat, & ut Monachi sui Superioris etiam minùs probabili opinioni subscribant. Capiti præfigitur titulus, *De adhibendis ad consilium Fratribus.* Agit de Monasterij utilitatibus: hoc est, de œconomiâ & extrinsecâ bonorum administratione, &c. & sic inquit. *Audiens consilium Fratrum, tractet apud se, & quod utilius iudicaverit, faciat.* Attende: nam *utilius* ait, non *probabilius.* Et mox. *Sic autem dent Fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, & non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit: sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius iudicaverit esse, ei cuncti obediant.* Ecce iterum, *salubrius* ait, non *probabilius:* & quis nesciat, interdum esse utiliora & salubriora, quæ minùs probabilia sunt. Et quid, si fortè Abbas minùs probabilem amplectatur sententiam? anne poterit subditus obloqui, & non obedire præcepto? Respondet S. Pater. *Nullus in Monasterio proprij sequatur cordis voluntatem: neque præsumat quisquam cum Abbate suo protervè intùs vel foris Monasterium contendere. Quod si præsumpserit, Regulari disciplinæ subiaceat.* Ergo, siquis existimet Abbatem minùs probabilem elegisse sententiam, debebit ipse nihilominùs, minùs probabilem, ne ab illo dissentiat, amplecti. Sed cur? Quia suam Abbas sententiam fortibus ratiociniis probavit? minimè: Sed cur? quia, ut ait S. Pater, *Sicut Discipulis convenit obedire Magistro, ita & ipsum providè & iustè condecet cuncta disponere:* Abbatis enim munus est, non argumentari, disputare, aut rixari, sed iubere, & ut sua mandata exactè observentur, curare. Seneca in Epist. 91. *Legem enim brevem esse oportet, quo faciliùs ab imperitis teneatur. Velut missa divinitùs vox sit. Iubeat, non disputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prolegomeno. Dic quid me velis fecisse; non disco, sed pareo.*

Quid senserit S. Benedictus?

Eligi utiliora & salubriora præcipit, non verò probabiliora.

An, si Prælatus minùs probabilem opinionem elegerit, eidem debeant Religiosi adhærere?

Cur debeant, saltem practicè subditi probabili superiorum opinioni assentiri?

883 Firmat doctrinam hanc Cap. LXV. ubi de Monasterij Præposito (hodie *Priorem* vocamus) disserit Sanctus Pater. Experientiâ didicerat, dissensiones, quæ inter Abbatem & Præpositum oriebantur, perturbare sanctissimas Communitates: & hoc malum desiderans fundiùs eradicare, præcipit, ut ab Abbate, illic, & non à Religiosis eligatur. Quid in aliis Monasteriis minùs providè fieret narrat, urget, & exponit his verbis. *Sæpius quidem contingit, ut per ordinationem Præpositi scandala gravia in Monasterio oriantur; dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui se existimantes secundos Abbates esse, adsumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in Congregatione faciunt: & maximè in illis locis ubi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod quàm sit absurdum, facilè advertitur: quia ab ipso initio Ordinationis materia ei datur superbiendi: dum ei suggeritur à cogitationibus suis, exsutum eum esse à potestate Abbatis sui; quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes* (Hisp. *porque de aqui nacen grandes desordenes en la Communidad.* & quæ sunt quæso istæ exsecrabiles exordinationes, quæ ita omnia perturbant? Exponit, *Dum contraria sibi invicem Abbas Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari. Et hi, qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem.* Præclusisti Sancte Pater aditum dissensionibus Præpositum Abbati sicut Religiosos cæteros subiiciendo. Sed quid, si hac ipsâ subiectione & subordinatione non obstante, dicat Præpositus, Abbatem minùs probabilem elegisse sententiam, & se Monachis proponere probabiliorem? Maiori scandalo Communitatem perturbabit: quod, ne possit tentare, ait sub capitis finem. *Si & posteà* (Præpositus) *in Congregatione quietus & obediens non fuerit* (essetque inquietus, & inobediens, & magno universis scandalo, si contra Abbatis sui præcepta opiniones indiceret probabiliores) *etiam de Monasterio expellatur.*

An Prior possit à suo Prælato dissentire?

A quibus Prior (qui Abbatis vices gerit) est eligendus?

N. B. Hæc doctrina de Vicarij electione bona est, at non ubique potest reduci ad praxim: quoniam in Aquicinctino Monasterio apud Belgas Magnus Prior, quem vocant, à Religiosis eligitur, & Prior, quẽ Palatinum nominant in Hungariâ, ab eisdem eligitur, à quibus Rex.

Ostendo, non fuisse consequentum suũ intentum S. Benedictũ, si liceat Priori discedere à suo Abbate probabiliorem Opinionis prætextu.

Debet Monachus in Obedientiæ obsequium captivare intellectum, implere, quæ à Prælato indicuntur, & ubi quid faciendum aut omittendum sit, de Probabilioritate

An Religiosus obedire debeant superiori minùs probabilem opinionem sectanti?

bilioritate

bilioritate non agere, nec disputare, An-
884 ne contra propriam sententiam obedire debebit? Capite LXXI. responsionem invenio. Quæritur ibi, Quid facturus Monachus sit, cui fortè iniunguntur, quæ iudicat impossibilia? Ei Legislator, cum modestiâ & resignatione se semel excusare permittit: additque, *Quod si post suggestionem suam in suâ sententiâ Prioris* (Superioris) *imperium perduraverit, sciat Ita sibi expedire, & ex Charitate, confidens de adiutorio Dei, obediat.* Consonat equitum S. Iacobi Regula, quæ *cap.63.* præcipit, *Que los Freyles cumplan todo lo que su Prelado les mandarè, aunque les mande cosa iniusta, agraviada.* Agit de re disputabili: nam quæ sunt certò iniusta, nec potest iubere Superior: nec in iis subditus potest obedire. Et, ut rem bene intelligas, Casum istum propono. Salmanticæ ex.gr. aliqui advenæ & peregrini die Paschatis venerunt ad Cisterciensium Monasterium, ut annuæ communionis obligationi satisfacerent. Iubet Abbas Præposito ut Eucharistiam illis ministret. Reponit iste, rem sibi impossibilem præcipi: nam à Viris probis meritò impossibilia iudicantur, quæ illæsâ conscientiâ nequeunt fieri. Ergo, quia probabilius est vagos & peregrinos in hospitij parochiâ debere communicare, sic enim Eugenius IV. decrevit: & quia probabilius ipsi ad Cathedralem & Matricem pertinere dicuntur, nam hæc est parochia totius diœcesis. Et Præpositus vult adhærere Peregrino *in priv.theat. part.2.tit.communicare.§.2.* dicit se non posse obedire, quia aliàs contra dictamen operaretur, & peccaret. At Abbas in priori voluntate persistit, aitque Eugenium in illo suo decreto permittere, sed nihil præcipere: & Cathedralem non esse parochiam totius diœcesis; & iubet legi Caramuelem, qui *in Theolog. Fundam.pag. 325. b. num.701. iuxta Francofurtensem editionem*, interrogat, *An Patres Benedictini obedire Prelato debeant quando præcipiuntur impossibilia?* Et postquam de variis generibus impossibilium disputaverat, *Art. 7. pag.342.b.num.735.* agit de his in quibus iniunguntur probabiliter mala, hoc est, impossibilia, quæ sine probabili peccato fieri non possunt. Et in illo Conclusio IV. his verbis expresse concipitur. *Abbati præcipienti probabiliter mala* (hoc est, probabiliter interdicta) *Prior, Superior, & Ministri alij debent obtemperare. Vide Theologiam Regul. num.1582.* Et his præmissis S. Benedictus censendus est omni subdito dicere. *Siquidem post suggestionem tuam in suâ sententiâ imperium Superioris perdurat, sciat tibi hoc expedire, & ex Charitate confide in adiutorio Dei, & obedi.*

An obedire debeat contra propriũ dictamen?

An obedire debeat præcipienti illa, quæ sunt probabiliter mala?

An advenæ & peregrini in quacumque Ecclesiâ possint recipere communionem paschalem?

Quæ contra bonos mores apud viros probos impossibilia dicantur.

Dixi in Theologiâ Fundament. num.1128. ad art.5. & in Theol. Regul. disp. 6.ar.5.n.66. *Superiorem stando nudo Iuri naturæ non posse obligare subditum in materiâ probabili: at stando præscripta consuetudini & Iuri Canonico & Politico posse. Addidi, naturam esse ubique & omni tempore unam, consuetudines & leges pro temporũ & locorum varietate diversas.*

Sic debere intelligi Obedientiæ Votum, ut & minùs probabilem sententiam iubente Superiore subditus teneatur amplecti, fuit & est in Ecclesiâ & scholâ communis, & ut illam confirmem unum aut alteram periodum exscribam ex aureâ S. Ignatij Epistolâ de Obedientiâ, in quâ loquitur sanctissimè & eruditissimè. Attende.

Superiori præcipienti, quod minus probabile est, tenetur obedire subditus.

Qui se totum penitus immolare vult Deo, præter Voluntatem, Intelligentiam quoque, (qui tertius & summus est gradus Obedientiæ) offerre necesse est. Considera illas voces *totum & penitus*, pro quibus Scholasticus poneret *totum totaliter*. Ergo Religiosus, ut perfectus sit, non solùm totam Voluntatem totaliter debet imperio Superioris subiicere, sed & Intellectum totum & totaliter in Obedientiæ obsequium captivare. At hoc, reponet Adversarius, impossibile est Animæ, Intellectus est oculus; &, si Petrus murum esse album videt, etsi Prælatus iubeat, non poterit videre esse nigrum. Ergo, si Petrus rem esse malam sentit, etsi Prælatus iubeat, non poterit esse bonam sentire. Videamus, An, & quid S. Ignatius Obiectioni respondeat. *Quæ vis Animi* (Intellectus) *non est eâ, quâ Voluntas pollet, libertate prædita est; atque ipsâ natura fertur in id, quod sibi veri speciem præbet.* [Ergo in Probabilibus, siquidem utraque contradictionis pars veri speciem præbet, Intellectus, antequam à Voluntate prædeterminetur ipsa natura sua in utramque, non ut certam & veram sed ut verisimilem trahitur. Unde subiungit:] *tamen multis in rebus* (probabilibus, ut dicebamus) *in quibus videlicet cognitæ Veritatis* [a] *evidentia vim illi non infert*, (hoc est, ad alteram partem non determinat) *poterit Voluntatis pondere* (electione) *in hanc potius, quam illam partem inclinare*, non quidem speculativè, ita ut illam esse veram & certam asserat, hoc enim impossibile est: sed practicè, ita videlicet eam (non quia probabilior est, & fortioribus ratiociniis munita, sed quia vel præcepta est, vel utilior aut salubrior videtur) esse veram et certam supponit subditus; ut ex hac hypothesi discurrens, & suo Prælato obediens, ratiocinetur, loquatur, operetur, &c.

Quid Religiosus perfectus debeat facere.

a] Ex illo verbo *evidentia* duo infert: alterum, evidentiam & non probabilioritatem in obiecto tepertam Intellectum rapere & necessitare: alterum, ubi non datur evidentia, adeoque in omnibus opinionibus probabilibus (sint magis, aut minùs probabiles) ex Sancti Ignatij resolutione Superiori subditum obedire debere.

885 Hinc patet Quid sit? &, *an liceat operari iuxta probabilem alterius voluntatem contra propriam sententiam? & Utrum, quando quis taliter operatur, adhæreat probabili dictamini alterius contra proprium dictamen?* Aperi quæso mentis oculos, & hæc lege attentè; quia in hac Quæstione plerique omnes allucinantur. Et, ut solutionem ponendam adsequaris medullitus, Casum hunc proponamus.

De eo, qui contra propriam sententiâ iuxta alterius probabile placitum dicitur operari.

Heri erat dies ieiunij Neapoli, non Salerni. An-ne Neapolitanus civis casu Salerni existens, debuit heri ieiunare? Asserit Sylvester *verb. Ieiunium, quæst.2. dist.12.* negat Sanchez *in Summ. tract.1. lib.1. cap.12. n.35.* Cotonius ex Dianâ *in Sum.verb.Ieiunium, n.35.* & *verb. Lex. n.10.*

An peregrinus loci, in quo est, debeat ieiunia observare?

Hanc doctrinam sciebat Ioannes, Neapolitanus Civis, Salerni existens, & speculativè ex vi veritatis, quæ in obiecto hinc inde sublucet, sic inquit. *Duæ sunt sententiæ: altera asserit, & altera negat. Neutra est certa: utraque est verisimilis, utraque vera apparet: & in praxi alterutra prudenter potest tanquam vera supponi.* Hi actus, & non alij, possunt ab intellectu, antequam à voluntate gubernetur, elici: sunt necessarij quoad speciem, non quoad

Exponitur Ioannis dictamen.

Quid sit eligere alterã partem?

exercitium; nam Intellectus potest alia cogitando ab eis cessare. Modò Ioannes sua voluntate & libertate vsus dicit, *Eligo severiorem sententiam.* Et quid important ista verba? *Assero sententiam severiorem esse veram, esse certam?* minimè: quia Ioannes illam esse veram non scit, & eamdem non esse certam scit, & est temerarius, qui rem esse asserit, quam nescit esse, aut scit non esse. Quid ergo? *Siquidem latet veritas, & vtrumque est tam simile vero, ut possit pro vero supponi, in praxi veram esse sententiam severam supponamus: Ergo iuxta illam discurremus, loquemur, operabimur.* In hoc Ioannis discursu totum illud, quod voluntati præivit, ad solum intellectum pertinet, & dicitur *Dictamen*, aut *Iudicium*, & meliùs *su parecer* Hispanicè: cætera, quæ post concursum Voluntatis sequuntur, à Latinis *Placitum* nominantur. Et *placitum* dicitur à verbo *placeo*, nam dicuntur *Philosophorum Placita*, non æternæ Veritatis Principia, sed Positiones,, quæ illis sunt placitæ. *Lib. 29. cap. 1.* Plinius. *Eadem ætas Neronis principatu ad Thessalum transilivit delentem cunctorum Majorum Placita, & rabie quadam in omnes eius avi Medicos perorantem.* Et iterum *lib. 14. cap. 42.* idem Author. *Medicorum Placitis novitate aliqua se commendantium.* Vide *leg. antiq histor. & iur. feud. script.* Et vox Hisp. *plazo*, quidquid in Passeratij Calepino legatur, non est idem ac *placitum*, nam est placitum ad tempus designandum & determinandum restrictum.]

Cur Philosophorũ sententiæ vocẽtur Placita?

Quãta fuerit Thessali rabies contra Medicos?

An vox Hispan. plazo sit placitum.

886 Sed peto à Ioanne cur severam sententiam elegerit, cùm benignam potuerit? Respondet, se non habuisse ab objecto, cur potiùs eligeret istam, quàm alteram; adeoque oculos ad probabilioritatem non convertisse, sed habuisse à voluntate, ut utiliorem & sibi commodiorem eligeret: nam, ut paulò antè dicebat S. Thomas, *Determinatur per Voluntatem, quæ eligit assentiri uni parti determinatè* (videlicet, severæ, & non alteri) *hoc præcisè propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam Voluntatem, non autem ad movendum intellectum* (non ergo, propter probabilioritatem: quia hæc, si haberet movendi virtutem, intellectum potiùs, quàm voluntatem moveret.) Cur ergo partem severiorem elegit? Quia videbatur bonum vel conveniens huic parti assentiri; &c. Integrum testimonium *in 6. Libera* invenies.

Eligit Ioannes alteram opinionem. Sed cur?

Non quia est probabilior. Cur ergo?

Quia est sibi utilior & accommodatior.

887 His præmissis in historiâ pergamus. Ioannem Fridericus, qui etiam erat Neapolitanus civis, & Salerni forte aderat, & habebat opinionem contrariam, invitavit ad cœnam. Assentitur Ioannes, & in cœnâ apud Fridericum convixit, jeiuniumque non observavit. Et quid dicemus de illo? Anne fuisse operatum secundum dictamen probabile alterius contra proprium dictamen? minimè. Quid ergo nullum Intellectus actum mutavisse, aut alterasse Ioannem sed tantùm mutavisse Placitum, quod quia habuit, quia voluit; poterit non habere, cum velit.

Ioannes non obstante suâ sententiâ operatur secundum alteram. Quid de illo accẽdum sit?

Ergo (1) falsum est, quod Ioannes adhæreat Friderici sententiæ contra proprium dictamen: quia Ioannis dictamen erat, *Vtrumque est probabile, alterum eligi potest.* & non aliud. Et sicut contra hoc dictamen non fuit eligere priùs severiorem sententiam, sic nec posteà erit benigniorem amplecti.

Cur Ioan. nõ operetur cõtra propriũ dictamen?

888 Ergo (2) falsum est, quòd Ioannes adhæreat Friderici sententiæ contra propriam sententiam; & falsum etiam est, quòd Ioannes adhæreat Friderici placito contra proprium placitum. Demonstratur: quia sententia Ioannis prout à sententia Friderici distinguitur, est Ioannis Placitum. Ergo Ioannes operatur contra id, quod priùs placuerat sibi; non contra id, quod nunc placet. Ergo, si nunc non placet ipsi severa Opinio, nunc severam Opinionem non habet, ergo adhærendo benignæ non operatur contra propriam sententiam, quoniam illam mutavit. Hæc est vera, & quoad substantiam Illustrium Theologorum doctrina, qui tametsi alio modo loquantur, rem ipsam tenent. Inter celeberrimos iure optimo recensetur Vasquezius, qui *in 1. 2. disput. 62. cap. 9. pag 300.* sic inquit. *Constat non esse contradictionem in mente illius, qui utitur Opinione alterius contra suam propriam, ut operetur: constat etiam non operari contra conscientiæ propriæ iudicium singulare, sed eum habere expressum iudicium, quo credit illud sibi esse licitum.* Et quidem scitè Vir Eximius loquitur: nam Ioannes cùm elegit Friderici Opinionem (Placitum) nec in Intellectu suo aliquod dictamen aut actum speculativum mutavit, nec aliquem retinet, qui huic electioni opponatur: & in voluntate [ad hanc enim pertinet probabilium opinionum (Placitorum) electio] nulla est contrarietas, quoniam hi actus, *Heri, quia erat mihi utilior, hanc sententiam supponebam esse veram pro praxi,* & *Hodie, quia mutantur utilitatis circumstantiæ, oppositam suppono esse veram pro praxi, nullam habent oppositionem inter se.* Et hic iterum nota motivum eligendi sententiam ab objecto non sumi, sed à fine operantis; & hoc ita est verum, vt etiam, quando aliquis probabiliorem eligit, non ideò illam eligit, quia est probabilior, sed quia magis conducit ad finem, quem sibi præscripserat.

Sed cur non operetur cõtra propriã sententiam, vel placitũ?

Vide quæ in nostro Telarchi Atticul. 6 d. cum... enim hæc quæstio fusius & uberius tractatur.

An sint cõtradictoria in mente illius, qui cõtra sententiam propriam probabilẽ operatur secundũ probabilem cõtrariã sententiam?

Qui probabiliorem eligit non eligit eã, quia est probabilior, sed propter aliam causam.

Dices. *Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest*, iubente Bonif. VIII. Regul. XXI. in sext. quam legem Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 8. num. 11 fol. 647. & lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 7. num. 7.* Emanuel Rodriguez *quest. Regul. quest. 55. artic. 7.* & alij obligatoriam esse existimant: cur enim à Summo Pontifice ferretur, si mutare Placitum vnicuique liceret.

An & quãdo liceat, aut non liceat, dictamen mutare?

889 Respondeo Placitum distinguens à Placito: nam, vel per meum placitum fuit adquisitum jus tertio, vel non: si primum, quod semel placuit ampliùs displicere non potest; si secundum, quod nuper placuit, nunc displicere potest, & cras iterum placere poterit. Pono exemplum, vota emisi,

Multa, quæ liberè fuerant admissa, debent necessariò observari?

emiſi, quia placuit: at ſolvere debeo, quæ diſtinxerunt labia mea; & ſolennis profeſſio, quæ ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt. At mihi manè placuit ad hortum ire. Supervenit pluuia, hortus diſplicuit. Redditur auræ ſerenitas, iterum hortus placet: quoniam illum adire aut non adire poſſum ſine alterius iniuriâ.

Vbi non agitur de iniuria tertij, dictamen liberè poteſt mutari.

890 De Placito in Obligationem verſo *in libello de precept. & diſpen.* præclarum teſtimonium occurrit, ait enim *cap.2.* Melleus Doctor. *Itaque, ut ſentio ego, Regula S. Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodeſt, ſi devotè ſuſcipitur & tenetur; non tamen, ſi non ſuſcipitur, obeſt. Quod autem in voluntate eſt ſuſcipientis, non in poteſtate proponentis,* VOLVNTARIVM *meritò dixerim, non neceſſarium. Attamen hoc ipſum, quod dico* VOLVNTARIVM, *ſi quis ex propriâ voluntate ſemel admiſerit, & promiſerit deinceps tenendum, profectò in neceſſarium ſibi ipſe convertit, nec iam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum habuit. Ideoque, quod ex voluntate ſuſcepit, ex neceſſitate iam tenebit; quia omnino neceſſe eſt eum reddere vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua, & ex ore ſuo aut condemnari iam, aut iuſtificari. Cæterùm felix neceſſitas, ut quidam Sanctorum [nimirùm Auguſtinus Tomo I I. epiſtol.45. ad Armentarium] ait, quæ in meliùs cogit.*

De Profeſſio ſoleam.

Vota emiſit Religioſus, quia voluit: at illa debet neceſſariò obſervare.

Hinc patet Placita poſſe in obligationes tranſire: nam Dominicanus, ſi ſe defenſurum eſſe Placita S. Thomæ juravit, rem honeſtam promiſit, & jure-jurando tenetur, & non poteſt tueri contraria, etſi judicet eſſe probabiliora: non enim eſt impoſſibile, ut quis opinionem minus piam probabiliorem iudicet. Vide Antonium Marinarium de Opinione Probabili, *cap.4.pag.251.num.7.* At quia illam Apoſtolicum præceptum ineffabilem reddidit: ſi dicat *Virgo eſt in peccato concepta* violabit Pontificium decretum, peccabit morraliter, & excommunicationem incurret, nec eum Probabilioritas apud Deum aut homines poterit excuſare. Interim potero dicere, *Itaque, vt ſentio ego, D. Thomæ doctrina omni viro ingenioſo proponitur, imponitur nulli. Prodeſt, ſi ſtudioſè ſuſcipitur & defenditur, non tamen, ſi non ſuſcipitur, obeſt. Iuramentum autem, quod eſt in voluntate eamdem doctrinam ſuſcipientis, non in poteſtate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non Neceſſarium. Attamen hoc ipſum Iuramentum, quod dico Voluntarium, ſiquis ex propriâ Voluntate ſemel emiſerit, & deinceps obſervandum promiſerit, in neceſſarium ſibi ipſi convertit, nec iam liberum habet dimittere, quod anteà tamen non emittere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate iuravit, ex neceſſitate obſervabit: quia omninò neceſſe eſt eum reddere vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua, & ex ore ſuo, aut condemnari, aut iuſtificari,* &c.

Accommodatur præcedes doctrina illi, qui iuraverit ſe defenſurum eſſe Angelici Doctoris ſententias.

Occaſione Iuramenti, quod aliqui ex devotione alij ex obligatione emittunt, & Opinionis de Conceptione, quam habuiſſe dicitur Sanctus Thomas, examinabo breviter Concluſionem, quæ fuit Pragæ anno 1658. publicæ diſputationi expoſita in Theſibus Excellentiſſ. D. Comiti de Peñaranda dicatis. Erat illa.

An ideò debeat dicere, Deiparam contraxiſſe labem originalem?

891 *Iuriſiurandi erit reus Thomiſta, qui defendat Deiparam conceptam fuiſſe ſine peccato.* &c.

Eſt falſa primò, quia plerique omnes Thomiſtæ, aut propter eximiam Angelici Doctoris ſanctitatem, aut præclaram Reſolutionum eminentiam liberè, & ſine juramento eius ſunt doctrinam amplexi.

Multi ſine iuramento doctrinam Angelici Doctoris tuentur.

Eſt falſa ſecundò, quia doctiſſimi & nobiliſſimi Scriptores Sanctum Thomam ſententiæ piæ ſubſcripſiſſe teſtantur. Et, ſi diverſis in locis & temporibus de eadem re adverſas ſententias ille habuit, illæſo juramento Thomiſta poterit illam tueri, quam noſtro ævo receptiorem & celebriorem judicaverit.

An S. Thom. piam fuerit opinionē ſectatus?

Eſt falſa tertiò, quia ex ſuppoſitione, quòd piam ſententiam nunquam tenuerit Divus Thomas, & ſolam contrariam docuerit, licitè poterit indefinite iurare ſtudioſus ſe amplexurum & defenſurum D. Thomæ ſententias; & hoc probo ex Regulâ LXXXI. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* ex qua deduco hanc, *In generali promiſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie promiſſurus.* At nemo eſſet in ſpecie promiſſurus ſe defenſurum opinionem, quam defendi Apoſtolica interdicit authoritas. Ergo in generali promiſſione non venit ſententia, quam defendi Apoſtolica interdicit authoritas. [Ex eadem ſimiliter Regulâ deduc etiam iſtas Propoſitiones, quæ ſolent in praxi ſervire. *In generali præcepto non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie præcepturus. In generali diſpenſatione non veniunt ea, in quibus, quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie diſpenſationem conceſſurus. In generali affirmatione non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter affirmaturus,* &c.]

Quomodo intelligendæ ſint propoſitiones univerſales?

Quomodo conceſſiones?

Quomodo promiſſiones?

Quomodo precepta, & diſpenſationes?

Quomodo aſſertiones?

Et tandem ita ipſi Mecœnati (Comiti de Peñaranda) diſplicuit, ut Præſidem gravi eloquentiâ (eſt enim eruditus) confuderit, & illam juſſerit obliterari.

An nimius aliquando fervor neceſſitet in materia probabili?

892 Dices ſecundò non eſſe ſemper homini liberum huic vel illi probabili adhærere ſententiæ, & probas teſtimonio P. Corneij Carmelitæ, quoniam *tom.1. in 1.2. S.Thom. tract. circa quæſt.19. diſp.3. dub.2.* concedit interdum ex nimio affectu, etiam in materiâ probabili, poſſe & ſolere hominem neceſſitari. vnde ait *Fieri poteſt, vt vel maximo affectu voluntatis ad eam partem, de qua habetur opinio; vel quia res eſt communiſſima, vel alia ex cauſa, detur aſſenſus opinativus cum maxima certitudine morali reſpectu ipſius Opinantis: qua ratione dixit Ariſtoteles 7. Ethic. c.3. Sæpe evenire, vt homines tenaciùs & firmiùs adhæreant falſis rumoribus, quàm Viri ſapientes Scientiis, & certiſſimis veritatibus.*

An aliqui tenaciùs ſuis Opinionibus adhæreant, quàm alij ſcientiis demonſtratis?

An multæ probabiles rationes simul sumptæ possint certum admittere ratiocinium, & in intellectum ad assentiendum necessitare?

Confirmas, quia ex multis probabilibus argumentis, si simul concurrant, potest Conclusio moraliter certa deduci, & probas ex Antonio Marinario *de Opinione Probabili cap.* 3. *pag.* 32. *num.* 2. ubi producit verba, quæ ex sui Authoris *pag.* 53. *num.* 108. desumpsit. Sunt autem. *In Moralibus plures conjectura & argumenta probabilia, quamvis per se singula non generent in nobis assensum omninò certum, sed cum formidine contrarij: tamen omnibus simul iunctis consurgit Certitudo Moralis, quæ licèt non sit demonstrativa, excedit tamen limites Probabilitatis, & est extra formidinem. Et in hoc sensu verissima est Propositio, quod in Moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus.*

893 *Quid sit Iudicium Temerarium?*

Et ego ad Cornejum respondeo, repugnare profectò, *ut assensus opinativus, sit cum maximâ certitudine morali respectu Opinantis:* tunc enim, si rem velis considerare, non Opinionem probabilem, sed Iudicium temerarium reperies. Sed quid est, inquis, Temerarium iudicium? Anne assensus certus ex præmissis incertis: aut contra? minimè nam homo quoad speciem actûs necessitatur, nec potest, etsi velit, ex per se notis dubiam, aut ex probabilibus scientificam consequentiam inferre. Quid ergo est illud? Assensus legitimus illatus ex præmissis positis incompletè, v gr. *Petrus occidit Clericum. Ergo est excommunicatus.* Ex hypothesi enim, quòd in antecedenti nihil desideretur, benè consequentia deducitur: at in antecedenti debuit examinari, an cum moderamine inculpatæ tutelæ fuerit homicidium admissum: & hoc examen liberè omissum est. In antecedente ergo aliquid desiderabatur. Et huc respiciens Aristoteles dixit, *respicientem ad pauca* (præmissas considerantem incompletè) *facilè in errorem deduci* (consequentiam temerariam & erroneam deducere.) Differt à Mendacio Temerarium Iudicium; quia mentitur, qui aliter loquitur, quàm sentit: temerè autem iudicat, qui sentit aliter, quàm debet. Et sentit aliter, quàm debet; qui ex præmissis incompletè positis consequentiam deducit. Et peccat, quia tametsi positis illis præmissis non possit aliam consequentiam inferre, nam est necessitatus quoad speciem, debuit tamen suspendere discursum, quousque complerentur præmissæ, hoc est, donec examinaret, an aliquid in illis deficeret, quod esset necessariò exprimendum.

Opinari & scire sunt actus necessarij quoad speciem.

Non cōsistit temeritas in eo, quod ex antecedenti illegitimam consequentiam deducam, sed quod ex antecedente non plenè explorato & examinato legitimam consequentiam deducam.

Aliud est mentiri, & aliud temerè iudicare.

Intellectus necessitatur quoad speciē actûs, & est liber quoad exercitium.

Hinc oritur Hæreticos formales interdum mentiri, & interdum temerè iudicare. Vt hoc persuadeam, unum proponam notissimum universis exemplum. Hæc Propositio, *Vnum corpus non potest esse simul in duobus locis*, si cum debitâ limitatione ponatur, est probabilis: defenditur enim à S.Thomâ *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 1. S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 44. *de dote subtilit. quæst.* 1. & à multis Iunioribus contra Scotum *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. & 2. [Vide Philosophos *in* 4. *Physic.* Theologos *in* 4. *sent.* & *in tract. de Euch.* Durandum *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 6. *num.* 10. Aureolum *dist.* 48. *art.* 2. Albertinum *tom.* 2. *coroll.* 2. *Theol. ex Prædicam. Quantitat. dub.* 2. Lalemanderum *in Metaph. disp.* 14. *part.* 3. *col.* 474. *num.* 10.] Hæc inquam Propositio, quæ cum applausu à Thomistis defenditur, est approbabilis in labio & mente Catholicorum. At illam sine formidine Calvinistæ asseverant. Et qualis est in eorum intellectu? An-ne sine formidine Opinio? An-ne Scientifica cognitio? An potiùs temerarium iudicium? Hoc ultimum tantùm. Attende.

An unum & idem corpus possit esse simul in duobus locis?

An, & cur Calvinistæ sine formidine asserāt negativam?

Dari Opinionem sine formidine, aut cognitionem Scientificam sine præmissis manifestis & indubitatis impossibile est. Ergo in Calvinistarum intellectu illa D. Thomæ sententia non est probabilis Opinio; nam dicitur carere formidine; nec est cognitio Scientifica, nam præmissas certas & indubitatas non habet: Ergo superest, ut sit Iudicium temerarium, quod passim *Opinationem*, aut *improbabilem Opinionem* vocamus. Calvinistarum argumentum est hoc. [Illa est propositio vera, quâ stante corruunt, impossibilia; & quâ collapsâ illa persistunt Sed stante hac, *Nullum corpus potest esse simul in duobus locis,* quæ est D. Thomæ, impossibilia corruunt, & collapsâ persistunt. Ergo hæc propositio, *Nullum corpus*, &c. vera est. Probatur minor. Stante hac eâdem propositione non est possibile Eucharistiæ Sacramentum, quale esse Ecclesia Romana definit. At hoc Sacramentum, quale Ecclesia Romana definit, impossibile est. Ergo stante hac propositione corruunt impossibilia.] Et, ut hoc argumentum bene intelligas, oportet, ut iterum memineris nos didicisse à D. Thomâ Intellectum humanum positis præmissis necessitari quoad speciem & non quoad exercitium, ad inferendum videlicet ex manifestis consequentiam scientificam, & probabilem ex probabilibus. Et oportet, ut scias Calvinistam temerario laborare præiudicio, & asserere Eucharistiæ mysterium, quale Orthodoxi credimus, esse impossibile. His præmissis adsistamus Calvinistæ, & videamus, quale iudicium formet. Primò non cogitat, nec scire vult, quid importet illud adverbium *circumscriptivè*, & quomodo esse circumscriptivum à definitivo distinguatur: & hoc liberè. Secundò, quia sublatâ hac terminorum distinctione, manet universalis illa assertio, illam sumit universaliter: & hoc consequenter omninò. Tertiò D. Thomæ unum falsum testimonium imponit, non enim S. Doctor dixit, *Nullum corpus esse potest in duobus locis simul*, sed, *Nullum corpus potest esse in duobus locis simul circumscriptivè:* nam bene esse poterit in duobus definitivè, aut in altero definitivè, & in altero circumscriptivè. Ergo ex non cogitatione liberâ nascitur, ut sine formidine S. Thomæ unum falsum testimonium adfingat. Et veniendo ad eius argumentum, dico maiorem esse indubitatam. Addo ex minori illâ sine limitatione adverbij

Iudicium temerariū, Opinatio, & improbabilis Opinio, idem sunt.

894 *Ratiocinium, quod contra Eucharistiæ Sacramentū Calvinistæ concinnant.*

In quo Intellectus liberè, & in quo necessariò operetur?

An ex S. Thoma sententiā incompletè & diminutè positā Calvinista temerarium consequentiam deducant?

895 *An S. Thomæ falsum testimonium imponant?*

circum

S. Thomas loquitur de loco circumscriptivo, non de definitivo.

circumscriptivè positâ sequi Eucharistiam, qualem nos credimus, impossibilem esse. Et quia hoc Calvinistæ temere & sine formidine asseverant : quia ubi rationes in contrarium cogitare non volunt, rationes in contrarium non habent, *lib.9. epist.13.* dicebat Cassiodorus, *Ad examen veniunt, quæ putantur incerta : nam quis de illâ re æstimet deliberandum, ubi nihil reputatur ambiguum.* Stat igitur carere formidine Temeritatem, non, quia circa probabilia & incerta, aut etiam circa falsa assensum certum eliciat, sed quia in obiecto illa liberè non cogitat, quæ positionem incertam aut falsam reddebant.

Cur Temeritas careat formidine?

Ad Marinarij argumentum iam ante multa sæcula Socratem respondisse respondeo : nam ex Laërtio *lib.2. cap.5.* hæc Erasmus scribit. [Socrates eos, qui multitudini imperitæ fidem habent, aiebat, perinde facere, ac si quis tetradrachum unum (nempe, adulterinum) contemnens reiiceret : & acervum è similibus congestum probaret, reciperetque. Cui non fideres soli, ei nihilo magis fidendum est in turbâ similium. Nec enim refert, quàm multi sint, sed quàm graves. Nummus adulterinus etiam in quamvis magno acervo adulterinus est. Hoc adversus turbam testium, & indocti vulgi iudicia.] Ergo rationi inefficaci, cui non fiderem soli, ei nihilo magis confidam in turbâ similium. Nec enim refert, quàm multæ sint, sed quàm graves: quoniam ratio merè probabilis, etiam in quamvis magno probabilium acervo nonnisi probabilis est.

Multi indigni fide testes, non plus valent in iudicio, quàm unicus.

Plures merè probabiles rationes non plus valent, quàm unica.

896 Et ad illud etiam ante paucos annos respondit Ioannes Huartius, qui in libro, *Examen de los Ingenios* inscripto, cap. XI. Agens de Probabilitate Conclusionum, quæ à numero Scriptorum desumitur, sic inquit. *Bien mirado, tabien es prueba engañosa, porque en las fuerzas de Entendimiento mas vale la intension, que el numero: que no es, como en las fuerzas corporales, que iuntandose muchos para levantar un pese, pueden mucho, y siendo pocos pueden poco. Pero para alcanzar una verdad muy escondida, mas vale un delicado entendimiento, que cien mill no tales. Y es la causa, que los Entendimientos no se ayudan, ni de muchos se haze uno, como en la virtud corporal.* Vide, quæ inferiùs *num.206. §.Tabien dize Aristoteles*, & posteà *num. 207. §.Illa verba*, dicentur. Centum mille homines obtusioris ingenij, simul sumptos, non æquivalere unico, qui ingenio subtiliori sit præditus, asseverat Huartius, & fortè loqui per exaggerationem, aut excedere alicui videbitur ; qui nondum rem bene perspexerit. Sunt effectus, ad quos partialitate causæ concurritur, & tunc ex multis causis partialibus unica totalis constituitur : Nam, si unus equus trahere 500. lib. possit ; & columna hæc 4000. ponderet : quam unus, aut alter equus non potest trahere, trahent 8. vel 10. si simul & uniti concurrant. At, si iaceat ultra 4000. passuum animans, quam ego subobscurè prospecto, quin discernere possim sit-ne taurus, aut equus ; etsi veniat Ausonius mihi similis ; nec mei oculi suâ præsentiâ acuentur, nec sui meâ: nec distinctiùs nos duo simul illam animantem intuebimur, quàm alter solus. Et quid, si centum, si mille, si centum mille superveniant mihi & Ausonio similes ? An ideò distinctiùs perspicietur illa animans ? Et quid, si unicus accedat strabo ? Hic statim distinctè illam perspiciet; &, an sit taurus, aut equus, pronunciabit sine erroris periculo. Ergo, sicut centies mille Ausonij non potuerunt visûs acie distinguere, quæ strabo [*a*] unicus potuit ; sic nec centies mille Marsi intellectûs acie æquivalebunt uni Persio. Ergo bene dicit Huartius, nec est hyperbolicè loqui censendus.

An, & quanti debeat fieri numerus Scriptorum?

Quando effectus est divisibilis, illum causæ partiales possunt ponere : nam pondus, quod ab uno non potest, à multis aequis trahitur.

An obiectū distās, quod ab uno, qui habet visum perfectum ut 4. obscurè conspicitur ; à multis, qui habeant visum perfectum ut 4. clarè conspici possit.

An, quod unus obtusus intellectus non adsequitur, multi æque obtusi adsequi possint ?

a] Ioannes Eusebius Nierembergius *Histor. natur. pereg. lib.3, cap.9. pag.37.* [Aquilæ perspicacitas exæquata Straboni fuit, ultra centum & triginta quinque millia passuum intuenti clarissime exeuntem è Carthagine classem, numerumque navium è Lilybætanâ speculâ denotanti, &c.]

Quanta fuerit Strabo perspicacia?

NOTA I.

De Mundorum numero.

Interseritur, ut præcedens Epistola meliùs intelligatur.

IN meis ad Reverendissimum Costaltam literis, quæ de Mundorum pluralitate insinuata, quia tibi omninò ignota, cum admiratione legebas : & quoniam Controversiam medullitùs percallere desideras, postulas, ut uberiùs exponam, quæ de tam nobili arcano, fuerunt à Veteribus scripta. Et ego, quia Tibi prodesse & servire desidero : non me subtraho ; sed obedio ; & sic inquam. 897

In hac materiâ multæ Quæstiones excitantur de nomine, paucæ de re : illas *1. part. quæst.47. art.3.* D. Thomas edisserit, & Commentatores *ibid.* Scitè nos monet Caietanus, non agi de possibilium Mundorum numero, nam hos esse infinitos, si æquivocationes auferantur, indubitatum est. Si de corporeis Mundis disputetur, illos esse infinitos prisci asseruerunt Ethnici : quia non habebant Causæ Primæ notitiam ; & quia non erat ratio, ob quam paucos potiùs, quàm plures esse deberent, innumerabiles esse dixerunt. S. Thomam audito. *Illi potuerunt ponere plures Mundos, qui Causam Mundi non posuerunt aliquam Sapientiam ordinantem, sed Casum, ut Democritus, qui dixit ex concursu atomorum factum esse hunc Mundum, & alios infinitos.* Conclusio sit. *Corporeus Mundus unus est.* Hanc ponit S. Thomas ; & *in arg. sed contrà* dilucidat & probat. *Quia dicitur Ioann. 1.* Mundus per ipsum factus est *Vbi singulariter Mundum nominavit, quasi uno solo Mundo existente.* Vnicum posuit etiam Plato;

An Mundus corporeus sit unicus?

An, & qui antiquiores Philosophi esse plures, immò etiam infinitos putaverint?

Plato: & præcipuè Aristoteles, contra priores Philosophos; nempe, Aristarchum, Anaximenem, Xenophanem, Diogenem, Leucippum, Democritum & Epicuræos, qui Theodoreto *lib. de curand. Græcor. affect.* & Schyrlæo *Astron. sua lib.4. cap.1. membr 3.* & aliis testibus, corporeos Mundos innumerabiles in spatio infinito agitari, asserebant; esse unicum statuit. Et hac ipsâ assertione Dialexeos nostræ fundamentum adfirmat. Sic argumentatur Aristoteles, & cum ipso Ethnici Peripatetici. [*Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate. Ergo nec Mundi. At nulla urget necessitas, ut plures Mundos asseramus. Ergo asserendi non sunt.* Ecce (1) non adducit rationem specialem, quâ suam Conclusionem persuadeat. Ecce (2) ad Possessionis rationem generalem recurrit: quia in rebus caducis priùs est *non esse*, quàm *esse*. Ergo quamdiu *esse* plurium Mundorum non persuadeatur sufficienter, eorundem *non esse*, in possessione sua debet manuteneri. Ecce (3) probandi onus in ipsos Adversarios transmittit.

An Aristoteles Logicam, quâ nostra utitur Dialexis, confirmet?

Possessio semper debet manuteneri, quousque occurrat sufficiens ratio, quæ illi præjudicet.

Putat D. Thomas, & cum eo Caietanus, & alij Interpretes, Opinationem de Mundorũ pluralitate & infinitate ex ignoratione Causæ creatricis & ordinatricis profluxisse. Interim negare non audebo illos ipsos Philosophos, etiam admissâ Causæ Primæ existentia, non caruisse speciali ratione, quâ suum Placitum stabilirent, quoniam, ut Metrodorus *lib. 1. de Placitis Philosoph. cap. 5.* affirmat, sic discurrebant illi. [Non minus est absurdum dicere, in infinito spatio unicum tantùm Mundum esse, ac in amplissimo campo unicam tantummodò spicam nasci: quamobrem, vel Mundus est conditus ab aliquâ causâ; vel fuit ortus casu aut sponte. Si primum: multi Mundi sunt: sicut enim nullus prudens Agricola in latissimo campo seminaverit unicũ solum granũ tritici, sic etiam nullus Deus, in immenso spatio unicum tantummodò Mundum produxit. Si secundum, multi etiam Mundi sunt: sicut enim impossibile est in amplissimo campo, cuius omnes partes sunt simillimi temperamenti, unicam hic herbulam nasci, manentibus omnibus aliis campi partibus infructiferis (nam si ubique temperamentum est idem, cur hæc plantula hic & ibi succrescit? cur una herbula nascitur, & non plures?) sic etiam impossibile est in spatio hoc immenso, cuius omnes partes sunt similes, unum oriri Mundum, & non plures (nulla enim dari poterit ratio, cur Mundus hic ortu spontaneo emerserit in A. & alius non emerserit alibi) Porrò, si multi sunt; infiniti & innumerabiles sunt: cùm, quia ad infinitum quicumque numerus quantumvis maximus, eamdem dicit proportionem, quam unitas, unde, si absurdum est, in immenso spatio unicum tantum Mundum ponere, etiam erit absurdum ponere decem, centum, aut mille: tum, quia, cùm non detur ratio, ob quam potiùs sint centum, quàm mille, aut nullus Mundus erit, aut innumerabiles erunt; at falsum est, quod nullus sit, erit ergo verum, quod innumerabiles sint.]

An sit bona Consequentia, Deus est unicus, Ergo & Mundus est unus?

Quâ Gentiles ratione Mundos esse innumerabiles suadere volunt.

Vossius in Grammatica Latinâ pag. 57. [Cicero. *Et ais Democritũ dicere innumerabiles esse mundos.*]

Eamdem Conclusionẽ sive Mũdus ab aliquo dicatur fuisse productus, aut sponte suâ abortus, Philosophi antiqui deducunt.

Discursus iste Veterum, quæ *num.* 1022. sunt dicenda confirmat. Cœcutiunt humanæ mentis oculi cùm Veritates etiam naturales rimantur: indigent novo lumine; & ubi carent illo, cespitant, & exorbitant. Ignorarunt inter Ethnicos viri senes & Philosophorum censui adnumerati, quæ inter Christianos noscunt pueri: nam & hi sciunt, quod *in principio creavit Deus Cœlum & Terram.* Errarunt ergo Scholastici prisci, quia putabant spatium increatum & infinitum esse: & errarunt iterum, quia materiales Mundos plures esse dixerunt: & erravit etiam Aristoteles, quia, tametsi unicum solum esse Scripserit, illum voluit exstitisse ab æterno.

Nisi Divina lux affulgeat, mille errores admittet intellectus humanus.

An spatium increatum & infinitũ sit?

Hanc Veterum Ratiocinationem, quâ Veteres Mundos corporeos innumerabiles esse conabantur ostendere, legit & ridet Aristoteles; & eâ explosâ substituit alteram; quæ, si bene consideretur, stare nullo modo poterit, nisi perstet Logica, cui innititur nostra Dialexis. Nam *lib. 1. de Cœlo cap. 9.* sic inquit. Ἀλλ' οὐδὲν ἧττον οὐδεμία ἀνάγκη διὰ τοῦτο πλείους εἶναι κόσμους, οὐδ' ἐνδέχεται πλείους εἶναι. *Nulla tamen ob id ipsum Mundos, aut plures esse, aut plures esse posse necessitas est.* Quæ verba ad hanc formam reduco. *In rebus corporeis & caducis priùs est* non esse, *quàm* esse. *Ergo* non esse multos mundos *est in possessione. Ergo debet in eâ manuteneri, donec adsignetur ratio, quæ mentem necessitet ad concedendum multos Mundos. Sed hæc ratio non datur; quoniam adducta ab Adversariis non necessitat. Non ergo dantur multi Mundi.* Et pronuncio Primò hoc bene probari ratiocinio multos Mundos non esse: non autem probari multos esse non posse. Vnde nostra Conclusio sit, *Hic materialis Mundus unicus est: Deus tamen potest quot voluerit producere.* Vide Augustinum *lib. 7. Confess. cap. 4.* Caussinum *lib. 14. cap. 1. pag. 892. a* Et pronuncio secundò ratiocinandi legem, quam nostra Dialexis sequitur, hic Aristotelem observavisse; nam mutata materiâ sic inquam. *In rebus Moralibus, quando agitur de obligatione operandi, priùs est* non esse legem, *quàm* eam esse. *Ergo* non esse legem *est in possessione. Ergo debet in eâ manuteneri, donec adsignetur ratio, quæ mentem necessitet ad concedendum, esse reverà talem legem. Sed hæc ratio necessitans non datur: quoniam adducta ab Adversariis sunt probabiles tantùm; & quæ probabiles, intellectum ad assentiendum non necessitant. Ergo non datur lex: ac proinde nec datur obediendi obligatio.* Et hæc omnia concernunt ipsam rem.

898

Sententia de innumerabilibus Mundis corporeis meritò reiicitur ab Aristotele.

Ad formam Aristotelis argumentũ reducitur.

An plures Mundi possint esse.

Ostenditur, quòd Aristotelea Ratiocinatio, servatâ formâ & mutatâ materiâ firmet doctrinam, quam edisseris nostra Dialexis.

899 Verùm enim verò, An iste Materialis Mundus, unus totalis sit & in multos partiales dividatur? Quæstio est de nomine, & patitur λογομαχίαν. An Creator vocari debeat Mundus ἀρχέτυπος? An eius ideæ, quia sunt Mundus intelligibiliter, *Mundus intelligibilis* vocari possint? pendebit à Placito Philosophorum; voces enim, quod

An præter hunc sensibilem Mundum, Intelligibilis sit admittendus?

quod iubentur, significant. Pererius *in Genes. lib. 1. num.* 189. *pag.* 71. *b.* sic scribit [Eusebius *lib.* 11. *de preparat. Evang. cap.* 12. Clementem producit *ex lib.* 6. *Stromat.* testem, qui testificatur duplicem à Græcis & Barbaris tradi Mundum; alterum Intelligibilem, & alterum sensibilem, illum Architypum, hunc Divini Exemplaris Imaginem; illum adtribui Vnitati, hunc Hexadi; quam Pythagorei, quod sit fœcundissimus numerus, *Connubium* appellarunt.] Et, si rescire velis, quo hi duo Mundi modo subdividantur, audi P. Athanasium Kircherum *Ædipi ægypt. tom.* 3. *Syntagm.* 1. *divis.* 4. *pag.* 108. dicentem. [De hisce (Mundis) Plato ex Ægytiorum mente, decretisque *in Epinomide* scribit; Philosophum scire oportere, quomodo septem circuli sub primo versentur. Et *in Timeo* Primum & exemplarem cum reliquis coniungens Mundis, octo Circuitus ponit. Hanc eamdem Ægyptiorum de septem Mundis & Mundo Architypo triformi positionem confirmant Cabalistæ [a] qui aiunt, decem esse Mundos, quorum septem revelati, tres absconditi sunt. Per septem Mundos innuunt Mundos creatos; per tres absconditos, increatos (Personas Divinas increatas) & vocantur Mundus emanationis. Ita *in Tikunin* Zohar *tit. Porta Eliæ*, &c. Quem nos Architypum diximus eum Zohar dicit absconditum & non revelatum: qui quidem trinus est, &c.] Ecce Mundum Corporeum in Sublunarem & Superlunarem dividunt: & Superlunarem in septem Planetarios Cœlos, & unum Stelligerum, quos etiam *Mundos* nominant: & possent in Iovis Cœlo alium Mundum includere: nam Satellitum Sphæras Marius libro speciali de illis scripto, *Mundum Iovialem* appellavit.

An hic corporeus Mũdus in Mundos tertiales dividatur?

a] Cabala, si nomen pro vera sumatur, est innocens & ingenua Philosophia, at Hebræi illã ineptiis oppleverũ, quas superstitionibus communicularunt.

Cabalistæ decem Mũdos admittunt.

900 *Rabbini Platonis doctrinam deformarunt.*

Sicut Ægyptiorum doctrinam suæ Philosophiæ Principiis attemperavit Plato, sic Hebræi ad suæ Cabalæ Fundamenta Platonis Asserta obtorserunt: quoniam Mundi intelligibilis nomine, quo Deum intelligebat Plato omnes creaturas intelligentes, ipsi à Deo præscindendo, Angelorum exercitus intellexerunt: nam in cæteris Platoni consentire videntur. Audi iterum Kircherum, qui *in Obelisci Pamphilij lib.* 3. *cap.* 12. *pag.* 242. Sic inquit. [Hebræi itaque ad bene rerum omnium differentias gradusque distinguendos, tres Mundos figurant (quemadmodum & Platonem fecisse legimus) Primus est supramundanus, quem Philosophi ἀρχέτυπον, seu *Intellectualem*, Hebræi עולם המלאכים *Mundum Angelicum*, in quo creaturæ nullo terrenæ mixtionis involucro vestitæ, &c. enumerantur. Proximum huic *Cælestem* appellant עולם הגלגלים *Mundum Sphærarum*, &c. Postremum omnium *Sublunarem*, quem nos incolimus, illi dicunt עולם היסודות *Mundum elementorum.*

Posuerunt Mundum triplicem: Angelicum, Planetariũ, & Sublunarem.

In hoc Elementorum Mundo, quem *Sublunarem* dicimus, Tellurem constistituunt, quam etiam *Mundum* appellamus: Græci Κόσμον; unde Scientiam, quæ eius superficiem describit, Κοσμογραφίαν vocamus; quæ Americam *Novum Mundum* appellat. Et, qui eius viscera examinant, vocibus indigent, ut latentia ibi exponere possint miracula; & ita, ut rem expediant breviter, omnia, quæ illius superficie exteriore clauduntur, *Mundum Subterraneum* vocarunt, sub quo nomine nuper in lucem prodiit liber, in quo P. Athanasius Kircher, de metallis, gemmis, marium motibus, fontium & fluviorum origine, &c. quâ solet dexteritate disputavit.

Terra etiam dicitur Mũdus. Græcè Κόσμος.

An America sit Novus Mundus?

De Mundo Subterraneo.

In Mundo Terreno est *Homo*, qui ab Hebræis עולם קטן, & à Græcis vocatur Μικρόκοσμος, quòd in se quodammodo omnes alios Mundos contineat: & sicut fasciculus (Hisp. *un ramillete*) omnes flores, qui per magnũ hortum diffunduntur, complectitur: si in Homine omnium creaturarum perfectiones clauduntur. Hinc S. Gregorius Papa *homil.* 29. *in Evang.* verba illa Christi, *Euntes in Mundum universum, predicate Evangelium omni creaturæ* dilucidans, declamat. *Nunquid, fratres mei, Sanctum Evangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat predicandum, ut de eo Discipulis dicatur, Predicate omni creaturæ. Sed omnis creaturæ nomine signatur Homo. Omnis autem creaturæ aliquid habet Homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura Homo, iuxta aliquid omnis creatura est Homo. Omni ergo creaturæ predicatur Evangelium, cùm soli homini predicatur.* [b] Et quidem omnes creaturas (omnium creaturarum perfectiones) contineri in homine, nec primus, nec solus dixit S. Gregorius; multis enim ante ipsum annis Cicero *in lib. de Vniverso* scripserat. *A quo enim animante omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc eâ formâ figuravit, quâ reliquæ omnes formæ concluduntur.* Quæ doctrina in D. Thomæ scholâ vera est: nam in homine unica forma reperitur, & hæc illum constituit, corporeum, vegetativum, sensitivum, & rationalem. Scotus formam corporeitatis ab animâ rationali distinguit: cui si opinioni hæsisset Cicero, dixisset, *hunc eis formis figuravit, quibus reliquæ omnes formæ concluduntur.*

901 *De Homine, seu, Μικρόκοσμος.*

An omnium creaturarũ perfectiones reperiantur in homine?

b] In hac propositione *Homo quodammodo est omnis creatura*, subiectum est *homo*, & *omnis creatura* prædicatum.

An in homine corporeitatis forma ab animâ rationali distinguatur.

In hac Mundorum pluralitate, modò sobriè tradatur, non occurrunt, quæ mereantur censuram, nisi inutili λογομαχίᾳ implicari velimus. Cùm de subterraneo, Americano, Sublunari, Planetario, Ioviali, sydereo, &c. Mundo loquimur, agimus de partialibus Mundis; hoc est, de partibus eiusdem Materialis Mũdi. Esse homines doctos scimus, & non peccare qui illos *Orbem literarium* appellant: Ergo, qui scimus novem Angelorum Choros, tres Hierarchias constituere, in quem peccabimus, si cum Hebræis velimus loqui, & omnes illas simul *Angelicum Mundum* vocemus.

Quid in Mundorum à Græcis & Hebræis sobriè traditâ pluralitate possit Prudentia carpere?

At dices, quæ de ἀρχετύπῳ, & Intelligibili

gibili

gibili Mundo circumferuntur, Augustino non placent. Hoc autem nego: non enim rem ipsam reprehendit Augustinus, sed mavult uti Sacræ Scripturæ verbis, quam terminis Philosophorum. *Retractat. lib.* 1. *cap.* 2. Sic ait. [Displicet mihi, quod duos Mundos; unum sensibilem, alterum Intelligibilem; non ex Platonis vel Platonicorum persona, sed ex meâ sic commendavi; tanquam hoc etiam Dominus significare voluerit, quia non ait, *Regnum meum non est de mundo*: sed *Regnum meum non est de hoc mundo*, Ioann. 18. cùm possit, & aliâ locutione dictum inveniri: etsi alius à Domino Christo significatus est mundus, ille congruentius possit intelligi, in quo erit cœlum nouum & nova terra Apoc. 21. quando complebitur quod oramus dicentes; *Adveniat Regnum tuum*, Matth. 6. Nec Plato quidem in hoc erravit, quia esse Mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum, quod Ecclesiasticæ consuetudini in re illâ non vsitatum est, sed ipsam rem velimus attendere: *Mundum* quippe ille *Intelligibilem* nuncupavit, ipsam rationem sempiternam atque incommutabilem, quâ fecit Deus Mundum: Quam qui esse negat, sequitur ut dicat, irrationabiliter Deum fecisse quod fecit, aut cùm faceret vel antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat: Si verò erat sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse *Intelligibilem Mundum*. Nec tamen isto nomine nos uteremur, si iam satis essemus Literis Ecclesiasticis eruditi.] At, quia soliti iam sumus uti in Theologiâ terminis Aristotelicis, etiam Platonicis, si necessarium sit, laudabiliter uti poterimus.

Quid in Platonicâ displiceat Augustino?

An Mundus Intelligibilis, quem Plato asseserit, sit necessariò admittendus?

Non de re, sed de solo nomine Augustinus causatur.

At iste scrupulus iam cessavit, & cur?

NOTA II.

De unitate Telluris.

902 Difficilia sunt verba S. Thomæ, quibus 1. *part. quæst.* 47. *art.* 3. *ad* 3 persuadere conatur, unam tantùm esse tellurem, inquit enim. *Dicendum, quòd Mundus constat ex totâ suâ materiâ: non enim est possibile esse aliam terram, quàm istam; quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium, ubicumque* (illa) *esset: & eadem ratio est de aliis corporibus, quæ sunt partes Mundi.*

An Terram esse unicam, bene persuadeat S. Thomas?

Percepit difficultatem Caietanus, & duas Interpretationes adducit. Primum dicens, *In responsione ad* 3. *adverte, quòd tota responsio sumpta est ex Aristotele in* 1. *Cœli & mundi.* Ecce subtrahit Doctorem Angelicum ab hac difficultate asserens, non ex sententiâ ipsum propriâ, sed ad Aristotelis mentem fuisse loquutum. Adducit alteram Interpretationem, quam putat S. Thomæ nomine tradi posse, & sic inquit. *Cùm in litera dicitur*, Quod non est possibile esse aliam terram, *ly* possibile *non sumitur pro possibili secundum activam potentiam, neque pro possibili Logico.* [Est enim Deus Omnipotens, & potest plures & plures terras condere] *Sed pro possibili, sumpto ex potentiâ inditâ rebus creatis: secundum quam dicimus, quod impossibile est mortuum resurgere, T actatus enim iste, ut iam diximus, attestatur, non quid possit, aut non possit Deus; sed quid distinctio rerum habeat, requiritur*, [lege, *aut requirat.*] Quod est dicere S. Thomam de potentiâ Dei ordinariâ, non autem de absolutâ disserere.

An-ne referat Opinationem Aristotelis, & per priam sententiam subisceat?

Quo illum sensu exponat Caietanus?

At Ego existimo Caietanum mentem Doctoris Angelici non penetrasse: non enim asserit S. Thomas, *Non esse possibile, quòd Deus alias tellures creet.* Sed *Non esse possibile, quòd alias de facto creaverit.* Et hoc probat clarissimè. Supponit enim cum Aristotele & Peripatu toto, dari punctum in universo medium, ad quod suo naturali pondere omnia gravia ferantur: & posteà sic argumentatur. Si Deus creavisset aliam terram, esset gravis, Ergo ubicumque illam creavisset (etiam, si in ipso Firmamento) pondere illa suo lapsa fuisset in centrum, & in hanc impegisset; nam hoc necessariò postulat gravitatis essentia. At oculis percipimus nullam aliam terram in nostram impegisse, & illam ex centro elocasse. Ergo impossibile est, quòd in corporeo hoc mundo reperiantur plures terræ de facto.

An eius sit mentem adsequutus?

An centrum gravitatis sit aliquod corpus imaginarium?

Interim lege nostram Mathesim; ibi enim Suppositionem illam, cui propter Authores, quos habet, non nego extrinsecam probabilitatem, esse falsam demonstro. Et adde doctè processisse S. Thomam supponendo assertionem, quæ est in scholâ communis, & cum applausu propugnatur.

An reale potius corpus sit, quod cætera ad se adtrahat?

EPISTOLA

EPISTOLA VII.

De mente Sanctissimi P. N. Bernardi.

Ad Reverendissimum & eximium Dominum, Mag. P. Benedictum Horosco, Cisterciensem, dignissimum Monasterij Madritensis Abbatem, &c. Confratrem & Dominum suum Observandissimum, &c.

Madritum.

S Bernardus est fidelissimus S. Benedicti discipulus.



OTUM ego Benedictum in Bernardo reperio: omnia enim, quæ ille lumine Cœlesti suffusus concepit, & piè ad multorum utilitatem scripsit; iste, prout tempora tulerunt, diversis in locis exposuit & dilucidavit. Verba illa S. Benedicti, *Audiens consilium Fratrum, tractet apud se, & quod utilius indicaverit faciat:* & mox, *Quod salubrius indicaverit esse, ei cuncti obediant,* præ oculis habebat profectò Melleus Doctor, cùm in Regulæ, quam Militibus Templi præscripsit, Capite LIX. sic inquit. *Cùm de maioribus rebus* (Magister) *tractare voluerit: ut est dare communem terram, vel de ipso Ordine disceptare, aut Fratrem recipere* [a] *tunc omnem Congregationem, si placet Magistro convocare est conveniens, auditoque communis Capituli consilio, quod melius & utilius Magister consideraverit, illud agatur.* Et Ego dum hæc verba lego & considero nunquam sum crediturus, malam doctrinam hos duos Patriarchas tradidisse, aut illam Catholicam Ecclesiam approbasse. Et sanè, si Probabiliori sententiæ in re gravi sub mortali adhærere debemus; Monachos Benedictus, & Templi Milites Bernardus decipit. Interim, quia est *Columna*, & Veritatis Firmamentum Ecclesia, & in Regularum approbatione errare non potest [sic enim, & benè, docent Turrianus *disp.* 16. *dub.* 4. *vers.* 4. Castropalaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 5. §. 6. quos citat & sequitur Angelus Maria Verricellius *tract.* 8. *quæst.* 24. *n.* 10.] dicendum est, in Probabilium sententiarum concursu illam esse eligendam, quæ sit melior, salubrior, & utilior: adeoque benignior clementior, & facilior; quæ nimirùm admissa, plus faveat conscientiarum solamini. Non ergo necessariò illam, quæ Probabilior sit.

Eme exactè opiniones tueìur.

a] Recipere aliquem ad professionē, est res gravissima. Non debet fieri inconsultâ Communitate.

903 *An in Regularum approbatione Pontifex errare possit?*

An eligenda sit Opinio Probabilior?

An saltem necessariò tutiorem? Negat expressè Sanctus Doctor; nam à Carnotensibus consultus ait; *Tutius tuam sine dubio ad id quod putasti melius sequutus es conscientiam, quàm si in priori bono & loco contra conscientiam permaneres, quanquam securè id posses.* Ita in *libell. de præcept. & dispensat. cap.* 20. Vide nostram Theologiam Regularem, *disp.* 6. *art.* 2. *num.* 58. *pag.* 73. *a.* iuxta Edit. Lugdunens. ann. 1667. Ergo securè possumus Probabili minùs tutæ adhærere.

An saltem tutior?

Et quidem (Pater Reverendissime) tametsi hi duo loci viderentur sufficere, ut nemo de mente tanti Doctoris dubitare præsumat, quia me libenter legere & audire dignaris, coram Te Quæstiones aliquas huc concernentes excitare, & ad Bernardi mentem expedire præsumam. Ergo attende.

An liceat ex uno Monasterio ad aliud reformatius trāsire?

904 *Quo Ethnici Sacrificuli modo consulentibus responderint?*

SAcerdotes Gentiles apud Apollinis cortinam respondebant ex tripode: & monebant Christianos Theologorum Responsiones & Resolutiones, ut obtineant, tribus debere prærogativis succollari; videlicet Pietate, Doctrinâ, & studio. Nos enim potest fallere, qui pius non sit: & pius, si sit indoctus, potest decipi: &, qui pius, doctusque, nisi studium opportunum adhibeat, potest adlucinari, quoniam *quandoque bonus dormitat Homerus.*

Quas habere qualitates debeat, qui Conscientia Casibus respondere iubetur?

Ergo, ut universi videant, An Bernardum prudenter in ducem elegerit, de eius Pietate, Doctrinâ, studio, & aliis celeberrimis prærogativis, hæc pauca Testimonia præmitto.

Qualis fuerit Bernardus?

Innocentius II. Pontifex Maximus. *in Epist. ad B. Bernardum.* Quàm firmâ perseverantique constantiâ causam B. Petri, & Sanctæ Matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, &c. frequentibus argumentis, & ratione munitis inducere laboraveris, magna, quæ Ecclesiæ Dei & nobis provenit utilitas, manifestat.

An à ratione fuerit argumentatus?

Guerricus Abbas Igniacensis, *serm.* 3. *in Natali Apost. Petri & Pauli.* Magister noster; ille Interpres Spiritussancti, &c. umbras ipsas ponet in lucem intelligentiæ: quod dictum est vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine.

An sit interpres Spiritussancti

Otto Frisingensis *libr. de gestis Friderici Imperatoris.* Erat eo tempore in Galliâ, Cœnobij Claraevallis Abbas, Bernardus dictus, &c. sapientiâ, literarumque scientiâ præditus, &c. Hunc Principes vocandum, ab eoque tanquam à Divino Oraculo consulendum decernunt, &c. quia apud omnes

An Propheta & Apostolus?

omnes Galliæ & Germaniæ populos, ut Propheta, vel Apostolus habeatur.

De eius Cælesti Sapientiâ.

Alexander III. Pont. Max. *in literis Canonizationis.* Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, &c. datæ sibi cœlitùs sapientiæ studio sustentavit, &c.

Ergo, si tantus in Pietate, Doctrinâ, & studio (nam de aliis eius præclaris virtutibus & prærogativis tacere præstat, quàm pauca dicere) fuit Mellifluus Doctor, nemo mirabitur, si illum in Magistrum suscipiam, & illius doctrinam aliis admirandam & tenendam proponam. Ad eius ergo mentem quæstiones nonnullas intercurrentes exponamus.

905 *Lex Dei necessaria: incommutabilis, & inviolabilis.*

QVÆSTIO I. *An, & quis possit in Decalogo seu Naturali lege dispensare?*

D. Bernardus *tract. de precept. cap. 3. num. 6.* utramque legis Divinæ Tabulam *necessariam* appellat, at primam *incommutabilem*, secundamque *inviolabilem* vocat: & ait hanc, non autem illam, esse dispensabilem.

An Deus in secundâ Decalogi Tabulâ possit dispensare?

Exod. 3. 8. Osee. 1. 2.

Porrò posse Deum in totâ secundâ Tabulâ dispensare asserit *num. 6.* his verbis. [Nisi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur; ut exempli gratiâ, *Non occides. Non mœchaberis, Non furtum facies*, & reliqua illius Tabulæ Legisscita: quæ, etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuique hominum ex his aliquo modo solvere, aut licuit, aut licebit; Dominus autem horum, quod voluit; & quando voluit, solvit: sive cum ab Hebræis Ægyptios spoliari, sive quando Prophetam cum muliere fornicariâ misceri præcepit. Quorum utique alterum, quid nisi grave furti facinus; alterum, quid nisi flagitij turpitudo reputaretur, si non excusasset utrumque factum authoritas imperantis.

906 *An in primâ etiam possit?*

Non posse dispensare Deum in primâ Tabula asserit & exponit *num. 7.* dicens. [Nil congruentius, quàm quod Divinâ ita constat, & æternâ ratione firmatum, ut nullâ ex causâ possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere est omnis illa sermonis Dominici, in monte habiti, spiritualis traditio; & quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, tam in Novo, quàm in Veteri Testamento spiritualiter observandum contraditur. Hæc quippe talia sunt, ut nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Eò siquidem immobiliter, quò & naturaliter bona; nunquam, nisi innocenter; nunquam, nisi salubriter, aut imperantur, aut observantur. Omni tempore, omni personæ, mortem contempta, custodita salutem operantur.

Non possunt ita mutari circumstantiâ, ut quæ in primâ Tabulâ præcipiuntur, fiant mala.

De Philosophicâ & Theologicâ Moralitate.

Hic Doctores, & præcipuè Scotistæ, inter Moralitatem Philosophicam, & Theologicam, & inter Dispensationem contradictoriam, quæ actum non fieri permittit, & contrariam, quæ fieri oppositum iubet solidè & acutè distinguunt: quoniam ante omne præceptum Dilectio Dei, Gratitudo, Humilitas, & cæteræ omnes Virtutes, quas in suo sermone Dominus dilaudat, bonæ philosohicè sunt: & præceptæ aut consultæ erunt bonæ Theologicè. Et aliud est concedere homini, ne Deum amet, ne gratias agat, ne se submittat: & aliud diversum omninò consulere aut præcipere, ut Deum odio habeat, bene factori Deo insultet, & Creatorem contemnat. Vnde tametsi illud prius multi probabiliter, & ego cum ipsis concedam: hoc ultimum, quidquid Ochamus & Nominales dicant, repugnantiam involuit, ut alibi demonstravi.

De contrariâ & contradictoriâ dispensatione.

Præceptum de odio habendo Deo contradictionem involveret.

Cæterùm D. Bernardus agit expressè de Theologicâ Moralitate: hoc enim important illa verba, *nec liceat, nec expediat aliquando non haberi*, &c. *contempta mortem, custodita salutem operantur*, &c Agit de dispensatione contradictoriâ: quod suadet illud *non haberi*, quia non solùm, opinione Bernardi, non potest Deus iubere, ut habeantur actus dilectioni, humilitati, & mansuetudini contrarij, sed nec concedere ut actus harum virtutum nunquam habeantur: sunt enim tempora, in quibus amare Deum, &c. necessariò debemus.

De mente S. Bernardi.

QVÆSTIO II. *An Pontificij Canones, & Religiosorum Ordinum Regulæ, institui necessario debuerint? An solum conducant ad melius?* 907

S. Bernardus *loc. cit. cap. 2. num. 3.* [Regulæ Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, necnon authentici Canones, & siqua sunt alia Ecclesiastica Statuta dignæ authoritatis, quæ, quoniam tradita sunt, & sancita stabiliter perseverant; nec omninò cuivis subiectorum ea aliquo modo variare vel mutare conceditur.] Et *num. 5.* [Porrò inventa atque instituta fuerunt, non, quia aliter vivere non liceret, sed quòd ita magis expediret, nec planè ad aliud, quàm ad lucrum & custodiam Charitatis.] Et dixerat *cap. 1. num. 2.* [Itaque, ut sentio ego, Regula S. Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodest, si devotè suscipitur, & tenetur; non tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non necessarium.] Ergo nullum est peccatum consilia non admittere. Ergo nec est peccatum inspirationibus non satisfacere.

Nullus subditus potest Regulæ præcepta mutare.

Sunt instituta ad melius?

Nemo cogitur, ut Monasticam Regulam accipiat.

Regulæ Religiosæ liberè instituuntur, liberè acceptantur: sed, si semel acceptentur, necessariò obligant, & debent necessariò observari. Necessitas ex parte legis est in sensu composito absoluta, non enim esse potest lex, & subditos non obligare. Ex parte autem subditorum, si agatur de obligatione, etiam est absoluta, non enim esse possunt legi subditi, & ad eius observantiam non obligari: si autem de impletione agatur, etsi liberum subdito sit legem observare aut violare, non tamen est illi liberum illam sine culpâ violare. 908

Quænam necessitas, si Regula acceptetur, sequatur?

Quanam, & qualis adhuc maneat libertas?

violare. His præmissis textum sancti Doctoris poterimus intelligere: inquit enim: [Hoc ipsum, quod dico voluntarium, siquis ex propriâ voluntate semel admiserit & promiserit deinceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse convertit: nec iam liberum habet dimittere, quod antè tamen non suscipere liberum habuit. Ideoque, quod ex voluntate suscepit, ex necessitate iam tenebit; quia omninò necesse est eum reddere (habere obligationem reddendi) vota sua, quæ distinxerunt labia sua, & ex ore suo aut condemnari, aut iustificari. Cæterùm *felix*, ut quidam sanctorum (nimirùm, S. Augustinus *tom. 2. epist. 45. ad Armentarium*) ait, *necessitas, quæ cogit in melius.* Omnia proinde S. Benedicti Instituta; exceptis sanè nonnullis de spiritualibus, verbi causâ, Charitate, Humilitate, Mansuetudine, quæ & ob hoc penitus non esse mutanda, de cætero reliqua universa non profitentibus quidem Monita tantùm, seu Consilia censenda sunt, nec gravant non observata; cùm tamen profitentibus in Præcepta, prævaricantibus in crimina fiant: sive (ut vestra vobis reddam) illis voluntaria seu factitia, istis necessaria & tanquam naturalia non immeritò reputantur.

N. B. Ex suppositione quod S. Benedicti Regula obliget ad veniale, qui violaret præceptum contentum in Decalogo & Regulâ, utrumque violaret: & ideò duo peccata simul committeret, videlicet, mortale, & veniale.

N. B. Quia nemo profitetur obedire Regulæ, sed obedire Prælato secundum Regulam, videtur sub finem per Exscribentium incuriam excidisse unum *si*, & legendum esse [Cùm tamen, si, profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant.]

QVÆSTIO III. *An actus, qui probabiliter est verus, possit & soleat esse bonus evidenter & certo?*

De Veritate & Bonitate actuum.

Hic multi allucinantur, etiam docti; &, qui non erravissent, si vel fuissent admoniti, vel suas cogitationes actu reflexo perpendissent. Sanè, sententia Assertens est manifesta; nam, si elicias hunc actum, *Deipara est sine labe concepta*, actum probabiliter verum, sed evidenter honestum & bonum elicies. In illo Veritatem formido, non autem bonitatem afficit: tametsi enim nondum certò sciam, An originariâ Virgo labe caruerit; certè tamen scio, me posse laudabiliter piam sententiam tenere, & illam verbis tueri, & scriptis etiam dilucidare. Sed quia ad S. Bernardi mentem impræsentiarum discurrimus, *ex cap. 17. de precept.* sequentes lineas proponamus.

Propositio, quæ piam de Parthenia Conceptione sententiam exprimit, nō est certò vera, & tamē est certò bona.

[Postulatis absolvi vobis, cur vel beatus Gregorius nescio quem Venantium, habitum monachalem quem piè susceperat, impièque reiecerat, non solum resumere nō coegit sed etiam omnem legitur indulsisse communionem Apostatæ perduranti: [*a*] vel S. Augustinus coniugij legi votum quodammodo subiiciat continentiæ: ita ut *in libro de Virginitate* adserere videatur, nec cœlibis quidem vitæ propositum copulæ posse præscribere coniugali, quo minus indissolubile maneat, etiam quod à con-

An debeat indulgeri Apostatis?

tinentibus fallente diabolo fracto Sanctitatis voto initum fuerit matrimonium. [*b*] 910
Et ad hæc nihil ad præsens certius breviusque respondendum occurrit, nisi quod ita Sancti Antistites sapuerunt: rectene ipsi viderint. Nam ego in sensibus actibusque illustrium Patrum cautus profectò sum omnino non ad aliud æstimare, quàm quod beato Apostolo teste, quæritur iam *inter dispensatores*, ut videlicet, *fidelis quis inveniatur.* Certus sum enim sive in suo abundaverint sensu: sive in Dei spiritu: sicut & in cæteris, ita & in his ambos extitisse fideles: illum in dispensando, quod præ manibus erat, istum in scribendo quod senserat.] Ecce, An horum Sanctorum Resolutiones fuerint veræ (an illis ipsi non fuerint decepti) affirmare non audet: & tamen utrumque fideliter processisse, asseverat. Ergo sciebat S. Doctor in eodem morali actu incertitudinem de Veritate, cum certitudine de Bonitate componi posse.

An validè Moniales possint nubere?

An S. Gregorius & S. Augustinus erraverint?

An unus & idem actus, incertè verus, & certò bonus esse possit?

a] Vt S. Gregorij actum à prudentiâ commendes, examinare oportet, *An Iustitia Vindicativa puritas & sinceritas postulent ut nullum in Republicâ (& præcipuè Ecclesiasticâ) impunitum remaneat?* Asserit Demosthenes, qui *Olynth. 3.* sic exclamat. [Neminem, quæso, censeatis tantæ apud vos authoritatis esse, ut qui leges transgressus fuerit, inultus maneat.] Nego autem ego; nam impunitum manere debet crimen, ex cuius ultione maiora proventura sint mala. Animadvertere in sceleratos debet Princeps, si possit. Hæc autem impotentia duplex esse potest, & solet: realis, moralisque. Reali sanè est impotentiâ præpeditus, qui non habet vires, ut criminosos coërceat: huic enim in aurem suggeritur, *vana est sine viribus ira.* Qui habet vires realiter, sæpe reperit morales obices, ne ad causæ examen, aut sententiam procedat. Reus, ob bonum publicum, & sine gravi damno Principis puniri debet. Et, quid, si Venantius nunquam fuerit in Gregorij manibus? Haberi debet priùs reus, & posteà per sententiam puniri. Pone potuisse capi. Quid, si habebat fautores, qui valerent perturbare Rempublicam; Quid, si eius aliqua crimina talia essent, ut utilius nescirentur à populo? Quid, si esset persona necessaria, quâ sine damno non careret Politica? nam lex *ad bestias* bono publico consulens à morte eripit, qui, si vivere permittantur, Reipublicæ prodesse possunt? Et quid, si ipse Gregorius, sibi timebat, aut proditoriam mortem, aut calumniosam alicuius criminis affictionem, si in Venantium auderet. Non ego unicus hæc in criminum ultione considero, sed hæc debere ab omni Superiori considerare in Illustrissimo D. D. Angelo Manrique, meo Magistro, lego: quoniam post Annalium Cisterciensium tomum quartum in Abbatum Palaciolensium serie, §. XIV. pag. 674. sic

911 *An omnia peccata sint punienda?*

Demosthenis Opinio.

Vera sententia.

Sæpe Princeps crimina ulcisci non potest.

Impotentia duplex: realis, moralis.

Quænam in punitione rei debeant cōsiderari?

An personæ utiles damnari debeāt?

An cum dāno gravi proprio teneatur Superior reum punire?

912 *An, & cur S. Martini Abbas non puniri debuerit?*

inquit. [Annum prorsus felicem, atque tranquillum, (annus 1608. turbidus, tristisque sequutus est, qui Lorcæ famam nonnihil decoloravit. In Abbatem S.Martini de Castañeda, Virum doctum, & gravem, atque integræ alias famæ quæsitum est: & graviter sævitum, ut ferebatur. Non quod culpam excesserit damnatio: sed quod quæ utilius latere potuisset, debuissetque propalata per pœnam, honorem magno viro, virum gerendis rebus satis aptum Congregationi ademerit, multo plures scandalo perverterit, quam per supplicium potuerit cohibere. Qui Lorcæ favebant, serpenti iam veneno, quovis dispendio obviandum disceptabant. Alij imminens Capitulum in causa;& novam politiam stabiliendam, cui se, nisi viro illo subverso, imparem agnovit, submurmurarunt. Quod ego, ut nunquam credam de tanto viro, ita neque ab aliquibus assertum tacendum putavi: exemplo posteris, ut discant in multis casibus minori iustitiæ dispendio, & boni publici, prætermitti delicta sine supplicio, quàm maculari, vindictæ suspicione, siue alterius affectùs ipsiusmet Iustitiæ executionem.] Audire proderit Illustriss. D.P.Acacium, Oriolanum Episcopum, qui *tom.2. verb. Iuezes, resol.135. num.5.pag.308.a.* Manriquij doctrinam magno testimonio confirmat: inquit enim. *Estos Iuezes y Prelados, para no despeñarse en los despeñaderos, que les amenaza su indiscreto zelo, deben atender a lo que dize Navarro* in Rubric. de iudic. num.56. *ponderando la obligacion, que ay de mirar por la fama de los proximos en los delitos secretos, especialmente, quando no dañan al bien comun, ni a terceras personas, como sucede en algunos. Y a lo que dize el Maestro Bañez* in 2.2. quæst.33. art.8. dub.2. *con estas palabras.* Advertant Prælati, quòd multa sunt relinquenda iudicio Dei, & caveant, ne velint usurpare iudicium illius, &c. *porque, como dize el mesmo, con la publicacion de algunos peccados occultos, mas daño se causa en los particulares, y en el comun, que provecho con su castigo. A mas, que como dize Aldrete,* cap.6. num.1. *no le toca menos al Iuez, o Prelado, especialmente Regular, el hazer officio de Abogado, y Padre, para con sus subditos, mirando por ellos, que el de Iuez para castigarlos,* &c.

An aliqua culpa utiliùs lateant, quàm publicâ pœnâ expientur?

Monitum Politicum.

An peccata aliquando sine tribunali Divino committenda?

Sunt crimina, quæ cum maiori damno puniuntur, quàm tolerantur, & impunita relinquuntur.

b] Dicendum est *Primò*, S. Augustinum inter Vota Solennia & Simplicia distinxisse: &, quia, quæ per simplicia vota Deo consecrabantur, non erant veræ Moniales; eas, si fortè nuberent, tametsi illicitè, validè tamen asserit matrimonium contrahere. Igitur de Voto solenni,& non de Simplici Doctor Divinus disputabat.

An Castitatis votum dirimat Matrimonium?

Et dicendum secundo est, non convenire inter Anthores de tempore, quo cœpit Votorum simplicium & Solennium distinctio: est enim valde probabilis sententia, quæ docet illa Ecclesiastico tantùm Iure distingui. Et forte hæc ipsa distinctio ævo Augustini nondum erat ab Ecclesiâ statuta. Et, si hoc dicatur, tollitur difficultas, quæ proponebatur.

Quando inceperit Voti simplicis & solennis distinctio?

QUÆSTIO IV. *An eadem legis litera plures subire sensus possit? Et, si subeat, An quis teneatur strictiorem admittere, & illo legem sensu religiosè observare?*

913 *De legum interpretatione.*

Tametsi Legislatores caveant, ne novæ interpretationes suarum legum subrepant, hac cautelâ non abstulerunt, sed addiderunt occasionem novas expositiones comminiscendi. Profectò Cistertienses nostri in primo Generali Capitulo, ut D.Benedicti Regula communem & antiquum sensum retineret, & à novis interpretationibus præservaretur, desiderarunt, & in Charitatis Chartâ (sic, & meritò, vocari voluerunt illius Capituli Constitutiones) indixerunt hanc legem. *Nunc ergo volumus, eisque præcipimus, ut Regulam B. Benedicti per omnia observent, sicut in Novo Monasterio* (sic vocabant Cistertium) *observatur. Alium non inducant sensum in lectione S. Regulæ: sed sicut Antecessores nostri Sancti Patres intellexerunt & tenuerunt, & nos hodie intelligimus & tenemus, ita & isti teneant & intelligant.* Confirmavit hanc prudentissimam legem Eugenius III. ann.1152. & in suâ Bullâ verba his similia reposuit. Vide nostram Theologiam Regularem *in Proœm. art.2. pag.29. num.133.* Hanc eamdem curam omnes etiam Principes, ut legum sensus, illibatus servetur, habuisse & habere certum est: & possem multos locos adducere, si diffundi liceret. Interim meminerim Tridentini Concilij, quod mores totius Orbis Christiani reformavit: & ne reformationis litera ab Expositoribus deformaretur Pius IV. Calendis Febr. ann.1564. Bullam edidit, quæ incipit *Benedictus Deus.* Et in ipsâ sic ait. *Ad vitandum præterea perversionem & confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in Decreta Concilij Commentarios & Interpretationes suas edere, Apostolicâ authoritate inhibemus omnibus personis cuiuscumque conditionis, &c. nequis sine authoritate nostrâ audeat ullos Commentarios, Adnotationes, Scholia, ullumve Interpretationis genus super ipsius Concilij Decretis quocumque modo edere, &c.* & quid ex his & similibus legibus Legislatores obtinuerunt, ut Commentarij fierent de ipsismet legibus, quæ Commentarios fieri inhibebant, & posteà per hos ipsos aperiretur via, ut de aliis legibus Commentarij ederentur. Nam de Eugenij Bullæ intelligentiâ disputant, quotquot S. Benedicti Regulam dilucidarunt: & Pij IV. Bullam, qui Notas Concilio adscripsere, divisi in sententias, exponunt: nam illam aliter Salas *de legib. tractat.14. num.97. disput.21. sect.11.* Henriquez *lib.7. de Indulgent. cap. 29. num.4.* Rodriguez *tom.1. quæst. Regul. 11.art.3.§.ad evitandum.* Et aliter Fagnanus *in cap. Cum venissent, num.9. & 10. de iudiciis*, & alij intelligunt, & interpretantur.

Desiderant Antiqui Cistertienses, ne Scriptores in S Benedicti Regulam novos sensus inducant.

De hoc legem speciatim statuunt.

Idem desiderant & iubent Pontifices circa intelligentiã Concilij Tridentini.

Bulla autem, quæ hæc præcipit, adversas expositiones patitur.

Non obstante providâ Legislatoris & Prælatorum diligentiâ S. Benedicti Regula diversis & interdum adversis expositio- 914

nibus

Circa Regulam S Benedicti diversa expositiones dantur.

nibus fuit obnoxia; nec vllus unquam cre-
didit Monachos ad strictiorem expositio-
nem obligari. Audi Sanctum Doctorem,
qui *cap.16. pag.82.num.46. & 47.* sic in-
quit.

Boni mores non dissonăt Regulæ.

[Licèt in diversis Monasteriis, diversis
& observantiis Deo serviatur; quamdiu
tamen sui quisque loci bonos vsus servat,
haud dubium, quin secundum Regulam
vivat, quoniam quidem boni vsus à Re-
gula non discordant. Quisquis itaque te-
net, quod teneri invenerit bonum ubi
profitetur, profectò vivit sicut promittit,
quam quòd habere eorum pia videtur vita
cum quibus deinceps vivere disponit &
eligit.] Ergo si in aliquo monasterio ali-
qua Regularis Observantia ob loci aut
temporis injuriam commodè teneri non
possit, & loco illius alia pia, & sancta à
superioribus substituatur, nihil fit contra
mentem S.Benedicti. Pergit Sanctus Ber-
915 nardus. [Quid enim? Nunquid verbi gra-
bi gratiâ, aut in Majori Monasterio usus
Cluniacensium, aut isti fortè illorum ri-
tus aut verò vtrique Cistertiensium distri-
ctionem literatoriam profitentur? Attamen
omnes secundum Regulam profitemur?
Vna quidem oris ubique promissio, sed
quia non vna est omnibus cordis intentio,
potest dubitanter sine detrimento salutis,
& sine damno possessionis, operis quoque
non una ubique observatio celebrari. Si-
cut enim non omnes omnia tenent (etiam
boni Christiani) quæ in Evangelio sunt.
Omnes tamen secundum Evangelium vi-
vunt, (nam qui concessis alligari conjugiis
contenti sunt, non ideò tamen credunt se
recessisse ab Evangelio, quia Evangelici
sublimitatem consilij de cœlibe ducendâ
vitâ non elegerunt,) ita sanè si in gradu
illo inferiori legitimè ac fideliter conser-
ventur: sic quoque qui secundum regu-
lam vivere statuunt, etsi non ad vnguem
(vt dicitur) totam custodiunt, & si quæ
pro sui claustri ritu vel mutant, vel præ-
termittunt, à regulari tamen omninò pro-
fessione non discedunt donec tamen sobriè,
& iuste,& piè pro suorũ tẽporum moribus
vivere non desistunt.Denique Regula ipsa
tradit octavum humilitatis gradum, vt ni-
hil agat Monachus, nisi quod communis
monasterij regula: vel maiorum cohortan-
tur exempla.

Eadem Professionis Monastica verba aliam significationẽ habent in Cluniacensis ore, & aliã in ore Cistertiensis.

Sicut apud sæculares Evangeliũ patitur altiorẽ & inferiorem vivendi gradum; sic etiam apud Monachos Regula.

Quid sancti Bened. Regulæ nomine intelligatur?

Et statim monet *Regula S. Benedicti* no-
mine non semper totam intelligi; sed Ci-
stertij totam, & Cluniaci illam partem,
quam Pontificia Privilegia, & consuetu-
dines piæ, & iam præscriptæ reliquerunt;
Subiungitque [exceptis proinde Cister-
tiensibus, & qui illorum fortè ritu non
tam vivere secundum Regulam, quam
ipsam ex integro purè ad literam (uti se
sanè professos esse putant) tenere curant:
de cætero neminem obedienter degentem,
regularis moveat, solennisque professio,
in quâ non fit de totâ Regula promissio:in
his duntaxat Monasteriis in quibus or-
do & disciplina servatur cum bonis con-
suetudinibus. Salva igitur cuique sua ma-
net in cœnobijs bene ordinatis professio,
tantum si sana fuerit & intentio.] Quæ
verba non ita intellige, ut Cistertienses
observare ipsam Regulam, Cluniacenses
obedire secundum Regulam polliceantur:
in hoc enim non consistit discrimen: nam
utrique secundum Sanctam Regulam Ab-
bati obedire promittunt: sed *Sancta Regu-
la* nomine Cistertienses, literam, prout ja-
cet intelligunt; & Cluniacenses textum,
prout per privilegia & consuetudines, ob
sufficientes causas, à priori rigore fuit
tantisper remissus.

An, & cur hoc ipsum nomen plus Cistertij, & minus Cluniaci significet?

QVÆSTIO V. *An in speculativis proba-
biliori debeam adhærere sententiæ? &, si de-
beam: Cur non etiam id observare debeam in
Practicis?*

Proderit ante resolutionem meum Ber- 916
nardum audire, qui *cap. 17. de præceptis,*
pag.82. b. num. 52. sic ait: [Quæritis de
quibusdam Episcopis, quos Sanctus item
Papa Gregorius ad tempus in Monasteriis
pro eorum excessibus legitur reclusisse,
utrum nam in suo, an in Monastico inte-
rim habitu habitarint cum Monachis? ego
nescio, nisi quòd credibilius videtur, ne-
quaquam illos insignem religionis habi-
tum suscepisse, quem non erant perpetuò
habituri: sed tantùm quæsisse quietem in
secretis monasteriorum, & opportunita-
tem pœnitentiæ.] Est certa, ut puto, hæc
S. Doctoris Resolutio: nam & hodie Ro-
mæ non facilè Episcopus incarceratur; sed
tamen, si id necessarium sit, tale aut tale
monasterium pro carcere habere iubetur;
& in ipso nec ad habitum, nec ad obser-
vantias obligatur.

De Episcopis ob excessus admissos in monasteria trusis. An iussi fuerint recipere Monasticũ habitum?

Iubes attentè legi illud *credibilius*. Et
infers *Primò*, dari Opiniones Pobabiliores
& minùs probabiles. *Secundò*, debere in
Speculativis, & quæ conscientiam non
tangunt, Magistros, respondere, & doce-
re secundum Probabiliorem Opinionem:
Tertiò, hoc ipsum à fortiori in Practicis
dicendum esse.

Dubia nonnulla proponuntur.

Respondeo ad primum, me non negare
esse Probabiliores & minùs Probabiles
sententias quo ad se: sed, neque me nega-
re Doctores posse formare probabile judi-
cium de Probabilioritate sententiarum; sed
negare tantummodò esse hominibus con-
cessa media, quibus demonstrare possint,
hanc opinionem, v.gr. esse Probabiliorem,
& oppositam esse minùs probabilem. Nec
contrarium hic docet Melleus Doctor;
non enim ait Resolutionem suam *esse certò
credibiliorem*, sed *sibi credibiliorem videri,*
hoc est, *se probabiliter judicare illam esse
probabiliorem.*

An dari Probabiliores Opiniones ex S. Bernardo colligatur.

Respondeo ad secundum, inter Magi- 917
strum & discipulum pactum implicitum
intervenire, vi cuius teneatur ille respon-
dere,quod iudicat probabilius: non enim,
quid sit minus certum, rogatur, sed quid
certius. Ergo peccant artium Magistri, si
erroneas, aut quas minùs Probabiles sen-
tentias judicant, suos discipulos doceant.
Interim Medicus, qui habet aliquod se-
cretum pro tali aut tali morbo recurando,
si ex illo lucrum importet, non tenebitur
illud suis discipulis aut cæteris communi-
care

An, & cur Magistri de certiores opiniones teneantur?

An, qui habet aliquod secretum, teneatur cæteris cõmunicare?

care (& hoc obſervatur in praxi) interim, ſi perſona ſit, quæ nihil ex illo ſecreto incretur, ex charitate proximos iuvare debebit, & ideò tenebitur ſecretum illud aliis dare.

Quicumque actus humanus, vel certò peccatum eſt, vel certò peccatum non eſt, nam peccata Probabilia non dantur.

Reſpondeo ad tertium illationem illam habere poſſe locum, ſi ſicut in Speculativis alia ſunt Probabiliùs, & alia minus Probabiliter vera, ſic in Practicis alia probabiliùs, & alia minus Probabiliter eſſent peccata. At nos, quia non dari peccata Probabilia, certum & indubitatum eſſe credimus, & in Dialexi, *num.* 692. ut exiſtimamus, demonſtravimus, dicimus non eſſe ad rem ultimam illationem.

QVÆSTIO VI. *An ceſſante fine legis ceſſet etiam eiuſdem legis obligatio? An ipſamet ceſſatio finis ſit legis diſpenſatio: an verò præter finis ceſſationem, requiratur, ut diſpenſet ſuperior?*

918 *An illicitū ſit regularia ſtatuta ſine cauſa mutare?*

Audiatur S. Pater, qui *cap.* 2. *num.* 5. ſic ait: [Porrò inventa atque inſtituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret, ſed quòd ita magis expediret, nec plane ad aliud quàm ad lucrum & cuſtodiam Charitatis. Quandiu ergo [A] charitati militant immobiliter fixa ſunt, mutarique omninò, ne ab ipſis quidem præpoſitis ſine offenſâ poſſunt. At [B] ſi è contrario contraria fortè aliquando Charitati viſa fuerint, his duntaxat, quibus hoc poſſe videre datum eſt & providere creditum eſt: Nonne iuſtiſſimum eſſe liquet, ut quæ pro Charitate inventa fuerunt, pro Charitate quoque, ubi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur: Sicut è regione iniquum proculdubio foret, ſi ſtatuta pro ſola Charitate, contra Charitatem tenerentur. Tenetur ergo fixam firmámque immobilitatem etiam apud Prælatos, quæ ex ſtabili neceſſariò ſunt, ſed quatenus Charitati deſerviunt. Nunquid autem hoc ego vel ſolus ſentio, vel primus dico? An non hoc ipſum & Papa Gelaſius ſenſit? Ait ſiquidem: [C]. *Vbi neceſſitas non eſt, inconvertibilia maneant Patrum Sanctorum decreta.* Leo quoque Papa, *Vbi*, inquit, *neceſſitas non eſt, nullo modo Sanctorum Patrum inſtituta violentur.* Et infert, *Vbi ergo neceſſitas fuerit ad utilitatem Eccleſiæ, qui poteſtatem habet, & diſpenſet.* Ex neceſſitate enim fit mutatio legis.]

An exſpectanda diſpenſatio ſit, quando ceſſant contrariè?

An, & quando poſſint Prælati diſpenſare?

An poſſint ſine neceſſitate?

Præmittuntur nonnulla ante Reſolutionem neceſſaria.

Volui totum contextum ponere: ne, ſi illum frangerem, aut eadem deberem verba pluries repetere, aut Reſolutionem minùs clarè & robuſtè probare. Ante Deciſionem debeo aliqua ſupponere; quæ, quia certa, & univerſis nota, debent non exponi, ſed tantummodo attingi aut inſinuari. Nam (1) Finis legis, vel eſt totalis & adæquatus, vel inadæquatus. Et (2) cùm media in finem influant, poteſt hic influxus ceſſare; vel contradictoriè: (nempe, ſi mutatis circumſtantiis, jam media ſint inutilia, & non influant) vel contrariè; (nempe, ſi iam media ſint perniciosa, & influant in finem contrarium.) Et (3) iterum ceſſare dupliciter poteſt; nimirùm, certò, vel probabiliter. Et his præmiſſis conſidera ſequentes Poſitiones.

919 *Sine cauſa non poteſt inferior in Superioris lege diſpenſare.*

Ex toto hoc contextu, & *ex liter. A. & C.* præcipuè oritur Reſolutio I. *Manente fine legis totali, & adæquato lex ſuperioris permanet neceſſariò.* Aliter. *Sine cauſa non poteſt Prælatus inferior in Superioris lege diſpenſare.* Et hanc eſſe Sancti Doctoris mentem patet, nam de diſpenſatione in Regulà diſſerit, quæ non eſt lex Abbatis, ſed Dei & Eccleſiæ, nam vi voti ad Religionem pertinet Regulam obſervandi obligatio: & ab approbatione Pontificia Regula in Apoſtolicum præceptum tranſit. [Obſervat autem Regulam, qui ſemper eſt paratus obedire Prælato: & obedit de facto præcipienti quæ ſunt ſecundum Regulam.] An Prælatus in propriis præceptis a ſe latis, ſed an in Votis & ab Eccleſiæ præceptis poſſit ſtante fine vnico & adæquato legis, qui Charitas eſt, diſpenſare.

Regula eſt Superioris lex.

920 *An ſint leges, quas ferre debeat Superior ſub mortali?*

Reſolutio II. *Si talis ſit finis, quem Prælatus teneatur conſequi ſub mortali, & lex præſcribat medium efficax, & quod ſit unicum ad illum finem conſequendum, Prælatus ſub mortali tenetur ferre hanc legem, & tenetur illam manutenere ſub mortali.* Hæc Reſolutio tollit aut ſaltem evacuat omnes difficultates, quæ in hoc genere moveri poſſunt. Nam (1) ſi ad finem teneatur ſub veniali, non tenebitur graviùs de mediis (legibus neceſſariis ferendis, aut manutenendis) cogitare. (2) Si ad finis graviter obligatorij, leviter alicuius legis obſervantia conducat, etiam illius legis aut pronuntiatio aut conſervatio obligabit ſub peccato veniali. (3) Si finis ſit graviter obligatorius, & lex efficax medium præſcribat, & tamen hoc non ſit vnicum, ſed ſint alia efficacia, Superior, qui lege alterum medium mutet in alterum, etſi nulla cauſa ſuccurrat, non peccabit mortaliter. Et hoc ſignificant illa S. Bernardi verba, *vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur.*

An etiam quas debeat ſub veniali?

Reſolutio III. *Quando certò finis adæquatus legis ceſſat contrariè, ceſſare ipſammet legem, certum eſt. Quando autem ille ceſſat contradictoriè, eum etiam ceſſare, eſt probabile. Si dicatur legem non ceſſare ex natura rei, quando eius finis ceſſat contradictoriè, ſi à ſubdito diſpenſatio petatur, datur diſpenſandi neceſſitas.* Demonſtratur; nam ſicut non poteſt ferri lex inutilis aut pernitioſa ſic nec manuteneri poteſt lex, quæ ſub initium erat utilis aut neceſſaria, ſi mutatis circumſtantiis inutilis aut nociva reddatur. De nocivâ nulla eſſe poteſt difficultas: ſed nec vlla de inutili debet; nam leges ſunt gravamina, nec Prudentia tolerat, ut ſubditi graventur ſine cauſâ.

An, & quomodo ceſſante fine ceſſet lex?

921 *Quid, ſi legis finis probabiliter ceſſet?*

Reſolutio IV. *Ceſſante fine adæquato legis probabiliter non ideò ceſſat legis obligatio.* Oſtenditur: nam lex eſt in certâ poſſeſſione & non poteſt per cauſam probabilem ſuâ certâ poſſeſſione privari. ita Severinus, cui S. Bernardus adhærere videtur. Sed tametſi hæc doctrina ſit bona poterit cum Vigilantio Lector aliter philoſophari.

Reſo

Resolutio V. *Cessante fine adaquato legis probabiliter, etsi legis obligatio non cessare dicatur, certum tamen est, posse, & aliquando debere illos, quibus datum est, dispensare.* Porrò, ut sciremus, quo sensu loqueretur, posuit illa verba *visa fuerint*; nam, cùm aliud sit *rem esse*, & aliud toto cœlo diverso, *rem videri*: (illud enim importat certitudinem, & hoc tantummodò probabilitatem) certum est Sanctum Bernardum de lege agere, cuius finis probabiliter cesset. Et postea, nequis existimare posset, esse cuiuscumque Theologi declarare, An lex hæc obliget? posuit illa verba, *his dumtaxat, quibus hoc posse videre datum est*, &c. nam solis Prælatis est commissa regulæ dispensatio. Quam ob rem positâ cessatione finis probabili, ante legitimam dispensationem dicendum est legem nondum cessasse: sed post legitimam dispensationem non esse probabile, sed certum legem, cessare.

An concedere dispensationē Prælatus debeat, si causa probabilis sit?

Petis primò, quid Resolutionis importent illa verba, *possunt, & aliquando debent?* Respondeo consonare illis Sancti Bernardi, quæ *in fin. cap.* 1. leguntur: videlicet, *Ita sanè necessaria* (præcepta dixerim) *vt ex eis minimè præiudicetur, necessariis rationabilibúsque dispensationibus.* Sunt ergo licentiæ & dispensationes (rationabiles) quæ possunt; & sunt (necessariæ) quæ debent necessariò concedi.

Quando superior possit, & quando debeat, concedere dispensationē?

Vt alteras distinguamus, ab alteris, non videmur prudenter ad evidentiam & probabilitatem recurrere: ita, ut cessante legis fine evidenter, debeat dispensatio necessariò concedi; & probabiliter cessante, possit: nam cessante fine adæquato evidenter, cessat per seipsam lex, etsi nulla dispensatio interveniat: & hoc quando contrariè cessat finis manifestè conspicitur: nam ægrotus, cui jubeat Prælatus, ut talem medicinam hauriat, tenetur sumere: sed, si post præceptum in illam quis lethiferum venenum infuderit, etsi Prælatus nullam dispensationem concedat, tenebitur illam non sumere. Ergo ab alteris alteras sic distingue, *vt cessante probabiliter fine adæquato legis, si nemo postulet, dispensationem posset Superior concedere aut non concedere; debeat tamen, si subditus illam imploret:* negare enim non potest subdito, quæ rationabiliter petit, nisi subsit causa, quæ maius bonum ipsius subditi aut communitatis concernat.

Cùm adæquatus legis finis cessat evidēter nulla dispensatio requiritur.

Quando Superior possit, & quando teneatur dispensare?

922 Petis secundò, *Cur S. Bernardus non egerit de casu, in quo adæquatus finis legis certò cesset?*

An finis legum regularium possit aliquando certò & manifestè cessare?

Respondeo ipsum agere de observantiis Regularibus, quæ in S. Benedicti Regulâ continentur: quæ cùm bonæ sint, & cum Charitate connexæ, licet possit aliquando contingere, vt mutatis circumstantiis hæc connexio probabiliter intercidatur: non posse accidere, videtur opinari Bernardus, vt hæc ipsa connexio evidenter rumpatur. Hanc viam non pauci inivērunt Theologi in Quæstione, quæ interrogat, *An ille, qui sine periculo legere libros Hæreticorum possit, dispensatione indigeat? An verò lex, quæ interdicit libros ob cessationem finis in illo particulari, ante omnem dispensationem cesset obligare illum particularem?* Quia Hispanus dicit, *Contra la Inquisicion, Chiton.* nemo audet laxas vias inire; &, ut Resolutionem contrahant, ad varia fundamenta recurrunt. Alij enim asserunt libros interdici ob duos fines: cùm, ne Lectoribus noceant, tum ut Authores puniantur: unde etsi primus finis cesset, secundus non potest deficere. Alij autem, etsi solùm finem primum cognoscant, asserunt illum non posse evidenter cessare; &, si fortè probabiliter cesset, non præjudicare legi, cuius est certa existentiæ possessio; & in hoc cum Sancto Bernardo discurrunt. Alij discurrunt aliter. Eorum sensa in nostrâ Fundamentali heologiâ accuratiùs examino.

An lex, quæ libros interdicit cessanda aliquando sit ob finis cessationem cessaret

Cur mali libri interdicantur?

Vt ha doctrinas adfirmemus alios locos addamus. *Cap.* 1. sic inquit: [Non omnibus in huiusmodi credita est dispensatio: nisi his dumtaxat, qui cum Apostolis dicere possunt, *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Novit autem fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ibi tantùm vsurpare dispensationem, vnde bonam possit habere recompensationem. Hoc quippe quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Et eadem fortasse fidelitas à subditis nihilominus in obtemperando, quæ à Præpositis in dispensando.] & mox. [Quia tamen ab hominibus (sunt instituta) etiam per homines loco & officio illis Canonica electione succedentibus, licitè interdum innoxiéque pro causis, personis, locis, & temporibus, dispensantur. Vbi sanè, qui legit, attendat, me cautè non dicere, ea posse, vel ab istis leviter pro voluntate mutari, sed ex ratione fideliter dispensari. Ideò autem hanc mutationem taliter, & à talibus recipere possunt, quoniam non naturaliter, nec per se bona sunt.

913 *1. Cor. 4. 2.*

An in dispensationibus fidelitas servanda sit

An possint sine causâ concedi?

Et posteà *cap.* 4. *num.* 9. subiungit. [Ex magnâ parte Regularis Traditio subest eius, qui præest, etsi non voluntati, certè discretioni. Sed dicitis: Quid ergo relinquitur necessitati? Audite: quàm plurimùm: Primo quidem quidquid de spiritualibus in ipsâ Regulâ traditum est in manu Abbatis (ut supra taxatum est) nequaquam relinquitur. Deinde reliqua pars, quæ in corporalibus constat observantiis: ne ipsa quidem in cuiusquam ita volūtate posita est, ut eiusdem deserviat voluntati, sed magis Charitati. Neque enim Abbas supra Regulam est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit, etsi (quod negandum non est) Dei Regula Charitas, Regulæ Sancti Benedicti jure præponitur. Esto proinde, ut interdum Regulæ litera cedat pro tempore Charitati, cùm ratio necessitatis vel Charitatis exegerit: absit tamen ut hominis cuiuspiam subdatur voluntati. Super fratrū sane transgressiones, non super PP. traditiones constituitur, qui Abbas eligitur mādatorū cultor

924 *Omnes Observantiæ Regulares, non voluntati, sed discretioni Abbatis subjunt.*

Abbas non est supra Regulam.

Charitas est Regula Dei: hoc est data à Deo.

&

& ultor vitiorum arbitror namque sanctas illas observantias Prælatorum prudentiæ & fidei creditas: non subditas voluntati. Hinc est quod idem Legislator, in his quæ Abbati dispensanda reliquit: caute nusquam (ut nemini) voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut providentiam, aut certè arbitrium, seu aliquid huiusmodi ponit volens nimirum providum fidumque dispensatorem, rationis ubi fortè dispensat, sequi iudicium, non suæ placitum voluntatis. Vnde & intimat ei non semel, quod de omnibus iudiciis suis Deo redditurus sit rationem. Lego profectò in Regula. Hæc consideratio penes Abbatem sit: & hoc vel illud esse in providentia vel arbitrio seu dispositione Abbatis. Vt autem pro suâ voluntate aliquid mutet: me ibi legisse non recolo, quinimò in omnibus, inquit, omnes magistram sequantur Regulam: nemo ergo suam voluntatem. Vbi sanè nec Abbatem excipi puto. Videtis quantum necessitati tribuitur: subtrahitur voluntati? Quid etiam? Nonne regularis ipsa professio quà se iunior subdit sponte Priori æquè alligat & Priorem? Communis æquidem pacti pari reor utrumque necessitate teneri: fietique duos per unius sponsionem alterutrum debitores: fidelis curæ unum alterum humilis obedientiæ. Quid nam igitur iam voluntati relinquitur, ubi & prælatus debiti necessitatem tenetur.]

Peccat Abbas, si in Regulâ dispenset sine causâ.

Non potest iubere, aut facere omnia, quæ velit.

An Abbas Regulæ subditus sit?

An acceptâ de subditi promissione, compromittat?

925 QVÆSTIO VII. *An, si certum & indubitatum preceptum præcesserit, ut quis tutâ illud conscientiâ non observet, dubia aut probabilis dispensatio sufficiat, an verò infallibilis & manifesta requiratur?*

Quomodo lex naturalis obliget?

Fortè diceret Titius, nequidem manifestam & certam sufficere, nam præcepta sunt æterna, & sicut non potuerunt non ferri, sic nec poterunt tolli. Quamobrem, cùm maneat lex naturæ, quæ non est lata, sed nata, tametsi per impossibile dispensaret Deus, adhuc evidenti & indubitatâ positâ per impossibile dispensatione homicidium, adulterium, furtum, mendacium, &c. essent peccata. De hoc argumento in Præter intentionali Theologiâ disserui, & in singulis præceptis huc pertinet Quæstio septima, quæ uberiùs *num.*1942. dilucidatur. Nam hic actus, *Ego occiderem, si homicidium non esset peccatum*, in omnium sententiâ erit bonus: at iste, *Ego occiderem, si Deus, aut non inhibuisset homicidia, aut in eis dispensasset*, non est statim à peccato eximendus: nam, si tota malitia Theologica, quam homicidium habet, provenit à lege Divinâ, hac per impossibile sublatâ nulla in homicidio remaneret malitia: si autem præter legem Divinam lex naturalis Theologica in ipsismet rebus posita concedatur, tunc homicidium interdicetur duabus legibus, & sublatâ alterâ, quoniam maneret altera, esset malum, & peccatum mortale. Vide Vasquez *in part. 2. disp.*116. *cap.*2. *in fin.* & Dianam *part.*3. *tract.*6. *resol.*4. &c.

Pergeret adhuc Titius, & diceret. Sanctus Bernardus *in Tractatu de precepto, cap.* 18. *num.*55. [& habetur *tom.*4. *pag.*83. *a.*] Carnotenses Monachos à quibus fuerat consultus, alloquitur his verbis. [Sed dicitis. Et quis obediat scienter indigno, etsi non manifesto? Fratres, nonne legistis, & in vestrâ, & in Veritatis Regulâ, *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Quæ dicunt facite: secundum autem opera illorum nolite facere.*] *Matth.*23. *a.* Et hinc deduceret hoc argumentum Titius. Magistri sunt ut doceant subditos pietatem. At improbi pietatem dedocent, & vitia inserunt; est enim scandali potentissima activitas. Ergo impietas Superiorum est dispensatio: nam cessat contrariè legis finis. At hoc non obstante præcepta obligant teste Bernardo. Ergo semel posito præcepto, ne quidem eximeret ab operandi obligatione certa & manifesta dispensatio.

An Superiori indigno obediendum sit.

916 Respondeo Legem Naturalem Philosophicam æternam esse: & sicut hæc positio, *Triangulus habet tres lineas*, æternæ veritatis est, & in ipsâ nemo arbitrari potest: sic etiam hæc, *Mendacium est oratio rationi dissonans*, est æternæ veritatis, & in illâ non potest Deus, aut dispensare, aut arbitrari. Mendacium Deus lege positivâ interdixit: ergo hodie duas malitias habet: alteram Philosophicam, à terminorum connexione provenientem, & alteram Theologicam, à lege Divinâ promanantem. Positâ Legis Divinæ certâ & indubitatâ dispensatione, adhuc maneret Philosophica, & adhuc mendacium esset philosophicè, non verò theologicè malum. Et, si lex quam nos Philosophicam dicimus, esset Theologica & obligaret conscientias, adhuc positâ per impossibile dispensatione Divinâ, maneret homicidium malum, & esset peccatum. Nam ubi duæ, vel plures leges independentes sunt, alterius legis dispensatio tollit malitiam, quæ à seipsâ resultat, non quæ resultat à lege alterâ. Vnde in nostro casu, si Deus in homicidio dispensasset, manente adhuc adhuc Lege Naturali Philosophicâ, homicidium, careret malitiâ quæ provenit ab interdictione Divinâ.

Lex Naturalis Philosophica immutabilis est.

An homicidium adhuc esset peccatum, si per impossibile dispensatio divinitùs concederetur?

Ad authoritatem allatam respondeo Carnotenses in pluribus allucinari: primò enim confundebant has propositiones, *Prælatus committit crimina*, & *Prælatus in legibus à se iuste latis dispensat*, aliud est enim *peccare*, & aliud toto cœlo diversum *dispensare*. Vnde Prælatis, quamdiu nobis bona imperent, etsi ipsi mala faciant, obedire debemus. Secundò scire velim, quomodo Superior *scienter indignus*, & tamen *non manifestè indignus* esse possit.

Hæ propositiones Prælatus Regulam non observat, & Prælatus in Regulâ dispensat, non sunt æquipollentes.

927 IN Dialexi *à num.*794. hanc Quæstionem exposui: & in præsentiarum, ne eadem repetam, unam solam lineam Bernardi illustrandam adsumo. *Quod probari non potest*, ait S. Pater, *mihi infectum est.*

Exponitur illud Pronunciatum Iuridicum, Quod probari non potest, mihi infectum est.

Dico igitur primò, ibi agere D. Bernardum, de informatione plenâ; quoniam de Abbatis depositione disputabatur: & ille quantumvis indignus & intrusus, nisi eius

Est de plenâ informatione intelligendum.

eius plenè probaretur indignitas, nō posset ab officio deponi. Proderit ponere verba formalia. Sic enim scribit: [*Vos me in hac difficultate consilij facilè expeditis, etiam deinde sequimini, & quatenus accipi hoc ipsum velitis, quod appellatis irregulare, aperiendo subiungitis: præsertim, si electionis irregularitas adeò involuta sit, & intorta, ut licet de eâ coram Deo non dubitetur; coram hominibus tamen, aut vix, aut nullatenus convincatur.* [a] *Venit nunc in mentem sapiens Elogium.* Occasionem quærit, qui vult recedere ab amico: *Quoniam modo vos irregularem dicitis electionem, quæ cassari regulariter* (secundum leges Regulares) *non valet, aut reprobari? Et quidem legitur,* Quod probari non potest, mihi infectum (non factum) est. *Sed dicitis*, &c.] Ita S. Pater *libell. de præcept. & disp. cap.* 18. *num.* 55. *pag* 83. *a.* Ergo illa Maxima, quâ ipse murmurationi Monachorum Carnotens. satisfacit, æquipollet huic. *Quod plenè probari non potest, mihi infectum est.*

a] Nota illud cōvincatur. Ergo agitur de informatione plenâ. Prou. 18. a.

Quid sit, electionem cassari regulariter.

Dico secundò, ex hac Maximâ inferri, *Præceptum debere esse certum, vt obliget.* Pono exemplum. Petrus bonâ fide matrimonium contraxit: sed posteà supervenerunt scrupuli & dubia, quæ transeunt in rationes probabiles circa nullitatem matrimonij. Quid faciet? Sunt tres scitu dignæ sententiæ.

An obliget præceptum incertum? De Matrimonio bonâ fide contracto, si posteà superveniant rationes dubitandi probabiles.

Nec reddere, nec petere posse debitum asserit Altisiodorensis 3. *part. tract. vltim. cap* 2. Adrianus *in* 4. *tract. de restitut. quæst. de præscript.* Ioannes de Medina *Cod. de restitut. quæst.* 17. Petrus Soto *lect.* 2. *de matrim.* Hanc autem doctrinam alij limitant; ita, ut tunc tantum vera sit, quando quis cum dubio contraxit: tunc enim non est possessor bonæ fidei. Ita Sotus *in* 4. *distinct.* 17. *quæst* 1. *artic.* 3. *& distinct.* 37. *quæst.* 1. *art.* 5. Lopez *part.* 2. *de matr. cap* 39. Vega *lib* 3. *summ. cas.* 155.

Posse in casu reddere, non autem petere debitum, asserit Salas *in* 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disput. unic. sect* 22. *num.* 220. Coninckius *de sacrament. disput.* 34. *num.* 101. Merolla *tom.* 1. *disputat.* 3. *cap.* 3. *num.* 168. & alij.

Et probant primò *ex cap. Inquisitioni, de sententiâ excommunic.* vbi Pontifex respondit huic hærendo sententiæ: sic enim ait: *Cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discretâ, quamvis non evidenti & manifestâ, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet; ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam.*

An coniuges possint reddere, & petere debitum?

Probant secundò ex Sancto Thomâ *in* 4. *distinct* 41. *quæst. unic. art.* 5. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. qui sic inquit: *Aut habet certam scientiam de impedimento matrimonij, aut opinionem. Si primo modo, nec exigere, nec reddere debet. Si secundo debet reddere, & non exigere*

Posse reddere & petere, non solùm, qui putat utramque esse æquè probabilem, sed etiam, qui sententiam, quæ impedimentum asserit, esse probabiliorem, tenet Martinus de Ledesma, 2. *part.* 4. *quæst.* 54. *art.* 4. *col.* 1. Petrus de Ledesma *de matrim. q.* 45. *art.* 1. *in fin.* Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disputat.* 42. *num* 9. *& disput.* 44. *num.* 4. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 13. *num.* 7. Sed id esse verum post adhibitam diligentiam affirmat.

Etiā minùs probabilis opinio, est secura in conscientiâ.

Vtramque opinionem esse Probabilem asserit Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 15.

Verricellius cuius ingenium, eruditionem, & diligentiam magni facio, *tract.* 2. *quæst.* 35. *num.* 5. *pag.* 116. 4. sic statuit: [Cùm in rebus Practicis plena certitudo frequenter haberi nequeat: proinde, quodcumque præceptum sive humanum sive Divinum, sive Naturale rectè observatur, sequendo id quod Probabile est, etiam omissa Opinione Probabiliori & tutiori. Ergo etiam præceptum de non fornicando, observatur ab eo, qui accedit ad eam, quam probabiliter credit esse suam coniugem. Ergo etiam ante adhibitam diligentiam, qui probabiliter credit matrimonium contractum validum esse, poterit & uti petendo debitum: neque ita violat præceptum de non fornicando.] Sic ille.

Potest quis uti sua uxore, etsi matrimonium invalidū probabilius sit.

Et quid sentit Bernardus? Illi generali Protheoremati, *Quod plenè probari non potest, mihi infectum est.* insistit: &, si agatur de præcepto, stare à libertate debet, & dicere, *Præceptum, quod plenè probari non potest, mihi (mea sententia) nunquam fuisse impositum censendum est.* Ergo in præsenti materiâ, si matrimonium fuit bona fide contractum, & supervenit dubium, aut Probabilitas de dirimente aliquo impedimento, illud erit plenè probandum: &, si probari non possit, dicet sanctus Bernardus, *Impedimentum quod plenè probari non potest, mihi (me iudice) nullum esse censendum est.* Ergo, donec plenè constet de impedimento, coniux dubitans, aut habens opinionem Probabilem, aut pro parte alterutrâ Probabiliorem, poterit reddere, & petere debitum.

Quale præceptum sit, cuius existentia aut verum plenè probari non possit.

929 *Dubitatione examinandi rem, & quærendi veritatem sequitur obligatio.*

Superveniens dubium aut opinio inducit examinandi obligationem: & in hoc Villalobos & Verricellius, etsi dissentire videantur, eamdem sententiam debent necessariò tenere. Petrus, qui hæreditatis iure, suo patri in bonis universis successit; si posteà fortè dubitet, an talis equus suus sit? debet examinare: &, si examen omittat, peccabit mortaliter: quia Probabilitas invincibilem ignorantiam supponit, quæ non reperitur, ubi potest sciri, sed non quæritur veritas. Cæterùm, ipse Petrus, dum rem examinat, dum veritatem investigat, manet in possessione legitimâ, & poterit licitè uti illo equo: quem tamen debebit restituere, cùm primùm certò cognoverit, alius eum esse. Ergo eodem modo de matrimonio philosophandum est. Illud inivit Anselmus bona fide. Sed post mensem ex. gr. incipit dubitare & opinari subesse diri-

Non datur Probabilitas ubi resciri potest veritas.

Qui bona fide incepit possidere, si posteà dubitat & tamē inquirit, & diligentias convenientes adhibet, ut veritatē cognoscat, poterit interim re possessa uti donec certò esse alterius cognoscat.

mens impedimentum. Tenetur, inquam, rem examinare: &, si examen negligat, peccabit mortaliter, & suam uxorem malâ fide possidere dicetur. Cæterùm, si statim incipiat facere diligentias, quas prudentia præscribit, manet in priori possessione, donec certò cognoscat matrimonium à se contractum fuisse nullum. Ergo licitè poterit debitum reddere & petere, ut scitè dicebat Verricellius.

Etiam in matrimonio verificatur hæc doctrina.

Exponitur Prima Sententia.

Oportet modo respondere Adversariis. Et ad primam sententiam aio, illam habere locum, ubi matrimonium cum dubio, adeoque malâ fide contrahitur: sed nos agimus de matrimonio inito bonâ fide, & superveniente Opinione Probabili.

Pontifex & S. Thomas eodem modo interpretandi sunt.

Ad secundam respondeo, eodem modo Pontificem & S. Thomam intelligendos esse. Agere illos de casu, in quo opinio non sit utrimque probabilis, asserit Verricellius *loc. cit.* & Aversa *de matrim. quæst.* 21. *sect.* 2. *pag.* 644. *b.* Sed hæc responsio non satisfacit; supponit enim non solùm falsum sed etiam impossibile: esse enim Probabilem alteram contradictionis partem, quin opposita sit etiam Probabilis, impossibile est. Aliam solutionem exhibet *loc. cit.* Aversa dicens. [Textus ille debet intelligi, quando res est simpliciter dubia] Et, quia non potest esse simpliciter dubia, si matrimonium fuit bonâ fide contractum; tollit enim dubium propriè dictum possessio, manet iterum in priori loco difficultas: nam Vel uterque contraxit malâ fide, & tunc neuter potest reddere, aut petere debitum: Ita Coninchius *de Sacram. disp.* 34. *num.* 102. *pag.* 858. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 11. *n.* 5. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 42. *num.* 8. & alij. Vel alter contraxit dubius, adeoque malâ fide, & alter bonâ fide, hoc est, habens pro se opinionem probabilem: & tunc, sicut dubius se accommodat iudicio probabili alterius, ut reddat debitum: se similiter accommodare eidem probabili iudicio poterit, ut petat debitum. Ergo tu responde cum Coninchio *de Sacr. disp.* 34. *num.* 106. *pag.* 859. & dic. [Caput. *Inquisitioni* Etsi indistinctè loquatur, tamen, ut patet ex rationibus, intelligendum est de iis, qui non dum sufficienter inquisiverunt veritatem; quibus ignorantia reputatur vincibilis.] Ergo, qui noluit examinare veritatem, & tamen habet rationes graves, ob quas dubitet, non habet ignorantiam invincibilem, adeoque nec Opinionem Probabilem: hæc enim, ubi sciri potest veritas, locum non habet: ergo iste petere debitum nequit, quia sponte veritatem ignorat: & reddere debet, nam alter est in possessione legitimâ, cui sua negligentia nequit præiudicare.

An una Propositio possit esse Probabilis, quin opposita similiter Probabilis sit?

Non est purum & simplex dubiū, ubi datur possessio.

An possit quis adhærere alterius possessioni Probabili?

In quo quis casu nō possit petere debitum, & tamen reddere teneatur.

An post Præceptum Certum sufficiat Dispensatio Probabilis.

EX EODEM Protheoromate constat, quid de dispensatione dicturus est S. Bernardus. Standum enim est (sic enim videtur tenere Sanctus Pater) pro possessione præcepti, donec certò constet concessam fuisse dispensationem: quoniam *dispensatio, quæ plenè probari non potest, mihi inconcessa* (*nunquam concessa*) *est.* Bernardus ergo Severino consentit. Vide Dialexim *num.* 297. & 938. Et eodem prorsus modo philosophatur. Ægidius Coninchius *de Sacram. disp.* 34. *dub.* 10. *concl.* 3. *num.* 103. *pag.* 858. *b.* scribit enim. [Quando constat impedimentum fuisse contractum, sed dubitatur, an sit sublatum, iterum distinguendum est: Nam vel dubitatur, an ulla omninò obtenta sit dispensatio: & tunc, sive dubium sit negativum, sive positivum ob probabiles pro utraque parte rationes, non potest matrimonium contrahi sine nova dispensatione: &, qui cum tali dubio contraxerunt (nisi ignorantiâ ob gravis viri authoritatem [a] excusentur) non possunt eo uti, quamdiu hoc dubium manet: Quia Possessio stat pro impedimento. Quod si constet fuisse obtentam dispensationem, sed dubitatur de eius valore, tunc quando utrimque Probabiles sunt rationes, præsumitur valere.] At ego sic hanc doctrinam intelligo, ut Dispensatio bonâ fide obtenta sit, & bonâ fide illâ sponsi usi fuerint, & crediderint certò validam. Tunc enim propter supervenientia dubia non debent torqueri, quousque certò constet, quòd certò valida non sit. Si autem semel constet, aut esse tantùm probabile fuisse concessam, aut fuisse certò concessam, sed tamen esse probabiliter validam, ego differentiam invenire nescirem. Tu rem considera.

Aliud est de existentiâ Dispensationis & aliud de eiusdem valore dubitare.

a] Ergo Coninchij sententiâ Viri gravis authoritas sufficit ad Probabilitatem.

An idem sit Dispensatio probabiliter concessa, ac Dispensatio certò concessa, sed tantùm probabiliter valida?

Etiam cum S. Bernardo & Severino, agens de Donatione, & Promissione acceptatâ, resolvit Verricellius, quoniam *tractat.* 3. *quæst.* 57. *num.* 8. *pag.* 220. *b.* sic scribit. [Si prudenter consideratis circumstantiis, adhuc dubium sit, an ea (puta rerum & circumstantiarum) mutatio, ac superveniens paupertas, tanta sit, quod deobliget ab acceptatâ donatione: tunc præsumendum est pro vinculo donationis, quæ est in possessione obligandi, donec [N. B.] evidenter constet de excusatione: proinde tunc ea promissio obligat. Ita Sanchez *in Sum. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 13. 34. & 52. & Eminentissim. Lugo *de Iust. tract.* 2. *disputat.* 23. *num.* 91.] Ecce contra possessionem hic Vir doctus, nec Probabilitatem, nec Probabilioritatem admittit: sed evidentiam (hoc est, certitudinem) requirit. Ergo, quia libertas est homini naturalis, & est in possessione, nemo obligari censendus est, nisi lex aut præceptum sit certum. Ergo, si præceptum, iuramentum, votum, promissio, &c. sint in possessione, nemo ad Bernardi, Severini, Verricellij, & aliorum illustrium Theologorum mentem, deobligari censendus est, nisi dispensatio, aut circumstantia illa, quæ solvit obligationem, fuerit certa.

An notabiliter mutatis circumstantiis promissio obliget?

Quid in dubio decernendum sit?

Possessioni, nec Probabilitas, nec Probabilioritas, sed sola Certitudo præiudicat.

NOTA

NOTA I.

De Morali Dialecticâ.

930 *An, qui Moralia scribunt leges Logicæ serè observent?*

AMo Logicam; quam non omnes, qui scribunt Moralia, percallent: nec illi semper, qui percallent, observant. Et ego addo istum Paragraphum propter Angelum Mariam Verricellium, quem paulò antè citavi, & laudavi, Virum vere eruditum & doctum; qui duobus, iisque gravissimis præjudiciis laborat in Probabilitatis materia: nam (1) non bene illam secernit à dubio: & (2) posse dari existimat Assertionem Probabilem, cuius oposita non sit etiam Probabilis. [PRIMVM PRÆJVDICIVM, *n.*4. §.*Probatur primò.* reperio: ibi enim sententiam suam suadet sic. Plus est operari cum dubio, quàm cum opinione Probabili. Sed is, qui bona fide contraxit, si post adhibitam diligentiam perseverat dubius de valore matrimonij potest petere & reddere debitum: sicut enim possessor bonæ fidei qui post diligentiam perseverat dubius, potest rem ipsam distrahere & consumere: ita, qui bonâ fide contraxit matrimonium poterit liberè eo uti post diligentiam.] Et citat Sot. Henriq. Sanch. Suarez, Coninck. Laymann. Dian. Villalobos, Valent. Filliuc. Reginald. &c. subjungitque. [Ergo, si pòst adhibitam diligentiam, qui bonâ fide contraxit, potest perseverante dubio petere debitum, poterit quoque à fortiori petere, si probabiliter credat validum esse matrimonium quamvis Probabile, imò Probabilius putet ipsum esse invalidum.] ALTERVM PRÆJVDICIVM exprimit *n.*6. sic scribens. [Respondeo posse haberi Probabilem Opinionē de nullitate matrimonij: primò, ut utraq; Opinio reputetur probabilis: secunda ut una reputetur probabilis, de alterâ verò oppositâ nō constet, sed dubitetur, an sit Probabilis.]

Verricellij præjudicia expenuntur.

An dubium sit plus, quā Opinio Probabilis?

Semper est manutenenda possessio.

An à Dubio ad Probabilitatem valeat argumentatio? An quæ Probabili opponitur, sit necessariò Probabilis?

Dico igitur primò, à Dubio ad probabilitatē malè argumentari Verricellium, nam hæc consequentia, *Qui post initum bona fide matrimonium, dubitat de eius valore, potest reddere & petere debitum, Ergo à fortiori, qui de eius valore habet opinionem probabilem, aut etiam minùs, aut magis probabilem,* æquivalet huic, *Qui post initum bonâ fide matrimonium habet rationes leves, ob quas fuisse invalidum incipit suspicari, potest reddere, & petere debitum. Ergo à fortiori, qui pro nullitate habet rationes graves, aut etiam graviores, quam pro eiusdem valore, poterit similiter reddere & petere debitum.* Et, tamen hæc evidēter exorbitat. Sunt enim isti hæ similes. *Te non vicit Thersites, ego nec te Achilles poterit vincere.* Civitatem N. mille homines non expugnaverunt, ergo nec centum millia poterunt. *Hunc equum noluit vendere centum florenis Livius, ergo nec octingentis, volet.* In quibus omnibus ab opposito deberet consequentia procedere. Quam ob rem ego potiùs dicerem, *Etsi post matrimonium bona fide contractum superveniant rationes graves, incertæ tamen (& hæ constituunt Opinionem Probabilem) potest Titius reddere, solvere debitum: Ergo à fortiori, si tantùm leves (& hæ Dubium constituunt) superveniant,* &c. Porrò malam esse argumentationem quæ à Dubio ad Probabilitatem deducitur, percepit Aversa Theologus oculatissimus, quia *tract. de matr. q.*21. *sect.*2. *pag.*644.*a.* notat in marg. [In casu Opinionis Probabilis est alia Regula à casu Dubij.] & in corp. nostram ponit sententiam dicens. [Eamdem rationem sicut de casu dubij aliqui censent de casu Opinionis Probabilis: ut nempe sic opinans, non possit petere, teneatur tamen reddere. Sumunt *ex cap. Inquisitioni. de sentent. excom.* Verùm si quis habeat indicia probabilia, atque adcò opinionem probabilem pro utraque parte: nempe, ex una parte pro veritate impedimenti & nullitate matrimonij; & ex alterâ parte pro falsitate impedimenti & nullitate matrimonij; poterit tutâ conscientiâ operari ex Opinione Probabili de validitate matrimonij, & petere etiam debitum. Imò etiam in casu, quo Probabiliùs appareret matrimonium esse nullum; dummodò non desinat esse Probabilis pars favorabilis de validitate matrimonij, &c.] Et ego hic iterum, doceri vellem, quomodo, si altera pars sit Probabilior, altera possit non manere Probabilis? Semper in his Authoribus occurrit aliquid, de quo conqueratur Dialectica.

Dubiū probabilitate minus est.

931 *Dubitat, qui habet rationes leves, & opinatur probabiliter, qui habet graves.*

N. B. Argumentū à minori ad maius valet affirmativè, ut si dicas, *Hoc pondus unus equus trahit, ergo & unus elephas illud trahere poterit.* Et argumentum à maiori ad minus valet negativè, ut, si dicas, *Hoc pondus non potuit trahere unus elephas, ergo nec unus equus illud trahere poterit.*

Dico secundò repugnare, ut altera contradictionis pars sit probabilis, & altera non sit Probabilis: ut *epist.*17.*n.*555. clarissimè contra P. Izquierdum, Theologum ingeniosum, ostendo.

NOTA II.

Proponitur Melliflui Doctoris de Opinionis essentiâ & attributis: eiusque ab intellectu (evidentiâ) & Fide distinctione sententia.

IN libris de consideratione ad Eugenium Pontificem Maximum, Divinâ illuminatione suffusus meus Bernardus multas, easque obscurissimas difficultates profundè examinat, & ad summam claritatem deducit. Et inter alias eam, quam habemus præmanibus ingeniosè dilucidat. Sed, quia S. hic Doctor, nunquam obscurarū Quæstionum labyrinthum ingreditur, inconsultò Augustino, eius verba, ut filum accepit, quod ab ambagibus illis eximeret. Dixerat Hipponens. Episcop. lib. de vtil. cred. c.11. *Tria sunt velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari. Quæ si per seipsa considerentur, primum sine vitio est: secundum aliquando cum vitio; tertium nunquam sine vitio.* Et posteà. *Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, authoritati; quod opinemur, errori.* [Producit contra nos hanc authoritatem August. Sinnichius *in suo Saule ex rege, c.*97. & ei P. Esparza *in Appendic. artic.*19. respondet.] Mente concipiens hæc Augustini verba, lib. 5. c. 3. Doctor Mellifluus, sic discurrit.

932 S. Bernardus *de Consid. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 5.

Quæ supra nos sunt de bene considerati.

[Dixisti (inquis) satis, quà ascendatur; etiam, quò ascendendum, dicere habes. Falleris, si id speras: ineffabile est. Tu me existimas loqui, quòd oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non ascendit? *Nobis*, inquit, *revelavit Deus per Spiritum suum.* Ergo, quæ supra sunt, non verbo docentur, sed Spiritu revelantur. Verùm, quod sermo non explicat, consideratio quærat, oratio expetat, mereatur vita, puritas assequatur. Sanè eorum admonitus, quæ supra sunt; non te existimes mitti à me, suspicere solem, lunam, stellas, non ipsum firmamentum, non aquas quæ super cœlos sunt. Ista siquidem omnia, etsi supra loco, pretio infrà sunt, & dignitate naturæ. Sunt enim corporea. Tui portio Spiritus est, quo Superius quippiam frustra quæris, quod non sit Spiritus. Porrò Spiritus est Deus, sunt & Angeli Sancti: & hi supra te. Sed Deus naturâ, Angeli gratiâ Superiores sunt: unum siquidem tui & Angeli optimum, Ratio est: Deus verò non sui aliquid optimum habet, unum optimum totus. Is, & qui cum eo sunt beati Spiritus, tribus modis, veluti viis totidem, nostrâ sunt consideratione vestigandi: Opinione, Fide, Intellectu. Quorum Intellectus rationi innititur, Fides authoritati, Opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem; sed Fides clausam & involutam, Intelligentia nudam & manifestam. Cæterùm Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit, potiùs, quàm apprehendit: Omninò in his cavenda confusio, ne aut incertum Opinionis Fides figat, aut quod firmum fixumque est Fidei, Opinio revocet in quæstionem. Et hoc sciendum, quia Opinio si habet assertionem, temeraria est; Fides, si habet hæsitationem, infirma est: Item Intellectus, si signata Fidei tentet irrumpere, reputatur effractor, scrutator maiestatis. Multi suâ Opinionem Intellectum putaverunt, & erraverunt. Et quidem Opinio potest putari Intellectus, Intellectus Opinio non potest. Vnde hoc accidit? Profectò, quia hæc falli potest, ille non potest. Aut si falli potuit, Intellectus non fuit, sed Opinio. Verus nempè Intellectus, certam habet non modò veritatem, sed notitiam veritatis. Possumus singula hæc ita diffinire. *Fides* est voluntaria quædam certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. *Intellectus* est rei cuiuscumque invisibilis certa & manifesta notitia. *Opinio* est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias. Ergo, ut dixi, fides ambiguum non habet: aut si habet, Fides non est, sed Opinio. Quid igitur distat ab Intellectu? nempè, quòd etsi non habet incertum non magis quàm Intellectus, habet tamen involutum, quod non Intellectus. Denique, quod intellexisti, non est de eo quod ultra quæras: aut si est, non intellexisti. Nil autem malumus scire, quàm quæ Fide iam scimus. Nil suppetet ad beatitudinem, cùm quæ iam certa sunt nobis Fide, erunt æquè & nuda.] Hæc mens Bernardus.

An sint cœli, & stellæ? — An spiritualia? — An Angeli, non naturâ, sed gratiâ, hominibus sint superiores? — Tres modi cognoscendi. — Intelligentia, Fides, Opinio. — Quomodo differant? — In quo conveniant? — An qui obinatur, asserat? — Opinio videri potest Evidentia: Evidentia autem non potest videri Opinio. — Quid Fides sit? — Quid Evidentia? — Quid Opinio? — Nota illud Nescias. — Quæ semel intellecta, iam nō quæruntur ulteriùs, neque examinantur.

933 *Quomodo Evidentia ab Opinione & Fide distinguatur?*

Ergo Intellectus (Intelligentia, Certa Intellectio) asserente Bernardo, *est rei cuiuscumque invisibilis* (cur non etiam visibilis?) *certa & manifesta notitia.* Et quia certa, distinguitur ab Opinione: & quia manifesta, à Fide. Nomine *rei invisibilis* intelligit insensibilem & immaterialem: non autem sensibilia & materialia excludit; sed excessum, quo sensus Intellectus superat, prorsus exponit. Et imitatur Aristotelem, *lib. Magnor. Moral.* & *lib.6. Ethic.* & Augustinum *de spiritu & anima*, dicentes, *Intellectum esse vim Animi, quæ sub visum non cadentia percipit; quemadmodum ipsa quoque anima sensûs adminiculo corporatas formas intelligit.*

Quid Intellectus sit?

An Fides & Opinio solâ intensione distinguantur?

Fides est Opinio vehemens, ait Aristoteles 4. *Topic.* cui adhæret Cicero *de Officiis.* Sed hoc est abuti vocabulis: nam Fides non intensione tantùm, sed etiam quiditate ab Opinione discernitur. *Fides appellata est ab eo quod fit. Duæ syllabæ sonant, cùm dicitur* Fides: *prima syllaba est* à facto, *secunda* à Deo. *Interrogo te ergo. Verum credas? dicis, Credo. Fac, quod dicis: & Fides est.* Augustinus *super Ioann. serm.*22. Ergo Fides est virtus practica, & in suo exercitio libera; & ideò apud D. Bernardum *est*, ut vidisti, *voluntarius quidam assensus authoritati innixus, & ad ignotam propositionem, terminatus.* Positis præmissis certis & manifestis intellectum necessariò assentiri communis tenet Logicorum Opinio. Ita Petrus de Aliaco *quæst.* 1. *articul.* 2. *in Posterior.* Sanchez *quæst.* 88. [Consonat Mendoza *disput.*11. *Logica*, *sect.*11. asserens se id ipsum probare *disp.*7. *de Anim. sect.*9. sed ibi hoc non probat ut monet Lalemandetus *in Logic. disp.*9. *partit.*2. *Clyp.*2. *column.* 382.] Et hîc obiter nota Philosophos, cùm necessitatem specificationis & exerciti distinguunt (& admittunt semper intellectum humanum positis certis & manifestis præmissis, ad speciem actûs necessitari, ita ut dissentire non possit: cæterùm non necessitari quoad exercitium, ita ut non possit hærere, & conclusionem non educere) syllogismum vocalem cum mentali confundere: nam licèt datis præmissis certis & manifestis Intellectus consequentiam non inferre non possit; dictis præmissis lingua tacere sine mendacio potest: & cum mendacio oppositam conclusionem inferre. Hinc patet bene à D. Bernardo Fidem ab Intellectu in libertate distingui; ita, ut necessarium sit intelligere, liberum credere: nam positâ authoritate dicentis, est adhuc mihi liberum assentiri, vel non. Nam Hæretici, ne quidem Deo credere volunt, & non credendo peccant: in his autem quæ necessariò facit nemo peccat.

An credere sit actus liber. — Virùm præmissa ad assensum Conclusionis necessitent? — An, & cur Hæretici peccent, quādo non credunt?

Veniamus denique ad Opinionem, propter quam de Intelligentiâ & Fide disseritur. Ex diametro opponitur Intelligentiæ: nam

Intelligentia

Intelligentia	est	*certa*, &	*clara*.
Fides	est	*certa*, &	obscura.
Opinio	est	incerta, &	obscura.

934 *Quomodo opponantur evidētia & Opinio?*

Intelligentia enim, & Opinio opponuntur ratione certitudinis & claritatis: nam illa & certa & clara est, hæc autem incerta & obscura. Interest Fides, quæ ab Intelligentiâ differt obscuritate; & ab Opinione certitudine. [Et hîc interrogas, An sicut inter intelligentiam & Opinionem datur Fides certa & obscura: alius habitus *incertus & clarus* sit possibilis? Et respondeo difficultatem excitasse nunc sufficere: & quæstionem in Philosophiâ à nobis fusè dilucidari.] Considera verba Bernardi. *Opinio solâ verisimilitudine se tuetur. Opinio certi nil habens, verum per verisimilia, quærit potiùs, quàm apprehendit. Opinio, si habet assertionem, temeraria est. Opinio potest putari intellectus. Opinio est quasi habere pro vero aliquid, quod falsum esse nescias.* Et ex eis omnibus Ectheses sequentes deducamus.

An cognitio incerta & clara sit possibilis?

An incertitudo & obscuritas sint prædicata positiva?

PRIMA. *Opinio est incerta & obscura.* Et hæc prædicata non sunt positiva, sed in purâ negatione consistunt: nam ideò incerta & obscura Opinio dicitur, quod certitudine & claritate careat.

Opinio potest evidentia putari.

SECUNDA. *Opinio ad certitudinem tendit, sed ad eam nunquam pervenit*, nam veritatem, quærit potiùs, quàm apprehendit.

935 *An, & quomodo Dubiū in Opinionem, & Opinio in scientiam transeat?*

TERTIA. *Opinio potest putari Intellectus.* Nam, qui rem esse veram putat, quæ non nisi verisimilis est; etiam putare poterit suam Opinionem esse scientiam, nam Opinio similis scientiæ est.

QUARTA. *Opinio, intensione claritatis in scientiam, diminutione in Dubium transit.* Docet S. Thomas Intellectum speculativum, fieri extensione practicum: ut dicamus (si volumus; nam plurimi sponte cæcutiunt) omnem actum practicum esse speculativum, & praxim super speculationem addere. Hac illuminatus doctrinâ assero Dubium positivum intensione fieri Opinionem: Opinionemque etiam intensine fieri Scientiam. Nam, si Dubium constituit ratio levis, hæc intendatur, ut sit gravis, Dubiumque in Opinionem convertetur: nam Opinio est, quam graves rationes, solubiles tamen, constituunt. Et, si hæ intenderentur, quam quærit, qui opinatur, veritatem apprehenderet, & in Scientiam verteretur Opinio.

Quid opinari propriè sit?

An prosit hic ignorantiam vincibilem ab invincibili distinguere?

QUINTA. *Opinari est ex gravi (generali, aut particulari) motivo, quasi habere pro vero aliquid, quod falsum esse nesciat*: adde, *quod esse verum etiam nesciat.* Nec possum indicare esse verisimile, quod esse falsum scio, nec quod esse verum cognosco: quoniam verisimilitudo, non tantum falsitati, sed etiam veritati opponitur. Quæstio, quæ vincibilem ab invincibili ignorantiâ distinguit, hîc locum habere nequit: quoniam voluntarius veritatem addiscendi neglectus, non præstat, ne mens in obscurum & incertum ex gravi motivo festinet; sed facit, quòd culpabilis sit hæc festinatio; nam, qui nescit, & scire potest, tenetur veritatem addiscere. Nota illa verba, *quod falsum esse nescias*, quæ S. Bernardi sunt, & totam nostram Dialexim complectuntur. Quoniam, si de Theologiâ Practicâ disputemus, *Habes Opinionem Probabilem, & in praxi securâ conscientiâ procedis, quando amplecteris sententiam quam falsam esse nescias: quam non cognoscis certò esse falsam.* Nec dici poteris irrationabiliter operari: nam tibi deesse non potest ratio illa generalis, quæ à libertatis possessione desumitur.

An hîc Dialexeos nostræ doctrinam tradat D. Bernardus?

Addidi illud *ex gravi motivo*, quoniam etiam, qui dubitat quasi habet, aut saltem habere solet, pro verâ propositionem de quâ dubitat; sed ex motivo levi. Et hoc vel generale, vel speciale potest esse. Et quia in Theologiâ Practicâ generale non potest deficere, non est, cur motivum quæramus, sufficit enim tibi ut aliquam benignam amplectaris sententiam, *quòd illam falsam esse nescias*: quo ei oppositam esse certam & indubitatam non cognoscas.

In quo Opinio Probabilis à Dubio distinguatur?

Ratio generalis in Theologiâ Practicâ nunquam deficit.

SEXTA. *Rem probabilem non solùm quasi habemus pro verâ, sed pro quasi verâ etiam habemus.*

An quasi habere pro verâ aliquâ propositionem, & illam habere pro quasi verâ distinguantur.

Observas esse violentum vocum ordinem, quæ in Bernardo leguntur, & quia vir eloquentissimus non videtur sine causâ perturbasse periodum, interrogas, *An*, quasi habere pro vero: *& habere pro quasi vero distinguantur?* Et ratio dubitandi est; quia aliàs illud *quasi* verbum *habeo*, & aliàs nomen *verum* afficit. 936

Respondeo in oratione activâ, personam agentem, patientem, & verbum reperiri: & adverbium posse huc vel illuc cadere. Considera positiones sequentes.

Quasi tyranus possidet iura sua.
tyrannus quasi possidet iura sua.
Tyrannus possidet quasi iura sua.
Tyrannus possidet iura quasi sua.

quas nemo dixerit æquipollentes.

Porrò *Tyrannus*, & *Quasi tyrannus* differunt: nam Tyrannus se per vim & gladium ad imperium protrudit, & sicut iniustè ingressus, nonnisi iniustè & violenter suam authoritatem manutenet. Quasi tyrannus verò dicitur quicumque superior, in cuius tribunali, *Dat veniam corvo, & vexat censura columbam*, vel ut Alexander Scotus in vocabulario Iuridico loquitur, [cùm quosdam favoris gratiâ sublimat, quosdam odio vel invidiâ humiliat, & levis suspicionis aurâ condemnat. 5. *quæst.* 7. *cap.* 1.]

Quis Tyrannus, & quis quasi Tyrannus sit?

Possidere, & *Quasi possidere* differunt: nam possidemus corporalia (pecunias, equos, domos, &c.) & quasi possidemus moralia (privilegia, iurisdictiones, dignitates.) Solet *possidere* latè sumi, ita ut etiam ad moralia extendatur: nam, si vocem strictè sumpseris, ex illis quatuor sola secunda propositio reddet sensum possibilem: non enim possidentur, sed quasi possiden

An, & quomodo possidere, & quasi possidere distinguantur?

possidentur iura, si cum Iurisprudentibus loqui velimus.

Quomodo ius & quasi ius?

Ius, & *Quasi ius* differunt: nam gratiæ non sunt vera iura, & tamen sunt quasi vera iura. Gratia dicitur, quia gratis datur. Menander. χάριν χαρίζου. *Gratam gratis da.* Augustinus *super Ioann.* clarissimè, *Gratiam ideò dedit Deus, quia dedit gratis.* Consonat sibi *lib. de natur. & gra.* dicens. *Christi gratia*, &c. *non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod* gratia *nominatur*, &c. Interim tametsi gratiis precario fruamur, sine causâ illis non solemus privari: nam est Iuris receptissima Regula, *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Et ideò gratiæ & privilegia esse quasi iura reputantur.

An gratia sub obligationem possit cadere? Reg. XVI.

Quid sit suum, & quasi suum?

Suum, & *Quasi-suum* differunt. Audi Alexandrum Scotum *verb. Possessor* dicentem [Contendisti talem fundum esse tuum, & probasti. Iudex per executorem suum mittit te in possessionem & facit te verum possessorem. Item volui agere contra G. & eum vocari feci ad iudicium, & contemnit venire: Iudex mittet me in possessionem illius rei, quam petebam; non, ut faciat me verum possessorem, sed ut in fundo maneam, &c.] Ergo in his casibus tu eris verus possessor, ego quasi possessor: fundusque iste erit tuus, & iste non erit quidem meus, sed quasi meus.

937 *Habere ius in rem, & ius in re.*

Hinc ad Bernardum redeo, & phrases *Quasi habeo pro vero.* Et *Habeo pro quasi vero* examino.

Porrò *habere ius in rem*, est minus, quàm *habere ius in re*: nam habet ius in rem, qui illam potest iure petere: & habet ius in re, qui eamdem possidet. Alexander Scotus. [Habere actionem, est minus, quàm habere rem, &c *leg. minus, ff. de Regul. Iur.*] Ergo, qui putat se aliquam Conclusionem demonstravisse, illam habet pro verâ, & formidine caret: qui autem argumentatur ad hominem, concessam ab Adversario propositionem, quam non habet pro verâ, sed pro falsâ quasi habet pro verâ, quia habet ius, ut illam tanquam veram adsumat. Hanc propositionem *Obligatoriam* Nominales appellant: nam, sicut, qui argumentatur, habet ius adsumendi pro vera, sic, qui respondet habet obligationem admittendi ut veram, assertionem quam semel concesserit. Audi Lalemandetum, qui in examine Dialecticæ *part. 1. partit. 4 column. 17. num. 2.* Sic ait. [Demum Obligatoria propositio est quando disputationis ergo sustinemus aliquam propositionem falsam, aut saltem non ita veram, tamen obligamus nosmetipsos ad eam defendendam, eaque omnia, quæ ex illâ corollariè inferri possunt.] Ergo multum à Bernardo discimus, quando Assertionem probabilem *pro verâ quasi habere* docemur: dicimur enim habere ius, ut illam pro verâ adsumamus. Quod est ius, *licere homini supponere esse veram quamcumque opinionem probabilē.* Præterea omnes propositiones probabiles sunt quasi veræ. Ergo nemini erit iniurius qui illas reverà pro quasi veris habeat. An-ne & pro veris habere poterit? Ecthesis.

Habere actionem, & habere rem.

Quid Obligatoriæ Propositionis nomine intelligatur?

938 *An sit temeritas asserere, quæ opinamur?*

SEPTIMA respondebit videlicet. *Opinio non potest putari intellectus. Opinio, si habet assertionem, temeraria est.* Prima pars & secunda fortè viderentur differre; & tamen necessariò coïncidunt: &, ut videas, sic discurro. Opinio ab Errore distinguitur, quod illa incertitudinem percipiat, hic non percipiat: unde, qui opinatur est ægroto similis, qui suum morbum cognoscit, & recurari desiderat: qui autem errat, ægrotus est, & tamen, quia se sanum putat, & se laborare morbo nescit, de medico non est solicitus. Repugnat ergo, ut qui opinatur, se scire putet: nam, vel habet formidinem, vel non habet: si habet, se rem scire putare non potest, quia illam se non scire scit: si non habet, non iam opinatur, sed errat: & non negamus errorem posse scientiam putari. Porrò, qui formidinem habet, & tamen rem asserit, quam esse veram nescit, procedit temerè, ut dicebat Bernardus: qui enim sine sufficiente fundamento iudicat, ab universis temeritatis condemnatur.

Quomodo Opinio & error distinguantur?

An error possit putari scientia?

EPISTOLA

EPISTOLA VIII.

939 a] *Eximij* titulos, tametsi minus notus in aliis Vniversitatibus, Lovanij Doctoribus S. Theologiæ adtribuimus, quos etsi sint Religiosi *Eximios Dominos Magistros nostros*, obsequij gratiâ nuncupamus.

Ad eximium & admodum Reverendum Dominum Magistrum nostrum [a] *P. Gabrielem de Sancto Vincentio, Carmelitam excalceatum, &c. Theologum doctissimum & ingeniosissimum*, &c. *Dominum & Patronum suum observandissimum*, &c.

Mittit ad eum specialem Tractatum de legibus, in quo persuadere conatur nullum esse peccatum Theologicum, si à lege Divinâ præscindatur.

Romam.

SVBTILISSIMAM Controversiam ingredior; nempe, tractatam & retractatam ab innumeris, vix autem expeditam ab aliquo. Pleraque Fundamenta, quæ ab Authoribus ediderunt, vera sunt, bona sunt; prima verò non sunt; & ideò conari debemus, ut adhuc profundius descendentes, Fundamentorum Fundamenta inveniamus.

b] Consultò meam & communem sententiam universis accenseo, sunt enim tam pauci, qui aliter philosophantur, ut Morali Vniversitati nostræ Conclusionis nō obsint.

Sanè Fundamentum commune, cui hodie insistunt universi [b] Theologi, est hoc: *Ad conscientiæ securitatem quæcumque Probabilis Opinio sufficit; etiam minùs probabilis, etsi relinquatur Probabilior & tutior.* Et quidem, si interrogem, cur in re tam gravi, in quâ de gratiâ Dei conservandâ, aut perdendâ; adeoque de vitâ æternâ disputatur, quæcumque sufficiat Probabilitas? Respondent, prudenter eum procedere, qui adhæret Opinioni Probabili; adduntque, incriminari illum non posse, qui prudenter procedit. Sed quid, si Probabilioristæ negent omnia, & voce altiore inclament, *In minùs Probabilis Opinionis delectu minimè reperiri Prudentiam?* Nisi ad me veniant, qui stant à communi doctrinâ, non poterunt bene respondere Adversariis.

940 *An prudenter procedat, qui probabiliori & tutiori opinione relictâ, audet eligere minùs probabilem?*

Ego duas aperui vias; &, si per Invidiam liceat, etiam stravi. ALTERAM, Dialexis *de Probabilioritate*, à nobis exarata, dilucidat: quoniam, si semel admittatur non dari Opiniones Probabiliores & minùs Probabiles quoad nos, tollitur Quæstio, quæ dissolui non poterat: nam Nodum Gordium solui, aut scindi perinde est; aut ut Reges Catholici (Ferdinandus & Isabella) in symbolo dicebant, *Tanto monta*: si enim non datur apud Nos, Probabiliorum & minùs Probabilium certa & indubitata discretio, nulla obligari lege poterimus Probabiliorem eligere; quoniam impossibilia, nec Divina, nec Humana Lex præcipit; & ideò, antequam ad Probabilioris electionem obligaremur, utra esset probabilior, deberemus necessariò cognoscere. Cæterùm, si hæc doctrina, quam Viris doctis & eruditis placuisse video, non valeat obtinere apud omnes, ALTERAM Viam inibo, & omnia quæ de Probabilitatis gradibus (& quæ de eiusdem intensione, aut etiam extensione) dicuntur, condonando, eis DIALEXIM *de Non-Certitudine* opponam, quæ Sententiarum minùs Probabilium & Probabiliorum discretionem non negat, sed non curat; Quæstionem enim ab illâ præscindendo decidit, asserendo, immò etiam demonstrando, *Rationem formalem, quæ reddit conscientias securas, non esse maiorem, æqualem, aut minorem Probabilitatem Opinionis, quam sequimur, sed Non-Certitudinem Contrariæ.*

An dentur sententiæ Probabiliores & minus probabiles quoad nos?

Nulla lex obligat ad impossibile.

Probabiliorum & minùs probabilium Opinionum discretionem, non negat nostra Dialexis, sed illam non moratur.

Omnis profectò Quæstio Practica, *An hoc, aut illud tutâ conscientiâ possit fieri?* pendet ab illâ speculativâ, *An hoc videlicet, aut illud aliquâ sit lege interdictum?* Ergo cespitabit in Practicis, qui in speculativis pede securo non procedat; erit igitur operæ pretium hâc Disputatione de Legibus nostram exornare DIALEXIM, ut in eâ Lector Candidus necessaria omnia inveniens, alios libros quærere non cogatur.

941 *Quomodo Practica dependeant ab speculativis?*

Et cur illam Tuo celeberrimo Nomini consecro? Quia Tibi (Eximie Pater) utraque Theologia (Realis, Moralis) quam acutissimis speculationibus nobilitasti, multum debet: quia multum etiam Angelici Doctoris Schola, quam libris tuis doctissimis, in utrumque Orbem missis, condecorasti & propagasti: quia & ego plurimum, quem à Tuis Fratribus iniustè invasum, ex mero Iustitiæ & Veritatis Zelo, Apolysi defendisti doctissimâ: quæ tam efficax fuit, ut ipsimet Salmanticenses doctrinam, quam in Caramuele incriminabantur, re meliùs inspectâ *tom. 4. in*

Qualis, & quantus sit P. Gabriel de Sancto Vincentio?

1.2.

1.2. *tract.* 13. *de peccatis*, *disp.* 7. *dub.* 1. suam fecerint, & eruditissimè dilucidaverint.

942 *Cos, etsi obtusa, cultri aciem acuit.* Patere igitur, ut Tecum de rebus gravissimis, & summè necessariis disputem: ut meæ mentis tenuitas Ingenij Tui clarissimo splendore suffusa, veram reperiat viam in obscurissimis difficultatibus. Sententias ipse Tuas, Tibi sæpe reponam, quas enim oculatissimè examinasti & discussisti, non debui alterare aut mutare. Nec Tui Ingenij subtilitas Minervam Meam (sic opinor) tanquam pinguem despiciet: quoniam, si καλαμίς, (Italicè, *il temperino*) tametsi affabrè elimata & polita, à cote rudi & crudâ acuitur; etiam acui poterit Ingenium Tuum, dum in Meo præiudicia dedolat, quæ aliorum Scriptorum lectio assidua, & meditatio studiosa parturiût. Interim, si Tibi nihilominùs in aliquâ Resolutione non assuero, ne id reputetur crimini; quoniam non obstante Voluntatis unitate & concordiâ, in Intellectu sumus duo; & hæc ipsa distinctio postulat, ne eodem in universis rebus modo, semper philosophemur. Vale. *voluntatum concordia nonobestintellectuum dissidium.*



EPISTOLA IX.

De securitate. An hæc ipsa Dialexis, quæ Conscientiis securitatem pollicetur, ab Invidiæ dentibus sit secura? Agit de Magnete (sidereo, seu Herculeo lapide) & eius naturalem historiam, Politicè consideratam, attemperat nostræ Dialexi.

Ad Reverendissimum & eximium Dominum, Magistrum nostrum D. Raphaëlem de Oñate, Sacræ Theologiæ Doctorem, &c. nuper meritissimum Sacri Cisterciensis Ordinis Generalem, &c. Condiscipulum, Confratrem, Amicum, & Dominum Observandissimum.

943 *Quam sit doctrina de Probabilitate.*



INgenij vivacitatem, quam Tibi Deus indulsit, & olim admirabantur universi; Aciē, inquam, ingenij, assiduo annorum plurium labore excultam, & industriâ exornatam, veneror; eiusque Splendori doctrinam *de Probabilitate*, quam obscuritatis multi incusant, ut lucem, si quam habet, exserat: sin minùs, quàm capere potest, recipiat, reverentiâ confidenti subiicio. *Quàm utilis!* Hæc doctrina, Præsul Reverendissime, Moralem Theologiam succollat, Controversias difficillimas dirimit, leges dilucidat, & quo exponi modo debeant, aut non debeant, præscribit. Sine hac, nec Pontifices, nec Imperatores, Leges condere: illas nec in Vniversitatibus Magistri exponere, nec iuxta easdem, aut subditi privatim vivere, aut Iudices ferre publicè sententiam poterunt: & ideò est necessaria, Ecclesiastico & Laico; Principi & Subdito; diviti & pauperi; &, ut verbo dixerim, universis. *An promota ab Authore.* Hanc ego, ut opinor, promovi, eiusque securitatem ad *Non Certitudinem* oppositæ Partis reduxi. In hanc, quia sub initium nova visa, obloquebantur aliqui, qui quoniam, aut non poterant, aut non volebant intelligere profundissimam difficultatem, iam eam benigniùs resolvendo, difficilem, & iam severiùs loquendo, improbabilem, vociferabant. [a] At postquam meam Dialexim Salmanticenses, Parthenopei, & Romani Doctores Subscriptione, & Assensu honorarunt; postquam Ordinarij Censores dignam luce asserne-rût, cessavit in Literario Oceano procellosa Obloquutio, & tranquilla subsequuta est malacia. In illam, sic spero, iterum non audebit Temeritas: & confidentiæ huius meæ, rationem & causam subiicio.

a] *Vociferor* minùs usitatum, quàm *vociferor*, sonat *insolenter vociferari*. Vsi sunt hoc verbo Cicero *in Verrem*, Varro 3. *de R.R. c.9.* & alij.

Cur ferrum non sit aufura in Dialexim Invidia?

Qualis lapis sit Magnes? Plinius *lib.* 36. *cap.* 16. Lucretius *lib.* 6.

Est *Magnes* notissimus lapis, de cuius viribus & proprietatibus Plinius & alij Naturæ Indagatores disputarunt. Sic Lucretius, de eius nomine & virtutibus cecinit.

Quod superest, agere incipiam, quo fœdère fiat,
Natura, lapis hic ut ferrum dicere [b] *possit;*
Quem Magneta *vocent patrio de nomine Graij*, &c.

b] Fortè author scripsit *ducere*.

Porrò Græcè vocatur ὁ μάγνης, ητος, ὁ μαγνήτης, ου, & ἡ μαγνῆτις. Alexander Aphr. *in Præf. Probl.* λίθος ἡ μαγνῆτις ἕλκει μόνον τὸν σίδηρον, & *Probl.* 1. ἕλκεται ὑπὸ μάγνητος σίδηρος.

ὁ μάγνης. ὁ μαγνήτης. ἡ μαγνῆτις.

944 *Quæstiones, quæ moveri solent.* Circa huius lapidis virtutem excitant duas quæstiones Philosophi, alteram, *Quid possit?* alteram, *Vnde possit?* In primâ, nam ab experientiâ pendet, nullam repeririunt illi difficultatem: in secundâ, nam

eam

cam intellectus rimatur, universi, & ego cũ illis Terentio: *Nam, si Magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se adliciat & trahat: at rationem, cur ita sit, afferre nequeam.* nesscientiâ, & non ignorantiâ, laborabo, quâ se præpediri fatetur Cicero, & antiqui Philosophi: quibus hodie doctiores non sunt Physici nostri, tametsi multa ingeniosè & curiosè de huius lapidis miraculis scriptitarint.

Cicero 1. de Divinat.

De Magnete armato.

Etiam inermis, fortis est: sed, si armetur, fortissimas vires adquirit. Audi D. rkennium, & Alcazarem. *Magnes*, inquiunt, *armatus, magno Naturæ miraculo centuplo maius pondus adtollit, se non armato.*

Positiones Sacræ 10. Iul. 1640 sub P. Ignatio Deikenmo propugnatæ Lovanij, par. 1. pag. 25. n. 70 Alcazar in cap. 2. Apoc. part. 4. vers. 27. n. 8. §. 3. Livius lib. 1. d. b. M. Maced.

Sumitur etiam Politicè hoc vocabulum, & vocantur Magnetes, qui in Republicâ aut Communitate Primates. Saltem apud Macedones Μάγνητες erant, qui apud nos *Senatores* dicuntur; hoc est, *Principes*, & *Capita Vrbis*, unde Summum Magistratum Μαγνητάρχην, teste Livio, vocabant. Ad quorum hodie labium climantes sententiam, *Authores*, & *Scriptores Classicos* Μάγνητας appellare poterimus: duæ enim proprietates mirabiles, quæ præter cæteras in illis Lapidibus eminent (Polum videlicet respicere, & ferrum adtrahere: nã ob priorem à Latinis nominatur *sidereus*: & ob posteriorem à Græcis Σιδήρεος, *Ferreus*: & ob utriusque energiam Ἡράκλειος, *Herculeus*,] in istis repeniuntur similiter. In Veritatem ipsi ut in Cynosuram (Stellam Polarem) hoc est, ut in Scopum collimant: & secretâ eloquentiæ & conceptuum virtute ad se Auditores & Lectores (φιλομαθεῖς, *Scientiarum studiosos*) adtrahunt, & interdum abripiunt.

Lapis Sidereus, Σιδήρεος, Ἡράκλειος, Herculeus.

Philosophorum Cynosura, seu Stella Polaris est Veritas.

945 His profectò Scriptores excellentissimis prærogativis reddi felices crederem, ni hic ipse lapis *Calamita* vocaretur ab Italis, quod ingeniosè scribere, sit longa quædam Scriptorum *calamitas*. In eos illicò Ignorantia coniurat; *ferrum* succlamat: ut tamen victa, triumphum augeat. Meritò vox *Yerro* apud Hispanos & *ferrum*, & *errorem* significat; ut altera significatio Lapidi, altera Scriptori respondeat. Plinius. *Quid ferri duritiâ pugnacius? sed cedit & patitur mores, trahitur namque à Magne lapide domitrix rerum omnium materia*, &c. Sensus realis est pervius: symbolicum expono, & sic inquam. *Que cosa puede haber en una Vniversidad mas pertinaz y peligrosa, que un prejuizio o un error. Si se admitte una vez, rinde los mayores Ingenios, mas con todo esso por mas prejuizios, que uno tenga, cede a la efficacia de las razones, que le propone un Author grave; suffre correccion: y dexando la senda descaminada, que llevaba, se dexa conducir por el verdadero camino*, &c. Tanta est potentia & efficacia Magnetum, qui Orbi literario præscribunt. Hoc præstant etiam, cùm censentur inermes? Et quid, quæso, non præstabunt armati? An-ne armantur literarij Magnetes: Doctores, Principes, Gubernatores? Armantur quidem, rationibus, numeris, legibus, autoritatibus. *I. Caramuelis Dialexis.*

Cur Magnes Calamita dicatur?

Ignaro gladiatori. Cape ferrũ indignabundus populus succlamabat. Plinius lib. 36. cap. 16. Yerro apud Hisp. & ferrũ, & errorem significat.

Quàm sint potentia prajudicia?

Cedunt interim efficaciæ rationum.

An Magnetes Academici possint armari?

Iustinianus in Instit. proœmio

Iustinianus. *Imperatoriam Maiestatem, non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam.* Et Horatius, *Archilochum proprio rabies armavit Iambo.* Et hoc intra Naturæ terminos: nam etiam armantur divinitùs, cùm Divina Maiestas & Clementia imploratur.

Horatius in Epist. ad Pisones.

De armis Cœlestibus.

Hinc ad rem veniens: Librum nostrum (Præsul Reverendissime) quem DIALEXIM inscribo, assero quemdam Magnetem esse: quoniam, si Herculei lapidis adtractiva potentia tunc primùm Plinio asserente innotuit, cùm sub pedibus iacuit, sic incepit tunc cognosci efficacia, quæ non solùm inexpugnabilem, sed in impugnabilem DIALEXIM reddidit, cùm ab Invidiâ temerè proterebatur. Σιδήρεος, & *Sidereus* est. Σιδήρεος profectò quia fortis, quia ferreus: & *Sidereus* quia Cœlum respicit, & certissime in hoc Academico Oceano oberrantes carinas per *Non-Certitudinis* rhombum ad Veritatem portum dirigit.

946

An Telarchus sit Magnes.

Plinius lib. 36. cap. 16. Ex Nicandro. Pastor, cum pecus pasceret, cum forte haberet ferratum (crepidas ferreo clavo conclaves) animadvertit lapidẽ hunc ferro adhærescere, &c.

Multa olim ausus, aut etiam præstare potuit, cùm inermis: sed agebatur SPE, & METV: unde enim speraret, & unde timeret, habebat. At hodie doctissimis D. Michaëlis de Fuentes, & D. Antonij de S. Pedro Apolysibus armatus & dilucidatus, *magno Eruditionis miraculo, se non armato, centuplo maiores vires exserit.* Et tanto patrocinio obumbratus, NEC SPE, NEC METV, exclamat cum Philippo II. Caret inquam Spe; & practicè, & speculativè. Caret inquam speculativè, in rebus enim quæ ad Contemplationem spectant, & subsunt opinionum dissidio, [qualis est illa Quæstio, quæ interrogat, *An rem Sacram in loco sacro furari, sit simplex aut duplex peccatum?* quæ pendet ab illâ Morali, *An duæ formæ Morales (duæ malitiæ) puro numero distinctæ inesse possint eidem actui?* Et ab illâ Reali, *An duæ formæ distinctæ puro numero, possint eidem inhærere subiecto?* ubi florentissimæ Scholæ dissentiunt.] posse Demonstrationem inveniri Scolasticorum Prudentia non sperat. Interim, quia hanc ipsam speculativam Demonstrationem in Praxi demonstravit necessariam non esse, in Praxi ille nec Spe, nec Metu præpeditur. Non Spe: non enim esse potest spes, ubi datur possessio: non Metu, quoniam sine formidine, conscientiæ fruitur securitate. Hanc auget Dominorum Michaëlis & Antonij Illustrium Μαγνήτων (utor dialecto Macedonicâ) patrocinium Herculeum: incurret enim temeritatis notam, qui reprobare glicat, quæ Viri tam celebres adprobant. Augebit & Authoritas Tua, si fortè meam Dialexim, & illam illustrantes & firmantes Apolyses, lectione & approbatione honorare digneris. Illas igitur ad Te, summâ confidentiâ transmitto; ut publico hoc testimonio demonstrem, sicut ante quadraginta annos apud *Montem de ramo*, [c] Ingenij Tui sublimitatem suspiciebam, sic etiamnum colere & venerari. Vale igitur (Pater Reverendissime) & dilige te [illegible] Tuum antiquum. &c.

947

An in impugnabilis Telarchus sit?

Lemma Heroicum Philippi II. Hispaniæ Regis erat, NEC SPE, NEC METV.

TELARCHVS in speculativis non sperat Demonstrationes, quas scit Ingenij Humani facultati impossibiles esse: non sperat in Practicis, nam illas habet, & non sperantur, quæ habentur: & nil metuit, quoniã omnem excludit timorem Demonstratio.

[c] [illegible] vocatum Collegium Philosophicum in Gallecia, in quo Condiscipuli fuimus

EPISTOLA X.

Ad Perilluſtrem & Eruditiſſimum Virum, D. Marcum Bravo, Sanctiſſimi D. N. in Congregatione Indicis Conſultorem, &c. Dominum & Amicum ſuum Obſervandiſſimum.

948

Hic ſtellarum Nauticarum binarius *Santelmo* ab Hiſpanis vocatur: hoc eſt, *S. Hermes*, ut Martinus del Rio *in Seneca tragœd. Herc. Furent.* Lorinus & Cornelius à Lapide *in cap.28. verſ. 11. Act. Apoſt.* D. Garcias Coronel *in comment. ad Gongoram. Sol.1 verſ. 99 pag.:8. a.* & alij Viri docti teſtantur.

Agit de Stellis Nauticis, fauſtis, infauſtis: exponitque, quiſnam Helenus; & quinam fuerint Caſtor & Pollux huic Dialexi.



Vna procellam, duæ verò tranquillitatem ſignificant.

QVi per inæquales horizontes Oceani ventis lintea concredunt, certiſſima procellæ, aut inſtantis malaciæ ſigna prævident in carcheſio. Auſpicio infelici una ſtella, felici duæ ſummum velum adlambunt. *Helena* illa dicitur (*Helenus* potiùs) *Caſtor* & *Pollux* iſtæ denominantur. Fuit autem Helena Troiani excidij occaſio: immò & cauſa. Occaſio: nam rapta a Paride, Regis Priami filio, univerſi Græcorum Primores commoti, in Aulide de redimendâ Helenâ, & evertendo Ilio coniurarunt. Cauſa: nam Græci, cùm longâ obſidione fracti, armis diffiderent, diſceſſumque aut cogitarent feriò, aut ex condicto ſimularent, illa ex arce, accensâ face, ad urbem occupandam revocavit: illique advocati & admiſſi, Menelao duce, Deiphobum occiderunt, & urbem, quanta erat, totam incinerarunt. Vnde Cicero, ut oſtendat Antonium Romam perdidiſſe, *Vt Helena Troianis*, ait, *ſic iſte huic Reipublicæ cauſa belli, cauſa peſtis, atque exitij fuit.* Et licèt navigantes hanc ob rem ab Helenâ timere poſſint: ne ſicut Ilium flammis, ſic illos undis devoret, cautiùs timere queunt ab Heleno Priami & Hecubæ filio, quem vaticinio claruiſſe ſcimus, & everſo Ilio, abeuntibus naufragium prædixiſſe. Non ergo videri mirum debet, ſi Helenam aut etiam Helenum Navarchi timeant, velut futuri excidij manifeſtum præſagium. At contrà, ſpem & ſecuritatem concipiunt, cùm Caſtor & Pollux apparent: quoniam, ubi primùm adoleverunt, mare piratis liberarunt, & ideò *Dij maris* habentur, *Apotropæi* (malorum depulſores) dicuntur & à nautis in procellâ implorantur: ut conſtat ex Statio, qui eos, ut periclitanti ligno adſiſtant, & fugent ſororem, implorat. Sunt eius numeri.

Quæ & qualis fuerit Helena?

Quis, & qualis etiam Helenus?

De Caſtore & Polluce.

Cur Dij maris dicantur?

Apotropæi, qui?

Statius lib. 3. Sylvar. Prop. Metij Cel.

—Proferte benigna
Sydera, & antenna gemino conſidite cornu
Oebalij fratres: longè nimboſa ſororis
Aſtra fugate precor, totoque excludite cœlo.

Quò etiam reſpicit iterum dicens,

—Cùm iam damnata ſororis
Igne Theraphnei fugerunt carbaſa fratres.

Idem *Theb. lib.7.*

Et ego, dum rem bene conſidero *Helenæ*, aut *Heleni* ſi velis, nomine, quod excidij, & naufragij, occaſionem, cauſam & præſagium ſignificat, Invidiam ſeu Livorem intelligo, cuius Ovidius ſpeciem depingit, aut proculcat his pedibus.

Cur Invidiā Helenæ, aut Heleni nomine ſignificemus?

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt, niſi cùm viſi fecere dolores.
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpit, & carpitur una:
Suppliciumque ſuum eſt.

Ovidius *Met. lib.2. fab.15.*

Invidiæ Imago.

Et verè *Helenam* Invidiam dixero; nam, ſi illa combuſſit & incineravit totum Ilium, Invidia eſt ignis vehemens, qui omnia devorare contendit. *Invidia tanquam ignis, ſumma petit*, ait Livius, cuius Triverus, verba hoc ſcholio dilucidat. *Semper ignis ſumma petit; ſed faſtigium aliquando tam eſt excelſum, ut vix poſſit carpere media: Talis eſt Invidorum aſtutia, minima quærunt in Magnis Viris vitia, ut illinc poſſint paulatim violare poſtrema.* Vberiùs & ſignificantius Hieronymus. *Si quem videremus ignem manibus & ligonem geſtantem, hanc ædem, unà cum altari demoliri, evertere, incendere: nonne fieret, ut ab omnibus iis, qui rem fortè ſpectarent, lapidibus obrueretur tanquam impius & exlex? Quid igitur? Siquis flammam geſtet hoc, quo utimur igne, edaciorem (Invidentiam dico) non lapidum ædificia demolientem, neque aureum altare evertentem, ſed quod longè & lapidibus & altari pretioſius eſt, Præceptorum ædificium ſubvertentem & devaſtantem: hic quâ veniâ dignus eſſe queat?*

Livius Triverus *Apophth. 125. Invidia ignis.* S. Hieronymus 7. *ad Roman.*

Quali contra Invidos Logicâ debeamus argumentari?

Et, ſi *Heleni* nomen ex igne ad undam, ex incendio ad naufragium nos transferat: ſi in Mundi Oceano Heroes virtutibus condecorati navigant, Invidia erit vehemen

949 Lipſius *Cent.1. Epiſt. 42.*

vehementissimus Aquilo, qui excitatâ procellâ undas perturbet. *Vt enim navim interdum improvisus vortex absorbet : ita indoles melior, & ingenium supra annos*, ut Iustus Lipsius admonet

Invidia efficacia.

Sed quorsum hæc omnia? ut ostendam pericula nostræ Dialexeos. Olim ille Alexander; cuius, sicut fortuna, sic etiam livor magnus fuit, Perdiccam oderat, quod esset fortis & animosus; Lysimachum, quòd rei bellicæ gnarus; Seleucum, quod esset generosus; Attalum, quòd indole dignâ imperio polleret; Ptolemæum, quod omnia prosperè gereret [a] Et quia Dialexis nostra, fortissimâ ratione armata prodiit; quia adversariis animosè se sistit; quia militiæ Scholasticæ leges bene scit & observat; quia generosè dimicat, triumphum affectat, & prosperè ad altiora progreditur, Æmulatione magnâ & potenti non caruit: alij enim, quia illam percallere non poterat, & alij quia non volebant, insurrexerunt contrà; eandemque fuerunt nondum in lucem missam suffocare conati. Illi igitur periclitanti debui providè & tempestivè in hoc procelloso literarij Orbis pelago contra Helenam & Helenum, (Invidiam & Livorem) consulere. S d quomodo? Castorem Pollucemque tempestatum Arbitros & Moderatores implorando. Rem expono.

a] Ælianus de varia Hist lib.12.

An, & quibus invidus fuerit Alexander?

Cur Dialexis nostra plurimam invidiam sit experta?

950 Sciebam esse Salmanticæ, ut aliàs semper, etiamnum Viros doctissimos & ingeniosissimos, qui magno totiùs Europæ bono cum gloriâ & applausu Cathedras moderantur. Sciebam, *sicut micat inter astra Luna minora*, eminere inter ipsos D. Michaëlem de Fuentes, & D. Antonium de San Pedro, Sacræ Theologiæ Doctores & Professores, quorum Discipuli in Hispaniâ, Italiâ, Siciliâ, &c. immò etiam in Americâ, dignissimè sunt ad summas dignitates promoti. Et ideò ad eos decrevi meam *de Non-Certitudine* Dialexim eo consilio transmittere, ut Certitudinem consequeretur. Fuerat enim, aut approbanda, aut reprobanda. Et, si reprobaretur, exuerem Narcissum, quo in illâ me præpediri fateor; discerem enim, Libram mei Critolai fallacem esse, & esse reverà leves rationes, quas indicabam Ego oppositis præponderare: si autem approbaretur, deponerē formidinem, quæ ex meæ tenuitatis notitiâ aboriebatur: nam erat certum mihi, errare me non posse, si Ingenium meum tam illustrium Doctorum Experientiæ & Prudentiæ submitterem. Et quid censuerunt illi? Non solùm, ut ingeniosis, securisque Dialexeos subscripserunt Assertis; sed illa Scripto duplici dilucidarunt; novis rationibus stabiliverunt; & Obiectiones omnes, quæ fieri poterunt, præoccuparunt. Vnde tota Dialexis, quæ a me ut plurimùm Probabilioritatem fuerat nacta, à tantis Viris habuit, ut iam indubia & certa ab universis iudicetur.

De Salmanticensi Vniversitate.

Reverendissimi Domini Michaëlis de Fuentes, & Antonius de San Pedro laudati.

Quo animo Dialexim nostram illorum Censuræ commiserim?

De Critolai vitâ, lib.2. de Oratore; & de eius librâ quæst.5. Tuscul. agit Cicero.

Illorum de nostrâ Dialexi iudicium.

951 Hinc patet me illos meritò cum Castore & Polluce, maris Diis, comparasse: si enim illi à Piratis pelagus liberarunt, hi Scientiarum Oceanum; iusserunt enim (Quintiliani do verba) *Piratis non patefacere portum Eloquentiæ*. Et qui sunt quæso in Orbe Literario Piratæ? Vox ipsa respondebit. Πειράτης (non autem Πυράτης, *Pyrata*, ut passim *in libro de Iure Indiarum* vult Solorzanus) dicitur ἀπὸ τοῦ πείρω, *transeo, discurro*: quod non solùm corporis, sed tiam animi motibus accommodatur. Hin πεῖρος, realiter *transitus*, moraliter *ratio*, ut πεῖρος χρημάτων, *ratio pecuniæ comparandæ*. Euripides, & Aristoteles. Et περαίνω, apud Mathematicos est *Conclusionem ex demonstratis infero*. Ex quo πέρασμα *Conclusio illata*. Et ut Scholiastes Aristophanis *in Aiace* nos monet, vox Πειράτης, semper sumitur in malam partem, & in πεῖρα, *experientiâ & periculo* δόλον καὶ τέχνην, *fraudem & cavillationem* involuit. Est igitur *Pirata maritimus*, qui vagatur per pelagus, & dolo & technis insidiatur navibus onerariis. Eritque *Pirata scholasticus*, qui vagatur per Scientiarum & Artium superficiem, quin ad fundamenta profundiora perveniat; qui, vel nescit Dialecticen, aut scitâ abutitur; qui livore saucius, ubi ratiocinari deberet, cavillatur.

Cur Reverendissimi & doctissimi Domini cum Castore & Polluce componantur?

De Piratis. An dentur Scholastici?

Euripides. Aristoteles Rhetor.1. & Polit.lib.1. cap.7.

Cur nomen Pirata semper sumatur in malam partem?

Quis Pirata dicendus?

952 Et quidem Piratas plurimos, vix è portu nostri Musæi egressa, & procelloso Oceano Censurarum commissa, Dialexis nostra experta est. Fuisset subacta & fortassis submersa, nisi duo illi, Maris scholastici Arbitri, Cygnæo candore præditi, Sophistarum cavillationes retudissent, & illud ab omni periculo & terrore expiassent.

Insuper sub specie Cygni ex Ledâ Castorem & Pollucem susceptis. Et ideò illi à cādore laudantur.

Hæc est (Marce Doctissime) nostræ expeditionis historia: quam percallebis meliùs, si folia adiuncta interlegas. Mitto igitur nostram Dialexim, duasque ab istis meis Patronis doctissime scriptas Apolyses; ut admireris, quanto ipsi ingenio, quantâ subtilitate nostra Asserta stabiliunt, & nostras probationes corroborant. Multa occurrent in illâ, quæ tuâ limâ indigerent: at omnia in istis tam sunt elaborata & perfecta, ut singula in exemplum possis sumere, ad quod tuos discursus & rationes elimes. Vale igitur, Amice Optime; stude, scribe; diligenter scripta in lucem profer, ut aliis Ingeniis præluceas. Vale.

Differunt ἀπόλυσις, & ἀπολογία, nam hæc est defensio, illa autem absolutio est.

EPISTOLA XI.

Considerat ingenium Turturum. Si in Septemtrionem volent, Duce carent; si in Meridiem, eligunt Ducem, quem sequantur. Hanc historiam Rei Litterariæ attemperat, & exponit, quinam in Boream Scriptores, quinam in Austrum suis calamis & stylis se volando promoveant, & quinam indigeant, & qui non indigeant Mecœnate.

Ad Perillustrem & Clarissimum Dominum, D. Franciscum Verde, Iuris Vtriusque Doctorem, & in Parthenopæa Vniversitate Regium Professorem, &c. Dominum, & Amicum suum observandissimum.

Neapolim.

Perillustris & Clarissime Domine.

Cicero l. 2. de natur. Deorum, Plinius l. 20. c. 23. Agellius lib. 7. cap. 6. Petrus Bercorius in Reductorio Moralium lib. 7. cap. 70. num. 10. P. Didacus Nissenus in vitâ Abraha lib. 4. c. 1.



953 VARIAS plerasque, Cicerone, Plinio, & Agellio asserentibus, rerum parens Natura, præter alias Aves, Turturibus indidit prærogativas, propter quas à Physiologis considerantur: at inter ipsas illa videtur mirabilior, cuius Bercorius meminit: ubi enim remigio alarum in Septentrionem rhombum dirigunt, Duce & Magistro carent: at in Meridiem versæ eligunt itineris Moderatorem. *Quando volant versus Aquilonem*, inquit ille, *non habent Rectorem: è converso verò, si ab Aquilone versus Austrum volaverint, tunc habent Rectorem, quem sequuntur.* Et quidem, si liceret diffundi; & uti vellem eruditissimis Expositionibus, quibus Iuniores verba Sponsæ, *Surge, Aquilo, & veni Auster*, edisserunt; ex diversis horum Ventorum symbolis, diversos Conceptus elicerem, quibus totam Ethicen dilucidarem. At, quoniam me Philo Carpacius, Iustus Orgelitanus, Aponius, Nissenus, & alij Viri Eruditi morantur, eorum attemperabo labium sensui, dicamque universim loquendo; in Aquilone Adversitatem, in Austro verò Prosperitatem ab Anagogicis Mystis intelligi: & loquendo in specie, per Aquilonem, Lectorum Invidiam & Æmulationem, per Austrumque Candorem Benevolentiamque significari: & discam, cur in Aulâ & scholâ non egeant Mecœnate, qui in Aquilonem tendunt; egeant, qui in Austrum. Hanc Bercorius me docet. *Illi*, inquit, *qui in Aquilone, id est, in frigore Adversitatis habitant, non egent Rectore, quia vexatio dat intellectum: unde in illo stare potest homo, & se sufficienter regere per se ipsum. Sed illi, qui ad Austrum mundanæ Prosperitatis anhelant, Rectore provido indigent, qui ipsos regat & manuteneat.*

Cantic. cap. 4. 16.

Ducem, dum volitant in Septentrionē, nō habēt turtures: dū verò in Meridiem, habent.

Quid Aquilonis & Austri nominibus significetur?

Gregorius Nazianzenus Orat. 14. Christophorus Salazar Mardones in Commentario Fabula Pyrami & Thisbes. Stroph. 32.

Quoniam, ut S. Gregorius Nazianzenus exclamat, *Facilius esse videtur adversam fortunam ferre, quàm secundam conservare.* Et ego Viro docto assentirer, nisi audiissem Salazarem, qui miseram hominum fortunam tutam securamque; felicem periculosam esse affirmat: & ideò in illâ homines non egere fautore: egere in hac, ut possint Invidentiam obtundere. Eius verba sunt hæc: *Llevar las Tortolas Capitan y Guia, quando caminan azia el Austro (symbolo de la Prosperidad) y no llevarle quando marchan azia el Norte (geroglyphico de la Adversidad) es enseñarnos, que los que marchan camino de la Prosperidad, como van cercados de tantos riesgos y peligros, necessitan de Guias Adalides, y Caudillos, que los soccoran y favorescan: pero los que caminan azia el Aquilon, neta de la Adversidad, no tienen necessidad de Capitan ni Caudillo; porque los pobres y desvalidos siempre caminan sin peligro, y a un desdichado nadie le persigue.* Quod esse verum, sicut in Palatio Aulici, sic in Orbe Literario Scriptores experiuntur quotidie. Quem enim Princeps negligit, nemo persequitur: &, cui non assurgunt theatra, imperiti non invident. *Quàm multum interest*, ait Plinius, *quid à quoque fiat? Eadem enim facta, claritate vel obscuritate facientium, aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur.* Et ad rem nostram, inquam ego, Quàm multum interest, quid à quoque dicatur: eadem enim Opinio claritate vel obscuritate docentis, aut icitur censurarum fulminibus, aut in oblivionis undis mersa, ignorari iubetur.

Non felicibus, sed miseris parcit Invidia.

Plinius lib. 6. Epist. ad Marc.

An humanarum operationum Bonitas & Malitia ab Obiecto, an à Causa efficiente apud Pseudopoliticos hodie sumatur?

Vidi

Vidi enim (nam prodest in singulari loqui) aliquas à multis Theologis sine obmurmuratione defendi, quæ tamen dictæ intolerabiles, ubi primùm Caramueli tolerabiles visæ. Porrò Madurus Crabus (Vir est ingeniosus & doctus, quem obvelo anagrammate) de libri, quo dépravatos huius sæculi mores corripit, Censoribus & Revisoribus, sic ad me scribit. *Creo, le han passado, porque yo no hago authoridad, y mis verdades las tendran por fabulas. Y asseguro, que si fuera de Caramuel, no lo passáran; mas de mi no hazen caso.* Bene igitur dicebat Salazar eos, qui fato adverso agitantur, sibi ipsis sufficere, nec Fautore indigere: eos verò, qui benigno fruiscuntur, non posse carere Hyperaspiste; *rarò enim*, ut nos seneca admonet, *Felicitas invidiam effugit*; cùm tamen ubique & semper extra Invidiæ terminos subsidant miseri, nec infelicibus parer insidias æmulario.

Invidus alterius macrescit rebus opimis. Horatius.

Seneca c. 2 de consol. ad Polyb.

Vive sine invidia, mollésque inglorius annos exige. Ovid *lib. 3. Trist. leg. 4.*

954 *Quomodo faveat Author librũ huncl*

Hanc ego ob rem in aliquibus libris, in quibus non ita sum feliciter ratiocinatus, sicut nec admiratores habui, sic nec invidentes pertimui; & mihi ipse sufficiens, sicut nec volui habere Præcursores, quos sequerer; sic nec qui me sequerentur, curavi: at in hoc, quia me esse Narcissum fateor, Invidiæ insolentiam & audaciam prævideo; & hanc ob rem, si prudens sim, ὑπερασπιστὰς debeo quærere, quorum protectus clypeis nimbos possim sagittarum avertere. Quæ in ipso tracto, primum Theologiæ Moralis, & Prudentiæ Civilis Fundamentum concernunt: unde meritò *Theologico-Iuridicus* vocari posset. Quà Theologicus securissimus erat, quem enim D. Michaël de Fuentes, & D. Antonius de San Pedro, Reverendissimi Cistercìensis Ordinis Generales, & in Archiathenæo Salmanticensi eximij Sacræ Theologiæ Doctores, Regiique Professores; quibus Ingeniosiores hodie non cognoscit Europa, &c. suo Patrocinio & Approbatione honorarunt, nemo invadere audebit. Sic suppono, remigio alarum in Felicitatis Austrum volitans. Sed quia hæc Dialexis nostra non Theologiam modò, sed & Iura concernit; ubi ab illâ Theologi sunt, fortè Iuris Consulti alteri adhærebunt dictamini. Ideò ad Te, ut ad Iurisprudentiæ Antistitem illam remisi, à quo favorem nacta, quos hinc timeat Adversarios non habeat: quam enim doctissimæ Tuæ Decisiones succollant, aggredi non audebit indocta invidentium temeritas. Illis iam nuper gratias egi, si non quantas debui, quantas valui: magnásque Tibi impræsentiarum ago, & vtrisque æternas est actura Posteritas novâ luce suffusa: nam dicit vobis, *Viam Divinorum mandatorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Psalm. 118. Vive igitur Perillustris & Clarissime Domine: & quod hucusque fecisti, Ingenio Tuo & & doctrinâ Orbem Literarium honora: & diligere perge I. C. Tuarum laudum Præconem, &c.

DD. Michaël de Fuentes, & Anton. de San Pedro laudati.

Opiniones benignæ securis sunt securiores in praxi.

EPISTOLA XII.

DE LOGICA SVPERNATVRALI.

Ad Reverendissimum & Eruditissimum Pat. Laurentium Mayers Caramuel, B. Mariæ de Mercede Religiosum; olim per Italiam, Siciliámque Provincialem, nunc Captivorum sub Maurorum tyrannide jacentium Redemptorem, &c. suum Nepotem Charissimum, &c.

Agit de variis Personarum intellectualium linguis: & accuratè examinat, an pluribus utantur Homines? An etiam Angeli? an pluribus utatur Deus? An quando loquitur ut Deus, verba ipsius sint miracula? Quid hoc nomine intelligendum sit? An olim Ethnici, aut hodie Mahometani aliqua perpetrent? An dentur, quæ illa sint, & quid evincant probabilia miracula? An ex certis non jam probabilis Conclusio, sed certa & indubitata inferatur?

955 *An præter Realem & Moralem*

DISPVTABAM nudius-tertiùs de Logicâ; & quia illam dudum in Realem & Moralem distinxeram, & copiosè Tomis diversis illustraveram; & tunc Tertiam addebam, quam *supernaturalem* nuncupabam; obloquebantur aliqui dicentes,

Dialecticam sit addenda supernaturalis

centes, ficut rationibus Naturalibus Supernaturalia explicari & probari non possunt, sic nec Supernaturalibus posse res Naturales demonstrari. Et hinc eò fuit Dissertatio promota, ut quæreretur, *Qualia* (*hoc est, quàm essent fortia*) *argumenta, quæ à miraculis deducebantur?* Fuerunt variæ sententiæ, sed ut meam noveris, hanc Diatriben scribo.

An liceat à miraculis argumentari?

De voce Latinâ Miraculum?

Porrò *miraculum* vox est Latina, & ab admiratione deducitur: quæ præter ignorationem causæ, importat quamdam venerationem, nam *admirari* interdum ponitur pro *venerari*. Virgilius.

An admiratio sit aliquando veneratio?

Ille operum custos; illum admirantur, & omnes
Circumstant.

Græcè *Miraculum* dicitur θαῦμα, & θαυμαστὸς, *mirabilis*, & *qui miracula patrat*, θαυματουργὸς.

θαῦμα. θαυμαστὸς θαυματουργὸς

956 *An alio hodie Christiani sensu voces antiquas accipiamus?*

Alio sensu olim Ethnici, & alio nunc Christiani usurpamus vocabulum, res enim insolentes ipsi & maximas admirabantur. Unde Virgilius,

Seu quis Olympiaca miratus præmia palmæ.

Nempe, magna, & quanta in aliis certaminibus, dari non soleant. Quo sensu *lib.* 1. *de Civit. Dei* etiam Augustinus, verbum *miror*, & nomen *miraculum* usurpavit. *Eunt*, inquit, *Eunt omnes admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & altissimos lapsus fluminum, & Occeani ambitum, & gyros syderum, & relinquunt se ipsos & non mirantur. Nam & omni miraculo, quod fit per hominem maius miraculum est homo.* Et tamen, si vox sumatur [a] in rigore scholastico, eo videlicet sensu, quo eam usurpamus Theologi, nec alti montium vertices, nec maris insolentes vortices, nec præcipites fluviorum latices, nec magnitudo Oceani, nec Homo ipse, aut eius opera, possunt dici *miracula*.

a] Aristoteles *in lib. Periherm.* & S. Thomas *ibid.* monet aliud esse unde nomen sumatur, & aliud quod illud significat, nam analogiam sequitur etymon, & hominum placitum significatio.

An Ethnici cognoverint Omnipotentiam?

Hinc est, aliâ à priscis Gentilibus definitione, & aliâ à Christianis miraculi essentiam describi. Orta fuit differentia ab Omnipotentiæ conceptu, quam plerique omnes Philosophi penitùs ignorarunt. Obscura sunt quæ in antiquis leguntur. Apud Aristotelem ratio miraculi in nostrâ ignorantia consistit: nam *in quæst. mechan.* hac utitur definitione, *Miracula sunt, quæ natura contingunt, quorum ignorantur causæ*. Ecce omnia, quæ mundo accidunt Aristoteli sunt naturalia: & *miraculosa* vocabuntur, si à causis ignotis procedant. Ergo luminarium deliquia, antequam eorum causæ cognoscerentur, erant miracula: & iam non sunt, quia, cur, & quando accidere debeant iam scimus. Consonat Valerius Maximus; nam ut elicitur ex prolog. ult. cap. primi lib. *Miraculum est, quod unde emanaverit, aut quâ ratione constiterit; dignoscere arduum & difficile est.*

Quid Miraculum sit Ethnicorum sententiâ?

957 *Quid apud nos?*

Sed Catholici, qui Omnipotentiam confitemur, & scimus non esse impossibile apud Deum omne verbum, indigebamus voce, quæ rem significaret, quam non Naturales Causæ, sed Deus solus patraret; &, ne formaremus aut fingeremus novam, retinuimus antiquam, & eius significationem contraximus: adeoque illud esse Miraculum diximus, quod Naturæ virtutem superat. Quâ nos definitione ea etiam excludimus, quæ Dæmonis astu patrantur: non enim iste ultra Naturæ vires potest, sed activa passivis applicando, multa præstat, quæ prodigia videntur. Sic passim Theologi Miraculum definiunt, quibus consonat Ioannes Franciscus Picus *de prænot. rer. lib.* 9. *cap.* 5. [Miracula, inquit, rem naturæ excedunt, vel ex re ipsâ, quæ fit; vel in faciendi modo: ut ea scilicet fiant, quæ aut momento, aut iis intermediis, quibus vel naturæ inferioris virtus; vel ea demum tanquam instrumento utens operari nequeunt. Sanè in plerisque delusa Gentilitas divina putavit, quæ supra vires dumtaxat inanimatæ naturæ fiebant; in cote novaculâ cesâ, in aquâ gestata in cribro]

An à Dæmone fiat

Miraculum duplex: aliud quoad substantiam & aliud quoad modum.

Porrò unusquisque loquitur propriâ linguâ: nam suas habent homines, suas Angeli, & suam Deus. De hominibus certa res est: non loquuntur Americani Arabicè, nec Germanicè Arabes, nec Galli Suecicè. Itata Gorgo apud Theocritum *Edyl.* 15.

De varietate linguarum.

Variè utuntur Homines?

—— Πελοποννασιστὶ λαλεῦμες
Δωρίσδεν δ' ἔξεστι δοκῶ τοῖς Δωριέεσσι.
—— *Sicut in Peleponneso loquimur.*
Et, ut mihi videtur, Doribus Doricè pronunciare permittitur.

De linguis Angelorum Apostolus 1. *Corinth.* 13. 1. inquit enim. Ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ, καὶ ἀγγέλων, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum as sonans*, &c. Nec valde erit difficile Angelicas linguas esse varias & diversas asserere. Quid enim vetat, eas diversas sententias, quæ de Angelorum loquutione in Scholâ agitantur, & possibiles sunt (saltem nemo ullam demonstravit impossibilem esse) posse ut veras admitti: & addere, à beatis universas intelligi: à damnatis non omnes.

958 *An varias Angeli?*

Lingua Dei sunt miracula: nam si quando nobis verbis loquitur Deus, se attemperat nobis more humano: si mentem nostram illuminat, nos iuvat more Angelico: quando patrat miracula, loquitur nobis ut Deus. Ex S. Gregorio Magno Iustus Lypsius. [Miracula Divina, consideranda sunt, non discutiendo, &c. Omni ævo fuere miracula, plerisque omnibus locis; & erunt in ævum, etsi parciùs vel densiùs, ut Divinæ Providentiæ visum, &c. Ubi miracula video, & tam certa & crebra video, quid nisi favorem & inclinationem Numinis video? quid etiam nisi velut tubam & classicum audio, quod ad talem Fidem & cœtum appellat? Bene Augustinus, Catholicæ Ecclesiæ authoritatem miraculis esse inchoatam, vetustate formatam, &c. Non certius Divinitatis argumentum, quam à miraculis, quæ Deus ipse homo factus, ut talem se esse assereret, atque ostenderet palam exhibuit & vulgavit, &c Vera miracula verum & unum Deum decent: falsa malos & multos, &c.

An propriâ habeat Deus?

Cur patrentur miracula?

Alia sunt vera, & alia falsa.

His præmissis sit nostra CONCLUSIO, 959

Deus

Resolutio. *Deus est, qui facit mirabilia magna, (nimirum, miracula) solus.*

Proderit nunc audire historiam, quam S. Ioannes Evangelista *cap.9.* recenset.

Vt Deus finē, obtineat, quem intendit, mediorum proportione non indiget. Invenerat cœcum Iesus; eiúsque miseriæ compatiens, sputo fecit lutum, linivit eius oculos, iussitque, in Siloâ lavaret; obedivit ille, & illuminatus est. Hanc viam ingrederetur, qui vellet lyncem excæcare, at Deus, cuius Omnipotentia à mediorum proportione non pendet, sicut nive comburere, & igne frigefacere, sic luto poterit oculos illuminare: nam ut scitè *lib.11. de Civit. Dei*, ait Augustinus, *Sicut non fuit Deo impossibile, quas voluit naturas instituere, sic ei non est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit naturas mutare.* dixerat enim alibi, *In rebus mirabilibus tota ratio faciendi est potentia facientis.* [Ex quibus Sancti Præsulis verbis inesse creaturis universis Potentiam Obedientialem (saltem Passivam) scitè inferunt recentiores Theologi.]

An detur potentia obedientialis?

Quam certa à miraculis consequentia inferantur? Hoc patrato prodigio, (nec enim æquè ad singulos pervenit miraculi tanti notitia) erant diversæ opiniones in populo; nam alij dubitabant dicentes, *Nonne hic est qui sedebat & mendicabat?* respondebant nonnulli, *Quia hic est.* alij verò, *Nequaquam: sed similis ei est.* quibus illi procul dubio reponerent, *Non est similis ei, sed est ipsissimus.* Ille autem, ut omnem dubitandi & disputandi occasionem auferret, instabat, *Quia ego sum.*

Audiunt rem Pharisæi, & de miraculo non dubitant: sed tamen abeunt in diversas sententias circa Thaumaturgi personam; nam inculcabant aliqui, *Hic homo non est à Deo, quia Sabbatum non custodit.* & alij contrà, *Quomodo potest homo peccator talia signa facere?*

An ab eisdē diversè?

960 *Sunt multi, qui sponte excutiunt.* Eorum Evangelista vberiùs dissertationem contentiosam describit: &, quia dixerat Christus, *In iudicium ego in mundum hunc veni, ut non videntes videant, & videntes cœci fiant.* Et quidem ex Pharisæis se tactos putantes intulerunt, *Num & nos cœci sumus?* & illis Dominus, *Si cœci essetis non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, quia videmus, igitur peccatum vestrum manet.* [Et ex his Christi Domini verbis optimè inferunt Antiqui & Iuniores Theologi, insuperabilem ignorantiam excusare à peccato.]

An à peccato excuset Ignorantia invincibilis?

Ecce duæ sunt contentiones: prima inter imperitos, secunda inter homines doctos: illos non vocat in iudicium Christus: hos ideò, quia sunt docti, condemnat. Priorem consideremus.

An, & cur homines imperiti γείτονες, seu vicini vocentur? Plebei & imperiti vocentur à nobis *γείτονες, vicini*, hoc enim illos nomine signat Evangelista dicens, *Itaque vicini, & qui viderant eum prius,* &c. interdum accedunt ad difficultatem, sed eam nunquam attingunt; Veritatis arci sunt vicini, non incolæ: & quia caligant oculis similibus similia confundunt. O quanta & sæpe Theologi minùs docti confundunt! ô quoties, ubi natura non distinxit, entia sine causâ multiplicant! ô quoties inter similia hærent, & allucinantur, si fortè in alteram partem inclinant! Vnde prudentia postulat, ut Theologi inferioris subsellij (idem de quocumque Iurisperito, Medico, &c. dici putetur) doctiorum authoritate potiùs, quàm ratione (nam hanc non percallent) regantur.

Interim laudatur in plebe sinceritas; nam pertinaciam potiùs apud doctos, quia superbi, reperio. *Lib.22. de Civitat. Dei,* Augustinus. *Miracula leguntur in populis, ut credantur: nec in populis tamen nisi credita legerentur. Hæc autem ubicumque fiunt, vix à tota civitate ipsa sciuntur, vel à quocumque commanentium in loco. Nam plerumque fiunt ignorantibus cæteris, maximè si magna sit civitas. Et quando alibi, alisque narrantur, tanta ea commendat* (videlicet, *narrantium*) *authoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur.* Non docet his verbis Augustinus, ubi de miraculis agitur, debere homines qualicumque testimonio assentiri, sed non debere indubitato obsistere: aliàs enim Gentilium & Mahometanorum, fidem præberemus prodigiis, quæ sui fabulantur Historici; ipsa enim somniantur ab ipsis non probantur. 961

An miracula ab omnibus videri debeant? An beati qui nō vident & crediderunt?

Qualia sint Acatholicorum miracula?

Pharisæi profectò, nam erant Viri docti, in facti quæstione consentiunt: adhibuerant enim opportunum examen, & de cœci illuminatione non dubitant. Et tamē in iuris quæstione dissentiunt. Sicut illius pauperis oculi callo obducto miserabiliter præpediebantur, sic etiam Pharisæorum animi erant adulterinis traditionibus obcæcati: & illo miraculo fuerunt illuminati: sed non omnes. Qui Divinæ gratiæ fuerant illustratione suffusi, argumentabantur sic.

De Pharisæis.

An viri docti fuerint?

An omnes fuerint illuminati?

Non potest homo peccator, & qui non est à Deo, talia signa facere. vers.16.

At hic homo (Iesus) cœcum illuminavit. vers.7.

Ergo non est peccator, sed est à Deo.

Firmatur consequentia: nam cœcus corporeæ & spiritualis lucis splendore eruditus, & supernaturalis gratiæ efficaciâ corroboratus exclamabat, *Scimus enim, quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor sit, & voluntatem eius faciat, hunc audit. Ex sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Si non esset hic à Deo, non poterat facere quidquam* vers.31. & Nicodemus c.3.2. *Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister: nemo enim hæc signa potest facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

Eorum qui gratia cooperati, argumentum.

Cæteri autem Pharisæi, qui in tanta Veritatis luce esse cæci volebant, discurrebant hoc modo.

Aliorum ratiocinatio, & opinatio.

Non est homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. vers.16.

Sed hic (Iesus) Sabbatum non custodit. [a]

Ergo hic (Iesus) non est à Deo.

Probabant minorem, *Quia Iesus expuit in terram, & fecit lutum, & linivit lutum super oculos cæci,* vers.6.

Hoc erat Pharisæorum schisma, cuius *vers.16.*

[a] *Sabbatum* dicitur à radice שבת ergo deberet scribi *Sabathum*, sed quia Septuaginta scripserunt σάββατον eos Latini sequuntur.

versic. 16. meminit Evangelista dicens, Καὶ σχίσμα ἦν ἐν αὐτοῖς. *Et schisma* (*sententiarum divisio*) *erat inter ipsos*: nos utrorumque rationes perpendemus, & definiemus, viri fuerint legitimè dialecticati.

Quid σχίσμα sit

Dicebamus Deum loqui linguâ miraculorum; nam sicut verbis homines, & conceptibus Angeli, sic Deus miraculis loquitur. Sit igitur altera

Conclusio. *In illo Pharisaeorum schismate non erant duae opiniones probabiles: sed illa, quae Domini nostri Iesu-Christi sanctitatem praedicabat, oculari demonstratione persuadebatur, & opposita merâ temeritate subsistebat.* Sanè, duas fuisse Pharisaeorum sententias, nemo negare potest; erant enim divisi, & alij in Christo Divinam adorabant potentiam, & alij quaerebant, quid incriminarentur. At has fuisse duas opiniones probabiles, est manifeste falsum: nam ille prior syllogismus (videlicet, *Non potest*, &c. est demonstrativus: Ergo qui illo fundabantur, sententiae certae & indubitatae adhaerebant: & adversarij opinioni improbabili.

Ais illum syllogismum, quem esse demonstrativum assero, claudicare, nam majorem falsam adsumit; quam ob rem sic argumentaris. Miracula fecerunt Ethnici: fecerunt & mali Christiani. Ergo à miraculis non potest verum argumentum desumi. Probas antecedens, &

Virgo Vestalis pretiosum ad Deam fusis ignem accendit.

Primò. Quia ignis perennis debebat in Vestae arâ servari: & tamen à Virginis Aemiliae discipulâ negligentiùs fotus, magno Vestalium horrore, & aliorum scandalo suffocatur. Illa, in quam vergebat sceleris maledictio, Deam orat, carbasum pulcherrimam, quam habebat, foculo imponit exauditur coelitùs, & statim exardet. Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 1. Ergo hoc venit admittendum miraculum, vel ex miraculorum censu expungi ignis immissus coelitùs, ut 2. *Paralip.* 7. 1. & alibi legitur.

Statuâ aliâ, quam cameli non poterant, è vado educit.

Secundò, Claudia Virgo Vestalis, cùm in stupri suspicionem venisset, & simulachrum Deae Matris M. ex Pessinunte abductum in vado Tyberis haereret: quam camelis non poterant, ad comprobandam pudicitiam cingulo navem pertraxit. Livius *lib.... Decad.* 3. S. Hieronymus, & alij. Ex quo prodigio infers non esse, cur tanti S. Thomae celebremus miraculum: nam, cùm in Indiâ immensae magnitudinis arborem in littus tempestuosum pelagus ejecisset: quam nullâ arte vel vi movere Gentiles potuerant; ille, ut Ecclesiam Vero Numini aedificaret, petiit, & ligatam cingulo extraxit, & ad locum opportunum perduxit.

De vastissimâ arbore à S. Thomâ miraculosè extractâ.

Cribro aliquam importat.

Tertiò, Tullia, Virgo Vestalis, incesti rea, suam innocentiam hoc persuasit miraculo. Arripuit cribrum, & Arae provoluta inclamat: *Vesta, ut videant universi, me castis tibi manibus serviisse, hoc hauriam è Tyberi aquam, & in aedem tuam perferam.* Surrexit audacter: & innocentiae Virginis natura cessit. Valerius Maximus *lib.* 8. *cap.* 2.

961 Quartò, Magos rara & inaudita edidisse miracula historiae universae testantur. Magna fuerunt, quae in Exodo, & in aliis sacrae Paginae libris leguntur. Et, ut ad nostros veniam, malos Christianos facere & fecisse miracula, probat ex Evangelio Iustinus Martyr, qui *in respons. ad quaest.* 5. *fol.* 262. sic ait: [Si miraculorum effectio pietatis esset signum & demonstratio, nunquam Dominus reprobos & suâ familiaritate indignos pronunciaret eos, qui dicunt, *Domine, nonne prophetavimus, & in nomine tuo daemonia eiecimus, & in tuo nomine miracula multa fecimus?* quibus ille dicit, *Nunquam novi vos. Discedite à me malefici*, &c.] Testatur id Hieronymus, qui *super Mat.* 7. sic exclamat: *Prophetizare & virtutes facere, & daemonia eiicere, interdum non est meriti, qui operatur; sed, vel invocatio Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, vel utilitatem eorum qui vident & audiunt.* Imò & Antichristi Asseclas esse miracula patraturos etiam ex Evangelio colligit S. Ioannes Chrysostomus, qui *homil.* 29. *in cap.* 11. *Matth.* sic ait: [Vt ante lucem aurora exit, ante noctem autem obscuritas. Ita in adventu Christi ante illum Prophetae, cum illo Apostoli, in Spiritu sancto faciebant virtutes. In adventu verò Antichristi, Pseudo-Christiani, & ante illum, & cum illo in Spiritu maligno facient virtutes.]

Magi prodigia perpetrant.

Imò & mali Christiani

Et cum eo Antichristus.

963 Respondeo, his argumentis nihil omninò contra nostram Conclusionem suaderi: nam oportet primùm miracula vera à falsis & spuriis secernere: & deinde in miraculis non considerare instrumenta, quibus vtitur Deus, sed quid dicat hominibus perpetrando miracula. Sanè, si omnia benè perpendam, est simillima scriptioni loquutio. Petrus promisit, & se chirographi fide obligavit, ad centum aureorum solutionem. Vt instrumentum bonum sit non requiritur chartam esse bonam vel malam; nec enim ex eo quod charta non sit candidissima contra instrumenti valorem argumentum sumetur; nec ex valore instrumenti chartae candor & perfectio probatur. Sic similiter qui per internuncium loquitur poterit improbo uti, ut bona loquatur: nam & Daemones & idola interdum testimonium perhibere coguntur: & qui Balaami asinam (irrationalem animantem) rationabiliter loqui iussit, sic frequentissimè efficit, ut mali suo nomine bona loquantur. Hinc argumenta in specie soluturus moneo ingeniosum Lectorem, me non velle discutere, An omnia, quae Valerius Maximus scripserit, concedi possint: nam frequenter exorbitat, & historias cogitatas recenset. Supponam igitur prodigia, quae in eius libro legimus, accidisse, (si id enim negarem, citò expedirentur argumenta) & adhuc hoc concesso, nihil evincei ad Adversario, demonstrabo.

Chirographi valor non pendet à candore & perfectione chartae.

Possumus per improbum nuncium bona loqui.

An omnia, quae narrat Valerius, sint vera?

Ad primum dico succendi ignem in cineribus frigidis non esse miraculum: eò enim causae naturales perveniunt, ut ignem excitent sine igne: nam attritu ligna, & radiis

Ignis sine igne naturaliter, & per Daemones succendi potest.

964 *Potest Daemon fontes transferre.*

An sive in aqua

At face ... fa... gi ...

radiis solis succenduntur. Præterea, licèt sub illis circumstantiis in Vestæ arâ ignis naturaliter non potuerit succendi, non ideò dicenda est illa puella perpetrasse miraculum, cùm à Dæmone adjuvari potuerit. Nec ignis hic cum igne, qui 2. *Paralip.* 7. 1. & 18. 38. legitur, componi potest: quoniam in testimonium Religionis fieri à Dæmone prodigia Dominus non permittit.

Ignis sine igne naturaliter, & ope Dæmonis succendi potest.

964 Ad secundum eodem modo respondeo: nec enim naturæ nec Dæmonis vires superat navem ex arenis educere: nec hinc miraculo Sancti Thomæ detrahitur: quòd enim Claudia, etsi scelere clandestino polluta, & contra promissam Vestæ fidem gravida, ad falsam suæ pudicitiæ probationem ope Dæmonis præstitit, ad Religionis probationem minimè præstitisset, non enim inquam permissurus est Deus, ut Fides falsa veris persuadeatur miraculis.

Potest Dæmon pondera transportare.

Ad tertium respondeo eodem modo, Tulliam nihil fecisse, quod Dæmonis cooperatione facere non potuerit: non enim tantùm cribro, sed aquam potest Diabolus in aere vacuo sustentare.

An sustinere in cribro aquam?

Ad quartum dico, Magorum & Ethnicorum prodigia, non debere cum prædictis componi: nullum enim fecerunt, quod Dæmonis vires excedat. Interim de Christianorum miraculis aliquid breviter dicendum est. Miraculis testatur Deus esse vera quæ dicit: ergo, si Catholicam Religionem esse veram testetur, hoc testari poterit, etsi virum improbum tanquam internuncium adsumat. Cæterùm, si eò tendat miraculum, ut internuncij (quo videlicèt interveniente Deus loquitur, quo moraliter concurrente Deus realiter miracula efficit) sanctitatem testetur, quia mentiri non potest, sic nec adsumere hominem improbum, ut eum esse sanctum & pium universis persuadeat. Et quia eò tendebant Christi miracula, ut eum esse Dei filium demonstrarent, repugnabat, ut ipse, per quem illa fiebant, filius Dei non esset. Constat ex contextu capitis præsentis clarissimè. Hæc verba *ex versic.* 35. perpenduntor. *Andivit Iesus, quia ejecerunt eum foras* (quia Pharisæi illum excommunicaverant, & à gremio cæterorum segregaverant) *& inveniens eum, dixit ei. Tu credis in filium Dei. Respondit ille, & dixit; & quis est Domine, ut credam in eum? Dixit autem ei Iesus: Et vidisti eum, & loquens tecum ille est. Is autem ait. Credo Domine: & adoravit eum.* Ecce, miracula patrabat Christus, ut se esse filium Dei demonstraret. Ecce, ut vides, prior illa ratiocinatio est demonstrativa. Sunt & alia plurima testimonia, quæ suadent, Christi miracula eò tetendisse, ut eius Divinitatem demonstrarent. Nam *Ioann.* 1. 31. ex illapsu Spiritus Sancti sub specie columbæ super Christum, hunc esse filium Dei Ioannes collegit divinitùs illuminatus: & alibi eiusdem Ioannis discipulis interrogantibus, *Tu es ne, qui venturus est, an alium exspectamus?* se esse, qui erat venturus ostendit Christus argumento à miraculis sumpto.

An omnia facere, quæ faciunt Magi?

Possunt, & solent, fieri interdù miracula, ut alicuius sāditas ostendatur.

Se esse Dei filiū miraculis Christus persuadet.

Sed adhuc contrà instas: Non enim potest vocari demonstratio, quæ eliditur argumento seu ratione fortissimâ. Sed, qui Dominum nostrum Iesum Christum non esse à Deo asserebant, ratione gravi fundabantur. Ergo illa prior ratio non est demonstrativa. Probas minorem præcipiendo, ut syllogismus secundus (nempe, *Non est homo*, &c.) cui adversarij confidunt, relegatur.

Non est demonstratio, quæ eliditur argumento probabili.

Respondeo rationem probabilem in eo non reperiri: & hoc ipsum demonstrabo clarissimè. Aio majorem illam, *Non est homo à Deo, qui Sabbatum non custodit*, quoad se non esse certam: nam debemus hominem ab homine distinguere: vel enim ille homo, qui sabbatum non custodit, est etiam Deus, vel est purus homo. Si est Deus non tenetur lege sabbati, est enim sicut hominum, sic etiam sabbatorum Dominus. Si sit purus homo, adhuc debemus subdistinguere: quoniam vel habet dispensationem à Legislatore, vel non habet. Si eam habet, licèt sabbatum non observet non peccat: cæterùm, si sine dispensatione festivitatis religionem violet, adhuc oportet oculos aperire, & materiam in gravem, levem, & moraliter nullam dispescere. Qui in gravi materiâ legem violat, non esse à Deo certum est. Qui in levi, non debet graviter condemnari; nam septies in die cadit leviter, justus, & tamen Deus manet cum illo. Sed hoc non favet Christo, qui ne quidem leviter peccare potuit. Interim materiam moraliter nullam, cognitam fuisse & admissam ab antiquis Iudæis, probatur clare; nam *iter Sabbati* vocabant distantiam, quæ sine culpâ poterat die festo percurri: & cibare & aquare animalia, etsi opus servile, nemo arguebat de peccato veniali, Et tandem expuere non est opus servile, ut statim dicemus. Minor est manifesta calumnia, & omni apparentiâ veritatis destituitur. Primò Christus erat Deus, & Dominus Sabbati quod ipsum verbis sæpè dixerat, & miraculis esse verum firmaverat. *Matth.* 11. 8. Κύριος γάρ ἐστι τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Nam filius hominis est Dominus Sabbati.* Et *Marc.* 2. 27. ὥστε κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου. *Itaque Filius hominis est dominus hominis & Sabbati.* Vtrobique Κύριος est prædicatum, nam articulus subjectum afficit, ut in Logicâ Morali ostendo. Ergo, si Sabbati Dominus erat, lege Sabbati non tenebatur. Secundò, qui ex permissione & licentiâ Dei laboraret die Sabbati, non peccaret: & censendus esset talem habere licentiam, qui laborando die Sabbati miraculum aliquod ederet: non enim patrat Deus miracula, ut crimina honoret aut promoveat. Ergo, etsi totâ die Christus laboravisset, ut cæcum illuminaret, si tamen illuminatio fuisset sequuta, sicut finis nonnisi à Deo poterat

965 Deus, & Christus, quia est Deus, est Sabbati Dominus.

Purus homo cum dispensatione legem violare potest.

In legibus materia magna, levis, & moraliter nulla admitti debet.

Miraculis poterit dispensatio demonstrari.

An Christi opus esset servile.

poni, sic media non nisi à Deo poterant præscribi. Ergo censeri debuisset ex Divinâ dispensatione procedere. Hæc doctrina verissima est, sed non est impræsentiarum necessaria, nullum enim opus servile fecit Christus diē festo. *Quoniam expuit salivam, digito fecit lutum, & luto illo cœci linivit oculos.* An-ne hoc est temerare diem Sabbati? Minimè. Audiri Evangelista poterit, qui in simili casu sic inquit: *Et transiens inde venit in synagogam eorum. Et ecce, homo erat manum habens aridam: & interrogabant eum, dicentes; Si licet Sabbatis curare? vt accusarent eum. Ipse autem dixit illis. Quis erit ex vobis homo, qui habebit ovem unam, &, si ceciderit hac Sabbatis in foveam, nonne apprehendet eam & eriget? quanto igitur praestat homo ove. Itaque licet Sabbatis bene facere. Tunc ait homini exsiccatam habenti manum. Extende manum tuam, & extendit; & restituta est sana, sicut altera. Et Pharisæi consilium capiebant adversus eum: exeuntes ut eum perderent.* Similis calumnia texebatur contra Dominum *Luca* 13. Erat enim fœmina octodecim annos infirma: & imposuit illi Dominus manum, & confestim erecta est. Indignabatur autē Archisynagogus, quod illam recurasset Sabbato, & quia erant, qui ipsi assentirentur, dixit Dominus. *Hyppocrita: unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem suum aut asinum à præsepio & abducens adaquat? Hanc autem filiam Abrahæ existentem, quam ligavit Satanas, ecce decem & octo annos, non opportuit solvi a vinculo isto die Sabbati. Et hac dicente eo erubescebant omnes adversarij eius: & omnis turba gaudebat in vniversis gloriosis factis ab eo.*

Matth. 12. 9.

An bovem solvere sit opus moraliter nullū?

An ægrotū curare possimus die festo?

966 Igitur qui dicebant Christum violasse Sabbatum non solùm non sunt censendi probabiliter philosophari, sed potiùs temerè & ridiculè procedere: hæc enim consequentia: *Si ceciderit mea bestia in foveam, potero laborare manibus & illam eripere; etiam potero ligare & solvere bovem, asinum, equum, &c, & haurire aquam, ut illi bibant: potero iter facere, quantum mores permittunt*, &c. *& hæc omnia, quin violem Sabbatum. Cæterùm, si vel digitum moveam, ut vel obsessum à Diaboli tyrannide liberem, vel cæcum illuminem, vel infirmum recurem, violo Sabbatum.* Est tam frivola hæc illatio, ut Evangelistâ teste, ipsimet Adversarij erubescerent, cùm objectiones suas recognoscebant. Ergo illorum opinio non erat probabilis.

Sententia negans improbabilis est.

Miraculosa illuminatio cæci varios effectus habuit, nam luce cœlesti suffusi, qui piè erant affecti, aperiebant mentis oculos, ut Christum cognoscerent & adorarent: invidi & contumaces cordis claudebant oculos, ne allucescentem veritatem perciperent. Et Christus diversos eiusdem gratiæ effectus iuxta diversas diversorum cordium dispositiones considerans, addidit: *Ego in hunc mundum veni, ut non videntes* (si auxilia à me indulta susceperint) *videant: & videntes* (si suscipere noluerint) *cæci fiant.* Ægrè tulerunt Pharisæi hunc sermonem, & aliqui ex eis obloquebantur, dicentes: *Num & nos cæci sumus?* Modò attendite, quid illis responderit Christus: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis, Quia videmus. Igitur peccatum vestrum manet.*

Eadem miraculi cognitio in cordibus diversimodè dispositis effectus diversos operatur.

Stat igitur non esse merè probabile, sed certum & indubitatum argumentum, quod à miraculis desumitur: nempe à certis; nam sicut falsa nihil omninò probant, sic purè probabilia [illa nimirùm, quæ tametsi à Deo solo potuisse fieri, certum sit, est tantùm probabile esse facta: & etiam illa, quæ tametsi accidisse certum sit, non superare Naturæ vires est probabile.] nullam certam possunt consequentiam inferre.

An, & quādo certa, & quando probabilis sit consequētia, quæ deducta à miraculis?

EPISTOLA

EPISTOLA.

Ad Perillustrem & Reverendissimum Dominum,
D. DIONYSIVM MANTILLAM
CISTERCIENSIS ORDINIS IN VRBE
Procuratorem Generalem, &c. Dominum &
Amicum suum Observandissimum.

Romam.

Eminentissimi Cardinalis Sfortiæ Pallavicini, necnon Gabrielis Vasquez, Ioannis de Salas, Stephani Spinulæ, Candidi Philalethi, &c. mentem & doctrinam examinat.

Multi de Ordine eruditè Scripserunt, volueruntque in Naturalem & doctrinalem dividi, & utrumque doctè dilucidarunt. Addo & ego Politicum, qui videbitur aptior, ubi Amicorum Nomina debeant scribi. Est ergo Ordo Politicus, *nullum tenere, nullū prorsus servare*: & hunc mihi his epistolis componendis præscripsi, quoniam illarum ordo non Personarum, quibus inscriptæ, qualitates cōcernunt, sed tempus tantummodò, quo fuerunt datæ.



DIMIDIVM facti, qui bene cœpit habet. Vnde ego, quia Tuâ assistentiâ, & præsentia honoratus, iter aggressus sum, habui vnde molestias, quæ in viâ se solent insinuare, levarem.

Qualis sit Domus Lauretana? Vide Anonymū apud Metaphrastē, Baroniū, Victorinum Briganiium Balthassarē Bartolum & alios.

Eiusdem Domûs per Angelos facta translatio.

Lauretum veni: illamque miraculosam Domum [quam Ioachimus, & Anna à Patriarchis, suis Maioribus, hæreditariò possēderunt; in quâ sine originariæ culpæ labe concepta, & nata fuit Angelorum Regina; in quâ salutata ab Archangelo, Verbum Æternum genuit; in quâ Dominus noster Iesus-Christus ab anno ætatis septimo ad trigesimum habitavit, & suâ muros præsentiâ consecravit; in quâ S. Iosephus obiit; in quâ post Passionem Dominicam Deipara aliquamdiu permansit: Domum, inquam, quam, ut decenter coleretur è Palestinâ in collem, qui in Illyrico apud Tersatum Fluvium eminet, 9. Maij 1291. inde in sylvam apud Recanatem iacentem, 10. Decembr. 1294. hinc tertiò per unum milliare: & tandem quartò in locum, ubi hodie magnâ Peregrinorum frequentiâ colitur, post paucos menses Cœlestes transtulerunt Spiritus] quâ valui devotione suspexi; sublimeque, & ineffabile Incarnationis mysterium, ibi celebratum, contemplans admirabundâ quâdam reverentiâ suffusus discurrebam hoc modo.

De Incarnationis Mysterio. MEDITATIO.

Si homines universos Deus ad Comitia generalia vocasset; si optandi, petendi, & impetrandi quidquid vellent, facultatem liberam indulsisset; si profectò dixisset, Petite generosè, & possum, & volo, rem unam, licèt magnam, licèt summam, licet inauditam concedere. Inite Consilium inter vos: implorate animosè: non enim statui exorari rem parvam. *Si sic, inquam, locutus fuisset Deus, universorum hominum, numerosæ, & tantum-non infinitæ multitudini; & hi divisi in classes sibi, aut etiam se vicissim consulerent, & Chronologi ob oculos ponerent decrepitas & annosas historias; Cœlos delinearent Astronomi, Erronumque sine ullo errore peractas, & repetitas vias considerarent; Si Naturæ thesauros, subterraneasque paucis notas, divitias edissererent Physici; si ipsiusmet Dei essentiam, attributa, & perfectiones, aut vi luminis naturalis rimarentur, aut è Prophetarum libris Theologi dilucidarent: Pergo ulterius; si preconceptâ de Ambrosiâ & Nectare, aut denique de Elysiis campis opinatione se protruderent Ethnici; scirent (& hic altius eloqui debeo, nam universis loquor, & à singulis auscultari desidero) iterum dico; Scirent-ne omnes, aut ex omnibus aliquis, à Deo petere, ut humanam carnem in Persona unitatem adsumeret? Profectò nihil imploratum, quin petitum; nihil petitum; quin optatum, nil optatum quin volitum; & tandem nil volitum, quin tanquam possibile cognitum.*

An Vniversi homines simul, si celebrassent Generalia Comitia scivissent à Deo petere Æterni Verbi Incarnationem?

Sublimes omniū scientiarum notitias superat Incarnationis Celsitudo.

N. B. Sorites est secura argumentandi forma, si iuxta leges in nostrâ Dialecticâ constitutas decurrat.

NOTA. *De veneratione, quæ semper fuit exhibita Sacrosanctæ Domui Lauretanæ.*

Non est recens & novella hæc religio, sed ab ipso principio ab Apostolis ipsis exhibita. Quoniam hanc ipsi statim Domum ad solamen Fidelium in Templum consecrarunt. Erexerunt Altare, quod perstat adhuc: in quo (ut piè creditur) S. Petrus primò, & deinde cæteri Apostoli Sacra Mysteria celebrarunt. Eò, ut audiret Missas, Psalmos caneret, Deumque in Spiritu, & veritate adoraret, numerosa Neochristianorum multitudo concurrebat quotidie, murosque votorum, & anathematum solutione exornabat. Hæc, & similia referunt Historiographi Veteres, inter quos Metaphrastes. Sic scribit. *Quotidie* (agit de Angelorum Reginâ) *accedebat, & Filij corpus, quod priùs utero gestaverat, sæpe visceribus inserebat.* Quod ipsum tantæ Matris exemplo cæteri imitabantur. [Non digredior, cùm iubeo Hæreticis, ut Metaphrastæ verba relegant: ipse enim, velint, nolint, testatur, illud ipsissimum corpus, quod sumptum est de Virgine, & in Calvario crucifixum, in Venerabili Altaris Sacramento nobis communicari.]

Anno Domini CCCXXVI. Helena Augusta, Virago devotissima, & ut creditur vulgò Constantini Imperatoris mater, Româ Hierosolymam peregrinata, invisit Sacra loca, eademque donis, & ædificiis exornavit &

gnitum. Ergo si Incarnationis Mysterium, omnium Hominum (immò etiam Angelorum) naturalem notitiam superabat, fieri non potuit, ut de illius Homines possibilitate ullam suspicionem haberent. Erat Ergo impossibile, ut id appeterent. Erat ergo à fortiori, ut illud peterent.

An in Casu iam posito homines si eam esse possibilem novissent, ausi fuissent à Deo incarnationem postulare?

Pergo ulterius. Si Incarnationis possibilitas Hominibus divinitus revelaretur, & adhuc diceretur eisdem, Quidquid petatis, impetrabitis. *Eò ne auderet alicuius pervenire temeritas, ut à Deo postularet, quod Verbi Aeterni Hypostasi lutum Humanæ conditionis uniret? In tali casu, ut puto, Animositati Prudentia & Reverentia modum poneret, & illud syncategorema,* Quidquid, *accipi iuberet sensu congruo, adeoque intra Moralis Vniversitatis terminos, ita ut in aures religiosè seggereret,* Ne quid nimis.

Cur Verbum Aeternum carnê sumpserit?

At Deus, non ob nostra, adquisita Virtutibus Heroicis merita, sed ob nostram salutem, ut nos à peccato, & morte æternâ, illi adnexâ, redimeret, tantum non prodigâ Misericordiâ, carnem Humanam adsumendo, concessit, quod nemo postulare sivisset; &, si quis cœlitùs illuminatus cognovisset, propriam tenuitatem considerans, & infinitam Dei Maiestatem adorans, petere non auderet. Tanta ergo fuit Divinæ Dignationis Immensitas, ut tota mente & corpore in gratiarum obsequia dissoluti, quæ nos à Deo recepisse cognoscimus, recognoscere, ne quidem ex parte possimus.

Christiana spes à maiori ad minus, argumenti efficaciam desumit.

HÆc ibi, Domine Reverendissime, toto mane Contemplatio me tenuit. Ibi Amicos, & Te præcipuè, Divinæ Clementiæ commendavi, confidenter supponens, non posse Omnipotentiam in minoribus rebus deficere, quæ superabundavit in maximis.

Quale sit Mediolanum?

Solamine plenus discedens, tandem perveni Mediolanum, Vrbem ditissimam, & copiosissimam; &, quod maioris fecerim, Religiosissimam; cui S. Carolus Borromæus, sicut olim in terris moriens, sic etiam nunc è cœlis vivens, patrocinio speciali adest, favet, & prospicit. Sedet in hâc Ecclesiâ, Alphonsus Litta, S.R.E. Cardinalis, Præsul fanè vitæ exemplo Clarissimus & Eminentissimus: quem, si sincere loqui liceat, dicam *alterum Carolum*, sanctè enim à Borromæo statuta, assidua & vigili cooperatione manutenet. Apud eum illæsa manet & manebit Iustitia; quoniam, seu distribuat, seu vindicet, norunt digniorem omnes prælatum iri minùs digno; neminem Deo, & Ecclesiæ sine præmio servire, impunè neminem, aut audere, aut delinquere. Faxit Deus, ut ad altiora ipse promotus, has duas sanctissimas prærogativas, impetret & obtineat in toto Orbe Orthodoxo observari.

Summa Cardinalis Littæ, Archiepiscopi Mediolanensis, Integritas.

Ingressus est Caramuel Viglevanū 19. Novembris 1673.

Veni tandem Viglevanum, ubi Mediolanenses Duces sua habuerunt tempe; & suas in ipsis, quando publica permittebant negotia, non otiosas delicias. Est pulchra Civitas, tametsi pacis, & belli tempore perpessâ militares iniurias, muri antiqui hinc rudera, inde parietinas ostentant. Habet non paucos Nobiles, qui Maiorum Stemmata morum elegantiâ condecorant: & numerosum Clerum, qui diu, & noctu Divinis Officiis adsistens, pio est laicis universis exemplo.

Occasio scribendi ista folia.

Sed, quia hodie à Typographo Lugdunensi, apud quem sub præ'o nostra DIALEXIS *de Non-Certitudine* sudat, literas iteratas recipio, plura de Viglevanensi Cathedrali dicturus, filum abrumpo, & illas coram Te confidenter interlego. Petit aliquas sibi subministrari lineas, ne ultimæ pagellæ vacuæ maneant; & Ego, quia de Pallavicini, Vasquesij, Salas, Spinulæ, Philalethi, & aliorum mente tecum aliquando differui, & quæ differebamus, ne perirent, scripsi; eadem subministrando, gratæ illius importunitati satisfacio. Tu pro Ingenij Tui dexteritate, singula exactè lege, & attentè considera, & vive felicibus annis.

Cur adhuc addantur aliquorum Iudicia?

& Nazarethum veniens, domum hanc in quâ Mundi Salvator, in quâ eius Mater sanctissima, tot & tam eximia sunt mysteria operati, pietate & charitate humili venerata, donis aureis, & argenteis ditavit, & picturis devotissimis condecoravit.

Eius exemplo multi Romani Principes in Palæstinam peregrinationem exornarunt: multæ etiam Nobilissimæ Heroides; inter quas celeberrima est Paula; quam per utramque lineam, (Paternam & Maternam) etiam consentiente Hieronymo, à præcipuis Græcorum & Romanorum familiis Historiographi Antiqui deducunt.

Qui Tyrij, Tusellini, & aliorum libros legat, & gesta Europæorum Principum sub annum MC. recognoscat, inveniet Gottifredi Ducis de Buglione, & Tancredi, Normandi Principis Religiosas & Bellicas expeditiones: & quomodo in manu potenti & brachio excelso vexilla triumphalia in Palæstinam invexerunt, & sancta loca, & hanc Domum genibus flexis inviserunt, & pretiosis muneribus condecorarunt.

Non multis annis post incepit Fratrum, quibus à Templo nomen, militaris Religio, & Ioannis Hierosolymitani sollicitudo; quæ erectis Hospitalibus & conscriptis militibus, tuebantur peregrinos, recipiebant hospitio, & viaticum subministrabant.

Permansit in viridi observantia hæc devotio; nam Cardinalis Iacobus de Vitriaco, Hierosolymitanus Patriarcha, magno accursu & consolatione Fidelium in sanctâ hac Domo anno MCCXXXVIII. celebravit.

Hinc elapso viennio (anno videlicet MCCLVIII.) Ludovicus IX. Christianissimus Gallarum Rex cum fortibus, & numerosis copiis in Palæstinam navigavit; & ubi eminùs Sacram Domum detexit, equo exsiliens, & in genua provolutus Domûs eiusdem incolas fuit veneratus, & cilicium adsumens, & tridui ieiunio corpus macerans, se disposuit, ut dignè in eam ingrederetur. Et ipso Adnunciationis die cantari ibidem Missam regiâ maiestate curavit. Omitto cætera, hoc tantummodò insinuans, pestem, famem, captivitatem, & alia omnia, quæ fortissimè est passus, in hoc mundo, & in altero gloriam illi promeruisse immortalem.

Taceo Recentiorum exempla; nam hæc censebuntur sufficere, ut videntes quantâ Veteres Principes Domum hanc pietate & religione visitaverint, eorum pio accendamur exemplo, & si possimus, corpore, vel aliàs mente & animo, Verbum Incarnatum adoremus; nempe in loco ubi steterunt pedes eius.

Ergo

In omni Morali Assertione opus est à Veritate Bonitatem distinguere.

Ergo breviter, quid sentiant, & asserant Anthores, quos nominavi, videamus. Asserunt enim Primò, *In Morali quâlibet Opinione debere à Veritate Bonitatem distingui; & non obstante Veritatis incertitudine, posse & solere esse certam & indubitatam Bonitatem, seu licitatem:* Quoniam hæc Propositio, *Virgo Maria originali culpâ caruit*, ut ut sit tantùm probabiliter vera, est certò bona & licita, & nulli exposita suspicioni peccati. Et Secundò asserunt, *A Non-Certitudine Veritatis, quæ accensetur Præcepto, pro suadendâ Bonitate & Licitate Operis, certum argumentum desumi.* Disputatur enim ex.gr. de intelligentiâ Canonum, qui diebus festis Sacræ rei Christianos interesse præcipiunt; an videlicet in Sancti Petri solemnitate, si in Dominicam incidat, unam, aut duas debeant audire Missas; & quia sunt Opinionum divortia, pro libertate resoluitur, & unicam tantùm debere audiri dicimus, donec audiendi plures obligatio manifestè probetur.

Potest, & solet homo de Veritate Assertionis ambigere, & tamen habere certitudinem de eiusdem Assertionis Bonitate.

Nostras semper Conscientias tutas reddit Non Certitudo obligationis.

P. Sfortia Pallavicinus.

Qualis ipse sit?

[Dixerim sit, non fuerit, Excellens quoniam vivit post funera Virtus]

Est vir felicissimi ingenij, & ob vitæ merita à Sanctissimo D. N. Alexandro VII. ad Cardinalitiam dignitatem promotus; ob ea quæ dictavit & in lucem emisit celeber, & toti Europæ notus. Hic igitur, tametsi in eam Opinionem inclinet, quæ ad Conscientiæ securitatem sententiam Probabiliorem postulat; dum asserit, Non-Certitudinem (aut, ut ipse loquitur, (1) inevidentiam) oppositæ partis sufficere, ad Conscientiæ quietem, innuit, sufficere minùs Probabilem. Proderit eum audire: quoniam *tom 1 in 1.2.disp.9.sect.4.* quæ est *De regulâ proximâ humanarum actionum*, sic inquit. *Ex hoc tamen colligo* Primam Conclusionem. *Ratio & Conscientia licet possit errare circa aliqua prædicata, quæ non sunt prima mensura boni & mali, non tamen possunt errare circa ipsam primam mensuram, & verum constitutiuum utriusque.* Clariusque utendo nostro Lexico diceret. *In omni Propositione Morali Veritas & Bonitas debent considerari: nam Ratio, & Conscientia licitè possunt errare circa Veritatem, hæc enim non est, prima mensura boni & mali; non autem circa Bonitatem & Licitatem quæ est prima boni & mali mensura.* Hanc esse Pallavicini mentem, colligo ex illis, quæ subscribit: infit enim, [Constat (videlicet Prima Conclusio) ex his quæ diximus *hac disp.9. quæst.1.* de obiecto cognitionis repræsentantis bonitatem vel malitiam moralem; cùm enim hæc cognitio sit infallibilis & implicet contradictionem aliquem operari male, & simul operari secundum conscientiam, necesse est, ut conscientia dictans bonum esse velle hic & nunc tale obiectum; sit infallibiliter vera. At prædicta Conscientia cognoscit aliquam bonitatem, quæ non constituitur per ipsam Conscientiam; obiectum enim fundamentale & directum cognitionis debet esse aliquid contra distinctum, & ratione antecedens ipsam cognitionem. Ergo cognoscit bonitatem, quæ constituitur per aliquam mensuram antecedentem. Hæc utique mensura non sunt ipsa prædicata obiecti secundum se, [*] quia in his conscientia potest errare iudicando aliquod obiectum [a] esse bonum & utile Reip. rationali, quod reipsâ sit malum, ergo est aliqua alia mensura infallibilis, quæ possit rectificare vel pravificare voluntatem independenter à contrariâ conditione obiecti & cuiuscumque alterius mensuræ. Reliquum ergo est, ut hæc mensura infallibilis, & circa quam conscientia non potest errare, sit prima mensura; adeoque sit summum bonum, cui talis volitio hic & nunc est proportionata; & consequenter, ut talis mensura sit *Voluntas Divina*, quæ ex suppositione apprehensionum antecedentium quas ego habeo, vult ut ego eliciam potiùs hunc actum voluntatis quàm alium uti magis conducibilem ad acquisitionem Summi boni.] Sic ille. Et hic obiter ad illa verba, *Voluntas Divina* converte oculos; nam peccatum in Philosophicum & Theologicum distingui debet: illud enim opponitur naturali decentiæ; hoc autem ante præceptum Divinæ Voluntatis non potest intelligi; nihil enim est aliud, quàm legis Divinæ inobedientia. Et hinc solvitur Quæstio, quæ interrogat, *An ea, quæ censentur & dicuntur mala, mala sint, quia prohibita, an verò sint prohibita, quia mala?* Nam, (2) si agatur de Philosophicâ malitiâ actuum Moralium, hæc ab omni Divinæ Voluntatis imperio præscindendo reperitur in actibus, qui cum naturali indecentiâ eliciuntur: Verùm enim verò, si sermo de Theologicâ sit, dicam cum Sancto Paulo, *Ubi non est lex, nec est prævaricatio.* Addamque omnium humanarum legum esse inanem Censuram, nisi ipsæ vires à Divinâ recipiant.

Cognitio de Bonitate & Liceitate actûs debet esse infallibiliter vera.

Repugnat peccare, qui laborat ignorantiâ invincibili.

a] Addit illud verbū *utile*, Bonitas enim triplex est, Honesta, Utilis, & Delectabilis: & Humana Voluntas ut in duarum posteriorum prosecutione errare potest in prima non potest errare: non enim peccat; non enim legem nescit; sed quia habet aut virtualiter illam cognoscit peccat.

De malitiâ Philosophicâ & Theologicâ.

Vera ante omne Divinum præceptum reperiatur?

Pergit Pallavicinus, proponitque Secundam Conclusionem his verbis. [*Hæc cognitio non solùm est metaphysicè infallibilis, sed est metaphysicè evidens.* Probatur, si enim non haberet hanc evidentiam esset coniungibilis cum aliquâ formidine oppositi; atque adeò cum hoc actu

Quàm certa cognitio de Bonitate & Liceitate actuum Moralium sit?

1 N. B. Obiiciebam doctissimo Viro, esse impossibile, aut saltem summè difficile in omnibus rebus probabiliorem invenire Opinionem. Et quid ad hæc Eminentissimus? Non dicebat esse facilè id, quod ego vocabam difficile vel impossibile, sed esse Viro cuicumque docto liberum (attende) minùs probabilem sententiam, hic & nunc in probabiliorem convertere; Re igitur bene perpensâ Vir eximius parvam, aut nullam differentiam inter minùs probabilem & probabiliorem inveniebat.

*] Ecce Propositionis Veritas non requiritur, ut ipsa bona & licita sit: licèt enim prædicata reverà non conveniant obiecto, si tamen probabiliter censentur convenire, bona & licita Assertio iudicabitur.

2 N. B. Legem ipsam Naturalem, quæ Theologica est, & conscientias obligat, fuisse à Deo latam Iurisconsulti Christiani profitentur. Prateus in Lexic. verb. Ius Naturale. *Cæcus est per omnia captus humanus, nisi Divino præscripto tenaciter adhæreat*, &c.

Fortasse hic & nunc id non placet, sed displicet Deo; ac proinde fortasse hic & nunc per hunc actum ego pecco. Sed operari cum hac formidine esset intrinsecè malum, ergo operari sine conscientiâ metaphysicè evidenti est intrinsecè malum.]

Qui dubitat an peccet, operatur, peccat.

Probat Minorem dicens. [Videtur [*b*] enim irreverentia ergo Summum Bonum, & Supremum Principem, si ego ita aliquid faciam, ut formidem, ne fortè per hoc reddar meritò odibilis, & inimicus illius.] Probat idem per idem, & hanc ob rem progreditur, ut Minorem persuadeat, & sic arguit. [Videtur profectò pertinere ad Bonitatem Dei non posse redigere hominem in has angustias, ut licèt quantum est ex se, desideret ex animo facere id quod placet Deo; adhuc tamen non possit liberare se ab omni formidine, ne fortassè per id ipsum displiceat Deo, & mereatur Divinam aversionem. Ideò dicitur Psalm. 18. *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos*, & sic intelligunt S. Thomas supra relatus à nobis, & alij verba illa Psalmi 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Quidquid sit de vero sensu huius loci.] Sic ille.

Supponit, quod quaeritur. Falsa vitiosus.

Dei praecepta, quae obligant, sunt semper clara.

Sanè Casum, quem hic impossibilem iudicat Pallavicinus, multi alij Authores, non solùm dicunt esse possibilem, sed admittunt in praxi; alij enim asserunt, & alij negant eum peccare, qui probabiliter putat, se displicere Deo. Ego autem consto Pallavicino, & agendo de homine legitimè instructo, Casum, in quo dubitet, *An peccet?* impossibilem esse assevero. Quoniam Humanae Libertatis possessio postulat, ut hoc PROTHEOREMA praemittamus, *Certò est licitum quidquid non est certò interdictum.* Et hoc bene persuadet illud Psalmi, *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Ait enim Villalobos, *A mi se me haze difficultoso condenar alguno de peccado mortal no siendo el Decreto muy claro.* Ergo praeceptum, ut ad peccatum obliget, *debet esse lucidum.* Hispanicè, *debe ser muy claro.* At praeceptum probabile, aut dubium, nec lucidum, nec clarum est. Non ergo potest obligare ad peccatum. Si autem quis audeat dicere, *Quis ostendet nobis Legem?* Postulabo ego ab illo, *Quis ostendet nobis solem?* Quoniam Deus est Sapientissimus & Sanctissimus Dominus, & boni Principes nolunt obligare suas leges, nisi satis sint promulgatae: illae autem de quarum existentiâ dubitatur, satis promulgatae non sunt.

Utrum dubitare quis possit, An peccet.

Quae licita, & quae illicita sint?

An leges probabiles obligent?

An obliget lex de cuius existentiâ dubitatur?

Si obiicias dicens. [Illud iudicium est sanè coniungibile cum formidine oppositi. At ad bene operandum iudicium profectò requiritur, quod formidinem omnem excludat. Illud ergo non est sufficiens ad securitatem conscientiae.] Respondebit sequitur apud illum Responsio? quae videtur esse Confirmatio instantiae praecedentis: sic enim Lego. [Saltem in tali casu (si agatur de Veritate huius Propositionis, *Actus A, qui eliciendus proponitur, hic & nunc non est interdictus*) est in potestate operantis prudenter formidare de tali obiecto [*c*] utpotè non certissimo ex vi suae apparentiae. Videtur autem aequè illicitum operari cum formidine (de Bonitate) ne forte per illam Opinionem offendatur Deus, ac operari cognoscendo, quòd apparentia & notitia quam operans habet, hic & nunc, meretur eiusmodi prudentem formidinem.] Negat à Veritate ad Bonitatem actûs legitimum argumentum procedere: quoniam, ut pluries diximus, bene stat quòd qui de Veritate Propositionis dubitat, certò eiusdem Bonitatem perspiciat: unde pergit, & ait. [Haec sententia, eò credibilior est, quia cùm Superiori Conclusione sit Demonstratum, cum Veritatem (de Bonitate) ex parte obiecti esse infallibilem, nulla est ratio cur Natura [*d*] noluerit hanc infallibilitatem constare per evidentiam; quippe quae evidentia in tali materiâ videtur fuisse summoperè opportuna. Et porrò hanc evidentiam Natura potuit facillimè tribuere inserendo omnibus deliberatè operantibus hoc PRIMUM PRINCIPIUM PRACTICUM *Quicumque facit id, quod omnibus pensatis sibi videtur bonum, honestè facit.*] Et meritò vocat illud Pallavicinus, *Primum Principium Practicum*: quia in praxi debet supponi ut Primum; tametsi speculativam probationem admittat. Quia cùm Homo sit in suae libertatis possessione, omnibus pensatis sibi bonum (licitum & honestum) videbitur quod certò interdictum non sit.

An indiciū de liceitate Actûs careat formidine?

An dentur species congenita?

Prima Principia Practica probari possunt & solent speculativè.

Hinc progreditur & nonnullas Obiectiones proponit, ex quarum solutione clariùs, liquidiusque veritas innotescat.

Cur Obiectiones proponantur?

OBIICIT PRIMÒ. [Si hoc esset, homines spirituales non torquerentur scrupulis, an peccent per operationes quas faciunt.]

De scrupulis.

Respondet [Scrupulos non esse circa operationem factam in eodem instanti; sed, vel circa operationem faciendam ad hoc ut adhibeant debitam diligentiam in praemissis requisitis ante ultimum iudicium circa facta in tempore antecedenti, respectu quarum homo non habet certam memoriam de illo ultimo iudicio practico momentaneo. &c.] Vera sunt, quae hic de scrupulis dicit Pallavicinus, at nimis brevia: & ideò non nihil subscribam. Sanè (attende mi Lector) *Conscientia scrupulosa, est Conscientia Superba & ignorans*: & his vitiis afficitur copulativè; Superbus enim

An, & cur pia conversationis homines illis vexentur?

Quid Conscientia scrupulosa sit?

b] Si *videtur* formidinem notare videatur, loco illius aliud verbum ponatur, nam Pallavicinus non dubitativè, sed assertivè pronunciat.

c] Ego dicerem non esse in potestate hominis opinari, ubi ratio probabilis & incerta succurrit: quia, cùm certum assensum praebere non possit, aut se suspendere debet intellectus, aut actum opinantem elicere.

d] Pallavicinus aliique disputant, & examinant, quid in tali vel tali hypothesi facere debuerit Natura; &, si, quid *Natura* nomine intelligatur, quaeras, respondebit Seneca, *Natura est Deus.*

enim homo, si doctus sit, non habet scrupulos, quoniam Veritatem intelligit: & homo indoctus, si humlis sit, non habet scrupulos, nam doctiores interrogat,& eis obedit. Supereſt igitur, ut is tantummodo habeat ſcrupulos qui Veritatem neſciat, & à doctis illā nolit addiſcere. Porrò ſcrupulus, ut bene advertebat Pallavicinus, vel rem factam vel faciendam concernit. Si puellam videris, & dubites, an aſſenſum in actum laſciuum præbueris: Examina generale tuum vivendi propoſitum, ſi poſt confeſſionem ritè factam non fregiſti legem Dei obſervandi propoſitum, à tuæ innocentiæ poſſeſſione ſtabis, & depones ſcrupulum. Si illud retractaſti propoſitum, ſtat in poſſeſſione malitia,& tollit dubium practicum; nam te peccaviſſe putabis. Si autem ſcrupulus rem faciendam concernat, deponet illum libertatis poſſeſſio, ſunt enim certò licita, quæ certò interdicta non ſunt. Hinc ad Obiectionem reſpondeo, non omnes, qui volunt *Spirituales* dici, eſſe humiles: addo ſcrupulos in illis aboriri, à latente aut patente ſuperbiâ; poſſe autem hominem humilem torqueri ſcrupulis, conſtantiſſimè nego. [Et hic ego ſcrupulos ab humoribus craſſis, qui materiales ſunt & cor affligunt, ſecerni & diſtingui deſidero; nonnulli enim laborant hypocondriis; & hi non à Theologis, ſed à Medicis iuvari debent.]

Scrupuli, aut de re factā aut de faciendā ſolent eſſe.

Quale, & unde in priori caſu.

Et quale in poſteriori ſit iudicium formandū?

An omnes Contemplatiui ſint humiles.

N. B. *Hypocondriaci debēt ab Scrupuloſis diſtingui.*

Obicit Secundò. [Hoc iudicium (quo quis videlicet aſſerit, ſe honeſtè hic & nunc operari) non eſt evidens ex terminis; neque etiam poſſunt aſſignari duæ præmiſſæ evidentes, ex quibus eliciatur. Ergo nullo modo habet evidentiam.] Reſpondet negando Minorem [Præmiſſæ enim ſunt eiuſmodi: *Vnicuique licet practicè facere id quod ipſe exiſtimat ſibi licere, ſuppoſitis omnibus cognitionibus vel certis vel dubitativis, quas habet in priori natura. Sed ego hic & nunc exiſtimo id mihi licere. Ergo id mihi hic & nunc licet practicè facere.* Evidentia minoris patet, eſt enim notitia experimentalis reflexa de propriā cognitione præſenti, quæ cognitio licèt poſſit eſſe falſa, tamen non affirmatur, ut exiſtens, adeoque talis affirmatio eſt evidens.

An iudiciū de bonitate & licitate actiōs ſit evidens? An ſit ſal- ſcientificum?

Si non adquieſcas, & Maiorem reiicias, ut eam à te debere admitti ſuadeat, doctè & ingenioſè ſic inſtat. [Maior, inquit, eſt evidens; eſt enim Primvm Principivm Practicvm, *Quod unicuique licet facere id quod omnibus penſatis ſibi licitum videtur.* Quippè non habemus aliam regulam proximam liciti vel illiciti, quàm lumen intellectûs, datum nobis à Deo, & omnes inquiſitiones, quæ fiunt, ordinantur ad hoc, ut ex illis eliciatur iudicium, non quidem evidens, quippe quod de multis rebus haberi non poteſt, ſed probabilius ſuper veritate aut falſitate huius vel illius opinionis pendentis vel ex iure vel ex facto, & aſſerentis hoc eſſe licitum vel illicitum: & poſitā diligentiā requiſitā ſuper hâc inquiſitione, unuſquiſque putat ſe innocentem & tutum in oculis Dei,] &c.

N. B. Hęc doctrina eſt iam clara, ut ubi iam impugnari ſed rideri debeant Hæretici, qui contrarium delirant.

Errare poteſt & ſolet homo circa Veritatem Propoſitionum; & tamē circa Bonitatem & Licitatem nunquā poteſt errare.

Hæc Pallavicini doctrina ſupponit meritò, *Deum & Naturam in neceſſariis non deficere*: ubi enim iuſſit ut honeſtè operemur, docere homines debuit, quid actio humana, ut ſit licita & honeſta, requirat. In quo Luthero & Calvino (aut etiam Bayo & Ianſenio) prudentiores ſunt Ethnici (Plato, Ariſtoteles, &c,) apud quos, *Deus impoſſibilia non præcipit*, & *A peccato excuſat ignorantia invincibilis.*

An Deus in neceſſariis ad ſalutem deficiat?

Hâc in parte Ethnici ſunt cæciores Heretici.

Apoſtolus. *Fidelis autē eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, &c.*

Ex illis verbis, *Super veritate aut falſitate huius vel illius Opinionis.* Collige, noſtris Virum doctum Fundamentis inſiſtere: & Veritatem à Bonitate in Morali Aſſertione diſtingnere: & ſtatuere, licet de Veritate non ſemper haberi queat iudiciū evidens; hoc enim, ut bene monebat, in multis caſibus haberi non poteſt: de Bonitate verò certiſſimum & evidentiſſimum iudicium elici. Qui enim præmiſit debitam & ſufficientem diligentiam, ut Certitudinem inveniat, ſi tamē eam non inveniat, & ſtet à ſuæ libertatis poſſeſſione, ſecurus eſt.

In omni Propoſitione Morali à Veritate Bonitas debet ſemper diſtingui.

Homo incertus de primā poteſt habere de poſteriori certitudinē.

Quod ſi obiicias, de hoc ipſo poſſe dubitari à me, An ſufficientem diligentiam præmiſerim: reſpondet, recurrere eamdem Regulam [Scilicet, quod ego ſim tutus, ſi puto ſecundum lumen & iudicium quod habeo, ſufficientem eſſe illam diligentiam, quam adhibui]

An ſcire aliquis poſſit utrū debitam diligentiam poſuerit

Et quamvis ex Cap. *ne innitaris*, communiter dicatur debere nos præferre opinionem Sapientum exiſtimationi propriæ, & conſequenter videatur non poſſe à quopiā affirmari. *Illud eſt mihi licitum, quod mihi videtur licitum.* Reſpondet ipſe [illud Aſſumptum intelligi de exiſtimatione propriâ non abſolutè & ſecundum omnia motiva, ſed ſecundum ea ſola motiva, quæ nobis occurrūt præciſo motivo Auctoritatis alienæ. Poteſt enim hoc motivum præponderare aliis motivis, quæ alioquin nobis ſuaderent partem oppoſitam. Sed quoties Ego penſatis omnibus motivis, tum rationum quæ mihi occurrunt, tum auctoritatis extrinſecæ oppoſitæ, adhuc puto partē priorē eſſe probabiliorem & veram, implicat in terminis quod debeam præferre partem oppoſitam, alioquin viderem me teneri ad faciendum id ad quod credo non teneri, quod eſt impoſſibile, & infrà magis explicabitur,] &c.

An & quādo ſua poſſit Aliquis prudentia inniti?

An, quæ videntur bona, bona ſint?

An teneatur quis facere, quod eſt minus probabile?

Vt autem probet hoc, rationem quam nuper ponebamus, reponit: [Niſi enim hoc Principium ſit evidens, Natura non ſatis providit nobis, nec dedit Regulam ſatis tutam, per quam, ſi velimus, poſſimus eſſe immunes ab omni culpâ, ſed reliquit nos in perpetuā cæcitate & diſcrimine peccandi, etiam ſuppoſito quod quantum eſt ex nobis peccare nolimus.] Et hoc, quidquid Heterodoxi obganniant, apud Catholicos indubitatum eſt.

Catholicorum doctrina.

N. B. *Nemini unquam præcipit Deus, ut ſupra mentem intelligat, aut ſupra vires operetur.* Eſt de Fide; & definitur in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11.

Hanc tandem uberioris doctrinæ gratia Obiectionem proponit. [Illa, inquit, Præmiſſa, quæ à nobis affertur tanquam evidens, & ex quâ eliciatur illud ultimum iudicium practicum; videtur eſſe evidenter falſa, & non evidenter vera prout requireretur ad evidentiā Concluſionis. Nā dicendo, *Illud eſt licitum, quod mihi videtur licitū,* aſſerit

An ſit bona Cōſequētia. Tale videtur, Ergo tale eſt.

asserit universaliter esse verum id, quod aliquando est falsum, non enim id quod videtur tale, semper est tale, & certè non potest haberi evidentia hic & nunc quod sit tale, &c.] Bene autem argumentum proponitur: Si enim agendo de sensibus, [e] *Non semper est rotundum, quod videtur rotundum: nec semper est amarum, quod videtur amarum:* &c. Atque agendo de Intellectu, *Si Non semper est verum, quod videtur verum*, rationis postulabit paritas, ut dicamus, *Non semper esse bonum & licitum, quod bonum videtur & licitum.*

e] De sensuum fallaciis multi doctè scripserunt, & inter eos præcipuè Geometræ & Astronomi, ubi Epicurum reprehendunt, quod visui fidens, solem esse bipedalem affirmet, quoniam tantus & non major videtur.

Quid Liciti nomine intelligatur?

f] Primò licitum dicitur, quod non est interdictum: secundò, quod tutâ conscientiâ potest fieri: Et potest homo dubitare de licito in primâ significatione, & esse certus in secundâ.

De collatione quæ diebus ieiunij fieri solet.

Quanta permissa sit?

Conclusionum Conclusio.

Respondet autem, & bene, vocem *Licitum*, [f] esse æquivocam, & duas habere significationes: nec accipi secundum eamdem in primâ parte illius præmissæ, sub quâ ratione est maius extremum, & ponitur in Conclusione; ac in secundâ in quâ est medius terminus, & non ponitur in Conclusione, atque adeò ex inevidentiâ talis liciti in secundâ significatione non concluditur inevidentia liciti in primâ significatione, &c.] Hæc omnia ille. Profectò ubi quæritur, ex. gr. *Vtrùm jejunij die liceat octo fructuum uncias in collatione sumere?* Sumitur bifariam illud *licitum*, vel enim quæritur, An iste assensus, *Non est interdictum*, sit verus? an sit bonus & in conscientia securus? Ergo, si Pallavicino teste, falsa est hæc Propositio, *Quod non est evidenter interdictum, non est evidenter in Conscientia securum*: hæc erit vera, *Quod non est evidenter interdictum est evidenter in Conscientiâ securum.* Et hoc unicum tota hæc nostra DIALEXIS *de Non-Certitudine*, demonstrare conatur.

P. Gabriel Vasquez.

An certitudo de Bonitate Operationis requiratur?

Possum dubitare de Bonitate actûs in cõmuni, & in particulari.

An formido ab hæsitatione distinguatur?

g] Vniversi Theologi duo esse in omni Opinione perceperunt, aliud incertum, & aliud certũ, at hæc duo vocum defectu, nec eodem omnes modo, nec bene universi explicarunt.

CItaverat Laymanus Vasquezium pro opinatione, quæ asserit sufficere probabilitatem de honestate actûs, ut aliquis licitè & rectè operetur. At ego, quia hic Certitudinem manifestam requiro, oppositam Opinationem contradictionem involvere supponens, recognosco Vasquezij sententiam, illum enim bene citari non credo, ipse igitur *in 1.2. disput.62.cap.5.* (hic citatur à Laymano) sic inquit, [Quare ego quidem existimo posse aliquem rectè operari cum assensu tantùm probabili, etiamsi habeat formidinem oppositæ partis, non solùm si formidinem habeat simul cum iudicio universali, sed etiam, si eam habeat simul cum iudicio singulari, nec tantùm si formidinem habeat per intrinseca principia rei, sed etiam per extrinseca: Datâ operâ dixi, *cum formidine oppositæ partis*, non autem dixi, *cum formidine & hæsitatione.*] Ecce hic Vasquezius, sicut cæteri Theologi, [g] & Nos, in humanis actibus duo distinguit: tametsi illâ defectu terminorum & vocum clarè non explicet: quoniam Incertitudinem, quæ assensus Veritatem afficit, vocat *formidinem*, eam verò, quæ assensus Bonitatem (Licitatem) respicit, *hæsitationem*. Et hoc constat ex doctrinâ, quam subiicit: inquit enim. [Siquis dubius esset (de Licitate) circa aliquod genus operationis non posset salvâ conscientiâ operari; quia non posset habere iudicium conscientiæ singulare cum assensu, sed circa singulare etiam dubitaret: cum dubiâ autem conscientiâ operari non licet, ut inferiùs videbimus.] Et ut nullus locus æquivocationi relinquatur, notari præcipit [aliud esse *formidinem* aliud verò *hæsitationem* & *dubitationem*. Quæ duo immeritò confundunt Caietanus & Navarrus: *dubitare* enim & *hæsitare* (ad Quæstionem de Bonitate Honestate & Licitate Assensus seu Assertionis pertinet) & est pendere intellectum in utramque partem contradictionis, & nulli illarum determinatè assensum præbere: quia in nullâ illarum apparet convenientia prædicati cum subiecto. Cum hac autem hæsitatione non licet operari, ut inferiùs videbimus. Formido verò unius partis (ad Quæstionem de Veritate Assertionis spectat: & ideò) non excludit assensum determinatum alterius, sed formido in eo tantùm posita est, ut aliquis per actum reflexum iudicet rationes illius partis, cuius habet assensum, non esse evidentes, sed tantùm probabiles, & ideò putet fieri posse, ut in re ipsâ opposita pars vera sit, cum tamen rationes illius id non ostendant. Cùm igitur hæc formido etiam expressa unius partis non excludat assensum determinatum alterius partis, & cum quovis assensu probabili qui non attingit evidentiam formido esse possit, sequitur cum hac formidine posse quemlibet operari. PRIMVM, quia ut constat ex sententiâ omnium ad rectè operandum non est necessarius assensus evidens, sed sufficit probabilis. PRÆTEREA, quia certum est, neminem debere necessariò tutiorem partem eligere. POSTREMO, quia qui habet formidinem circa propositionem universalem, habebit circa singularem, ut probatum est. Ergo, qui habet tantùm opinionem de universali propositione, poterit rectè operari cum formidine circa singulare iudicium conscientiæ.] Hæc Gabriel Vasquez.

An liceat cum dubia conscientiâ operari?

Si præmittatur inter Propositionis Veritatẽ & Bonitatem distinctio, omnia sunt clara.

Tria asserta fundamentalia proponuntur.

An qui Vniversalem admittit, possit de particulari dubitare?

Hæc tria ultima Asserta digna sunt, quæ attentè relegantur, & meditatione assiduâ recolantur. ERGO PRIMÒ, Sententia, quæ docet minùs probabilem opinionem ad conscientiæ securitatem sufficere, non iam aliquorum, aut plurium, sed omnium est. Nec potest dici Vasquez decipi; cùm, quia illi, qui ficto nomine, furtivis typis, & contra Superiorum leges scribunt, sunt moraliter nulli: tum etiam, quia, si vel unus, vel alter seriò scripserit, peccat ille ipse in Logicam, dum incertis rationibus demoliri gliscit Probabilitatem: tum denique quia sicut una hirundo non facit ver, sic nec unus aut alter, si contradicat, tollit asserentium

An nostra doctrina sit omnium.

An, & cur, qui contradicunt nulli sint?

Probabilibus Argumentis Probabilitas impugnari non potest.

Moralem

Moralem Vniversalitatem. Cùm autem in Conscientiæ materiâ, quæ ab omnibus Theologis dicuntur sint certa in praxi minùs probabilem opinionem ad conscientiæ securitatem sufficere indubitatum est: Ergo Secundò, non iam probabile, aut probabilius, sed certum prorsus est, asserente Vasquezio, meliora & tutiora semper consuli, non verò præcipi. Ergo certum est esse in conscientiâ tutum, qui opinionem minùs tutam, & minùs probabilem elegit; modo sit verè satis probabilis. Ergo Tertiò, dicendum est Propositionem, quæ est vera in cõmuni, esse veram in particulari. Quamobrem si agatur de Probabilis Propositionis Veritate, inesse illi in communi & in particulari formidinem & incertitudinem, indubium est. Et tamen est æquè indubium & certum, si de eiusdem Bonitate & Licitate disputetur, nullum dubium, hæsitationem, aut incertitudinem, vel in communi, vel in particulari habere locum.

N. B. Morali Vniversalitati unam aut alterâ Propositionem particularẽ falsificanté nõ præiudicat.

An facere debeamus tut.erat

Quid consulatur, & quid præcipiatur?

An possit aliqua doctrina esse certa in cõmuni & falsa aut probabilis in singulari?

An à Veritate ad Bonitatem procedat Argumentatio?

Dices. Aliqua sunt vera in specie, quæ in individuo falsa unde prodiit discretio Practici & Speculativi: nonnulla enim conceduntur in genere, aut specie quæ in individuo & in singulari negantur; speculativè, quæ reprobantur practicè. Quoniam Primò Thomistæ, tametsi dari asserant actus indifferentes in specie, negant vel unum in individuo esse possibilem. Secundò, quoniam nec pauci, nec ignobiles Authores asserunt, Confessarium, aut Theologum, consultum à Iudice, an Titium, quem informatio plena damnat, debeat plectere capite, posse & debere respondere in communi, dicendo videlicet, quòd observet leges, & iuxta illas pronunciet: non autem posse dicere, *Gladio eum condemna*: &, si fortè sic respondere audeat, incurrere irregularitatem. Tertiò, quoniam illa sententia, quæ docet, in peccatis Venereis dari materiam parvam, esse vera dicitur speculativè, falsa practicè.

An esse possit vera speculativè & falsa practicè?

De actibus indifferentibus.

De irregularitate.

An Confessarius debeat respondere in communi, & non possit in particulari?

An in re Venereâ detur materia parva?

Respondeo omnia quæ in communi (genericè aut specificè) omnia etiam, quæ speculativè sunt vera, debere necessariò esse vera in particulari, in individuo, in praxi, si videlicet eo in particulari, in individuo, & in praxi ponantur modo, quo in communi (in genere, aut specie aut speculativè) concipiebantur. Quamobrem, si Propositionis subiectum sub aliis circumstantiis in communi concipitur, & sub aliis in singulari ponitur, mutatur Casus, & fieri poterit, ut quod in uno doctè asseritur, in altero necessariò negetur. Quod hoc exemplo clarissimè suaderi poterit. Quoniam licèt Homo ut sic (specificè sumptus) universalis sit & prædicabilis de pluribus differentibus numero; Homo hic in individuo, nec universalis, nec de pluribus prædicabilis est: quoniam Homo in communi, & ut sic, concipitur ab omni Hæcceitate præscisus, qui tamen, si existat, non poterit carere Hæcceitate. Homo ergo existens non est universalis, quia non est, qualis in communi concipiebatur: unde, si per impossibile, Homo existens ab Hæcceitatibus realiter distingueretur, ut Plato asseruit, etiam existens esset universalis, & de pluribus prædicaretur.

Quãdo Propositio, quæ in communi & speculativè conceditur in particulari & in praxi negatur mutantur circumstantiæ; & ille, qui in communi & speculativè, & ille qui in particulari & in praxi proponitur, sunt duo, & inter se diversi casus.

An, & cur Homo existens non sit universalis.

Quid de Vniversalibus senserit Plato?

Hâc doctrinâ quæ à pluribus confundi solet, præmissâ & dilucidatâ, positis Argumentis satisfacio.

Ad Primum *respondeo Primò*, mihi esse certam & indubiam sententiam, quæ in individuo cum Scoto & totâ eius Scholâ admittit actus indifferentes: qui enim nec interdicti, nec consulti aut indicti, nec sunt boni, nec mali, & ideò debebunt indifferentes dici. *Respondeo secundò*, me ex suppositione, quòd actus indifferentes non admitterem, eos, qui nec lege speciali inhibentur, nec consuluntur aut iubentur, nec ad Deum ordinarentur, [qui videlicet à Scotistis adscribuntur indifferentium censui, & à Thomistis censentur & dicuntur mali] esse bonos iudicaturum fore; boni enim sunt, qui Dei voluntati consentiunt. Et, istam meam Resolutionem, ut existimo, satis clarè persuadeo. [Placet enim Principibus, ut subditi à se concessis privilegiis ubi leges non obsunt, utantur. At Deus est Princeps Optimus Maximus. Igitur placet Deo, ut homines à se concessis potentiis, sensibus, privilegiis, favoribusque ubi non obsunt leges, utantur. Ergo, qui deambulando, legendo, aut aliam quamcumque rem non interdictam faciendo, concessam à Deo libertatem exercet, placet Deo. Ergo actus elicit, qui sint boni moraliter.] *Respondeo Tertiò*, à doctrinâ Responsionis secundæ præscindendo, esse possibilem actum, qui in individuo simul bonus, malus, & indifferens sit: nam, si Petrus in foro ob gloriam vanam eleemosynam eroget, actum eliciet tribus diversis præditum moralitatibus: nam ab obiecto ille bonitatem, malitiam à fine, & indifferentiam à loci circumstantiâ recipiet. *Respondeo quartò*, etiam ex suppositione (quam nunquam demonstrarunt Thomistæ) quòd homo teneatur omnes ad Deum operationes suas positivè dirigere, negari non posse actus in individuo indifferentes, etsi negari debeant purè indifferentes: quoniam, si Ludovicus sine debito fine flores legat, actum profectò indifferentem in individuo, non tamen purè indifferentem eliciet: illa enim florum lectio, singularis videlicet, & individua, nec bona erit, nec mala secundum se considerata, nec enim consulitur præcipitur, aut interdicitur: & tamen à debiti finis carentiâ sortietur malitiam: & hanc ob rem erit simul mala, & indifferens. Et esset simul bona, & indifferens, si Ludovicus illos flores ad ornandum altare, v. gr. colligeret. Sed de hoc uberiùs *in Fundament. Theolog. Epist.* 5. disserui. Et hic obiter nota operum directionem ad Deum esse posse,

An dentur actus indifferentes in individuo.

An, & ex quâ hypothesi preveniet, ut actus, quos Scotistæ indifferentes esse asserũt, nos bonos arcensere possimus?

An uti privilegiis sit bonum?

An nos uti à se concessâ libertate velit Deus?

An dari possit actus simul bonus, malus & indifferens in individuo.

An omnes actus teneatur ad Deũ dirigere homo?

Aliud est actus indiffẽrẽs in individuo, & aliud purè indifferens in individuo.

Triplex directio ad Deum esse potest: videlicet actualis, virtualis, & habitualis.

posse, actualem, virtualem, aut habitualem: esse nimis rigidos, qui priorem postulant ex alio capite cum doctrina quam Responsione secundâ [*b*] tradebamus, coincidere, qui contenti sunt ultimâ: adeoque ad secundam in S. Thomæ viâ probabiliùs recurri.

b] Quotquot dicunt habitualem directionem in actibus humanis sufficere, esse bonos affirmant, plerosque omnes, quos Scotistæ vocant *indifferentes*, vix enim erit homo, qui ne quidem semel in vitâ se commendarit Deo.

Quinam irregularitatem defectu lenitatis incurrant?

Quid debet Confessarius facere?

Ad Secundum respondeo, Theologos, qui ante Gabrielem Vasquez, cuius mentem dilucido, scripserunt, non penetrasse vim Canonum, qui de irregularitate disponunt. Declarant enim Canones, irregularitatem eos incurrere, qui ut Ministri Iustitiæ (quales sunt, accusator, testes, Iudex, carnifex, &c.] ad ultimam sententiam concurrunt. Quamobrem, si Iudex Confessarium interroget, An receptâ pecuniâ possit declarare innocentem, quem adlegata & probata gladio accensent; debet iubere Confessarius, ne recipiat pecunias, sed reum ultimâ sententiâ condemnet; &, si adquiescere non velit pœnitens, debet illi non impertiri absolutionem.

Quomodo materia levitas in re Venereâ admitti possit

Actus levis venereus potest concipi non concepto periculo, at non solet existere sine periculo.

Ad Tertium respondeo, eos, qui affirmant opinionem, quæ docet dari levem materiam in peccatis Luxuriæ, videlicet, speculative, ab omni ulteriori periculo in speculatione præscindere: quamobrem, si in praxi tales actus carerent ulteriori periculo, essent in praxi culpæ leves: At quia huiusmodi tactus, qui mente ab omni periculo concipiuntur præcisi, cùm admittuntur actu, sine periculo esse non solent, in praxi illi mortalis peccati semper incriminantur.

An materia levitas reperiatur in osculis.

Quâ uxor pœnâ puniatur propter osculũ.

An leves culpæ gravibus pœnis subiaceant?

Sæpe unus Casus proponitur speculativè & alter practicè.

An unus & idem actus simul peccatum veniale & mortale esse possit?

Et hic observa tria. Primum. Theologos non audere determinare, qui & quales actus illi sint, qui speculativè considerati, leves censeri debeant. Nam Eligio Bassæo, qui inter levia peccata ponit osculum, Iurisconsultorum prudentissima contradicit Authoritas, teste D. Didaco Covarruviâ *de matrimon. part.* 2. *cap.* 7. §. 6. *num.* 3. apud Sebastianum Covarruviam *in Hispanica Lingua Thesauro verb. Bessar.* qui sic inquit. *Por solo el besso dado, dado al estraño, pierde la muger casada el dote, como lo affirma D. Diego Covarruvias mi Señor.* Et quia pœna gravis, non nisi gravi culpæ imponitur, debet omnino colligi, osculis notabile subesse crimen; illaque, si alteri dentur, gravem marito ignominiam & iniuriam inferre. *Perge ulteriùs & observa* Secundò, non esse eumdem Casum, qui speculativè, & qui practicè proponebatur: quoniam speculativè caret circumstantiâ periculi, quâ non caret in praxi. *Observa Tertiò* actum, qui in speculatione erat levis, quem in praxi gravi malitiâ inficit circumstantia periculi, esse simul peccatum veniale & mortale; nec hoc mirum videri debet, nam in pluribus casibus accidit. Vnde, sicut, qui officiosum mendacium iuramento confirmat duo peccata committit, veniale mentiendo, mortale verò peierando: sic similiter, qui fœminæ digitum cum voluptate levi stringeret, simul leve & grave perpetraret peccatum; leve illum tangendo digitum & grave se exponendo ulteriori periculo.

Quale, & quotuplex peccatum sit officiosum periurium?

P. Ioannes Salas.

Quanam Conscientia ad bene operandum requiratur?

Ab ingenio & doctrinæ soliditate laudatur, & quidem *in* 1. 2. *tractat.* 5. *disputat.* 1. *section.* 4. hæc habet. [Et pro rei explicatione in hac, quæst. Suppono primò ad licitam & honestam actionem humanam requiri aliquam conscientiam, quæ per se loquendo debet esse recta & vera. Ita docet D. Thom. *quæst.* 19. *art.* 3. docens bonitatem voluntatis pendere à rectâ ratione: quia voluntas est potentia cæca: indiget ergo dirigente & gubernante, ut tendere possit in obiectum licitum & honestum, ex quo actus eius habet, ut licitus vel honestus sit.] Vt autem hanc doctrinam persuadeat & dilucidet, duas Rationes adducit. Et primam proponit his verbis. [Monuimus sæpe ad honestatem (seu licitatem) actûs non requiri, ut honestas obiecti, (sive positiva permissio) formaliter & explicitè apprehendatur, sed satis est obiectum apprehendi ut conveniens naturæ, vel personæ alicui sine ullâ (certâ) prohibitione.] Et consultò illud *certâ* interserui; nam Salas cum communi sententiâ asserit, incertam legem non esse morum Regulam, nec ei posse definitivam Decisionem inniti. Transeamus ad secundam Rationem, quam edisserit dicens. [Supponimus, ut actus sit licitus & honestus sufficere certitudinem talis iudicij physicam, vel moralem; nulla enim maior perfectio in iudicio circa tale obiectum esse potest quàm certitudo physica: Ergo nihil amplius potest exigi in eo iudicio, Quia tamen rara est certitudo physica, & non dubium quin moralis sufficiat ad inculpatos, & honestos hominum mores; Et quia cum morali certitudine potest esse nonnulla formido, & dubitatio: ideò, licet illa interveniat non vitiat humanos actus: dum tamen homo iudicet, rem esse moraliter certam, oppositamque esse moraliter impossibilem, &c.] Ecce hic Certitudinem Physicam, Certitudinem Moralem, & Formidinem legis coniungit: quæ omnia bene cohærent, si Veritatem à Bonitate distinguamus. Attende.

Qualis obiecti apprehensio?

Lex incerta non est regula morum.

Quàm certum sit de operis bonitate iudicium?

An Moralis Certitudo aliquam formidinem aut dubitationem admittat?

An abstinentia à Carnibus sit de essentiâ ieiunij.

Quæritur, *An interdicta cœna infirmo sit, qui ob morbum ex Medici præscripto carnes comedit?* Et passim respondent Theologi, Vtrumque esse probabile. Et ego hanc Propositionem, *In casu infirmo cœna non interdicitur.* Examini & considerationi subiicio, & *An sit vera?* &

An

De diligentiis, quæ in rebus Moralibus debent fieri, ut Veritas inveniatur?

An ſit bona? interrogo: Si de Veritate agatur, dico, illam incertam eſſe, probabili ratione fulciri, quæ non tollit, quin aliter ſe habere poſſit, & fortaſſis aliter de facto ſe habeat. Si autem de Bonitate diſputetur, quæri duo poſſunt, videlicet, *An ſufficientes diligentias adhibuerim, ut Veritatem indagarem?* &, *An, ſi feci, quod prudenter debui, & tamen legem, quæ cœnam inhibeat, non inveni, honeſtè & licitè poſſim benignæ Opinioni adhærere.* Agens de primo, Ius à Facto diſtinguo: nam, ſi dubitetur de facto, aſſero, me Certitudinem Moralem, aut etiam Phyſicam habere poſſe: Scio enim quid fecerim, & ſub Deo iuſto, qui fecit quantum potuit, etiam feciſſe, quantum debuit. Et, ſi diſputetur de Iure, mei ingenij vires expertus ſum; & ubi certò video, eruditos Authores divìdi & ſubdividi in Claſſes, prudenter me poſſe certam Veritatem invenire deſpero. Et ad ſecundum tranſiens aio tantam in illo eſſe certitudinem, ut *Metaphyſica Evidentia*, ut paulò ante videbamus, à Pallavicino dicatur: priùs enim Triangulus habebit quatuor lineas, quàm hæc propoſitio, *Qui ut reſciret Veritatem adhibuit diligentias quas debuit, & poſteà fecit, quod ſincerè putavit, ſe poſſe facere, peccavit, ſit vera.*

An ubi Authores probabiliter differunt, prudenter ſperare debeam me certam poſſe Veritatem invenire & videre?

De certitudine huius Propoſitionis. Ego hîc & nunc honeſtè operor.

Concluſio.

D. Stephanus Spinula.

An certum eſſe debeat de faciendi operis honeſtate iudicium?

EDidit Genuæ anno 1648. eruditum Opuſculum *de libera & prudenti agibilium electione in Moralibus*, cui multum defero; pollet enim feliciſſimo ingenio. Et hoc argumentum ex profeſſo tractavit. Hic igitur eruditus Theologus *diſput.1. ſect.4.* inquirit, *An poſſit quis tantùm probabiliter eſſe certus de honeſtate ſuæ actionis? Et an hæc tantùm probabilis certitudo ſufficiat ad honeſtè & ſine peccato operandum?* Et Concluſione prima reſpondet. *Iudicium practicum poſt ſufficientem diſquiſitionem dictans electionem operis (ſeu, ut loquitur Cancellarius Pariſienſis. Conſcientia formata) nequit eſſe iudicium probabile, ſed] omninò certum eſſe debet & ſine formidine.* Conſonat Concluſio ſecunda, videlicet. *Iudicia Prudentiæ circa obiecta fallibilia, certo & infallibili modo tendunt unde nequeunt eſſe falſa; & hinc operans iuxta Prudentiam, (cum quâ recta Ratio & Conſcientia coincidit) eſt certus de honeſtate operationis in ſe & per ſe formaliter.* Et etiam Concluſio tertia nempe, *Ad operandum honeſtè & ſine peccato requiritur certitudo ſaltem implicita de honeſtate actionis in ſe & per ſe formaliter.* Hanc certitudinem honeſtatis actus cum probabilitate & incertitudine obiecti non interdicti componi probat, *quia aliàs iuberet Deus impoſſibilia* Pag. 23. Sic diſcurrit. [Hoc iudicium practicum de honeſtate electionis hic & nunc, vel habet pro motivo honeſtatem materiæ eligendæ evidenter, & certò cognitum, vel tantùm probabiliter, quocumque modo ex prædictis erit certum, & ſine formidine, nec aliud motiuum à prædictis poteſt habere dictum iudicium, Ergo, &c. Minor eſt evidens, quoad ſecundam partem, Maior item. Primam partem Minoris ſic probo. Et quidem ſi intellectus eſt certus de honeſtate materiæ eligendæ hic, & nunc; ſequitur evidenter, quod etiam erit certus de honeſtate electionis, ſiquidem illa electio eſt certò honeſta, cuius materia hic & nunc eſt certò honeſta. Si verò tantùm probabiliter cognoſcit honeſtatem materiæ, ergo adhuc infero, erit certus & ſine formidine de honeſtate electionis hic & nunc. Probo conſequentiam. Illa electio hic, & nunc eſt certò honeſta & ſine peccato, cuius materia quantum fieri poteſt, & ſufficit eſt cognita honeſta. Si enim talis eſt, electio nullo pacto poteſt eſſe hic & nunc inhoneſta, & peccaminoſa. Igitur nullum eſt dubium de illius honeſtate. Sed opinio ſufficienter probabilis de honeſtate materiæ eſt cognitio ſufficientiſſima, evidens enim ferè nunquam poteſt haberi, & Deus non obligat ad impoſſibilia: ergo electio, quæ illi conformatur, nullo pacto hic & nunc poteſt eſſe illicita & peccaminoſa, Igitur cum opinione probabili de honeſtate materiæ, nulla formido poteſt remanere de inhoneſtate electionis, Igitur iudicium practicum dictans electionem honeſtam, nullam habet, vel habere poteſt formidinem de parte oppoſitâ, ſi innitatur opinioni probabili de honeſtate materiæ; [*c*] & nullo pacto poteſt ei ſubeſſe falſum, cùm oppoſitum illius, quod dictat, contingere non poſſit: dictat enim hic & nunc electionem eſſe honeſtam, & hic & nunc non poteſt, non eſſe honeſta; ergo erit iudicium certum, & non opinatiuum.] Ita ille. Ecce, quam nos *Veritatem*, ipſe *Honeſtatem materialem* appellat, aſſeritque Certitudinem & Incertitudinem in eodem actu eſſe poſſe: puta, ſi Veritatem (Honeſtatem materialem) Non-Certitudo: Bonitatem, (Honeſtatem formalem) Certitupo concernat.

An circa fallibilia, Intellectus infallibiliter verſari poſſit?

An Conſcientia & Recta Ratio idem ſint, ac Prudentia? Cum Socrate contra Ariſtotelem univerſim reſpondeo omnes & ſingulas

Virtutes eſſe quaſdã Prudentias.

An Deus impoſſibilia præcipiat

Deus non præcipit impoſſibilia

At impoſſibilia iuberet, ſi cognoſcere certò Veritatem præciperet.

Non ergo iubet Deus, ut certò Veritatem cognoſcamus. Ergo cognitione probabili contentus eſt.

Honeſta eſt electio opinionis probabilis.

In ſolis Practicis evidentia ſunt rara.

Deus impoſſibilia non præcipit.

Poteſt eſſe honeſtas materialis incerta, modo ſit certitudo de honeſtate formali.

c] Hic honeſtatem materialem à formali diſtinguit: ita ut materialis honeſtas Propoſitionis Veritatem concernat, & formalis Bonitatem electionis reſpiciat.

Candidus Philalethus.

Laudatur Candidus.

N. B. Dixi ſæpe omnes ſententias, quæ ſeveræ videntur eſſe

EIus doctrinam multi contra communem & receptam in Scholis, obiiciunt: & ut rem fatear, in pluribus à ſemitâ tritâ à doctis ſe ſubtrahit: tanta tamen eſt Veritatis vis, ut velit, nolit, ad nos interdum redeat, & noſtram Sententiam admittat. Et, ut id clarè videas, exſcribam unum aut alterum paragraphum

axas, & hæc impræsent atum acci it, nam Candidus approbat, quòd ad honestā operationem vel omissionem, non requiritur certitudo, sed sufficit probabile iudicium de honestate actionis vel omissionis, cum partis opposita formidine. Ita ille apud Bossiū *pag* 602, n. 2350. Nos autem oppositum tenemus & docemus.

quos edisserit D. Spinula, qui *in citat. Opusculo, disputation.* 1. *sect.* 4. *pag.* 26. cum aliquas proposuisset obiectiones, sic inquit. [Has omnes difficultates novissimè conatus est Candidus Philalethus, Vir equidem acris ingenij, & ob ingenuum veritatis amorem, morumque sinceritatem & candorem nominis, quod usurpavit, dignissimus, conatus est inquam dissoluere in suâ Disputatione verè unicâ de opinionum praxi, quæstione enim primâ hæc docet. Dicit operationes nostras dupliciter esse honestas, vel per se, vel per accidens. Illa Operatio est per se honesta, quæ non solùm putatur talis, sed verè à parte rei, nullo cogitante intellectu est honesta. Illa verò est honesta solùm per accidens, quæ in se à parte rei sit inhonesta, hic tamen & nunc invincibiliter putatur honesta. Ad agendum igitur sine peccato dicit requiri iudicium certum, & infallibile, quod operatio hic & nunc sit honesta saltem per accidens, & requiri iudicium (saltem) probabile quod sit honesta in se. Prudentiam autem ideò dicit errare non posse, sed infallibiliter tendere circa suum obiectum, quia non indicat de honestate operationis per se, sed per accidens, &c.]

Actus humani sunt honesti vel per se, vel per accidens.

Actus interdictus, si interdictio invincibiliter ignoretur, est licitus.

An Prudentia infallibilis sit?

An promulgatio legis sit forma legis constitutiva.

An conditio sine quâ nō Vnde dicatur Lex?

An dentur materialia peccata?

Supponit hic cum multorum sententia Candidus, legem post lationem ante publicationem esse verè legem, publicationem verò & notitiam non esse formas constitutivas, sed conditiones necessarias, ut obliget. Nos autem, cum S. Thomâ, legem à ligando dici asserimus; & eam, quæ non ligat, non esse legem: & quia ignota non obligat, cognitionem dicimus esse formam legis. Quo semel posito, unde dentur peccata materialia, non remanet.

Illa verba, *Ad agendum sine peccato requiritur iudicium certum & infallibile, quod operatio hic & nunc sit honesta, saltem per accidens.* Sunt certa, ut Theologi universi fatentur.

Illa autem, *Requiritur etiam iudicium saltem probabile, quod sit honesta in se,* hoc est, quod non sit interdicta, suadent, quod aliquando negat Candidus, ad Conscientiæ securitatem minùs probabilem opinionem sufficere.

De Honestatis indicio.

De electione Opinionis minus probabilis.

Addit Spinula eodem Candidum modo de Conscientia, quam esse ipsam Prudentiam asserit, philosophari. Vnde colligo eum Socratis tenere sententiam, quæ asseverat, ***Prudentiam & Virtutem*** esse duo nomina & eandem rem: adeoque Iustitiam, Misericordiam, Fortitudinem, &c. esse quasdam Prudentias.

An omnes Virtutes sint diversa Prudentia.

Infallibilitatem autem Prudentiæ circa honestatem sui obiecti saltem per accidens hoc syllogismo fundat. [Prudentia, quando iudicat aliquam operationem esse licitam semper sequitur dictamen rationis, nempe iudicium probabile de honestate illius in se, quod certè est dictamen rationis, est enim illud, in quod inclinatur ratio; Sed sequens dictamen rationis certus est, quòd facit operationem, saltem per accidens honestam, illa enim per dictamen rationis invincibiliter talis putatur. Ergo, &c. Qui autem sic operabitur, certum est quod non peccabit, quia prudenter operabitur, & se conformabit dictamini rationis, &c.] Candidus ergo Philalethus in locis citatis nostræ adhæret sententiæ.

Prudentia errare circa Veritatem potest, circa Bonitatem non potest.

N. B. Si cui præcipiatur, ut secundum prudentiam suam aliquod negotium expediat, non præcipitur, ut faciat id, quod revera utilius est, sed quod re bene perpensâ, utilius esse iudicaverit. Et talia nobis præcepta imponit Deus.

At in aliis (ais) contrariam docet. Esto. At nullam rationem evidentem & indubitatam adducit, nec persuadere unquam poterit rationes, quibus utitur esse magis probabiles. Ergo nihil evincit. Contra ipsum omnes Iuniores scripsere & scribunt, & uberiùs P. Ioannes Angelus Bossius in Moral. Variis in Appendice quam *pag* 601. adiunxit Tractatui de Opinione Probabili.

EPISTOLA

EPISTOLA.

Ad Egregium & Perillustrem Virum, Dominum Iosephum Oliverium, Regium, Ducalemque excellentissimi Mediolanensis Senatûs Secretarium, &c.

DE POSSESSIONIS REGVLA

An tanti facienda sit Possessio, ut non solùm in Iustitiæ, sed etiam in cuiuscumque Virtutis, aut Quæstionis materiâ, omni incerto argumento (etsi opposito sit probabilius) debeat necessariò præferri?

L. Lentulus Augustum, Filiamque suam hæredes testamento reliquerat, & posteà per codicillum testamento cōfirmatum eis iniunxit, ut aliquid facerent (hoc erat; ut aliquibus amicis fuit demōt erigerent) & tu interrogas.

Primò, Quales sint Codicilli, qui confirmati testamento dicuntur? *Et Secundò,* An, & cur sint validi?

Ad Primū ex leg. conficiuntur. C. de iure cod. & leg. sive in initio. C. eod. tit. *respondeo Codicillos testamento confirmari; aut antefacto, ut siquis in testamento scribat,* Si quos fecero posteà codicillos, firmi sunto, *aut postfacto, ut siquis in testamento scribat,* Quos ante feci codicillos, rati sunt,

Ad secundum respondeo, ante Augustum non fuisse visos Codicillos. Et quia testamento Lentuli considerato, & audito Iurisperitorum consilio, Augustus Codicillos admisit, & cæteri illos manutenuere Imperatores, Iustinianus, ut observarentur, constituit. Vide leg. 2. C. comm. de leg.



SVMPSIT calamnum Cicero, ut scriberet librum, quo C. Trebatium, Romanum Equitem, Iuris-prudentiæ Professorem, & intimum Amicum suum, ut testantur, hinc inde missæ, quæ etiamnum leguntur Epistolæ, donaret, suspiceret, & honoraret. Vt autem tam laudabili voto exactius posset correspōdere, quia munera esse debent ad Donatarij Genium, hunc sub ipsum initium circumspectione providâ meditabatur. Erat autem ille asserente Pomponio Maximi Cornelij dicipulus; & quia Magistrum eruditione excelluit, *Maior Maximo.* Habuit nobilissimas dotes: fuit enim ingenio felicissimo præditus, in litium controversiis versatus, & ob sublimem Iurisprudentiæ cognitionem tantæ apud Senatum, Romanumque Populum authoritatis, ut eius suasu, & consilio Codicillorum usum Augustus Imperator [a] receperit. Ergo, ut Munus Donatorio attemperaret Cicero, sub eius auspiciis edidit Topicorum Syntagma. Opus profectò eximium; ingeniosum, & varium, contentiosum, & pugnax; gratum Augusto, qui subtilitatibus delectabatur: gratum Trebatio, qui erat Iurisprudentiæ peritissimus, & libenter videbat, acria & spinosa Logicorum acumina Civilium Exmplorum floribus condecorari.

Ioachimus Mynsingerus in Instit. lib. 2. tit. 25. *Fuit hic (Trebatius) Iurisperitus clarus temporibus Ciceronis, ad quem cùm scriberet, Topica, omnia exempla ex Iure Civile sumpsit, ut haberet rationem eius ad quem scribebat.*

a] *Iustinianus* sub tit. de codicill.
Prateus in Lexico verb. Iuris consulti.

Ego igitur Ciceronis exemplo, quia desidero mei adversum Te affectûs æternum Monumentum relinquere, sumam subtilem calamum, & coram Erudito, & Ingenioso Viro, in exilium pingui Minervâ exactâ profundam Controversiam edisseram; & utrum illa Generalis *de Possessione* Regula, bene sit a nobis explicata in DIALEXI, breviter examinabo. Et quia apud Insubriam sumus, Ioannis Angeli Bossij, qui & fuit Insuber, patriamque doctissimis Voluminibus condecoravit, Libros de Conscientiâ percurram, & ostendam, eumdem in Decisionibus præcipuis DIALEXIM nostram, quæ inscribitur DE NON-CERTITVDINE, religiosè observasse. Accipe igitur, Clarissime, & Eruditissime Vir, hanc Amicitiæ nostræ tesseram, & vive felicibus annis.

Casus Vniversalis motum, & vita Politica est. In omnium virtutum materiâ manutenendus est, qui possidet, nisi superveniat certa & indubitata ratio, quæ ipsi Possessioni præiudicet.

Strabo lib. 5. *Insubres hâc ætate sunt, qui Mediolanū Metropolim habuere.*

SVMMARIVM.

Præcipuæ, quæ in hoc syntagmate Quæstiones excitantur, sunt hæ. (I.) An procedere contra dictamen semper peccatum sit? An pars affirmativa sit de fide? An dispensare possit Deus, ut aliquis contra dictamen operetur? (II.) An dentur Opiniones, quæ leviter probabiles sint? Quæ-nam ipsæ sint, & an sufficiant ad securitatem conscientiæ. An in mortis articulo præter Sacramentalem Absolutionem etiam Contritio requiratur? (III.) An demonstretur minùs probabilem Opinionem ad Conscientiæ securitatem sufficere? Quid Monstrum Dialecticum sit? Ex quibus capitibus minùs probabilem Opinionem eligendi libertas limitetur? An, & cur certa moraliter illa Sententia sit, quæ ab originariæ culpæ lege eximit Angelorum Reginam? Inter Dubium Practicum & speculativum, quænam sit differentia? De Regulis, In dubio melior est possidentis conditio, & In dubio tutior pars est eligenda. *An sint contrariæ? An veriùs coincidant? (IV.) De Probabilitate quoad se, & quoad nos. An quoad nos reperiantur sententiæ, quæ magis, & quæ minùs probabiles debeant necessariò censeri? Quanta sit in Mundo Opi-*

Vu 3 nionum

nionum varietas? (V.) De libertatis possessione. An possessio sit omni sententia etiam probabiliori, præferenda? An manente Dubio speculativo esse possit Certitudo Practica in eodem intellectu? An liceat operari in Dubio Practico? An sint Quæstiones in quibus Veritas reperiri non possit? An comparativum debeat Positivum in utroque extremo collocare? Quæ sic Sententia tutior? An libertas à necessitate ad meritum, aut demeritum sit necessaria? An necessitas reddat probabilem & tutam sententiam, quæ extra necessitatem, nec tuta nec probabilis censeri posset? An leges obligent, si sufficienter promulgatæ non sunt? An sufficienter promulgata illa censeri debeant, de quarum existentiâ dubitatur? An humanæ Principum leges cum magno damno aut periculo obligent? An lex Divina obliget cum periculo mortis? An leges auferant libertatem? an tantùm ligent? De experimento triennali, quod à iure Pontificio in impotentiæ dubio præscribitur. An Possessio in Specificam & Individualem dividatur? An possit homo licitè accedere ad fœminam, quæ sua non sit? Censendus est homo habere possessionem specificam donec oppositum plenè suadeatur. An ad securitatem conscientiæ sufficiat Illustrium Scriptorum authoritas? An, & quomodo omnis Probabilitas authentica rationalem supponat? An inter Deum & homines Iustitia sit? An in criminalibus locū habere queant probabiliores Opiniones? Certò, aut probabiliter innocens, condemnari non potest. (VI.) An ex suppositione, quòd Obedientia & præceptorum adimpletio ad Iustitiam non spectent, adhuc Possessionis Regula tenenda & observanda sit in aliarum Virtutum materiis? De Reali & Morali Possessione. (VII.) An in dubio Iuris aut Legis, Præcepti aut Consuetudinis (scilicet, An existat Lex aut Præceptum; &, an Consuetudo legitimè introducta sit?) is, qui sufficienti diligentiâ ad investigandam Veritatem præmissa, adhuc dubius manet (quoniam nil prorsus certi reperit) Iure, Lege, Præcepto, aut Consuetudine obligetur? Rerum debent existentia probari. De legum sensu. An, & quando sufficiat, consulere Legislatorem? (VIII) De Possessione, si superveniat Dubium. Quid Dubij nomine intelligatur? De Dubio Grammatico & Philosophico. De Positivo & Negativo. De Vincibili & Invincibili. An sint Dubia, de quorum solutione humana Prudentia desperet? An in dubio proprietatis res sit, de quâ dubitatur, aut litigatur, dividenda? An gradus, quibus altera Probabilitas alteram superat, cognosci possint. (IX.) An Iudex fori externi in pari facti vel iuris dubio possit spoliare bonæ fidei possessorem? Quid, si iustitia pro possidente minùs probabiliter sit? (X.) De causis criminalibus. An unusquis in suæ innocentiæ possessione manuteneri debeat, donec convincatur, & plenè crimen commisisse probetur? (XI.) De Possessione Libertatis. An præcepti, voti, iuramenti, &c. debeat certa (an & dubia) Possessioni præponi? (XII.) De Dubio facti. An pro Libertatis Possessione stare ille possit, qui, An iuraverit, voverit, aut promiserit, dubitat? (XIII.) De dubia verborum significatione. Quo illa modo, ubi ambigua sunt, debeant interpretari? Quæ sententia sit tutior? (XIV.) De intentione. Quid acturus ille sit, qui in voto, aut iuramento de solâ intentione (an fuerit legitima?) dubitat? An manuteneri in possessione nihil faciendi debeat, donec plenè de intentione ipsâ constet? Quid in dubio præsumi debeat? Quid de puero, & quid de adulto dicendum sit? (XV.) De dubia ætate. An pro dubitante sit possessio? Est in possessione ætas minor, antequam completa perveniat. Omnes res aut circumstantiæ Philosophicè dubiæ, haberi debent tanquam non existentes. Quid dicendum de juvene, qui, an habeat ætatem ad ieiunandum dubitat? An præcepto obstringatur? Quid de illo, qui, an habeat ætatem requisitam ad Ordines dubitat? an eos possit suscipere? (XVI.) De Horâ. An die Iovis à carnibus quis abstinere debeat, aut die Sabbati possit illas comedere, si, an advenerit mediæ noctis hora dubitetur? Quid de missæ ante auroram, aut meridiem celebratione dicendum sit? An etiam hic Resolutio à Possessione desumatur? (XVII.) De irregularitate. An irregularitas certa afficiat homicidium dubium? An possessioni capacitatis recipiendi Ordines per homicidium dubium praiudicetur? An, quando communi consilio multi aliquem aggrediuntur, si unus tantùm eum occidat, omnes fiant irregulares? Quanto homicidas odio Ecclesia persequatur? De homicidio admisso cum moderamine inculpatæ tutelæ. De certo, &. dubio. De communi consilio. (XVIII.) An, qui certò scit se rem vovisse, & tamen modò dubitat, an res promissa bona, vel mala sit, voto teneatur? An in non satisfaciendi possessione manutenēdus sit, donec plenè rē promissam esse bonam probetur? (XIX.) Quid fieri in casu debeat, quo aliquis obligationem esse certam fatetur, & an eidem satisfecerit dubitat? Utri faveat, præceptóne, an libertati possessio? De Sacerdote, qui dubitat, An recitaverit? De illo, qui dubitat, an in recitationis medio, aut aliquam horam, aut aliquem psalmum omiserit? An sufficiat Opinionem multis scrupulis obnoxiam esse, ut prudenter damnetur? In dubio id præsumitur, quod plerumque fieri consuevit. (XX.) An, quando censura est certa, & Absolutio dubia, pro possessione standum sit? Quid in Probabilitate dicendum? An, qui probabiliter putat se non peccasse, aut se iam fuisse confessum, & absolutum, adhuc teneatur confiteri? (XXI.) De Contractibus. An possessio libertatis faveat; quando de Contractûs valore disputatur? Quid requiratur, ut aliquis Contractus sit licitus? (XXII.) Utrùm in dubio, An filius legitimus sit, aut illegitimus, recurrendum sit ad Possessionem? An legitimitas probari debeat? (XXIII.) De excommunicatione. An, & qualiter in dubio ad possessionem recurratur? De absolutione dubia. An sufficiat? An certo debito incerta solutio satisfaciat? (XXIV.) De Homicidio. An in dubio cooperationis aliquis ad ullam restitutionem condemnandus? Quid de irregularitate hic dici debeat? An etiam hic

Resolutio

Resolutio à possessione sumatur? (XXV.) *An, qui hominem occidi consuluit, & tamen dubitat, Vtrùm vi sui consilij homicidium acciderit, teneatur ad restitutionem? An possessionis jure possit excusari, ne ante sententiam iudicis aliquam restitutionem faciat? An consulere sit cooperari?* (XXVI.) *An consulendum semper sit, ut Opiniones Probabiliores & certiores sequamur?* (1) *Non est eligenda sententia, etsi probabilior sit, si ex illâ in praxi inconvenientia sequantur.* (2) *De Baptismo in nomine Iesu-Christi. Lex Charitatis, & interdum Iustitia obligat, ut minus probabiles opiniones sequamur. Vbi possunt certa, non debent Sacramenta probabilia administrari.* (3) *An, & cur Iudices adhærere sementia debeant probabiliori?* (4) *An necessariò confessarius debeat indicare secundum Pœnitentis sententiam? An discipulus supra Magistrum sit? Quando Confessarius debeat Pœnitentem Veritatem docere? quando illum possit in suâ bonâ fide relinquere? An quem non vult absolvere, ad alium possit Confessarium, remittere?* (5) *Quinam & cur teneantur sequi Opiniones veriores? De Parocho. De Sacerdote simplici.* (6) *De Medico.* (7) *De Iudice. Debet pro Possessore in omni dubio judicare. Quid, si neuter in possessione sit?* (8) *De Prælato & subdito. An quando Superior praecipit, quod minùs probabiliter est bonum, teneatur inferior obedire.*

Quis, & qualis fit Bossius?

FVIT Pater Dn. Ioannes Angelus Bossius Barnabita, Theologus doctus & eruditus. Per omnia sui Ordinis Munia promotus, ad Generalem tandem Præposituram evectus sanctè & piè gubernavit, missisque in lucem variis libris etiamnum Orbem literarium exornat. Iuvat me ex illo nõnullarum Quæstionum Decisiones, & Decisionum Fundamenta proponere, ut videant Ingeniosi Lectores, omnes suas Clarissimum Virum sententias huius Dialexeos doctrinâ succollare.

Præcipuas ille Resolutiones à Regulâ Possessionis deduxit.

Primo ergo loco maximè necessariam proponamus.

QVÆSTIO I.

An procedere contra dictamen semper peccatum sit?

Quid Fidei nomine apud Apostolum intelligatur?

RESpondet paucis verbis Apostolus dicens, *Quod non est ex fide* (hoc est, secundum dictamen rationis) *peccatum est.*

Hanc controversiam *lib. de coscient. erroneâ, part. 1. tract. 2. §. 6. pag. 8. b. num. 22.* excitat & examinat Bossius, & illam resolvit his verbis.

Nemo potest agere contra conscientiã. An hæc Propositio sit de Fide?

[Constat velle agere contra conscientiam esse intrinsecè malum, vt rectè Sanctus Thomas *d. art. 5.* cùm obiectum illius actûs interni, ut eius obiectum est, habeat necessariò annexam malitiam; & sic etiam actus internus. An vero communis Conclusio sit de fide, ita ut opposita opinio sit hæretica? Salas *sect. 3. num. 16.* refert aliquos tenere non esse Conclusionem de fide, & oppositam sententiam non esse hæreticam, sed tamen temerariam, & periculosam, cùm sit contra torrentem Scholasticorum, & videatur adversari Sanctis, & Scripturis Divinis, & ita sentire videntur idem Salas *ibidem*, & Palaus *disput. 2.* Alvarez *dispnt. 78.* At Adrianus *quodlib. 4. art. 2.* Corduba *quæst. 4.* Vasquez *disp. 59. cap. 2.* Sanchez *cap. 9. num. 2.* & alij recentiores asserunt, esse Conclusionem de fide, & oppositam sententiam esse hæreticam, eo quod eadem Conclusio contineatur in divinâ Scripturâ locis citatis, & aliis; quæ iidem Vasquez, Salas, & Sayrus examinant.]

N. B. Vt aliqua Assertio sit de Fide, non sufficit ut materialiter fit in Sacrâ Paginâ, sed requiritur quod fit formaliter, hoc est secundũ verum sensum. Qualis autem fit S. Scripturæ sensus declarat Apostolica Ecclesia. Vnde illa Christi verba, *Nam Pater major me est*, hæreticè exponuntur ab Ario, quia contra sensum Ecclesiæ.

Tu interim amplectere communem Sententiam, communémque oppositæ opinionis Censuram: & dic (1) esse peccatum agere contra proprium dictamen: & (2) oppositam Opinationem non solum esse temerariam & falsam, sed certissimè hæreticam.

Resolutio.

Dices. Nemo sub Deo iusto est in statu necessariò peccandi. At, si ille, qui contra dictamen agit, semper peccaret, daretur casus, in quo homo necessariò peccaret. Ergo non semper peccat, qui agit contra dictamen. Minorem probaturus ob oculos ponis Trajanum. Dictat ei ratio erronea hic & nunc thus adolendum esse Iovi. Quid faciet? Si adoleat; peccat, nam idololatriæ culpam committit; ignorantia enim, quâ laborat, vincibilis est, & hæc neminem potest à peccato excusare. Si non adoleat, peccat; nam contra dictamen operatur. Inter adolere & non adolere, non reperitur medium. Trajanus igitur mortaliter esset peccaturus, quidquid faceret. Hoc admitti non potest. Illud ergo negandum, ex quo id sequitur, nempe. *Operari contra dictamen semper esse peccatum.*

An sit possibilis, casus, in quo aliquis necessariò peccaturus?

Vincibilis ignorantia nõ excusat.

Respondeo manentibus his circumstantiis, seu thus adoleat Iovi, seu non adoleat, esse graviter peccaturum Trajanum: & tamen nego eumdem necessariò peccare. Peccabit sanè non adolendo thus, quia operabitur contra dictamen, quod habet: existimat enim, ut supponebatur, se Iovi thus adolere debere. Peccabit adolendo, quia operabitur contra dictamen, quod deberet habere: deberet enim scire Iovem non esse Deum, & omnem eius cultum sacrilegij peccato maculari. Et tamen non non erit in necessitate peccandi; nam inter *adolere cum tali dictamine*, & *non adolere cum tali dictamine* datur medium, videlicet *non habere tale dictamen*, illa enim duo non sunt contradictoria, sunt enim similia his, *Petrus habet vestes albas*, & *Petrus habet vestes non albas*, quoniam utrumque poterit esse simul falsum, si Petrus nullas vestes habeat. Et quidem liberum esse Trajano mutare dictamen, certum est; nam laborat ignorantiâ vincibili, & hæc semper est voluntaria; quæ enim involuntaria prorsus est, invincibilis est.

Conc. Trid. sess. 6. c. 11. *Nemo temerariâ illâ & à Patrib. sub anathemate prohibitâ voce uti debet, Dei præcepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia.* Et mox. *Deus impossibilia non jubet, sed iubẽdo monet, & facere, quod possis; & petere, quod nõ possis; & adjuvat, ut possis, &c.* Tunc sic. Deus impossibilia non iubet. Ergo semper homo potest obedire. Nunquam ergo necessariò peccabit.

Omnis vincibilis ignorantia est libera.

Pergis

Quid dicendum, si agatur de potentiâ Dei absolutâ? Aliquorum Scotistarum Opinio.

PErgis ulteriùs, & inquiris, *An dispensare possit Deus, ut quis contra conscientiam operetur?*

Asserunt Philippus Favius Faventinus *in 4. dist. 4. quæst. 1. num. 37.* & veteres nonnulli Scotistæ. Eorum sententiam probabilem indicat Almainus *tract. Moral. cap. 15. & 16.* Corduba autem *lib. 3. q. 4. & 10.* Azor. *cap. 8. quæst. 11.* & alij relati à Salas *sect. 3. num. 28.* hanc eamdem sententiam sentiunt esse probabilem; oppositam enim, cui adhærent, vocant probabiliorem.

An semper opinio probabiliori opposita probabilis sit?

Thomistarũ sententia.

Cæterùm negativam certam esse asseverant, Salas *disput. 28.* Vasquez *disput. 61. cap. 2.* Arriaga *in 1. 2. tom. 1. disputat. 12. num 49.* & Thomistæ communiter.

Resolutio.

Dictamen rationis, vel Philosophicum, vel Theologicum est.

Quid de alterutro dicendum sit? Philosophi ca culpa non concernunt conscientiã.

At ego hîc, sicut etiam sæpe alibi, inter Theologicum & Philosophicum dictamen distinguo. Et assero repugnare in terminis, ut ratio Petro dictet rem talem interdictam esse à Deo, & tamen faciat, quin inferat iniuriam Deo. Tunc autem, si in præcepto dispensaret Deus, dictaret ratio rem illam non esse interdictam divinitus; adeoque ut plurimum esse contra naturalem honestatem; & tunc peccatum, non Theologicum, sed Philosophicum (quod conscientiam non maculat) tantùm committeretur.

QVÆSTIO II.

An dentur Opiniones, quæ leviter probabiles sint? &, si dentur, Quænam ipsæ sint? Et An sufficiant ad securitatem conscientiæ?

An in omnibus rebus magis & minus reperiatur?

SIcut in Vniversis prorsus rebus accidentariis (materialibus, Spiritualibus, realibus & moralibus, &c.) magis & minùs (vel, ut alij loquuntur, magnum & parvum) reperiunt, & ingeniosè distinxere Doctores, sic etiam in Probabilitatis materiâ Eruditi Theologi, non solùm magis, & minùs Probabiles Opiniones admittunt, sed etiam inter leviter & graviter probabiles accuratè distinguunt. Et, quia nescis, quanti debeat fieri Sententia illa, quæ leviter probabilis sit, nostrum de hac re Iudicium & Censuram inquiris.

P. Ioannes de Ionghe laudatus.

An, & qualiter probabilis sit opinio, quæ cũ Sacramentali Confessione adhuc Contritionẽ in articulo mortis requirit.

Remedia probabilia, si falsa sint, neminem maculare possunt à peccatis cõmissis.

De Baptismo probabili.

De Absolutione probabili: & de Attritione, quæ probabiliter censeatur Contritio.

Respondeo me primùm hunc terminum Anno 1642. audivisse Lovanij: nam cùm P. Ioannes de Ionghe, Vir profectò doctissimus, in Societatis Collegiò Theologicæ Disputationi præsideret, & propugnaret, *Attritionem cum Sacramentali confessione, etiam in Articulo mortis, sufficere*; Oppugnatori, qui à probabilitate Opinionis contrariæ argumentum sumebat hoc modo. [Vt ut Probabilis Opinionis electio hominem à futuro peccato, ne committatur, certò liberet; non illum, si fortè falsa sit, expiat certò à peccato præterito. Vnde infans per baptismum probabile (seu probabilitas materiam seu formam afficiat) non liberabitur ab originali peccato: & adultus per attritionem, quæ probabiliter iudicetur contritio, non liberabitur ab actuali.] Et hâc doctrinâ præmissâ progrediebatur Argumentator, sic instans. [Probabile est, contritionem requiri. Ergo, qui cum solâ attritione moritur; se exponit æternæ damnationis periculo.] Illi doctè Ionghæus respondebat, distinguendo antecedens, & negando consequens: concedebat enim illud esse tenuiter probabile: negabat autem illud esse satis probabile: & ex illo negabat periculum ullum inferri. Ergo quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, ad P. Ioannis mentem tenuiter aut leviter probabilis Opinio eamdem vim habet ad gubernandos mores, quàm Opinio nullo modo probabilis.

Periculum petit incertitudinem: doctrina, quæ certò est mala, non dicitur periculosa.

Quod parũ est, virtualiter loquẽdo nihil est.

An operari cum dubio de honestate operis sit mortale.

Quid sit Dubium Practicum?

A. P. Ioanne monitus observavi, sed rariùs aliquos hoc usos fuisse termino., & quia ex aliâ nunc causâ P. Ioannis Angeli Bosij Moralia Varia interlegere debui, verba eius nonnulla, quæ hanc Quæstionem dilucidant in gratiam Lectoris Eruditi subscribo. Ille itaque *tract. de Conscientia dubiâ, part. 2. tit. 1. §. 33. pag 282.* Sic inquit. [Tanquam certam Conclusionem statuunt Doctores, *operari vel omittere actionem cum dubio practico, An hîc & nunc liceat operari vel abstinere ab operatione? esse peccatum; sed ad rectam operationem requiri necessariò assensum seu iudicium, quo existimet sibi licitum esse, & nullum esse peccatum hic & nunc operari.* Ita omnes Doctores adlegati, &c.] Et posteà: [Declaratur item seu ampliatur eadem Conclusio, ut procedat etiam in casu in quo intellectus tenui assensu rem, seu operationem esse licitam indicat. Ita Corduva *dict. cap. 10. num. 4.* & Fillincius *dict. cap. 4. num. 157.* asserentes cum tali tenui assensu de rectâ operatione, non esse licitum operari, quod absolutè loquendo videtur verum, nam licèt ubi est assensus, non possit dici esse dubium, quia in dubio suspenditur assensus, tamen cur in tali tenui assensu bonitatis actionis, cum vehementi dubitatione malitiæ non liceat operari, est, quia huiusmodi tenuis assensus propter vehementes rationes ferè pares pro contrariâ parte, [a] scilicet, quòd operatio sit illicita, vix potest percipi, ac proinde est ac si intellectus maneret suspensus: & non tam est ille verus assensus, quàm sola inclinatio, seu propensio in eam partem, ac proinde sola suspicio quædam [b] quæ (ut constat ex dictis suprà initio huius tituli *n. 3.*) contingit sine assensu determinato in alteram partem. Quapropter voluntas in tali casu absque determinato indicij assensu operaretur: & certè cum vix percipi possit talis assensus, ob allatam rationem, tunc temere & imprudenter exerceretur operatio.] Sic ille. Teneo eius Conclusionem (videlicet, Tenuem assensum, aut opinionem leviter probabilem non sufficere ad securitatem conscientiæ, tametsi differam in modo explicandi.

a] Non benè hic exponit Bossius quid sit *tenuis assensus*: ubi enim sunt rationes fortiores, assensus dicitur *probabilior*; ubi denique pares aut ferè pares illæ sunt, assensus est *æquè probabilis*: & tunc tantummodò dicitur *tenuis*, ubi rationes tã sunt leves, ut non censeantur sufficere ad Probabilitatem.

b] Placet *Suspicionis* vocabulum: Suspicio enim non sufficit ad securitatem Conscientiæ, est enim tenuis assensus, nam in illum leves rationes inclinant:

Progre

nant; At aliter dicendum est de Opinione probabili, nam ipsa vtrinque (pro & contra) gravium rationum fundamentis fulcitur.

Exponitur Quodlibetū octavum D. Thomæ.

Progreditur, & Sancti Thomæ meminit, cuius quodlibetum octavum passim à Ianseniſtis adlegatum dilucidat, dicens: [Et in hoc sensu seu casu Vasquez *ubi supra*, ait intelligendum quod docet Sanctus Thomas *quodlibet.8. artic.14.* nempe, *non licere operari cum assensu opinativo circa partem minùs tutam*, *quando est formido in oppositum*; & eodem modo ait idem Vasquez Almainum *tract. 3. moral. cap.3. post 3. conclus.* dicere, *nón posse esse Prudentiæ dictamen, quando est maxima formido pro parte oppositâ.*] Et tu Vasquezio & Almaino assentire, & die *non licere operari cum assensu tenuiter operativo (hoc est, ex levi fundamento deducto) circa partem minùs tutam*, &c. addéque *non esse Prudentiæ dictamen, quando est tanta formido pro parte oppositâ, ut tenuis & levis tantùm spes pro alterâ tantùm remaneat.*

An operari liceat cum assensu tenuiter rationabili.

An, ubi homo scrupulosus est, tenuiter probabilis sententia ad securè operandum sufficiat?

Pergit vlteriùs Bossius, & à Regula Generali eximit scrupulosos, his verbis: [Dicta de assensu tenui, & asserta à Sancto Thomâ; & Almaino aliter accipienda sunt in scrupulosis, seu cùm conscientia est scrupulosa, imò si tenuis ille assensus bene perciperetur, addunt Vasquez & Sanchez nil obstare, quo minùs cum illo licitè exerceretur operatio: quia iam fieret cum determinato assensu. Neque cóntra hanc declarationem, & subdeclarationem urgent objecta ab Ariagâ *loc. citat.* contendente, etiamsi non advertatur tenuis ille assensus, adhuc iuxta illum posse, quem licitè operari. Nam si non notetur ergo res manet dubia omninò, ac si intellectus nullo modo assentiretur.] sic ille: & bene contra Arriagam affirmat, non sufficere Opinionem esse probabilem, ut reddat conscientiam operantis securam, sed est omninò necessarium, ut eidem constet illam esse probabilem; peccabit enim qui elegerit vere probabilem, quam fortè improbabilem iudicat.

In incertis oportet, ut homo sciat, se adhærere Opinioni probabili, & Probabilem Opinionē ad conscientiæ securitatem sufficere.

Ad id quod de scrupulosis nos monebat, respondeo Opinionem tenuiter probabilem, quæ levibus fundamentis innititur, reverà improbabilem esse; & ideo, nec homini scrupuloso, necnon scrupuloso, ad regimen conscientiæ sufficere. Cæterùm, quia scrupulosi melancholicâ interdum infirmitate laborant, & tenues sæpe esse rationes iudicant, quæ graves sunt debet eis semper consuli, ut sint humiles, & doctioribus credant, & eorumdem consilio dirigantur.

An leviter probabiles reverà improbabiles sint?

QVÆSTIO III.

An demonstretur, minùs probabilem Opinionem ad conscientiæ securitatem sufficere?

A Multis annis, & à trigesimo quinto, quadragesimo, quinquagesimo, præcipuè Compluti, Salmanticæ, Lovanij, Pragæ, Viennæ, Neapoli, Mediolani, Romæ, &c. quamdam ego rationem in arenam literariam immisi, quam iterum, iterúmque Eminentissimus Cardinalis de Lugo, ingenij & iudicij Summi Vir, nomine *Demonstrationis* honoravit; & quia illam dilucidavit Bossius, eandem paucis verbis reponam. Sic inquam: [*Debeo, ut aliqui dicunt, eligere Opinionem Probabiliorem; Deo igitur & conscientiæ satisfacio, si eligam minùs Probabilem.*] Hæc alicui consequentia Monstrum [a] Dialecticum videri poterit; quoniam ex Antecedenti necessariò Conclusionem deducit. Quod clarissimè nunc persuadebo. Quoniam sic argumentor. [*Debeo eligere Probabiliorem. In omni igitur Morali Controversiâ debeo Probabiliorem eligere. At est in Theologiâ Morali celebris Controversia, quæ inquirit*, an ad conscientiæ securitatem sit eligenda Opinio Probabilior? *Et in ipsâ sunt duæ diversæ Opiniones.* *Altera docet*, esse eligendam Probabiliorem: & *altera*, ad securitatem conscientiæ sufficere minùs probabilem. *Ergo in hac ipsâ Controversiâ ex his duabus sententiis eligi debet Probabilior. At hac posterior Probabilior est.* [c] *Ergo ex præmissis constat, me debere eam sententiam eligere, quæ docet,* ad securitatem conscientiæ sufficere minùs Probabilem.]

An soluta ab aliquo fuerit nostra Ratiocinatio quam apodicticā esse assevero?

a] Monstrū Dialecticum non est, quādo contrarium Antecedētis male infertur: tunc enim nihil prorsus infertur. Sed quando contrarium Antecedentis, ut impræsentiarū accidit bene infertur.

N. B. Sunt, qui inter actum signatum & exercitū velint distinguere; sunt, qui hanc unicā Quæstionem ab universali lege excipiant. At neutri instāt ad rem, & ideò responsione non indigent.

c] Hæc sententia, ut existimo est certa moraliter, sed mihi sufficit impræsentiarum dici probabiliorem.

Primum Antecedens: nimirùm, *debeo eligere*, &c. Adversariis condono, ut ad hominem eorumdem Assertionem expugnem. Consequens, ut ut appareat adialecticum bene probat ratiocinium; quod sequitur; de quo statim agemus. Subjiciebantur in Probatione hæ Propositiones: *Debeo eligere*, &c. *In omni igitur*, &c. *At est in Theologia*, &c. *Ego ex his*, &c. Ex quibus nulla potuit à Viro prudenti negari. Subsumitur, *At hac posterior* (nempè sententia, quæ docet, *minùs Probabilem Opinionem sufficere*) *est probabilior.* Et hanc ego, quia eam ut certam & indubitatam proposui, probare nolui, ne inferrem veritati, quæ oculis percipitur, & manibus palpatur, iniuriam. At, quia illam probat copiosè Bossius, *n.1377. pag.613.* eius verba produco.

Non omnia sunt adialectica, quæ primo intuitu videntur peccare in Dialecticam.

N. B. Aliqui inter Recentiores & Antiquos distinguunt. At ego Antiquos benigniùs quam Iuniores sentire alibi manifestè persuasi.

Quæ sit communis sententia, quam plerique omnes scriptores propugnant.

Tradunt, inquit, communiter Recentiores; & tunc temporis Scribentes, ita quod sententia asserens in quæstione de solâ honestate, vel turpitudine operationis, vel omissionis *Licitum esse in praxi sequi opinionem probabilem, etiam minùs tutam, relicta probabiliore & tutiore*, hodie videtur, vt (ut superiùs *in titul. num.* 131. *&* 137. notavi) moraliter certa, cùm nitatur validissimis fundamentis, & fortioribus [*d*] quàm opposita Doctorum Antiquorum.] Sed quia hæc ratio esse Probabiliorem, non autem esse moraliter certam videbatur ostendere, hanc ipsam Moralem Certitudinem persuadet dicens: [Est communis Doctorum Recentiorum, quorum auctoritas, cùm inter eos sint tot doctissimi viri, & exactè expenderint rationes omnes Antiquorum, censetur maioris ponderis: imò non solùm hodierni temporis Scriptores Theologi, Summistæ, Canonistæ, & Iurisperiti, & omnes Publici Professores Theologiæ Moralis præfatam sententiam docent in publicis Academiis & privatis Scholis, sed & apud omnes Confessarios Sæculares, & Regulares, apudque quoscumque doctos, & simul probos in toto Orbe Christiano nil magis decantatum, quàm licitum esse in operando sequi quamcumque opinionem probabilem, dummodo probabilis, etiam minùs tutam, ubi non agitur de valore facti, vel de damno insequendo, sed de sola honestate operationis, &c.]

d] Doctrina hæc est ut ait Bossius, moraliter certa: & in autem id bene probatur, quoniam ex hoc antecedenti. *Habet fortiores rationes* non infertur, *Ergo est moraliter certa* Sed *ergo est probabilior*. E hoc in præsentiarū sufficeret.

Quæ fuerit Antiquorum Opinio?

Antiquos *requiri Probabiliorem* docuisse, asserit Bossius; non autem eum puto illos bene legisse; multi enim clarè & expresè nostram Opinionem tuentur: & si qui in uno loco Probabiliorem postulant, cùm ipsi in aliis minùs probabili contenti sint, videntur consilium dare, non præceptum imponere: quod etiam observavit Bossius, ut statim videbimus. Addit *Doctrinam de minùs probabilis sufficientiâ habere locum, ubi non agitur de valore facti, vel de damno insequendo, sed de sola honestate*. Et meritò, quoniam forma Sacramenti, etsi sit probabilis, si revera est falsa, non constituet Sacramentum. Et præceptum Charitatis postulat, ne proximum, quem possum securum reddere non exponam gravis damni periculo. Peccarem ergò graviter si in Baptismo, Confessione, &c. formâ, etiam probabiliùs validâ, uti præsumerem. Libertatem etiam adhærendi minùs probabili Opinioni, Votum, Iuramentum, & legitimum Præceptum limitat, ut sæpe ostendi: qui enim ex Voto, Iuramento, aut Præceptó tenetur sententias Divi Thomæ defendere, non poterit tutâ conscientiâ tueri oppositas, etsi iudicet probabiliores.

Ex quibus Capitibus libertas sequendi minùs probabilem sententiam limitetur?

De Charitatis præcepto.

De Voto, Iuramento, & præcepto.

An, & cur certa moraliter sit sententia, quæ ab originali culpa legem eximit Angelorum Reginam.

Pergit Bossius; & communem nostram doctrinam esse certam moraliter persuasurus, sic infit: [sicut sententia asserens Immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis, eiúsque sanctificationem in ipso instanti unionis eius animæ ad corpus, nunc temporis censetur moraliter certa, quia præter vrgentissima fundamenta, quibus nititur, talis est communis sensus Scriptorum & Doctorum; ita idem dicendum videtur de sententiâ præfata. Quare, sicut, si tunc temporis in vivis essent D. Bernardus, & Sanctus Thomas & nonnulli alij, [*e*] qui docuerunt Beatissimam Virginem contraxisse peccatum originale, videntes hodie communem Doctorum in contrarium, & ipsi (ut arbitrantur plures ex modernis Scriptoribus de immaculatâ Conceptione) retractarent doctrinam à se traditam, ita si nunc viverent Antiqui Doctores, qui asseruerunt semper esse sequendam opinionem probabiliorem, quando minùs probabilis est etiam minus tuta, possumus certè existimare, quòd mutatâ opinione eidem Modernorum communi sententiæ adhærerent.] Hæc ille & doctè. Sed quia sibi posset quis dicere, *Non debemus divinare, quid Antiquiores scripsissent, aut nunc scriberent, sed quid de facto scripserunt respicere.* assentitur; & eos asserit subire congruam interpretationem: quamobrem ait, [Si plures ex Antiquis, ut Sylvester, Angelus, & alij Summistæ Antiqui, dum asserunt, in praxi opinionem probabiliorem minùs probabili esse præferendam, rectè intelligi possint solùm de Consilio, (quod & ego contra Ioan.Sancium & Pasqualig.*sup.in tit.num.*1126. *& seqq.* docui, si probabiliorem, & simul tutiorem possumus sequi absque incommodo, nullámque habemus iustam causam, quâ moveamur potiùs ad sequendam minus probabilem & minùs tutam)non verò de præcepto.]Hanc sæpe doctrinam ipse repetit. Nam *n.*1203. fatetur in dubio practico, quando dubitatur, an actio formaliter peccatum sit? debere partem tutiorem eligi: non autem in dubio speculativo, quando nimirùm quæritur, an illa actio præcepta, vel interdicta sit, unde ait: [Extra dubium practicum,& casus in Iure specialiter definitos, Regula illa generalis, *In dubiis tutior pars est eligenda.* Intelligenda est de consilio & perfectione, ut præter Doctores *sup. n.*1126. relatos respondent Sanchez *lib.*1.*sum.c.*10. *n.*15. Fagund.*lib.*2.*in Decal.cap.*10.*num.*6. Salas *in* 1.2.*tract.*8. *num.*163.*fin.* Villalob. 1.*par.tract.*1.*diff.*22.*num.*3. Castrus Palaus *part.*6.*n* 4. non verò de obligatione.] Et, quia Summorum actiones Pontificum tales esse debent, ut loco Regularum ad mores formandos sumantur, *par.*2.*tit* 1.§.38.*pag.* 297.*b.n.*2105. asserit, eumdem Summum Pontificem hanc eumdem Regulam, non ut definitivam, sed ut consultivam admisisse: inquit enim. [Summus Pontifex; *ut supr.n.*1194. dictum est, & aiunt Suarez, Sanch.Fagund.& Palaus, non innititur illi Regulæ, *In dubiis tutior pars est eligenda,* tanquam necessariæ in omnibus materiis, sed tanquam optimó consilio, &c.]

e] Potuisset alios censere, quos certum est asseruisse originale Virginē incurrisse peccatum, quoniam D. Bernard. nō docuit Deiparam originariâ culpâ fuisse infectam, sed non esse celebrandam de eius immaculatâ Conceptione solemnitatē iniussu Apostolicæ Sedis, quod ipsum universi docemus;

Differentia inter dubiū practicū, & speculativum?

An Regula, Tutior pars est eligenda, sit præcepta, an consulta?

Quid sentiat Summus Pontifex?

An dua illa Regula, quæ contraria censentur, conciliandæ?

Placet addere curiosam & ingeniosam doctrinam, quam num.1204. tradidit ipse Bossius, his verbis [Aliam responsionem, dat

dat Ioan. Sancius *disp.42.num.13.* nimirùm, illas duas Regulas, *In dubiis melior est conditio possidentis*, *& in dubiis tutior pars est eligenda*, non esse diversas & contrarias, ita ut vna expellat aliam (vt videntur asserere Doctores communiter) sed vnam esse explicationem alterius, & mutuò se iuva e tali ration , quòd quoties adest Regula, *Melior est conditio possidentis*, adsit alia, *Tutior pars est eligenda*. Nam quotiescumque quis possidenti favet, partem sequitur tutiorem; cùm omnia Iura velint in dub o *Favendum esse possessioni*, &c.]

QVÆSTIO IV.

An dent r quoad nos Probabiliores Opiniones.

Est res summè difficilis, aut fortè impossibilis in probabilitate opinionũ gradus determinare.

PRæcedens quæstio supponebat, Opinionum alias esse Probabiliores, & alias minùs Probabiles. Et quid si nullæ essent Probabiliores? Et quid etiam, si darentur Probabiliores quoad se, essent tamen humanitùs tam difficiles cognitu, ut omnes ad vnam & eandem classem possent redigi, & vocari *quoad nos æquè Probabiles*?

Incerta est opinionũ magis & minus probabilium discretio.

Quæ dicantur moraliter impossibilia?

Audiri attentè Bossius poterit, qui *in tom. Moralium varior. in Append. ad tit. 1. num. 2384. pag. 615. b.* sic inquit: [*Primò* enim si homo non potest operari honestè, nisi sequendo id, quod probabilius & veriùs ac certius iudicat, cùm, (ut dixi suprà *num. 2377.*) nimis difficilè & incertum sit, quæ opinio sit probabilior, ubique hæreremus anxij.] Quæ sunt nimis difficilia, censentur moraliter impossibilia. Ergo, si est moraliter impossibile à minùs Probabilibus Probabiliores Opini n s secernere, nullæ quoad nos dicendæ sunt Probabiliores.

f] Supponit Bossius hominem, etsi adhibeat diligentiã, nõ posse certò cognoscere, vtra contradictionis pars sit probabilior: sed addit etiam ex suppositione, quod id posset, adhuc semper mansurum anxium, & sine solamine, cùm semper dubitare possit, an debitam diligentiam adhibuerit.

Progreditur, s cundàmque rationẽ format dicens. [Si teneremur [*f*] investigare opin ones probabiliores, examinando utra duarum oppositarum sit efficacioribus rationibus, vel plurium, aut graviorum Doctorum auctoritate fulta; vix possemus agnoscere, an ad id sufficientem diligentiam adhibuerimus: &, an aliqua passione d cti, vel ob defectum debitæ considerati ni , aut investigationis, an verò sincerè, & maturâ consideratione, ac sufficienti investigatione, quid probabiliùs iudicaverimus. Et cùm quotidiè prodeant in lucem de iis é rebus moralibus Scripta hominum Peri orum, & in iisdem rebus versatissimorum: Viri saltem docti tenerentur emere, vel procurare legere, & considerare, an ipsi meliùs, & clariùs ostendant veritatem oppositarum opinionum. Videmus enim sæpe homines, etiam doctos, ex lectione, & consideratione librorum, qui successivè à peritis in materiâ eduntur, mutare opiniones, reprobare, vel minùs probabiles existimare; indocti etiam non censerentur adhibuisse debitam diligentiam, eo quòd unum, aut alterum doctum virum consuluissent, sed teneren-

An teneatur homo doctus emere & legere omnes libros Morales?

An semper debeat homo plures & plures) & hoc sine ullo termino) Viros doctos consulere?

tur plures & plures; & posteà etiam, si apparerent alij viri communiter existimati doctiores, hos etiam tenerẽtur consulere, & ita abiretur in infinitum. Quod certè tam respectu Virorum doctorum, quàm indoctorum, & esset onus intolerabile, & impossibilis, ne dicam valdè difficilis, obligatio, &c.] Ergo, si obligatio hæc esset non solùm valde difficilis, sed intolerabilis & impossibilis, ideò talis profectò esset, quia nobis esset, non solùm difficilis, sed impossibilis illa Probabilioris, & minus probabilis Opinionis distinctio. Semper igitur, aut saltem sæpiùs ap nos non habet locum probabilioritas, quod erat persuadendum.

N. B. Qui dixit, Iugum meũ suave est, & onus leve, effectur proculdubio dixisse, Si quod iugum summè difficilè intolerabile, aut impossibile est, meum non est.

Probat iterum nullas aut raras opiniones quoad nos esse probabiliores. Quia, si innotesceret talis distinctio, nullus esset locus scrupulis. At hodie anguntur homines scrupulis, quia dubitant, an talis, aut talis opinio probabilior sit? Quamobrem talis obligatio, si forte daretur, esset, ut scitè monet Bossius [infinitis scrupulis obnoxia, & non haberemus modum, quo sedare & consolari possemus teneras Virorum, aut etiam Fœminarum conscientias vexatas scrupulis circa actiones, tam præteritas, quàm futuras, an in tali operatione, vel omissione peccaverint mortaliter, vel venialiter: An, si hoc, vel illud faciant, vel omittant, Legem Divinam, vel Naturalem, vel Positivam transgrediantur, Deúmque offendant? nam, si vix possunt sedari, persuadendo eis ad honestam operationem, vel omissionem sufficere, sequi quamcumque opinionem probabilem; quid ergò, si haberent persuasum sibi ad evitandum peccatum necessarium esse agere id quod probabilius & certiùs est, non esse peccatum, aut lege Divinâ aliquâ vetitum, &c.

An, & cur homines torquantur scrupulis?

Doctrina opposita est obnexia infinitis scrupulis

Doctrina de probabiliori opinione eligendâ multorũ conscientias perturbaret.

Sed demus, Petrum putare se invenisse probabiliorem opinionem. Vnde id putat? Quis illi Cleantis stateram suggessit, vt rationes rationibus, & authoritates authoritatibus librare possit? Et, quia præter ingenium & scientiam etiam diligentia requiritur, vnde sciet Petrus se debitam adhibuisse diligentiam, si non sufficiat Probabilitas? Respondet Candidus [sufficere Moralem diligentiam iuxta gravitatem, & difficultatem dubij, sicut in aliis negotiis sæculi, & examine conscientiæ ad confessionem peccatorum ritè faciendam.] SED HOC non sedat animos scrupulosos. *Primò*, quia non satis exponit Candidus, quid sit adhibere diligentiam Moralem, *Secundò*, quia nunquam demonstrat, talem diligentiam sufficere. *Tertiò*, quia malè forum fori cum foro poli componit: nam, si pro negotij gravitate debent diligentiæ expediri, quæ ad sæculi negotia sufficiunt, ad confessionem ritè faciendam non sufficient. *Quartò*, quia, si debeo sentire, me sufficientes diligentias fecisse; debeo habere rationes, ut id sentiam.

An certò quis possit probabiliorem Opinionem cognoscere?

An certò scire se adhibuisse debitam diligentiam?

Candidi opinio.

Impugnatur.

An terrena cum cœlestibus possint confundi?

An de diligentiis adhibitis, probabilem, an verò probabiliorem debeamus habere opinionem?

Ergo vel probabiles, vel probabiliores. Si primum; suam Candidus sententiam deserit, & communi subscribit. Si secundum affirmet, in novos labyrinthos homines præcipitat: quoniam scrupulosi, ut inquit Bossius [semper putant se non adhibuisse vel adhibere debitam aut sufficientem diligentiam, & semper ob pusillanimitatem, & timorem peccandi in suis actionibus, in strictiorem partem inclinant: deinde in aliis negotiis termini diligentiæ adhibendæ sunt magis limitati, quàm in doctrinis, & opinionibus, quæ sunt in continuâ variatione, cùm quot capita, tot sententiæ, & quam doctrinam aliqui docuerunt, ut probabiliorem, alij docti posteriores reprobent, ut patet experientiâ quotidiana, & exemplo [*b*] ipsius etiam Candidi, qui communem de licito usu cuiuscumque opinionis probabilis, contra oppositam antiquorum à recentioribus tanquam longè probabiliorem assertam conatur reprobare, & falsam ostendere, & Antiquorum iam antiquatam innovare & instaurare; in quo Divinam æmulatur Omnipotentiam, contendens Opinionem iam diu in Scholis & Academiis sepultam suscitare, & putat id suâ Disputatione assecutum, Modernosque æquivocatione, & ignorantiâ distinctionis de assensu, & iudicio Probabilitatis opinionis, & de assensu & iudicio probabili de Veritate Opinionis deceptos, contra communem antiquorum asseruisse licitum esse usum cuiuscumque opinionis probabilis; si enim ipse in suâ disputatione tam urgenter rationibus, & auctoritatibus modernorum opinionem reprobavit, antiquorum comprobavit ipso teste, & id asseverante, certè oportet dicere, & ipse etiam (credo) fatebitur Viros doctos teneri ad procurandam, (si illius habeant cognitionem, suam Disputationem, & ad examinanda ab ipso contra usum Opinionis Probabilis, relictâ probabiliori, tradita, ne alioqui ob defectum debitæ diligentiæ ipsi in sequendo quamcumque opinionem, & talem usum aliis consulendo, mortiferè peccent.] At hoc nec ipse unquam dixit, nec aliquis audebit dicere. Opinio igitur Candidi stare non potest.

Quanta sit in mundo opinionum varietas.

Est proverbium antiquum & verum: *Nemo eodem modo singulis horis sapit.* Vnde ait Hispanus, *Las armas y las letras tienen dias, &c.*

b] Non solùm Candidus, Merenda, & alij, qui Probabiliorem esse eligendam Opinionem affirmant, contra Cæteros, qui contrariam tutantur, sed & contra semetipsos scribunt, cùm Opinionem, quam priùs habebant, retractarunt: Ergo nihil certi nos docent; nam sicut priora hodie, quia aliter sunt affecti, refellunt; sic & cras, quia aliter erunt affecti, aut ad priorem Opinionem redibunt, aut aliquam tertiam invenient. Nemo igitur securus est, nec iurare potest se non errare, cum dicit hanc sententiam magis, illam autem esse minùs probabilem.

QVÆSTIO V.

De possessione Libertatis: An omni sit Opinioni, etiam Probabiliori, præferenda?

VEniamus tandem ad Controversiam principalem, examinemusque, quæ sit Bossij sententia, cùm agitur de Conscientiæ securitate. Satis manifestè illam in præcedentibus insinuat: sed, quia clariùs, & uberiùs tract. de Conscientiâ Dubiâ *part.* 2. *titul.* 1. §. 37. *pag.* 288. *à num.* 1166. loquitur, inde nonnullas periodos exscribemus. [Explicemus, ait, Principia Practica, seu causas iustas variandi, seu deponendi iudicium, seu dubium speculativum, & eo non obstante formandi iudicium prudens practicum de honestate operationis, seu quod hic & nunc liceat operari, vel non operari, non conformando se tali iudicio, seu dubio speculativo.] Accidit iste casus quando homo habet rationes, & Authores utrinque, & certò scit rem, de quâ dubitat, incertam esse; & tunc inquiritur, An detur via, per quam ad certam cognitionem deveniat, quæ operaturo dictet, *Certum est hanc operationem tutâ conscientiâ posse fieri?*

Non repugnant cum dubio speculativo compos. certitudinem practicam.

An, & unde stante dubio speculativo, sit esse practica de honestate operationis certitudo?

Dari asserit Bossius; & eam delineaturus & determinaturus sic infit. [Ante prærequiritur prudens ac diligens inquisitio Veritatis, sive studendo, sive consulendo peritos, iuxta dicta suprà *num.* 1153. & latius suprà *num.* 13. & tradunt Doctores *num.* 12. allegati, & alij communiter, tum suprà allegati, tum allegandi infrà. Et ratiò est, quia dubium speculativum, vel circa ius, nempè circa legem, aut censuram inde dependentem, vel circa factum, ex quo consurgit aliqua obligatio faciendi vel omittendi aliquid, non satis examinato iure, vel facto, iuxta capacitatem operantis, & rei opportunitatem, infert semper, (ut suprà dictum est *num.* 12. & 1247.) conscientiam practicè dubiam, quæ non potest prudenter deponi ab operante, nisi post adhibitam diligentiam sufficientem ad eam tollendam, alioqui non facienti quod in se est imputatur temeritas, error, & culpa contingens, aut certè quæ contingere potuit, dum eius periculo se exponit, &c.]

Adhiberi debet diligentia conveniens.

N. B. Possumus & solemus de inveniendâ Veritate prudenter desperare. Vide *Quæst.* 8. §. *Præterea, in fin.*

Dubium est duplex, iuris videlicet, & facti.

Facienti, quod in se est, ut rem sciat, ignorantia imputari non potest.

Hæc doctrina est verissima, sæpe enim dubitamus de rebus, in quibus Veritatem invenire poterimus, si diligentiam congruam adhibere velimus: nam si Confessarius ex. gr. dubitet, An sit reservatus in tali loco talis casus? non erit in conscientiâ securus, si ad possessionem libertatis recurrat, nam facilè potest interrogando Veritatem rescire. Sed quia sunt materiæ, in quibus nec ratiocinando, nec interrogando Veritas invenitur, pergit Bossius, & ait [Quod, si post adhibitam dictam sufficientem diligentiam, adhuc conscientia

Quid facturus sit Confessarius, qui de Casûs reservatione dubitat?

An sint materia in quibus Veritas inveniri non possit?

An inter sponsos liceant oscula?

tia remanet dubia speculativè [Puta, si sponsus dubitet. An sibi Oscula sint interdicta? Nam in Casu hanc Propositionem, *Inter Sponsos licent Oscula, Secluso omni pollutionis periculo.* Rationes hinc inde occurrentes, & oppositæ Theologorum sententiæ incertam reddunt. Si autem adhuc manet dubius practicè; nempe si dubitat de hâc Propositione, *Licitum mibi hic & nunc est, meam sponsam osculari.*] Eo quod dubius nescit ex debitis, seu certis, seu probabilibus principiis [i] practicis elicere iudicium practicè certum, ut actio sit turpis, & honesta, tunc, si aliundè putat non esse malum omittere talem actionem, tenetur eam omittere, alioquin peccabit, ut omnes Doctores *suprà num.* 12. relati asserunt, & ex dictis manifestè infertur, nam imprudenter, & temerè operaretur, non habens in praxi certa, seu sufficientia operandi principia, & aliunde habens certam viam non peccandi, & in huiusmodi casu habet locum illa Regula *In dubiis tutiorem partem esse eligendam*, Vt suprà *num.* 9. *fin.* & *num.* 1144.] Hæc ille. In quibus duo considera: primò illa verba, *Si aliunde putat non esse malum omittere talem actionem.* Et secundò altera, nempè. *illa Regula*, &c.

i] Ex antecedenti probabili non infertur cōsequens certum. Ergo nec ex probabili practicè infertur certum practicè: bene autem certum practicè ex probabili speculativè.

Peccat, qui in dubio practico operatur.

An, & quādo pars tutior eligenda sit?

Et circa primum adnotato, esse Casus, in quibus agendo de actione, & omissione, altera pars contradictionis est certò licita, & de altera disputatur; quoniam in Casu de sponso, qui nuper proponebatur, de positione osculorum, & non de omissione disseritur; certum est enim sponsum, qui talia oscula omittit non peccare. Interim, quia etiam aliquando contingit utrimque rationes & authoritates occurrere, quæ tam omissionem, quàm operationem interdici testentur, pono Casum, *in quo moribundus sensibus destitutus, qui catholice vixit, sit absoluendus sacramentaliter:* nam gravissimi Theologi debere absolui, & alij æquè docti debere non absolui asseverant: & inter facere, & non facere non datur medium. Et tunc Confessarius, si maneat dubius, eam partem tenetur eligere, quam iudicet esse minùs malam. Hinc venio ad Regulam, *In dubiis*, &c. definioque eam non habere impræsentiarum locum; quia, ubi omissio est certò licita, & operatio non habet probabiles rationes, quæ ipsam esse licitam suadeant, nullum est dubium, & neutra pars vocari potest tutior. Et quidem nullum in casu dubium esse demonstratur clarissimè; quia oscula posse ab Sponso sine peccato omitti, certum est: & ab eo, qui nondum habet sufficientes (hoc est, probabiles) rationes, propter quas excusetur, non posse sine peccato dari, etiam certum est. Et probo, neutrum posse vocari *tutiorem* partem, nam comparativum in rigore loquendo in utroque extremo postulat positivum: unde est bona consequentia. *Nix est candidior chartâ, ergo utraque est candida.* Et in Moralibus, si agamus de Conscientiæ regimine, hanc esse bonam consequentiam plerique omnes Scriptores fatentur: videlicet. *Opinio talis, aut talis, est probabilior: Ergo utraque est probabilis,*

An, & quādo oscula inter sponsos sint licita?

Potest aliquando esse omissio certò licita, & actio disputabilis: potest & contra.

De moribundi absolutione.

Sunt, qui actionem; & sunt, qui omissionem condemnēt.

Exponitur Regula, In dubiis *&c.*

N. B. Comparativum postulat, ut in utroque extremo positivum reperiatur.

De parte tutiori. Quæ illa sit?

Neutra Opinio potest vocari tutior, si utraque simul non est tuta.

Ergo etiam opposita est probabilis. Vnde passim apud Dianam, & alios Recentiores legimus, *Doctor N. indicat sententiam talem esse probabilem: quoniam contrariam, cui adhæret, vocat probabiliorem.* At in casu (quando videlicet, osculorum omissio est certò licita, & illa ab sponso posse dari nondum bene est persuasum) falsum est utramque partem esse tutam, ergo similiter alteram esse tutiorem falsum est. Ergo in Casu altera est unicè tuta, & altera est certò mala, & graviter peccaminosa.

N. B. Aliquando citra rigorem scholasticum Authores loquuntur, & Comparativum sumunt adversativè; & talia sunt verba illa Christi, *Melius esset ei, si natus non fuisset homo ille*: & illa Apostoli, *Melius est nubere quàm uri*, quoniam *non nasci, & uri*, non sunt bona.

Quid debeat facere, qui tam facere, quàm omittere cēset esse peccatum.

Redit in casum Bossius, in quo tam omissio, quàm operatio interdicta censeatur; & ait. [Si adhibitâ diligentiâ existimetur, vel dubitetur esse malum, tam exercere, quàm omittere talem actionem, ut in homine perplexo, vel invincibiliter dubio in utramque partem, tunc prudens Principium variandi, & formandi iudicium quod hic & nunc liceat agere, vel omittere actionem, est bona fides, & certa persuasio, quod [*] peccatum non potest esse, nisi ubi est libertas operandi, & ita quòd non peccabit tunc eligendo id, quod apparet minùs malum, vel si utraque pars æqualiter appareat mala, unam ex illis eligat iuxta dicta *n.* 54. & 55. & præcedentes §§. &c.

*] Est in Bayo & Iansenio condemnata hæc Positio, *Ad peccandum non requiritur libertas à necessitate.*

Pius V. anno 1567. & Gregorius XIII. ann. 1579. damnarunt has propositiones. XXXIX. *Quod voluntariè fit, etiamsi ex necessitate fiat, liberè tamen fit.* & LXVI. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

An propter necessitatem liceant, quæ non licerent extra necessitatem.

Procedit adhuc ulteriùs, & Casum valde necessarium decidit, inquit enim [Sin verò post adhibitam sufficientem diligentiam inveniendi Veritatem adhuc quis remaneat speculativè dubius, utrùm illi liceat operari (hoc est, utrum illa operatio sit interdicta) sciens tamen certò nullum esse peccatum, si non operetur; tunc est difficultas, An talis urgens necessitans sit sufficiens Principium practicum, seu rationabilis causa variandi, & in exercitio operis non se conformandi tali dubio, ac formandi iudicium practicum, quod hic & nunc non obstante tali dubio speculativo, licitum sit operari.] Vel utendo meo Lexico, vtrum manente incertâ Veritate Propositionis, possit necessitas, aut utilitas præstare, ut sit certa eiusdem Propositionis Bonitas vel Honestas? Et quidem in hac Quæstione duæ sunt Oppositæ Sententiæ: quarum primam proponit Bossius dicens: [Negant Becanus *tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *dictâ quæst.* 8. *num.* 6. & Garz. *de Benef. part.* 7. *cap.* 2. *num.* 25. & pro hac opinione citari posset Pasqualigus loco *suprà num.* 145. allegato. Probat Becanus. [k] quòd dubitans tunc omissâ parte certâ, non possit eligere dubium ob urgentem necessitatem

N. B. Hoc Axioma, *Necessitas caret lege*, non male vertitur in linguā Hispanicam, *La necessidad tiene cara de hereje.* Quæ enim ex necessitate fiunt, aliquando sunt talia, ut in consequentiam duci nequeant: essent enim pessima, si fierent sine necessitate.

Negativa sententia.

k] Becani opinio, si

 operandi,

præceptum sit in possessione, & de dispensatione dubitetur, & pro dispensationis existentiâ leves rationes sint tantùmmodo (has enim Dubij propriè dicti nomen importat) vera est: falsa, si pro nô obligatione sint rationes probabiles.

operandi, ad evitandum notabile detrimentum, & incommodum; quia temporale damnum non potest excusare eum, qui se exponit periculo peccandi, ac proinde inquit, ut quis operetur ex tali dubio rectè, & prudenter, non satis est, ut timore damni sibi persuadeat se hoc posse facere, sed debet habere principia practica, si doctus est, vel probabilem auctoritatem, si indoctus, &c.] Verùm enim verò, etsi præcedentium Doctorum contemni non debeat authoritas, oppositam probabiliorem esse iudicat, inquit enim. [Verius est urgentem necessitatem operandi ad aliquod evitandum grave incommodum, seu detrimentum esse sufficiens Principium practicum non se conformandi in praxi dubio speculativo, & formandi iudicium prudens practicum de honestate operationis, vel omissionis, non obstante dubio speculativo; seu, quod idem est, ex causâ gravi, & magno detrimento, notabilive incommodo vitando posse in praxi eligi partem dubiam omissa certa. Ita Salas 1. 2. *tract.* 8. *sect.* 17. *num.* 154. *& sectionibus sequentibus*, Sanchez *lib.* 1. *sum. cap.* 19. *num.* 25. & *cap.* 10. *num.* 37. Suarez *de censuris*, *disput.* 40. *sect.* 5. *num.* 12. Gordonus *lib.* 1. *quæst.* 9. *num.* 24. & *lib.* 7. *quæst.* 6. *num.* 57. *&* 64. & *eadem quæst.* 17. *num.* 25. & priùs docuit Corduba *lib.* 3. *quæstionarij quæst.* 6. & ad id faciunt Doctores citati suprà *num.* 142. & *num.* 301. & plures alij, quos latè refert Salas *dict. numer.* 154. & ratio est, quia nulla lex vel præceptum continens notabile incommodum; quamque quis non potest implere, nisi subeundo gravia damna, obligat, nisi de tali obligatione sufficienter constet, ac proinde nisi sufficienter, & sine dubio proposita sit, [♦] sicut lex non obligat, nisi sit sufficienter promulgata, & proposita [♦] communitati. Quod maximè procedere in lege pœnali, & privatâ, ut in censuris, ait Gordonus. Prætereà in hoc necessitatis casu Salas *num.* 162. fine; ait habere locum illam Maximam [θ] quod debito incerto non debemus satisfacere solutione certâ. Igitur quoties post adhibitam sufficientem diligentiam non potuit vinci & deprimi dubium speculativum, & urget grave damnum iudicio prudentis, vel necessitate operandi in hoc necessitatis casu, & dubitatione. (Si ius in speciali eventu non prohibeat) potest homo formare sibi conscientiam, se hic & nunc posse operari, vel omittere actionem ex hoc Principio morali, quod nulla lex (præsertim pœnalis privativa, & odiosa) obligat ita ex bonâ fide agentem, ut subeat grave damnum, quamdiu de eâ lege, talive obligatione sufficienter non constat, [♦] constareve non potest. Quod si ob urgentem necessitatem operandi non potuisset [*] omnem diligentiam (quæ alioqui extra talem casum fuisset possibilis) adhibere, posteà extra hanc necessitatem constitutus, & nactus opportunitatem tenebitur maiorem diligentiam adhibere ad Veritatem investigandam, ut constat ex dictis

An necessitas reddat probabilem & tutam sententiam, quæ nec probabilis, nec tuta censeri posset extra necessitatê?

Affirmativa Sententia. An sit probabilior?

♦] Legem non obligare, nisi sufficienter sit promulgata, & proposita, certum est. Non esse sufficienter promulgatam, & propositam eâ, de cuius existentiâ, aut intelligentiâ probabiliter disputatur, etiam est certum. Ergo lex, de cuius existentiâ, aut intelligentiâ probabiliter disputatur, non quia sine damno, aut gravamine servari nequit, sed quia non est sufficienter proposita obligare nô potest.

suprà *num.* 13. *& alibi*, & notavit etiam Gordonus *dict. num.* 29. Hinc Corduba, Salas, & Gordonus inferunt, (Primò, licitum esse ei, qui post debitam diligentiam adhibitam dubitat, An sit excommunicatus, celebrare, seu exercere actum Ordinis, vel se ingerere, ut evitet aliquod damnum, & similiter licere aliis cum simili dubio communicare illi, ut evitent simile damnum, & (Secundò) dubitanti, an irregularitatem [*l*] contraxerit (nisi ius specialiter prohibeat, iuxta infrà dicenda) similiter licere exercitium Ordinum urgente necessitate, & (Tertiò) pariter Corduba *dict. quæst.* 6. & Salas *dict. num.* 154. aiunt, beneficiarium in dubio iuris, scilicet, utrum ob tenuitatem beneficij teneatur recitare Divinum Officium, * non teneri ad recitandum horas Canonicas, quia id est magnum incommodum, quod sine certitudine subiri non debet; de quâ re infrà, *num.* 1288. ex quibus patet responsio ad fundamentum Becani, &c.] Hæc omnia Bossius.

De excommunicatione dubiâ.

De irregularitate.

De congruâ in beneficio dubiâ.

*] Ignorantia vincibilis, & voluntaria, mutatis circumstantiis in invincibilem transire poterit: nam, si Petrus hodie habet Magistrum, quem interroget, & interrogare illum non vult, & ideò aliquam Veritatem necessariam ignorat, hæc in eo ignorantia est vincibilis & voluntaria: cæterùm, si cras non habeat, quem interroget, & tamen velit, non autem possit, Veritatem doceri, laborabit ignorantiâ invincibili, & involuntaria. Ergo in casu vincibilis ignorantia in invincibilem conversa fuit.

l] Quid Bossius velit dicere scio; at mentem ipse suam non satis clarè, & expressè declarat. Nullæ profectò leges, aut definiunt, aut definire possunt irregularitatem dubiam esse certam: sed iubent ex homicidio dubio irregularitatem nasci. Sciebat profectò hanc Veritatem Bossius: nam *part.* 2. *tit.* 1 §. 38. *pag.* 297. *num.* 1205. producit *cap. ad audientiam*, & *cap. Significasti.* 2. *de homicid.* & scitè ait [ibi specialiter decerni, ut in dubio homicidij, quis censeatur irregularis & debeat abstinere ab usu Sacerdotij: idque (ut ait Suarez *disp* 40. *sect.* 6. *num.* 5. *ad* 9. Sanchez *cap.* 10. *num.* 15. *in princip.* Fagundez *cap.* 10. *num.* 13 *in fin.* Palaus *punct.* 6. *num.* 4. & Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 39. *vers. secundo pronuntia e*) ob periculum specialis indecentiæ, si fortè posteà innotescat, homicidam factum celebrasse.]

Ego autem sub distinctione loquor: nam Lex in Divinam, & Humanam dividitur. Et, quia existimo Humanas non obligare cum periculo vitæ, aut damno notabiliter magno, assero eas, seu certæ, seu dubiæ sint, neminem cum gravi detrimento obstringere. Hinc est, ægrotum, cui abstinentia à carnibus graviter est nociva, non teneri observare ieiunia: & pastorem, qui si vadat ad Ecclesiam, oves lupis, aut latronibus exponit, non teneri ad auditionem missæ. At, quia Deus est vitæ, & mortis dominus, & homines potest obligare universim, ita ut nullus detur Casus, in quo possint non obedire; agendo de Legibus Divinis aliter omnino philosophor. Assero igitur (1) ubi legis obligatio est certa nullam in praxi posse excusationem à necessitate desumi. Assero (2) si lex sit in possessione, & Scholasticum dubium (à levi ratione proveniens) versetur circa dispensationem, obediendi

An humanæ Principum leges cum magno detrimento aut periculo obligent?

De abstinentiâ à carnibus.

De auditione missæ.

An lex Divina obliget ad periculû mortis?

Ratio levis est moraliter nulla.

diendi obligationem esse certam : nam excusatio levis est moraliter nulla. Assero (3) si in possessione sit libertas, & de existentiâ legis Scholastico dubio (propter rationem levem) dubitetur, libertatem manutenendam esse ; obligatio enim, quæ levi tantum ratiocinio probatur, moraliter loquendo est nulla. Assero (4) dubium impropriè interdum sumi, ita ut ratio probabilis vocetur dubia. Et in casu dico, eum, qui de existentiâ legis probabiliter dubitat, ad eius observantiam non teneri: quoniam Lex esse debet nota & certa. Assero (5) in Casu, quo de existentia legis nulla [m] sit Certitudo, & ex observantiâ eius sequatur detrimentum notabile, nos esse deobligatos : Et addo hanc ipsam deobligationem non oriri ex operandi necessitate, aut ex damno, quod non operationem comitatur, sed ex ipsa legis incertitudine.

Te possessione libertatis.

N. B. Leges non tollunt libertatem, sed ligant : & ideò D. Thomâ teste à ligando vocantur.

m] Lex, quàm vel nulla, vel levis ratio non obligare probat, certa est, & eam obligare certum est.

Iudicium de sententiis propositis.

Hinc patet primam sententiam Becani, & secundam Sanchezij Iura Humana & Divina, nec non Dubium cum Probabilitate confundere : & debere secundum hæc quinque Asserta, quæ edisserebam limitari.

Tres casus, qui paulò ante proponebantur, deciduntur.

Hinc etiam patet illos tres casus (primum de excommunicatione dubiâ : secundum de irregularitate dubiâ : tertium de congruâ beneficij dubiâ) si *Dubij* nomine Probabilitatem intelligas, doctè à Bossio decidi. Cæterùm, si Dubium sumatur Scholasticè, ut levem excusationem importet resoluti sunt male, quia levis excusatio à gravi obligatione nunquam liberat. Interim & hic oportet repetere, in illis tribus casibus, quando magna incommoditas, & probabilitas concurrunt, & obligatio negatur, non à magnâ incommoditate, (ipsa enim in considerationem non venit) sed à solâ probabilitate, aut ab obligationis Non-Certitudine illam deobligationem nasci.

Distingue hic legem Humanam à Divinâ : nam Deus est vitæ & mortis dominus, & ideò mori debemus potiùs, quàm legẽ Divinam infringere.

De experimento triẽnali, quod à Pontificio, Iure in dubio impotentia præscribitur.

Pergit ulteriùs Bossius, & triennale experimentum, quod Iura non solùm indulgent, sed in dubio Impotentiæ præcipiunt, proponit, & sic inquit. [Præterea, sufficiens Principium practicum variandi, & deponendi iudicium, seu dubium speculatiuum est aliquando ipsa operatio ex defectu alterius medij ; nimirum, quando est dubium facti, & non iuris, licet enim uti re dubiâ, solùm, quia non est aliud medium ad depellendum dubium, iuxta *cap. Landabilem, de frigid. & malef.* ubi triennij tempus conceditur, ut qui dubitat de valore matrimonij, propter impedimentum naturæ frigidæ, possit experimento cognoscere, an verè ita sit? quia non est aliud sufficiens medium ad expellendum dubium : de quâ re in terminis Gordonus *dict. lib. 1. quæst. 9. num. 21.* &

N. B. Oportet hic fundamentum proponere, ex quo diluatur argumentum, quod contra triennale hoc experimentũ con-

dict. lib. 7. quæst. 6. num. 57. &c.] Sic ille. At ego puto ex isto Canone pro nostrâ DIALEXI *de Non-Certitudine* irrefragabile argumentum desumi. Bossio consono: at vero, ut existimo, clarius Canonis æquitatem demonstro. Sic enim inquam. [Possessio est duplex, alia, quæ ad individuum, alia, quæ ad speciem spectat. Illa est res facti, hæc naturæ. Quamobrem, quod homini ex naturâ suâ specificâ convenit, debet huic individuo competere, nisi oppositum constet. Hinc, si ego in lite scripturam producam, cui Petri avus ante centum annos subscripsit, & contra Petrus duo obiiciat, alterum, avum suum fuisse cœcum ; alterum fuisse ἀναλφάβητον, nescientem literas ; utrumque debebit probare. Primum ; quoniam Humana species est in possessione habendi quinque sensus. Ergo, qui eam in individuo N. tali sensu caruisse dixerit, hoc ipsum debebit probare: nam aliàs à possessione specificâ argumentum sumetur. Secundum ; quoniam avus Petri fuit nobilis : & quia rarus est nobilis, qui legere & scribere nesciat, illum, nisi contrarium suadeatur, utrumque sciviSse supponemus ; quoniam *inspicimus in obscuris id quod est verisimilius* ; & hoc verisimilius dicitur, *quod plerumque fieri consuevit.*] Hac doctrina præmissâ, pergo ulteriùs, atque discurro sic. [Homo est substantia vegetativa, sensitiva, & intellectiva. Substantia vegetativa habet potentiam & organa generativa. Ergo Petrus, de quo quæritur, an sit impotens, à ratione specificâ habet, ut generatiuus sit. Ergo, nisi aliunde probetur, censendus est esse generativus. Ergo, nisi oppositum certò probetur, uxore, quam duxit, potest uti, & procurare habere copulam.] Quando ergo certò constabit de impedimento. Viri prudentissimi iudicarunt triennalem experientiam requiri. Ergo hinc Summi Pontifices Sanctissimè & prudentissimè Canonem illum pronunciarunt. Et maritus de cuius impotentiâ disputatur, sine scrupulo illum observat, *Pergo. Attende.* At agitur de Decalogo. De lege Naturali, & æterna. Lex dicit. *Ne ad alienam accedas. Ne semen extra vas profundas.* Si Vir est impotens, illa fœmina non est sua, Et, quia sæpe semen effudit extra vas, probabile (immò etiã probabilius est) quod hic & nunc semen extra vas profundet. Cur ergo ad eam accedit, & seminat? Quia est in possessione Matrimonium, & non constat certò illam fœminam non esse suam. Quia ob rationem communem toti speciei humanæ competentem ipse potentiam generativam habet ; & contra hanc possessionem nondum constat certò de impotentiâ, seu impedimento. Et denique, quia ille est in libertatis suæ possessione, & nondum certò constat, esse legem, quæ hîc & nunc ad uxorem relinquendam eum obliget. Stat igitur DOCTRINA *de Non-Certitudine.*

formatur. Sic inquiũt. [Accedere ad fœminã, quam quis non scit esse suam, peccatum est : At Titius, qui ad triennale experimentum condẽnatur, non scit hanc fœminam esse suam, sed dubitat. Ergo accedere ad illã non potest.]

Datur Possessio specifica & individualis.

Cœcitas non præsumitur, sed debet probari.

An, & cur legendi & scribendi ignorantia in Nobili non præsumatur?

Quid importet vox Verisimiliùs?

Homo ab specificâ sua natura ratione generandi impotentiam non habet, Non ergo Petrus debet, aut potest impotentia damnari, nisi illa certò & planè probetur.

Quo illa modo probanda sit.

An possit homo accedere ad fœminã, quam suam esse non scit?

Contra possessionem nõ prævalet Probabilitas sed Certitudo.

Censendus est homo habere possessionem specificam, donec oppositum probetur.

Claudit discursum suum Bossius, & dicta colligens, Generale Fundamentum proponit : & sic ait. [Sola quoque authoritas Doctorum,

Ad operandum tutâ conscientiâ

In re incertâ, authoritas Doctorum sufficit.

Doctorum, seu Viri periti potest esse sufficiens Principium Practicum deponendi Iudicium, & Dubium Speculatiuum, ut Becanus & Gordonus *locis citatis* tradunt, & constat ex dictis de Opinione probabili, &c.] Et meritò, sic statuit Bossius, hoc enim argumentum bene defluit. *Non est lex certa, quam esse, aut obligare, multi Doctores negant. At legem incertam neminem obligare certum est. Neminem Ergo obligat lex quam vel esse, vel obligare multi Doctores negant.* Sic universim proceditur ab authoritate: quo autem modo à ratione universim? Bossius, [Principium Practicum, seu iusta causa variandi iudicium practicum à iudicio, seu dubio speculativo remanente post adhibitam diligentiam, est possessio in materiâ Iustitiæ [*n*] ita ut hac interveniente possit quis operari contra conscientiam speculativè dubiam, eam practicè deponendo, id quod latè infrà probabitur, & pro nunc sufficiat illa Regula Iuris, *Quod in pari causâ melior est conditio possidentis*, qui in tali dubio habet æquale ius dominij, seu proprietatis cum alio, & maius etiam ratione possessionis, in quâ est bonâ fide, ratione cuius superat ius alterius, & ita illi præferendus, & consequenter iustam causam habet variandi iudicium speculatiuum, seu deponendi dubium speculatiuum, & formandi iudicium practicum illi oppositum, & ita tradunt communiter Doctores suprà allegati, & infrà allegandi.] Et hanc Bossij doctrinam, quam esse certam & communem scitè asserit, nonnullis potero confirmare rationibus. Vnam, aut alteram subiicio. Sic inquam.

Possessio omni partium contraria Probabilitate potior est.

N. B. Omnis Probabilitas sumitur à ratione: nam illa, quæ vocatur *authentica*, à ratione desumitur. Dico igitur Rationem esse duplicem, visam, & præsumptam. Visam reperio in Opinionibus, quæ à ratione probantur: Præsumptam, in illis quarum Probabilitas ab authoritate dependet: præsumimus enim Doctores, pios & doctos, qui illas tuentur, habuisse rationes gravissimas, quibus illas fundarent.

n] Duo hic debet Lector Candidus considerare: alterum hanc iuris Regulam in omni Virtute habere locum, ut probarunt Scriptores doctissimi: alterum (& hoc bene notato) Obedientiam pertinere ad Iustitiam, ut mox §. *Tertia ratio* evidenter ostendam.

De Possessione bonorum.

Petrus est in certâ & legitimâ sua pecuniæ possessione.

Ergo non potest condemnari per Iudicem, ut in certo & dubio debito satisfaciat per solutionem certam. Et, quid, si Actor (si Creditor) non probabiles tantùm rationes, sed probabiliores adduxerit? Ne quidem hæ vim habent, ut hominem à certa possessione detrudant. Hæc est vera, & apud Veteres, Iunioresque communis & recepta Decisio. Hos ad manum habes: sed quia nescio cur, Veteribus Bossius accenset, ut constet liquido de Antiquorum & Iuniorum Consensu, meum erit ostendere hanc etiam fuisse Antiquorum sententiam. Audi Tryphoninum dicentem. *Et probo hanc esse Iustitiam, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius persona iustiore repetitione.* Fuit autem Try-

Ita per leg. absentem D. de pœnis.

Hæc doctrina non Iuniorum modò, sed & Veterum Iurisconsultorum est.

phoninus celeber & antiquus Iurisconsultus, cuius hæc verba fecit sua Imperator *leg. 31. ff. de depos.* Considera itaque illam vocem *repetitione*. Ergo loquitur in casu, quo aliquis est in possessione: ubi enim neuter possidet, nihil repetitur. Considera etiam illam, *iustiore*, Est autem iustior repetitio, quæ probabilioribus rationibus corroboratur. Ergo ad Tryphonini mentem Iustitia est, *quæ suum (si illud de facto possidet) possessori ita attribuit, ut non distrahatur a contraria partis probabiliore repetitione.*

Quis Tryphoninus fuerit?

Quid docuerit?

Ioannes est in certâ & legitimâ possessione suæ innocentiæ, & suæ vitæ, Vivit enim: & omnis homo censetur innocens, nisi probetur esse nocens.

De possessione innocentia.

Ergo propter incertam, & dubiam homicidij, v.gr. commissionem à Iudice condemnari non potest certâ pœnâ. Hanc doctrinam, ut certam, & indubitatam Carolus V. Romanorum Imperator (immò eius Consiliarij: nam Imperatorum ad Summos Pontifices in gravibus negotiis Epistolæ, magno semper consilio concipiuntur & scribuntur:) supponebat: nam à Clemente VII. ingratitudinis, & ambitionis sugillatus, respondit 17. Sept. 1626. dicens, *Que se maravillaba mucho, que semejantes cosas saliessen del coraçon de su Santidad, y tan fuera de tiempo, y de razon, y sin* [N. B.] *saber lo cierto, dixese una palabra tan agena de verdad el Summo Iuez*, &c. Ita Lego *in Historia Caroli V. lib. 15. §. 18. pag. 693. a. anno 1526.* apud Prudentium Sandoval Episcopum Pampelonensem.

De Carolo V. Imperatore.

Nota illud, *sin saberlo de cierto.* Ergo in iudiciis, non solùm publicis, sed etiam privatis, ut secundũ Prudentiæ leges fiant, Certitudo requiritur.

Franciscus est in certâ, & legitimâ sua libertatis possessione. Et libertas est ius faciendi quidquid homo velit, nisi lege impediatur.

Quid sit Libertas?

Ergo propter legem incertam, & dubiam (hoc est, per legem, quam, vel esse, vel hic & nunc obligare incertum est,) à nullo prudenti & docto Theologo damnari poterit ad obedientiam actualem, & certam exhibendam.

An legi incerta certa sit obedientia præstanda?

Quàm latè Bossius Antecedens accipiat, constat ex his, quæ tradit *part. 2. titul. 1. §. 38. num. 1193. pag. 295. a.* inquit enim. [Favendum est libertati, cùm homo in possessione illius sit; & videtur reverà durum obligare hominem in eâ circumstantiâ, quâ dubitatur, v. gr. an detur lex, aut præceptum quod obliget? Et, quod debito incerto teneatur ex præcepto satisfacere solutione certâ, &c. Limitatur hæc sententia in casibus in Iure expressis, &c. Ampliatur autem hæc sententia, quarta, ut procedat non solùm, quando dubium pro utraque parte est æquale, sed etiam quando (stante vero dubio) pro unâ parte sit, seu appareat maior verisimilitudo, seu probabilitas, in eamque dubitans magis propendeat; nam etiam tunc tam in materiâ iustitiæ, quàm aliarum Virtutum possessio suffragatur practicè, ad deponendum dubium speculatiuum, & operandum contra illud, nec tunc tenetur dubitans ad aliquid, sive dividendum, sive compensandum,

Quanti facienda sit Libertatis possessio?

An probabilioritati præponatur?

An possessionis Regula in omni Virtute admittatur?

sandum, aut implendum in parte, sive omittendum, ad quod in dubio æquali non teneretur, sed non obstante dictâ inæqualitate dubij, & maiori verisimilitudine pro alterâ parte, adhuc habet locū Regula, quòd *in dubiis melior est conditio possidentis*, ita (quidquid secus sentiant Bañes, P. Ledesma, Salon. Coninch. locis suprà *num.* 962. relatis, Fragosus *de regim. Christ. Reipub. part.* 1. *lib.* 4. *disp.* 10. *num.* 207. Rebellus *de oblig. iust. lib.* 2. *quæst.* 14. *à num.* 8. *part* 1. & *part.* 2. *lib.* 1. *dict. quæst.* 2. *à n.* 10.) Vasquez, Sanchez, Salas, Fillincius, Castrus Palaus, Molina, Bonacina, Trullench. *locis supra num.* 963. *&* 964. allegatis Garzia. *de benefic. part.* 9. *dicto, cap.* 2. *num.* 23. August. Barbosa *collect. ad Decretal. tom.* 2. *collect. ad cap. ad audientiam*, *num.* 2. *de homic.* Fagundez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 10. *num.* 4. & Ioannes Sancius *in Selectis disp.* 33. *num.* 32. *in fine*, & constat ex dictis *num.* 963. 964. 965. *&* 968. Non enim ille excessus est considerabilis, nec facit imparem causam, si nihilominus res non [a] extrahitur à dubio; sed adhuc verè remanet dubia, unde intrat, seu habet locum tum Regula, *In dubiis est melior conditio possidentis*, tum alia Regula Iuris in 6. *Cùm sunt partium iura obscura, reo* (qualis est possessor, ut supra dictum est) *favendum est potiùs quàm actori*, etenim etiam stante maiori probabilitate pro unâ parte, adhuc res remanet obscura, ut supponimus. Et certè ita videntur sentire communiter Doctores, cùm communiter dicant, *quòd in dubio melior est conditio possidentis*, & non *quòd in æquali dubio*. Et confirmatur quia certum ius possessionis præponderat maiori illi probabilitati, seu verisimilitudini alterius partis.

a] ergo, ut tenearis aliquid facere, oportet, ut talis sit ratio, quæ obligationē suadet, ut rem reddat certam, & eam extrahat à dubio: ergo dum adhuc res incerta manet, & argumenta illam à dubio extrahere nequeunt, non datur operandi obligatio.

Hæc tertia ratio, quam insinuabat Bossius, irrefragabilis omninò est; eamque roborant duæ priores, quæ in illam exonerant. *Nam Primò*, ex lege resultat obediendi debitum: nam & obedientia est solutio. At ex lege dubia resultat in subdito debitum dubium. Ergo, si debito dubio non debetur actualis & certa solutio, nec legi dubiæ debebitur actualis & certa obedientia. *Nam secundò*, nomen *reus* eum significat, qui aliquid debet dare vel facere. Cicero 11. de Orat. *Reos* inquit, *appello, non eos modò, qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur: sic enim olim loquebantur.* Et Festus. *Reus nunc dicitur, qui causam dicit; & item, qui quid promisit, ac debet.* Et Prateus. [*Reus promittendi dicitur, qui promisit.* leg. 2. & tot. tit. ff. de duob. reis & leg. 134. §. per, ff. de divers. regul. & leg. 50. §. ult. leg. 52. §. duo. & passim titul. de fideiuss.] *Nam tertio*, Iustitia est duplex: Activa nimirum, & passiva. Illa Deo primario competit, & per participationem hominibus: hæc autem creaturis: nempè, speciali modo intellectualibus; & suo etiam modo alogis, & insensibilibus. Est autem Iustitia ut sic, quæ dat unicuique, quod suum est. Activa est præcipiendi potestas, & authoritas, quæ Deo naturaliter inest; & à Deo Regibus communicatur: unde illud, *Per me Reges regnant*, &c. Passiva est obediendi necessitas; & *potentia obedientialis* dicitur; & modo congruo creaturas universas transcendit. Ignis naturâ suâ ardet, comburit: gravia deorsum, levia sursum mouentur: & tamen, si Deus præcipiat, refrigerabit ignis, adscendent gravia, & levia dilabentur. Huiusmodi præcepta absoluta sunt, dicuntur Naturalia, & à libero arbitrio non dependent: & interdum etiam imponuntur hominibus. Quando enim dixit Deus Moysi, *Morere*, non dixit, *Moriaris, si velis.* Ab his distinguuntur *Moralia*, quæ illæsam libertatem relinquunt, & transgressoribus pœnas, observantibus præmia præscribunt: & hæc Angelis & Hominibus, non autem brutis, & insensibilibus imponi possunt. Hinc volunt aliqui adlucinari Corradū, qui *lib.* 1. *de natur. Deor.* negat inter Deum & homines Iustitiam esse, scribit enim. *Est Pietas Iustitia* (*lege, quæ vocatur Iustitia*) *adversus Deos, cum quibus quid nobis potest esse iuris, cum homini nulla cum Deo sit communitas.* [a] At ipse congruo sensu intelligi & exponi poterit: negat enim ut puto, activam respectu Dei iustitiam esse hominibus; hi enim nihil possunt Deo, Enti Summo, præcipere; nihil ab eo ex Iure requirere, seu postulare. Nec contra est Paulus dicens, *Reposita est mihi corona Iustitiæ:* nam corona gloriæ, quæ Sanctis ex Iustitia debetur, ideò debetur ex Iustitia, quia Deus promisit. [Vnde Cistercienses in Hymno, si corde rogamus pio, Certè debes ex promisso.] Hanc ergo Deo obligationem, non imposuere homines, sed ipse sibi iurando, aut promittendo imposuit.

Propter debitum dubiū nemo cogi poterit ad solutionem certam.

Quid nomē Reus significet?

Reus promissionis quis?

Iustitia duplex.

Iustitia universim. Activa. Quo Deo modo, & quo hominibus competat?

Passiva, quæ? Potētia obedientialis.

Præcepta Realia & Moralia.

Omnibus creaturis realia Deus, moralia intellectualibus tantùm imponit.

An inter Deum & homines Iustitia sit?

a] Prateus verb. Iustitia Corradum citat, sed videtur debuisse Ciceronem citare.

An, & quomodo inter Deū & homines iustitia sit

An & quādo & cur ex Iustitia debeat aliquid creatura Deus?

Hanc Iustitiæ Activæ & Passivæ (Præceptivæ & Obedientialis) distinctionem cognovit olim Cicero, qui *lib. de invent.* 2. ait, *Est animi habitus, communi utilitate conservatâ, cuique tribuens dignitatem.* [b] Ergo Iustitia postulat, ut Imperatori tribuamus iubendi potestatem quantam postulat Cæsarea dignitas: & tantam Deo, quantam Summi Numinis dignitas infinitâ requirit. Et de Passivâ disputans *lib.* 1. *de legib.* definit *Iustitiam esse obtemperationem scriptis legibus, institutisque populorum.* Et hinc patet, qui possint debeantve vocari *Iusti*. Porrò Fabricius, & Aristides à Veteribus dicti sunt Iusti, quod leges exactè observârint. Ergo, ubi, *Iusti in perpetuum vivent* audimus, monemur, eos, qui Dei & Superiorum leges exactè impleverint, æternâ gloriâ & vitâ condecorandos esse.

b] Non ergo leges Principum obligant, si contra communem utilitatem ob privatam avaritiā feruntur.

Qui nominari debeāt Iusti?

Sub Distributivæ Iustitiæ nomine Prateus Civilem & Criminalem comprehendit; scribit enim [Distributiva, quæ unicuique suum tribuit; meritum & pœnam, habitâ personarum ratione.] Verba ergo Tryphonini, quæ paulò ante de Civili intelleximus, æquè bene de Criminali poterimus interpretari, ac si ille dixerit, *Et probo hanc esse*, (Criminalem, seu Vindicativam) *Iustitiam quæ suum* (nempè, innocentiæ manutentionem, & conservationem) *cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab illius persona iustiore repetitione* (seu in Criminalibus, probabiliore

Membra Iustitiæ Distributivæ.

An in criminalibus locum habeant probabiliores opiniones?

biliore accusatione.) Et his præmissis, ut Institiarij (Græcè, Νομοφύλακες) sciant, quo in Civilibus, & Criminalibus debeat observari Iustitia, sequentia Ratiocinia subiungo.

Innocens condemnari non potest. Nemo per sententiam à iusto Iudice damnari poterit, ut reus pœnæ sit, nisi priùs fuerit reus culpæ.

Immò nec probabiliter nocens. Ergo, ut in criminalibus damnetur reus, nec probabiles, nec probabiliores rationes, & præsumptiones locum habent. Ergo, nisi Titium reum culpæ esse (crimen commisisse) certum sit, ut certò sit reus pœnæ, (ut de facto plectatur capite, ad triremes mittatur, vapulet, &c.) condemnari non poterit.

Reus promissionis. *Reus solutionis.* Ergo, (siquidem promissioni correspondet solutio, & promissioni pecuniæ, solutio pecuniæ. Et promissioni obedientiæ, solutio obedientiæ,) nisi Aurelium fuisse reum promissionis certum sit, condemnari non poterit, ut certò sit reus solutionis. Ergo nisi certum sit Titium promisisse pecunias, & æque certum adesse tempus in promissione præfixum, ad actualem & certam solutionem condemnari non poterit. Ergo similiter, nisi certum sit Symphronium promisisse obedientiam, aut saltem servitutis iure debere suo domino [c] obedire, & æquè certum sit legem validam & obligatoriam adesse, ad actualem & certam obedientiæ exhibitionem condemnari non poterit.

c] Creaturæ ipsius Creationis iure ancillantur Creatori, servi, etsi obedientiam non promittant obedire tenentur.

QVÆSTIO VI.

An ex suppositione, quod Obedientia, & Præceptorum impletio, ad Iustitiam non spectent, adhuc Possessionis Regula tenenda sit in Virtutum aliarum materiis?

Possessio, Græcè nominatur κατοχή. Et in realem & moralé, vel ut alij loquuntur, in naturalé & civilem dividitur.

ALiquando admittit Bossius Possessionis Regulam in materia Iustitiæ, & ne quis existimet, eamdem illum Regulam in aliarum Virtutum materiis non admittere, hanc Quæstionem subiungo: & moneo eruditum Lectorem eumdem Theologum *part.2.tit.1.§.38.pag.290.a. n.1174.* inquirere, *An extra Iustitiæ materiam sit semper in dubiis pars tutior eligenda, nec iuvet Possessio: an verò, in quibusque materiis cuiuscumque Virtutis Possessio sit sufficiens titulus deponendi conscientiam speculativè dubiam, & contra illam operandi?* Negat Prima sententia, *num.*1174. Secunda inter forum conscientiæ & contentiosum, *num.*1176. Tertia inter præceptum affirmativum & negativum distinguit, *num.* 1180. Quarta (quæ est nostra, & hodie in Scholâ communis,) absolutè & indistinctè affirmat, *num.*1186. Hanc Bossius *num.*1193. ut veriorem & probabiliorem admittit. Et dixerat *num.*1186. [Hanc

De utrâque sic statuunt Basilica leg. nemo, C. de adquir. poss.

sententiam præter plures alios in sequentibus §§. adlegandos tenent in terminis Suarez *de Censuris, disput.*4. *sect.*5. *num.*15. & *tom.*2. *de Religione, lib.*4. *cap.*5. *num.*7. & alibi Sanchez *de matrim. lib.*2. *disputat.*41. *num.*32. & *lib.*1. *sum. cap.*10. *num.*11. Rebellus 2. *part. lib.*1. *quæst.*2. *sect.*2. Malderus 1.2. *quæst.*19. *art.*5. *disput.*87. Villalobus *tom.*1. *sum. tract.*11. *diff.*21. Coninch. *de Sacram. disput.*34. *num.*86. Fagundez *in Decalog. lib* 2. *cap.*9. *num.* 2. & 6. & *de præceptis Eccles. præcepto* 4. *lib.*1. *cap.*10. *num.*2. Bonacina *de peccat. disp.*2. *quæst.*4. *part.*7. *num.*12. & *de restitutione, disput.*1. *quæst.*2. *part.*2 §. *incidens,* Palaus *tom.*1. *disp.* 3. *part.*6. Fillincius *tom.*2. *tract.*21. *cap.*4. *num.*159. Gordonus *locis suprà* 1171. *allegatis* & *lib.*3. *quæst.*3. *num.*10. Ioan. Sanchez *in Selectis disput.*41 *num.*6. & 9. Layman. *locis infrà allegandis.* Ioan. Bapt. Fragosus *de regim. Christ. Reipub. part.*1 *lib.*4. *disput.* 10. *num.*208. *versic. Ex his.* Arriaga 1.2. *tract.*1. *de actib. human. disput.*25. *num.*6. & *seqq.* Diana *part.*4. *tract.*3. *resolut.* & plures alij recentiores apud ipsos, & priùs docuerunt Sotus *lib.*7. *de Iustit. quæst.*3. *art.*2. & insinuat P. Navarrus *lib.*3. *de restit. c.*4. *dub.*4. *num.*48. in nova edit. & ita sentire etiam videtur Navarrus *in dict. cap. Si quis autem num.*11. *de pœnit. d.*7. ubi ait, *in dubio tutiorem partem esse amplectendam in solis casibus in Iure expressis,* ita etiam sentit Sylvester *v. ieiunium n.*27. *in fine,* ubi dicit, *In dubiis non esse necessarium sequi partem tutiorem, sed sufficere sequi tutam,* &c.] Hæc omnia Bossius. Consonat Acacius *tom.*2. *verb. Iuramento, resol.*357. *pag.*351. *a. num.*6. dicens. [Responden algunos, que la Regla dèl Derecho, *Mejor es la condicion dèl que possee,* tan solamente vale en las cosas, que pertenecen à Iusticia; como, si uno duda, si la heredad o casa, que possee, es suya, o no? podrà en tal caso posseerla en buena conscienecia. Assi lo tiene Azor. *tom.* 1. *Instit. Moral. lib.* 10. *cap.*4. *q.*3. *y. lib.*2. *cap.* 19. *q.*10. Pero la opinion contraria tienen muchos, diziendo, que la Regla dèl Derecho vale en las cosas, que no son de Iusticia. Assi lo dize Soto *lib.*7. *de Iustit. q.*3. *art.*2. y Molina *in Instruct. Confessar. lib* 1. *cap.*14. §.7. Y es la Opinion, que me parece mas fundada.]

Νομὴ ἐστὶ φυσικῶς ἡ τοῦ πράγματος κατοχὴ κατὰ τοὺς νόμους νομὴ, ἐπὶ ψυχῇ δεσπόζοντος κατοχή.

*De variis Possessionum generibus Vide leg.*3. *§. genera, ff. de adquir. possess. & leg.*13. *§.*1. *ff. de possess. hered.*

QVÆSTIO VII.

An in dubio Iuris aut Legis, Præcepti aut Consuetudinis, (scilicet, An exstet Lex, Præceptum, aut Consuetudo legitimè introducta?) is, qui sufficienti diligentiâ ad investigandam Veritatem præmissâ, adhuc dubius manet, quoniam nîl prorsus certi reperit, Iure, Præcepto, lege, aut Consuetudine obligetur?

Rerum debent existentia probari.

MOvet hoc dubium, quâ eruditione solet Bossius *part.* 2. *citatâ, titul.*1. §.39.

§.39. *num.*1211. *pag.*300. *b.* & affert duas Sententias oppositas: & asserentem [quam tradunt Vasquez 1. 2. *disput.*64. *cap.*3. & *disp.*66. *cap.*1. Azorius 1. *part. lib.*2. *cap.*19. *quaest.*10. Augustinus Barbosa *in Collect. ad cap. iuvenis, num.*6. *de sponsal.* Salas *in* 1.2. *tractat.*8. *sect.*25. *num.*258. & alij.] reiicit, & negativam eligit dicens. [Longè probabilius est in dubio, An lex, seu praeceptum sint lata, sive existent, rationabili, (ut quia verè de hoc dubitent viri periti) post factam moralem diligentiam, manente, legem, seu praeceptum non obligare, sive sint naturalia, sive divinâ, positiva, vel humana, sed potius iudicandum tum speculativè, tum practicè non esse latam talem legem. Ita Henriquez *lib.*8. *cap.*45. *numer.*3. *in comm. lit.P.* Emanuel Sà *v. dubium, num.*2. Suarez *de cens. disput.*4. *dicta sect.* 5. *num.* 15. Rebellus *de obligat. iust.* 1. *part. lib.*1. *quaest.*2. *sect.*2. Et ex Doctoribus §.*praecedenti, num.*1188. allegatis Sanchez *dictâ disput* 41. *num.*36. & *d. cap.*10. *num.*32. Filliucius *dict. cap* 10. *num.*8. Palaus *dict. disp.*3. *puncto* 7. Villalobus *dictâ diff.*21. *num.*4. Ioannes Sancius *in select. disp.*42. & *disput.*43. *initio.* Gordonus *lib.* 1. *quaest.* 9. *num.*25. & *lib.*7. *quaest.*6. *num.*25. Fragosus *de regim. Christ. Reipub. part.* 1. *lib.*4. *disput.* 10. *num.*208. *versic. Suffragetur, & num.*209. Diana *locis infrà allegandis*, & alij infrà allegandi, asserentes in dubio voti, ac iuramenti, & in dubio iuris de excommunicatione, & irregularitate, neminem censeri obligatum, seu ligatum. Probatur primò illo Axiomate, *Quod nemo obligatur lege aliquâ, nisi illi sit sufficienter promulgata, & proposita*; At in praesenti casu, quando facta morali diligentia non constat, an detur talis lex, non est sufficienter promulgata, & proposita; Ergo etsi in genere, seu speculativè maneat quis dubius, tali lege non ligatur. Ex quo secundò probatur ex aliâ Regulâ, *Quod melior est conditio possidentis*: in hoc autem dubio tota possessio est pro libertate, cùm quilibet sit suarum actionum dominus, & liberè in illis procedere possit, dum certò, vel sufficienter illi non constat se esse ligatum. Tertiò probant Sanchez, & alij, quòd in tali dubio forum exterius non iudicat dubitantem esse ligatum, neque condemnat. Neque officit illa obiectio, quòd tutior pars sit eligenda, ne dubius se exponat periculo peccandi; cùm in hac actione non immineat morale periculum peccandi.]

Non obligat lex aut praeceptum, de cuius existentiâ dubitatur.

N. B. Cùm caducarum rerum, prius fuerit non esse, quàm esse, ut possessione erit ipsum non esse, & debebit ipsum esse probari.

Lex de cuius existentiâ ambigitur, non est sufficienter insinuata.

De possessione libertatis.

An detur hic opinio tutior?

De Legum sensu.

SI ex praecedenti dubio aliud inferas, & inquiras, *Quid faciendum sit, si constet legem latam esse, & solùm de sensu (utrùm hoc, an potiùs illo interpretanda sit) dubitetur?* recurram iterum ad Bossium, qui *num.* 1214. respondet primò [Consulendum esse Legislatorem, aut Superiorem, si fieri potest, iuxta doctrinam: quam tradet *num.*1242.] At haec responsio supponit leges non indigere acceptatione. Caeterùm, si lex non obliget nisi acceptetur, & eam Legislator uno sensu tulerit, & alio populus acceptavit, neutro sensu obligabit: non primo, quia non est acceptata; non secundo, quia non fuit praecepta. Respondet secundò, [si non potest adiri, vel audiri Legislator, aut Superior, idem dicendum, quod in dubio Legis, sive praecepti; quia tunc perinde est, ac dubitare de lege, an sit imposita de illo casu, seu illa re, aut actione, ac perinde est, ac si non esset lex de illâ re, ita Sanchez *dict. cap.*10. *num.*33. Palaus *dict. part.*7. *num.*2. Gordonus *dict. quaest.* 9. *num.*25. & *d. quaest.* 6. *num.*59. Filliucius *locis citatis*, & Fragosus *d. num.*209. &c.]

N. B. Vbi lex ab acceptatione depēdet, non sufficit in dubio cōsulere Legislatorem: poterit enim contingere, eo sensu, quo ille vult, non fuisse legem intellectam à populo, & acceptatam.

QVÆSTIO VIII.

De Possessione, si superveniat Dubium.

BOnâ Theodorus fide paternam domum possidebat; nunc autem dubitat, An Titij sit? Et quia nequit evacuare istud dubium, *Vtrùm Titio illam cedere, aut tradere debeat?* inquirit.

Casus proponitur.

Ante Resolutionem inter Grammaticum & Philosophicum Dubium debemus necessariò distinguere; multa enim Scriptores, & passim Bossius, aliique, asserunt de altero, quae negabunt de altero. Est autem Dubium Grammaticum idem ac incertum; nam cùm Grammatici pingui Minervâ res considerent, omnia, quae realiter incerta fuerint, *Dubia* nominant. At Philosophi, quia Probabilia censent esse vera moraliter, (nam sunt iudicia, quibus certiora humanitùs haberi nequeunt) Probabilia *Dubia* vocari non permittunt; adeoque volunt tantùm ea, quae nec certa, nec probabilia sunt, *Dubia* vocari. Et tunc dici debebit *res dubia, negativè*, quando nulla ratio ad illam suadendum succurrit, ut patet in hac Propositione, *Turca sedet*, pro cuius probatione aut impugnatione, rationem, ne quidem levem, habeo. Et dici poterit *res dubia positivè*, cum levi aliquo ratiocinio probatur, ut videre est in hac Propositione, *Impar est Stellarum numerus*: puta si sic probetur. Impar est Planetarum numerus. Ergo etiam Stellarum Fixarum, vel aliter sic. *Numero Deus impare gaudet.* At gaudet se Stellas condidisse. Ergò in impari illas numero condidit.

Quid Dubij nomine intelligatur?

Quid sit Dubium Grammaticum?

Quid Philosophicum?

An Probabilia debeât Dubia vocari?

Quid Dubiū Negativum sit?

Quid Positivum?

De Stellarū numero, an impar sit?

Virgilius.

Praetereà Dubium alterum (Grammaticum & Philosophicum) in Vincibile & Invincibile debet subdividi. Vincibile est idem ac voluntarium: quamobrem supponi semper debet, sufficientes diligentias adhibuisse Theodorum, ut veritatem adsequeretur, aliàs enim ignorantia esset vincibilis & voluntaria, & illum excusare non

De Dubio Vincibili, & Invincibili.

Debent diligentia convenientes fieri, ut cognoscatur veritas.

non posset. Debent profectò fieri diligentiæ, ut cognoscatur Veritas, quamdiu probabilis affulget spes; ubi enim eius cognitio impossibilis creditur, cessat omnis diligentias exhibendi obligatio. An aliquando Viri, qui profitemur literas, Veritatis notitiam desperare debemus? sæpissimè, nisi Prudentia desit. Sandoval *in Caroli V. Histor. lib. 13. §. 30. pag. 599. b.* quærebat, Vnde venerint homines, qui Indiam Occidentalem popularunt? Et ait, *Quedese esto aquì; pues ni es desta historia; ni alguna, por mas diligente que sea, lo dirâ.* Ergo rotundè asserit, illam Quæstionem talem esse, ut olim à nemine sit resolvenda. Ergo occurrunt aliquando Quæstiones (& tales fere sunt, quæ probabiliter deciduntur, & utrimque rationes & Authores præ se ferunt) profectò indissolubiles: in quibus imprudenter speraretur certa Veritatis cognitio. Nam, ut rem exemplo manifesto dilucidem, in Quæstione, quæ interrogat, *An materia prima existat existentiâ formæ?* in quâ iam per multa Doctores sæcula frustra laboraverunt, esset superbus & temerarius ille, qui Certitudinem se inventurum speraret. Non ergo tenetur facere diligentias, qui illas prudenter esse inutiles iudicat, & temerè utiles iudicaret.

An, & quando adhiberi debeant diligentiæ, ut veritas cognoscatur?

Vnde venerint in Americam homines?

N. B. Dominus Michaëlis, Bruxellensis, cum ex Hispaniâ in Belgium (ex Sanctosebastiano in Dunquercam) rediret, ann. 1636. procellosâ abactus tempestate & violentiâ ventorum in Americam venit. Potuerunt ergo olim multi similes casus accidere.

His præmissis redit Quæstio, & interrogat Theodorus, *Quid ipse facturus sit, si domum possideat, quam esse suam dubitat; si præmissis, aut non præmissis diligentiis, in tali sit statu rei, ut Certitudo inveniri non possit?*

Prima est severissima, & Theodorum ad restitutionem condemnat. Eam tuetur Adrianus 4. *de restit. quæst. de præscript. §. hoc posito,* & etiam *quodlib. 2. artic. 2. ad 2. confirm. 1. argum.* Quia in dubiis tutior pars est eligenda. Ego autem dico (1) hoc Axioma interdum consuli, non tamen præcipi, ut superiùs num..... ostendimus. Et dico (2) etsi præciperetur, non habere locum in præsentiarum. Nam interrogo, An dubitante Theodoro Titius similiter dubitet? an certitudinem habeat? Si hoc secundum dicatur, cessat Theodori dubium: nam si Titius certò sciat illam domum esse suam, habebit rationem, ob quam hanc ipse certitudinem habeat: & illa, si talis est, ut Titium possit certum reddere, rarò accidet, ne sit sufficiens, ut Theodorum, aut alios certos reddat. Si autem dicatur illud primum, contra Adrianum sic arguo. Theodorus debet dare domum Titio, quia dubitat: Ergo illam Titius non potest recipere; &, si recipiat, tenebitur Theodoro restituere, quia etiam dubitat. At hæc restitutio non tollit dubium. Ergo iterum Theodorus illam restituere tenebitur. Ergo (dicam Hispanicè) *vendria à ser, que ellos dos iugassen toda la vida à las bonicas, como si fuesse pelota aquella casa.* Præterea hæc sententia maximam iniuriam inferret Theodoro: quoniam, si hodie, quia dubitat, Titium in suæ domûs possessionem induceret, quid esset cras facturus, si quod potest accidere, tandem suam esse, & non Titij resciret? An ille vellet reddere? Tunc cogeretur lite agere, & fortè non consequeretur, quod modò quiete, & sine ullâ lite possidet.

Quid fieri debeat, si uterque dubitet?

Quid, si alter tantum.

Sententia prima est Iustitia nociva.

Secunda primâ fronte sententia, Æquitati respondet, at bene examinata, etiam corruit. Docet pro ratione dubij rem esse dividendam. Ergo, qui æquè fortes rationes utrimque habet, illam in duas æquales partes dividet: qui autem duplo fortiores pro se, rem illam dividet in tres partes, & unâ alteri datâ, duas pro se sumet, &c. Ita Sotus *lib. 4. de Iust. quæst. 5. artic. ult. propè fin.* Martinus Ledesma 2. *part. 4. quæst. 18. art. 1. dub. 14.* Corduva *libr. 3. qq. quæst. 6. ad 3. in prim. solut.* Aragon. *in 2. 2. quæst. 62. artic. 1. tract. de dominio, §. his constitutis.* Hæc autem sententia falsa, & impracticabilis est. Falsa, quia impossibile est, ut Theodorus æquè probabilia motiva utrimque habeat. Est enim bonâ fide in pacificâ & quietâ possessione: & huiusmodi possessio omni rationi, etiam probabiliori semper prævalet. Est & impracticabilis; quoniam nemo determinare poterit proportionem inter rationum probabilitates: At partium, in quas est dividenda res illa, de quâ dubitatur, proportio, debet à rationum hinc inde adductarum proportione desumi. Est igitur hæc divisio prorsus impracticabilis.

An res, de quâ dubitatur, debeat dividi?

Bona fidei possessio omni ratione, etiã probabiliori, prævalet.

An cognosci possint gradus, quibus una Probabilitas alteram superat?

Tertia tandem sententia, quam veram iudico, & ut talem propono traditur à Bossio, qui *part. 2. titul. 1. §. 50. pag. 440. b. num. 2851.* Sic inquit. [Communissima sententia, & longè probabilior docet, quòd si factâ morali & sufficienti diligentiâ ad investigandum verum dominum, dubium vincere non potuit, sed adhuc dubitat, retinere potest tutâ conscientiâ, cùm possessio sit sufficiens causa, seu titulus deponendi conscientiam [a] dubiam speculatiuam, seu practicè formandi iudicium certum, quòd sibi liceat retinere rem illam, non obstante dubio illo speculativo, ut suprà *num. 1173.* explicatum est. Ita ex Iurisperitis Covarruvias *Reg. possessor. 2. p. §. 7. num. 4.* & *Reg. peccatum, part. 3. initio.* Andræas Fachineus *controversiarum tom. 1. lib. 1. cap. 65.* Cenedo *ad Decretales, collectaneo 50. num. 4.* & plures alij ab ipsis, & à Sanchez, Sayro, & Salâ, *locis infrà citandis,* allegati; & ex Theologis, & Summistis Sylvester *v. præscriptio 1. quæst. 3. dict. 3. versus finem.* Victoria *relect. de iure belli. dub. 3. prop. 4. num. 3.* Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 2. ante finem,* Ioannes Medina *C. de restitut. q. 17. §. corollariè sequitur indistinctè* Henriquez *lib. 14. cap. 15. fine,* Molina *de iustit. tom. 1. tract. 2. disput. 37. fine, versic. veriùm enimverò, disput. 36.* & *tom. 3. disput. 711. n. 4.* Vasquez *1. 2. disput. 66. cap. 7.* & *Opusculo de restitutione, cap. 6. §. 3. dub. 5. num. 82. & 83.* Azorius *1. p. lib. 2. cap. 19. quæst. 6.*

In dubio beatus, qui possidet.

a] Certa est hæc Bossij doctrina, sed clarior evadet, si utamur nostro Lexico, & Propositionum Veritatem (quod pluries monui) à Bonitate distinguamus. Ergo, si hæc Propositio, *Domus, quã possideo, est mea,* in examen vocetur, dicam de eiusdem Veritate posse, & de Bonitate disputari. Si de Veritate disputetur, &

&

dicā incertam esse & de illâ me habere conscientiam dubiam speculativè, & hoc dubium nec posse, nec velle deponere: nā quidquid cogitem aut agam, nisi mutetur hypothesis, semper illa incerta erit, aut dubia. Cæterum si de Bonitate disputetur, dicam illam eamdē propositionem esse certò bonam, certo licitam quoniam, ut inquit Bossius, certum est, quod illi (nempe, bonæ fidei possessori, cui supervenit dubium) liceat retinere illam domum, non obstante dubio illo speculativo.

& *part.* 3.*lib.*1.*cap.*18. *quæst.*1. Sanchez *de matrim. lib.*2. *disput.*41. *num.*13. & *lib.*2. *sum.cap.*25. *num.*179. & *in Consiliis moralibus*, *lib.*1. *cap.*1. *dict.*4.*num.*3. Lessius *de Iustitiâ*, *lib.*2.*cap.*3.*num.* 52. *cap.*6.*dub.*3. *num.*11. & *cap.*14. *dub.*4. *num.*23. Rebellus *de obligat.iust.*1.*part.lib.*2.*quæst.*9. *n.*10. Sayrus *lib.*1. *clavis*, *cap.*13. *num.*12. & 14. Salas 1.2. *tract.* 8. *sect.*23. *num.*223. Villalobos *part.*1. *tract.*1. *diffic.*20. *num.*1. & *part.* 2.*tract.*11. *diff.*12.*num.*2.Bonacina *de restitut.disput.*1. *quæst.*2.*part.*2. *num.*4. & 6. Coninch. *de Sacram. disp.*34. *dub.*10. *num.*85. Filliucius *tom.*2. *tract.*21. *cap.*4. *num.*157. & *tract.*32. *cap* 6. *num.*92. & *tract.*34.*cap.*2.*num.*40.Layman.*lib.*1.*Theolog. moral. tract.*1. *cap.*5. §.3. *num.*21. Fagundez *de instit.lib.*2.*cap.*15.*num.*11.& 12. Castrus Palaus *tom.*1.*tract.*1. *disp.*3.*part.*2. Martinus Bresserus *lib.*4. *de conscientiâ*, *cap.*3.*num.*21. Diana *part.*1. *tract.*1.*miscellaneo*, *resolut.*11. & *tract.* 3. *miscellaneo*, *resolut.*44. & *part.*4. *tractat.*3. *resolut.*25. Gordonus *lib.*5. *quæst.*5. *num.*9. Ioannes de Lugo *de iustitiâ & iure. disput.*17. *sect.* 4. *num.*80.Trullench.*in Decalog.lib.*7.*cap.*11. *dub.*4. Arriaga 1.2.*tom.*1. *disput.*26.*sect.*1. Fragosus *de Regim. Christ. Reipub. part.*2. *lib.*4. *disp.*10.*num.*204. & innumeri alij, quos Sayrus, Sanchez Salas, & Diana referunt.

Probatur hæc communissima sententia, quia in retentione totius rei, seu quod possessor bonæ fidei retineat totam rem in dubio facti, (& idem dicendum in dubio Iuris, ut notavit Vasquez *dict. cap.*5.*num.* 85.) an res sit alterius? quod præmissa diligentiâ morali non potuit vinci, *nulla apparet iniustitia, aut inæqualitas: nam licet in tali dubio sit æqualis dubietas, æqualisque conditio, seu æquale ius utriusque quoad dominium, seu proprietatem rei, non est tamen æqualitas quoad possessionem, cùm possessor sit certus, quod possessio sit sua, ac proinde superat alterum in iure certo possessionis ac proinde cùm vltrà ius dubium proprietatis, habeat ius certum possessionis legitimè inchoatæ, alter verò saltem ius dubium, meritò potest retinere rem tanquam suam, neque absque iniustitia spoliari potest, donec constet rem illam esse alterius: Hinc (& sit [*b*] secunda probatio) Regula illa iuris LXV.in 6.*In pari delicto, & causâ melior est conditio possidentis:* Et illa CXXVIII. *In pari causâ possessor potior haberi debet, ff. de diversis regulis Iuris antiqui.* Et illa Regula XI. in 6. *Cùm sunt partium iura obscura reo favendum est potiùs, quàm actori*, Et illa CXXV. *Favorabiliores rei potiùs, quàm actores habentur, ff.eod.* possidens autem est reus, alter actor, ut alibi supra dictum est. Ex quibus sumptum est illud Axioma. *In dubio melior est conditio possidentis*; nempè ad rem dubiam retinendam.

b] Claræ & certæ sunt hæ Iuris Regulæ, quibus utitur Bossius. At sub initium vidimus plerasque omnes succollari illâ. *In omni dubio Possessio debet manuteneri.*

QVÆSTIO IX.

An Iudex fori externi in pari facti vel Iuris dubio possit spoliare possessorem, bonæ fidei? Quid, si Iustitia pro possidente minùs probabiliter sit?

Pro possessione est iudicandum.

EST certa Negativa Conclusio; sive rationes, quæ adducuntur hinc inde, æqualem, aut inæqualem probabilitatem præ se ferant: semper enim sententiam feret Iudex pro possidente, donec Iustitiam alter suam plenè persuaserit.

Quæstionem hanc excitat Bossius *part.* 2. *tit.*1. §.50. *pag.*445. *b. num.*1850. & illam decidit his verbis. [Iudex fori externi in dubio pari tam facti, quam Iuris, ita ut sit omninò pendulus neutri parti assentiens, tenetur possidenti favere, nec potest absque iniustitiâ illum cogere ad restitutionem totius, vel partis rei, ut tradunt in terminis Sanchez *disp.*41.*num* 24. Vasquez, Coninch. Bresserus, & ferè omnes alij Doctores *num.*1833. relati, & præter eos Salon 2.2. *quæst.*61.*tract. de dominio*, & plures alij, quos suprà *num.*494. & 729. allegavi; & constat ex iuribus, & rationibus adductis *dict. num.*494. & *num.* 1833. quibus probatum est, possessorem bonæ fidei in dubio ratione possessionis esse melioris conditionis, & habere ius totam rem retinendi, donec [*c*] certò moraliter illi constet esse alterius. Quid verò facere possit, & teneatur Iudex fori externi in pari dubio opinabili iuris, scilicet, cùm pro utrâque parte sunt opiniones æquè probabiles latè discussum est *suprà hoc tit. à n.*505.]

c Nota illud, *donec certò moraliter illi constet.* Bene ergo statuit Bossius argumentum, quod à possessione sumitur omni rationi probabili, immò etiam probabiliori esse efficacius, & soli reali, aut morali Certitudini cedere. Stat igitur Doctrina de Non-Certitudine. Ergo ubicumque nulla sit Certitudo in contrarium, standum est pro Possessione.

QVÆSTIO X.

De Causis Criminalibus. *An unusquisque in suæ innocentiæ possessione à Iudice manuteneri debeat, donec convincatur, & plenè crimen commisisse probetur?*

Nemo in causâ criminali damnari debet, nisi per plenam informationem convincatur?

TAm certum est in criminalibus probabilem rationem ad condemnationem non sufficere, ut multi qui in civilibus Iudici libertatem concedunt, negent in criminalibus. Audiatur Bossius qui *part.*1. *de conscient. erroneâ, tit.*1. §.57. *pag.*146. *b. num.*509. Sic scribit. [In criminalibus in casu æqualis probabilitatis, sive ex parte facti, sive ex parte iuris, semper

In omni facto aut iuris dubio reo favendum.

favendum esse Reo tradunt Villalob. *diffic.*15.*num.*2. Trull.*dub.*7.*num.*6.*&* 9. Sayrus *cap.*11.*num.*12. & alij Doctores *suprà, num.*495. Nevizanus *in Sylva nupt.lib.*6.*de comm. opin. num.*21. Carocius *tit.*9. *n.*268. Navarrus *in man.cap.*27. *num.*187. *vers.septimo*, Gregorius Valentia *tom.*3. *disput.*5. *quæst.*15.*part.*4. Granado 1.2.*tract.*12. *disput.*4.*sect.*4. *num.*40. & Doctores communiter; & convincunt tradita suprà, *n.*495. *&* 496.] Hæc tam certa & indubitata est doctrina, ut nunquam in Scholis admissa fuerit, aut defensa contraria; interim, quia Bonacina aliter sentire visus est, quâ censurâ eius inurat opinationem Bossius, videamus. Iubet enim [ut meritò reprobanda sit opinio Bonacinæ *num.*13. existimantis, non esse improbabile in opinione æquè probabili, sive ex parte iuris, sive ex parte facti licere Iudici, quam maluerit opinionem sequi in iudicando, non solùm in Civilibus, sed etiam in Criminalibus, nisi aliud fuerat consuetudo, vel decreta, dicens Regulas Iuris allatas *num.* 495. loqui de dubio, non de opinione; huic enim opinioni adversantur Doctores communiter, rationes, & iura *dictis numeris* 495. *&* 496. allata, præsertim illæ duæ Regulæ, *Quod in pari delicto, & causâ* [d] *favendum sit reo*, & *Quod favorabiliores Rei potius, quàm actores habeantur*, quæ Regulæ non possunt limitari, & intelligi solùm in dubio rigoroso, ut per se patet, & & tradunt communiter, quare nullo modo Bonacinæ opinio (prout etiam notavi *supra, num.*499.) in praxi adhibenda est, quod indubitatum puto, saltem quoad pœnam ordinariam, & à lege statutam delicto, seu delinquenti, si solùm sub opinione sit an delictum, seu delinquens dicta pœnâ comprehendatur, & opiniones Doctorum utrinque sint æquè probabiles.] Sic Bossius: at Bonacina, si bene legatur, nihil mutat in praxi. Suam, ait, Decisionem stare, nisi sit consuetudo, in contrarium: At nullus est in Orbe noto pagus (ne de urbibus loquar, in quibus omnia prudentiùs fiunt) in quo non sit consuetudo, ut nemo nisi plenè convictus condemnetur; in quo non sint leges, quæ inhibeant iudici ad definitivam venire, nisi informatio plena præcedat, in quo in syndicatu non condemnetur Iudex, qui reum semiplenè convictum sententiâ definitivâ condemnaverit. Suam ergo Bonacinæ doctrinam nulli Iudici consulit, & non vult ut ponatur in praxi.

Reijcitur Bonacinæ opinatio.

d] Non exactè probat Bonacina, quod debeat suadere: quoniam illa Regula, *Favorabiliores*, &c. ita posset exponi ut æquipolleret alteri. *In pari delicto, vel causâ* &c. Et inde posset Iudex ultimâ condemnare sententiâ reum, quem commisisse crimen rationes probabiliores suadent. At hoc non licere Iudici dicendum est.

Quid reverà doceat Bonacina?

Producitur P. Philippi de Bictis à Camerino sententia. Vide Tho. Sanchez in Decal. to.1. lib.1.c.1.

Hanc Quæstionem excitat & fusè tractat P. Philippus de Bictis à Camerino Capuccinus *in Consiliorum Theoria & Praxis causarum Iudicialium Regularium epitome*, *quæst.*143.*pag.*628. *b. editionis secundæ*. Et tametsi *num.*1. ponat hanc Regulam: *Iudex in condemnando, seu in absolvendo reum, communem & probabiliorem opinionem sequi debet*, quæ non placet; nam in absolvendo reum, Iudex eam, quæ illi faveat, etsi minùs probabilis sit, debet eligere; & in condemnando, nulli probabili, aut etiam probabiliori hærere poterit; sed tenetur certitudinem, tam in facto, quàm in iure quærere; & ubi hanc non inveniat, reum condemnare non potest. Et hanc esse Dianæ *part.*2.*tract.*13.*resol.*3. & *part.*3. *in additionib. secund. resol.*13. Et etiam Patris Villalobos ab ipso citati, testatur idem Philippus *num.*7. asserens, ad horum Theologorum sententiam, non posse Iudicem in Criminalibus contra reum, nec probabilem, nec magis probabilem sequi Opinionem, etsi communem; sed quod potiùs minùs probabilem pro reo sequi teneatur. Cæterùm, quia Veritas potentissima est, ita *num.*17. Regulam à se, *num.*2. positam, limitat, ut eam veriùs retractet, & nostram (hodie omnium) sententiam eligat, inquit enim. [Limitatur quartò Regula, ut in Criminalibus iudici liceat opinionem minùs probabilem sequi in favorem rei. Sayrus *in Clavi Reg.lib.*1.*c.*21. *num.*13. Salonius *in* 2.2.*D.Thom.quæst.*63. *art.*4.*controv.*2.*concl.*2. Pharaon. & Diana *part.*3. *in Addit.secund. resol.*13. ubi sustinet, quòd præsertim, dum opinio minùs probabilis circa factum est in rei favorem [*e*] Iudex, non modò potest, sed tenetur eam sequi: citans Merollam, Leonem, Palaum, & Salas, &c.]. Iubet nos ad *quæst.* 93, *num.*3. recurrere: & ibi ait, etiamsi certum sit, reum commisisse delictum, si de circumstantiis dubitetur, & sub talibus maiori, & sub aliis minori sit pœnâ condemnandus, mitiorem debere Iudicem opinionem amplecti, cumque ex illâ mitiùs condemnare. Et Bert. Decian. Far. & Cujac. & alios adlegat.

Repenitur vera doctrina.

Quid Diana & Villalobos statuat?

An suâ sententiam P. Philippus retractaverit?

e] Est minùs probabilis pro reo circa factũ opinio, dum Accusator suam esse intẽtionem probabiliorẽ suadet, nondum tamen illam ad plenam probationẽ deduxit.

QVÆSTIO XI.

De Possessione Libertatis, *An præcepti, voti, iuramenti, &c. debeant Possessioni præponi?*

Certissima & antiquissima est Libertatis Possessio; illam præcepta, illam vota & iuramenta supponunt. Si præceptum, votum, aut iuramentum certum sit, ligatur libertatis potestas; quoniam, ut habet S. Thomas; leges à ligando dicuntur; & sicut præcepta, leges sunt, quas subdito imponit Superior; sic etiam vota & iuramenta, sunt leges, quas sibi privatus imponit. Si post præceptum, votum, aut iuramentum, dubia superveniat dispensatio aut impletio (sumo Dubij vocem, in scholastico sensu, prout innititur rationi levi, & à Probabilitate, quæ gravi fulcitur, secernitur) manet in possessione præceptum, manet in possessione votum & iuramentum, & debet proculdubio observari; quoniam in bona Ethicâ, Dubia non sunt Regulæ morum. Cæterùm, si post præceptum, votum, aut iuramentum superveniat dispensatio aut obligatio probabilis, tunc eorumdem obligatio non est certa, & tamen manet certa Humanæ libertatis possessio. Audi Bossium *pag.*340.*a.* (hoc

Vnde leges dicantur.

An vota & iuramenta sint leges?

Quid nomẽ Dubij importet in sensu Scholastico.

Doctrina dubia non sunt Regula morum.

hoc est, *part.2. tit.1.§.42. num.1392.*) dicentem: [Si quis probabiliter & rationabiliter iudicet, seu opinetur se obligationi contractæ satisfecisse, puta, horas canonicas recitasse, vel debitum aliud ex promissione, vel contractu oneroso solvisse, tunc poterit reputare se liberum esse, eo quòd in Moralibus sæpe certitudo haberi non possit, neque in talibus conscientias nimis gravare oportet; Et ita etiam Layman *cap. 6.num.31.in fine.* Bresserus *cap.3. num.26. versic.quòd si verò.* & Ioannes Lugo *de pænit.disput.16. §.3.num.60.* licèt etiam [f] probabile putet à debito ex contractu oneroso non liberari, qui solùm probabiliter putat se satisfecisse, eo quòd non videatur servari æqualitas dando pro re certâ aliam incertam; & talis videtur intentio contrahentium, ut detur sibi pecunia certa pro mercibus certis, & idem asserit absolutè Coninch *de Sacram. disput.7. num.68.* eo quòd (inquit) per solutionem incertam non possit satisfieri debito certo; quod tamen argumentum urget solùm in dubio stricto de solutione.

f] Ecce, quòd superiùs dicebatur, duæ sunt Opiniones altera asserit ab obligatione præcepti, voti, iuramenti, &c. certâ per probabilē dispensationē, aut adimpletionem liberari; negat altera, certam dispensationem, aut satisfactionē requirens.

QVÆSTIO XII.

De Dubio facti. *An pro libertatis possessione stare ille possit, qui aut iuraverit, voverit, aut promiserit dubitat?*

N. B. Dicebam paulò antè, *Doctrinas dubias non esse Regulas morum.* Ergo illæ sūt, nullæ moraliter. Ergo ita se habere debent, ac si in rerū natura nō essent. At Non Entis nullæ sūt proprietates, nulli deducuntur effectus. Ergo, si iuramētum dubium, votū dubium, & promissio dubia, sunt nulla, sunt nihil moraliter, nullam poterūt consequentiam aut obligationem inferre.

BOssius *part.2. tit.1. §. 45. num.1590. pag.380. b.* [Tanquam verius & probabilius dicendum absolutè est, neminem in tali dubio teneri voti, aut iuramenti obligatione. Ita Doctores magis communiter. Sotus *de iustit.lib.7.quæst.3.art.2. documento 2.post 4.conclus.* Syvester *v. iuramentum, num.27.* Medina *lib.1. summ. cap.14. §.7.* Lopez *1.part.instruct.cap.45.* Grassius *lib.2.decis. aur. cap.31.fine.* Henriquez *lib. 11.cap.11.num.5.& lib.8.cap.45.num.3. in com.* Suarez *de relig.tom.2.lib.4.lib.2.de iuram. cap.33. & lib.4. de voto, cap.5.* & *de cens. disputat. 40. sect.5. num.15. & sect.6. num.5.* Sanchez *lib.1.summ cap.10.num.36. & de matrim.lib.1.disput.9.num.11.& lib.2. disput.21.num.32.& seq.* Rebellus *de Iust. 2.part.lib.1. quæst.2. sect.2. num.10. & 11.* Fagundez *in Decalog. lib.2. cap.10. num.2. & seqq.* Lessius *de iustit. lib.2. cap.40.dub. 17. num.213.* Layman *lib.1. tract.1.cap.4. num.31.* Gordonus *lib. 3. quæst. 3. num.10.* Trullench. *in Decalog. lib.2. cap.1. dub.17. num.16.& cap.2.dub.16. num.15.* Bonacina *de præscript.disput.2.quæst.4.part.7.num.18. & disput.4.quæst.2.part.5.§.4.num.9.* Villalobos *1.part.summ.tract.1.diff.22.& 2.part. tract.34. num.2.& 7.* Castrus Palaus *tom.1. tract.1. disput.3. punct.4.* Filliucius *tom. 2. tract.25.cap.8.num.230. & tract.26.cap.4. num. 88.* Coninch *de Sacram. disputat.34. num. 86.* Diana *part.1. tract.1. miscellaneo, resolut.9.& part.4. tract.3.resolut.10.* Ioannes Sancius *in selectis,disput.43.num.1.* Fragosus *de regim.Christ. Resp.part.2. lib.4.disput.10 num.208. versic.ex his duobus.* Ego ipse *in tract.de triplici Iubil. privileg.sect.2. casu 13.num.5.* & à Fagundez, Ioanne Saucio, Diana, & à me relati. Probatur hæc sententia; tum, quia factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet, & ut *num.1200.* ostensum est; tum, quia in dubio facti voti, aut iuramenti nulla est possessio pro voto, aut iuramento, sed tota pro libertate voluntatis; in dubio autem melior est conditio possidentis, non solùm in materiâ Iustitiæ, sed etiam in quacumque alia materiâ, ut *sup. hoc titulo, num.2186. & seqq.* latè ostensum est. Tum, quia votum est velut quædam lex, quam vovens sibi imponit: lex autem in dubio, vtrum sit lata, non obligat, iuxta latè tradita *supra hoc tit. num.1213.* Tum aliis rationibus per me *dict. casu 13. num. 5.* adductis. Prioris autem sententiæ fundamentum, & alia, quæ possunt obiici, satis superque soluta sunt supra *à n.1201. ad 1211.*

Standum in dubio pro possessione libertatis.

Lex, de quâ an sit lata, dubitatur, non obligat.

Extenditur autem hæc doctrina, ut habeat locum, non solum in dubio æquali, volunt Rebellus *ubi suprà*, & alij *suprà, num.1195.* relati; sed etiam, si dubitans factâ diligentiâ magis in eam partem inclinet, ut iuramentum, aut votum fecerit. Ita Sanchez, Salas, Layman, Fagundez, Ioannes Sancius *ubi suprà*, Diana *d. tr.3. resolut.12. & p.3. tract.6. miscellaneo, resolut.50.*& alij relati suprà *d.num.1195.* ubi etiam huius extensionis ratio adducitur, quæ non est repetenda. Immò Salas *dicta sect. 25. num.254.* addit, ut quis teneatur voto, aut iuramento, exigi rationes, ita convincere, votum, aut iuramentum emissum esse, ut in iudicio intellectûs [g] nulla maneat formido partis oppositæ, quod videtur sumpsisse ex Soto *lib.7. de iustit quæst.3.art.3. conclus.4. vers.sed est hic.* ubi ait in dubio vsus rationis, non sat esse quamcumque opinionem, vt quis voto teneatur, sed oportere, vt ratio convincat, & sit res ita certa, ut tenuissima dubitandi ratio supersit.

An hic in praxi probabilior opinio à minùs probabili sit distinguenda?

g] Obligatio igitur certitudinē postulat, & ad deobligationē sufficit Non-Certitudo.

QVÆSTIO XIII.

De dubia Verborum significatione. *Quo illa modo, si ambigua sint, debeant interpretari?*

EGimus de Dubio, quod circa verborum existentiam versatur; nunc de Dubio, quod afficit eorum sensum differimus; &, ut nil inconcussum maneat, statim de Dubio, quod intentionem concernit, differemus. Paulatim ergo in re curiosâ festinemus.

De harum quæstionum ordine.

Fatetur Petrus se rem talem (puta, decem aureos pauperi N.) promisisse de facto: scit certò, quænam verba protulerit, scit enim se dixisse. *Tibi hodie* DABO PER FIDEM MEAM DECEM AVREOS. Sed quia hæc verba sunt ambigua, possuntque de

An qui per suam fidem iurat, Theologicum iuramentum emittat, & in conscientia teneatur?

de humanâ & divinâ fide intelligi ; & ipse post debitum examen nescit utram iuraverit, postulat, *An in conscientiâ teneatur promissionem implere?* [h]

h] Hoc iuramentum *A fe de hombre de bien*, quo utuntur Hispani, non est Theologicum, sed civiliter obligat: & potest per accidens obligare in conscientiâ, si persona notabilis sit, & civilem honorem, quo indiget, ut Deo & Reip. serviat, nequeat licitè perdere.

Bossius *part. 2. titul. 1. §. 45. num. 1593. pag. 381. b.* Sic scribit. [In tali dubio post debitam factam diligentiam, perseverante, non obligatur ad tale iuramentum, votum, vel promissionem, ut etiam docuerunt Covarruvias *in 4. decret. part. 1. §. 2. in fine*, Alciatus *in rubr. de iuramento, n. 5.* Caietanus 2. 2. *quaest. 89. artic. 7.* Suarez *de religione, lib. 2. de iurament. cap. 33. num. 3. & lib. 4. de voto cap. 6. num. 2.* Filliuc. *d. cap. 8. num. 231. & dict. cap. 4. num. 91.* Bresserus *dict. cap. 10. num. 93. & 94.* Fagundez *dict. cap. 10. num. 25.* & Castrus Palaus *dict. disp. 3. puncto 10. num. 2.* Et ratio est, quia tunc valor iuramenti, vel voti, seu promissionis est dubius, & sic est dubium, an sit votum, quo casu favendum [*i*] est libertati voluntatis, quæ possidet; tum, quia in dubiis mitior interpretatio facienda est, quando inducenda est tam gravis obligatio, quam gravis est iuramenti, & voti. Confirmant Fagundez, & Palaus *ex cap. clericus, penultimo, de iureiurando*; ubi Summus Pontifex in dubio de illis Verbis, *promitto per fidem*, interpretatus est non oriri obligationem iuramenti de novo præstiti, neque antiquam extendi ad præsentem materiam, prout ibi, cùm tamen res videretur dubia: nam verba illa possunt utrumque sensum recipere, & tamen Papa in benigniori parte illa interpretatus est, ac proinde ubi res dubia extiterit, & ex circumstantiis personæ temporis & loci, & similibus contrarium non præsumitur, in dubio est sequenda benignior interpretatio.] Et, quia nonnulli inconsideratè occlamant, *Tutiorem esse eligendam sententiam*, quod eo sensu, quo ipsi loquuntur, nunquam probant, id etiam eorumdem Axioma sensu opportuno interpretatur, & ait [In dubio est sequenda benignior interpretatio: quæ etiam secundum rectam rationem dici potest practicè tutior, quia in ea sequenda non iniiciuntur animabus tot vincula in casibus dubiis; & nec parvum (ut notat Fagundez) nec infrequens animarum periculum oriri potest.] Hæc omnia ille.

i] Nota bene illa verba, *Favendum est libertati voluntatis, quæ possidet.*

N. B. *Sententia tutior illa est, quæ pauciora vincula & gravamina inducit.*

QVÆSTIO XIV.

De Intentione. *Quid acturus ille sit, qui in voto, aut iuramento de solâ intentione (an fuerit legitima?) dubitat? An manuteneri in possessione nihil faciendi debeat, donec de intentione ipsâ constet?*

CAsum paucis propono. Scit Petrus se promisisse (vovisse, iurasse, &c.) & scit se usum in promissione verbis, quæ si legitima adfuisset intentio, ad veram promissionem sufficerent: nunc autem dubitat, an se obligandi intentionem habuerit: an verò simulatoriè tantùm promiserit?

N. B. supponit casus intentionem requiri: nam licèt de promissione hominibus factâ disputantes, nec pauci, nec indocti Theologi, verbis extrinsecis contenti sint, ubi cum Deo, aut Angelis agitur, internam intentionem universi sequuntur.

Hunc Casum proponit Bossius *part. 2. titul. 1. §. 45. pag. 382. a. numer. 1595. §. Quod si dubium*, & resolvit his verbis. [Certum videtur eum iuramento, voto, vel promissione obligari, prout etiam docent Suarez *cap. 33. num. 4. & cap. 6. num. 4.* Filliuc. *cap. 8. num. 232. & cap. 4. num. 91.* Bresserus *num. 94.* Lessius *cap. 4. dispu. 17. num. 123.* Fagundez *cap. 10. num. 21.* Palaus *puncto 10. num. 4.* Sylvester *verb. iuramentum 4. quæst. 7.* Navarrus *lib. 3. consil. titul. 34. de voto, consil. 4. fine, in 1. edit.* Corduba *in summ. qu. 147.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 9. num. 13.* Layman. *lib. 1. tractat. 1. cap. 4. num. 3.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 17. num. 16. & cap. 2. dub. 16. num. 25.* Diana *3. part. tract. 6. miscellaneo. resol. 50. & 4. part. tract. 3. resol. 10. & 11.* Gordonus *lib. 3. quæst. 3. num. 10. versic. secundo*, idem Arriaga in 1. 2. *tom. 1. disput. 29. sect. 5.* & alij recentiores communiter; quicquid secus non rectè senserit Alphonsus Leo *in tract. de potest. confess. part. 1. recollect. 17. conclus. 8. num. 93.* relatus à Diana *dict. resolut. 10. fine*, dicens, quòd dubius an habuerit voluntatem se obligandi voto, potest interpretari, se non habuisse talem voluntatem, [*k*] quia favendum sit libertati. Probatur primò ex dictis *suprà num. 1200.* quia licèt factum regulariter non præsumatur, in dubio tamen tunc præsumitur, si illud de iure faciendum erat, cùm delictum non sit in dubio præsumendum; ergo in hoc dubio præsumendum est, promissionem, iuramentum, vel votum factum esse animo se obligandi, non verò animo fingendi, & simulandi, alioqui præsumeretur peccatum; quia fictio non sit sine gravi culpâ, & irreverentia Dei.

k] Nota illud, *quia favendum sit libertati.*

Nisi contrarium constet, iuramentū (& idem de voto, & de quâcumque promissione dixeris) emissum fuisse cum debitâ intentione præsumitur.

QVid, si non solum Petrus se iurasse, & se usum verbis claris & certis sciat? & quid, si adhuc se veram habuisse intentionem cognoscat, & tamen solùm dubitet, An sufficientem deliberationem & libertatem habuerit?

De deliberatione. Quid in dubio præsumendum sit?

Inter puerum, & adultum *loc. cit. num. 1600. pag. 383. a.* distinguit Bossius, qui adultum rotundè condemnat, absolvit puerum, qui nondum septimum ætatis annum compleverat, argumento utrobique à possessione desumpto.

Condemnat adultum [Quia naturæ inest, & requiritur, ut homo deliberatè agat: factum autem in Iure præsumitur, si illud de iure, seu iuxta rectam rationem faciendum erat.] Quia cùm libertas sit in possessione semper adultus censebitur operari liberè, nisi persuadeatur contrarium. Ita etiam Lessius *cap. 40. num. 113.* Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 4. num. 30. in fin.* Bonacina *de pracept. disp. 4. quæst. 2. part. 1. num. 3.*] &c.

Quid dicendum de adulto sit?

Mox

Quid de puero?

Mox agit de puero, & sic infit. [Ius præsumit sufficientem vsum rationis in puero completo septennio, & non anteà, ut latè ostenditur *tit. seq. & n.* 101. *& seqq.* Si constet promissionem, aut votum, facta esse ante septennium completum, præsumentur invalida ob defectum sufficientis deliberationis, seu vsus rationis, nisi contrarium ex vehementibus coniecturis appareat; si verò constet septennio completo, judicari debent valida, nec defuisse sufficientem deliberationem, seu vsum rationis, nisi similiter ex coniecturis valde urgentibus appareat defuisse; nam in primo casu resistit juris præsumptio, in secundo verò existit. Et tradunt DD. communiter; non solùm, qui *inf. seq. tit. n.* 111. allegantur; sed & Sanch. *lib.* 4. *sum. c.* 1. *n.* 14. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de voto, c.* 6. *n.* 7. Filliuc. *tract.* 26. *c.* 4. *n.* 92. Dian. *p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 11. Palaus *disp.* 3. *punct.* 11. Bresser. *cap.* 10. *n.* 95. & alij recentiores, & priùs docuit Sot. *loco sup. n.* 1592. allegato, ubi etiam ait, quòd quando votum ante legitimam ætatem fuit emissum, ut vovens censeatur voto obligatus, non sufficere quamcumque opinionem, tunc habuisse usum rationis quando vovit, sed requiri rè [*l*] esse adeò certam & apertam, ut nulla aut tenuissima apud viros prudentes reliqua fiat dubitatio contrariæ opinionis. Dixit autem, *nisi contrarium* &c. nam licet regulariter usus rationis non contingat, neque præsumatur ante septennium, & regulariter contingat, & præsumatur septennio cõpleto: nihilominus potest contingere aliquando puerum pollere vivaciori ingenio, ratione cuius ante completum septennium sit doli capax, & aliquando ob tardius ingenium non sit doli capax statim post septennium, ut dicitur *infrà seq. tit. num.* 106. *&* 110. &c.]

Regulariter loquẽdo anno ætatis septimo usus rationis advenit.

N. B. Semper Resolutio sumiturà possessione: quoniã ante septimũ ætatis annum Carentia usus rationis est in possessione: post hanc autem ætatem in possessione est vsus rationis: & hoc loquendo regulariter.

l] Vide quanta Certitudo requiratur, ut aliquis apud Deum condemnetur.

QVÆSTIO XV.

De Dubiâ ætate. *An pro dubitante sit Possessio?*

VT loquamur in particulari, disputemus de puero, qui scit se promisisse, vovisse, aut iurasse, sed dubitat, an quando se obligavit, ætatis septimum annum compleverit?

Bossius *ubi suprà, pag.* 384. *A. num.* 1606. [Qui factâ diligentiâ dubitat, an cùm promisit, vovit, vel juravit, expleverit septennium, nec voto, nec iuramento obligari, docuerunt post Sot. *lib.* 7. *de iustitia, q.* 3. *art.* 2. *concl.* 4. *vers. sed est hic.* Capuam *lib.* 2. *deci.* 31. *fine*, Beiam *in suâ summâ, casu* 49. & Vegam *lib.* 4. *summ. casu* 417. à Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disputat.* 9. *num.* 12. relatos Malderus 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 10. à Diana *dicta resolut.* 50. relatus, idem Diana, *ibidem, & part.* 4. *tract.* 3. *dictâ resolutione* 11. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 27. *num.* 16. & idem procul dubio sentiunt Suarez *cap.* 9. *num.* 7. Bresserus *cap.* 10. *num.* 95. Filliucius *c.* 4. *num.* 92. cùm asserant, quotiescumque

N. B. Est in possessione ætas minor, ante quàm completa perveniat.

m] Non opponitur hæc Bossij doctrina illi, quam *quæst. praced.* adducebamus: quoniam, sive de intentione, sive de deliberatione disputetur, semper est supponenda illa iuris regula *Inspicimus in ob-*

verè dubium est de sufficienti vsu rationis tempore voti non obligare, & hanc eamdem sententiam probabilem putat Castrus Palaus *punct.* 10. *num.* 4. Probatur *primò*, quia dubitare [*m*] de sufficienti vsu rationis, seu deliberationis idem est, ac dubitare an votum sit emissum, cùm non supponatur votum, iuramentum, aut promissio, quando dubitatur de constituentibus illa, vt est sufficiens deliberatio, in dubio autem, an votum sit emissum, non obligat, ut *num.* 1590 ostensum est, *Secundò*, quia etiam [*n*] in hoc dubio videtur prævalere possessio libertatis, quâ voluntas gaudet. *Tertiò*, quia promissio, votum, iuramentum, semper in casu dubij debent interpretari, in favorem promittentis & iurantis, &c.] Et *quartò* adde hanc rationem. Ante ætatem completam erat in possessione ætatis necessariæ defectus, ante usum rationis erat non vsus. Ergo, si dubia debent ut inutilia in Moralibus Controversiis auferri, rejecto dubio de ætate, in possessione manebit ætatis defectus; & rejecto dubio de usu rationis in possessione manebit non usus. At sine vsu rationis invalida sunt iuramenta, vota, promissa, &c. Ergo ubi dubitatur de legitimâ ætate, omnia illa invalida censenda sunt.

...situ, id quod est verisimilius: videlicet, id, quod regulariter fieri consuevit.

n] Nota illud *possessio libertatis.*

Omnes res aut circumstantia dubia, haberi debent tanquam non existentes.

Doctrinæ similitudo postulat, ut addamus, & dilucidemus hos casus.

AVrelius dubitat, an habeat ætatem, quæ ad ieiunium requiritur: & inquirit, an ieiunare teneatur?

Non teneri asserunt Doctores communiter aut Bossius *par.* 2. *tit.* 1. *§.* 46. *pag.* 405. *B. num.* 1699. Sic enim docent [Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 41. *num.* 38. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 32. Ioannes Sancius *disput.* 43. *num.* 6. Bonacina *de instit. disput.* 1. *q.* 2. *part.* 2. *§. incidens, n.* 11. Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 3. *punct.* 8. *n.* 3. Gordon. *lib.* 3. *q.* 3. *num.* 10. & Arriaga 1. 2. *tom.* 1. *disput.* 25. *num.* 53. Ratio sumitur *ex dictis in precedentibus*, §. 34. *&* 39. scilicet, quia in hoc dubio possessio est non pro præcepto, quod non ligat nisi habentes 21. annum ætatis completum, sed pro libertate hominis, in quâ ante dubium erat, & dubium est de præcepto, ac proinde ratione huius dubij non debet suæ libertatis possessione spoliari. Hoc idem sentit Bresserus *lib.* 4. *de conscientiâ, cap.* 6. *num.* 61. si non possit dubitans jeiunare absque notabili incommodo, secus si absque tali incommodo possit ieiunare, tunc enim probabilius putat dubitantem teneri ieiunare juxta sua principia, de quibus suprà, sed iam à nobis reprobata, &c.]

De ieiunio, qui non habet viginti annos ætatis non tenetur. Quid in dubio de eo dicendum sit?

An standum sit pro libertate?

Et hoc licèt sine gravi incommodo possit ieiunium observari.

SIcut in competentis ætatis dubio non obstringunt præcepta, sic nec favores iuvant, quando tantam ætatem, ut habeantur, requirunt. Vnde scitè *num.* 1700. ait Bossius [eum, qui dubitat, An habeat legitimam ætatem ad Ordines, vel ad Beneficia, vel ad professionem, vel ad alium actum requisitam, teneri ab Ordinibus, beneficiis, vel actu abstinere, donec constet de ætate, quia possessio est pro præcepto;

Ad ordines & ad dignitates determinata etiam ab Ecclesiâ requiritur.

Quid in dubio faciendum sit?

semper

ſemper enim extat præceptum negatiuum non aſſumendi Ordines ante ætatem, cuius obligatio ante dubium eſt certa, & poſſidet, ac dubio ſuperveniente non debet vinci. Ita Sanchez, Bonacina, Arriaga, Palaus, Gordonus, *locis citatis*, Layman. *cap.* 4. *num.* 35. & Ioannes Sancius *diſp.* 43. *n.* 8.] Sic ille: *Et poteſt adhuc firmari eius doctrina, ſi diſcurramus ſic.* Petro ex. gr. nunc, quia habet 23. ætatis annos, præcipitur. ne in Sacerdotem conſecretur; ergo anno ſequenti debet conſtare de ætate, ut poſſit Sacerdotium ſuſcipere. Ergo in dubio non poteſt. *Confirmatur iterum.* Quia ætas minor eſt prior ætate provectiori. Ergo illa eſt in poſſeſſione antequam hæc superveniat. Ergo in omni dubio pro minori ætate eſt ſtandum.

Hæc doctrina extenditur ad alios Caſus.

Stat poſſeſſio pro præcepto.

Hæc doctrina valde ſecura eſt; & applicari poteſt aliis Caſibus, in quibus diſputatur de tempore. Vnde idem Boſſius addit: [Ob eamdem rationem in dubio, *an quis expleverit annum Novitiatus integrum, ut faciat profeſſionem?* abſtinendum eſt a profeſſione, donec conſtet expletum eſſe, ut ibidem Arriaga,] &c.

Stat pro minori ætate.

QVÆSTIO XVI.

De Horâ, *An die Iovis abſtinere à carnibus quis debeat; aut die Sabbati poſſit illas comedere, ſi an advenerit mediæ noctis hora dubitetur? An etiam hic Reſolutio à Poſſeſſione deſumatur.*

Quâ horâ Miſſa ſint celebrandæ?

DE mediæ noctis horâ ſpecialiter diſſero, ſed tamen ſimiles Quæſtiones de aliis horis moveri poſſunt. Sunt enim leges ſpeciales de horis: nam Miſſæ, nec ante Auroram, nec poſt Meridiem, ſtando Iuri Communi, celebrantur: ieiunij diebus ante Veſperas, aut ſaltem Nonam Eccleſiaſticam olim prandium non ſumebatur: hodie Sextam Eccleſiaſticam, quæ incidit in Meridiem, illud poſtulat, &c. Sed tamen de mediæ noctis horâ diſputo, quia Reſolutio, quæ hîc ſumetur, aliis omnibus Caſibus poterit attemperari.

Quâ diebus ieiunij prandendum?

Et quidem de mediâ nocte Dubium (videlicet, An illa nondum advenerit, aut iam ſit præterlapſa?) in duobus præcipuè Caſibus moveri poterit. Vel enim die Iovis Sylvius dubitat, An carnes comedere poſſit? nam poſt mediam noctem incipit dies Veneris, & Sylvius à carnibus abſtinere debebit. Vel die Sabbati dubitat ſimiliter Paulus, An carnes comedere poſſit? nam poſt mediam noctem incipit dies Dominica, & Paulus poterit carnes comedere.

N. B. Prior eſt dies Iovis, quam dies Veneris, & prior eſt dies Sabbati, quam Dominica, Ergo in dubio, An inceperit dies Veneris, ſtandum eſt pro poſſeſſione diei Iovis. & in dubio, An inceperit dies Dominica ſtandum eſt pro poſſeſſione diei, Sabbati.

1 Vtrumque Caſum ex eodem fundamento reſolvit Boſſius *part.* 2. *tit.* 1 §. 46. *pag.* 406. à *n.* 1701. Stat enim à Poſſeſſione, & ait. [Communis Reſponſio Doctorum eſt, in dubio, an elapſa ſit media nox, ſeu hora duodecima noctis ſonuerit, ſi die ſequenti ſit ieiunandum, vel abſtinendum à carnibus, licitum eſſe cœnare, & carnes edere; quia dubitans certò poſſidet libertatẽ cœnandi, & edendi carnes, (cùm ante mediam noctem certum ſit illi licere, & ſolùm ſub dubio ſtat privatio illius; & tunc perinde eſt, ac dubitare, an detur præceptũ ieiunij, vel abſtinendi à carnibus, ut patet: in dubio autem, an detur præceptum, lex, vel votum [p] favendum eſt libertati, ut latè ſuprà oſtenſum; quare in hoc dubio, ſicut & in dubio, an ſit dies ieiunij, non obligatur præcepto ieiunij, ſicut in dubio, an ſit dies feſtus, poſt ſufficientem diligentiã, non obligatur præcepto audiendi ſacrũ quia in omnibus his dubiis poſſeſſio ſtat pro libertate. Si verò hodie ſit dies ieiunij, vel in quâ abſtinẽdum ſit à carnibus, puta ſi dies Veneris, & facta diligentia adhuc dubitetur, an dimidium noctis pertranſierit, ſeu datum fuerit ſignum mediæ noctis, tunc non licebit cœnare, neque carnes comedere, quia poſſidet præceptum ieiunij, & abſtinendi à carnibus; ac proinde dũ nõ cõſtat de probabili [q] excuſatione, eſt ſervandũ. Ita Sanch. *diſp.* 21. *n.* 40. Bonac. *d.* §. *incidens*, *n.* 8. Villalobos *p. tract.* 1. *diff.* 21. *n.* 6. & 7. Fagund. *de quinque præcept. Eccleſiæ præcepto* 4. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 2. & 3. Ioann. Sanch. *diſp.* 43. *n.* 5. Layman. *c.* 4. *n.* 36. Gordon. *q.* 3. *n.* 10. Caſtrus Palaus *punct.* 8. *n.* 6. Diana *p.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 18 Trul. *in Decal. lib.* 3. *c.* 2. *dub.* 4. *n.* 8. Arriaga *n.* 53. & idem tenet Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp. unica*, *n.* 264. *fine*,] &c.

p] Nota illud *Favendum eſt libertati*: & illud, *Poſſeſſio ſtat pro libertate.*

q] Nota & illa verba, *Dũ non conſtat de probabili excuſatione.* Ergo ut ceſſet præcepti obligatio, ſufficit, ut adſit diſpenſatio, excuſatio, aut adimpletio probabilis.

QVÆSTIO XVII.

De irregularitate. *An, irregularitas certa afficiat homicidium? & An, poſſeſſioni capacitatis recipiendi Ordines per dubium homicidium præiudicetur? An qui communi conſilio aliquem aggrediuntur, ſi unus tantùm eum occidat omnes ſiant irregulares?*

SI eſſet ſola & una contra homicidas lex; nimirum, *Qui homicidium commiſerint irregulares ſunto*: In omni dubio pro libertate & poſſeſſione iudicaremus: at tãto Eccleſia odio ſanguinarios perſequitur, ut varios ediderit Canones, in quibus nõ ſolùm certos, ſed dubios homicidas condemnat. Interim ne quis in re certâ adlucinari ſponte velit, ſequentes Concluſiones ſcribo. Sit

Quanto homicidas odio Eccleſia perſequatur?

Prima. *Quicumque homicidium commiſerit, eſt iuxta antiquos Canones irregularis.* Conſultò *iuxta antiquos* ſcripſi; nam Iura Nova excipiunt caſum inculpatæ tutelæ, quem non excipiebant antiqua.

An ſit irregularis, qui homicidium admiſit cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Secunda. *Quando eſt dubium, an homicidium commiſſum ſit? pro libertatis poſſeſſione eſt iudicandum.* Quia unuſquiſque Chriſtianus eſt Ordinum ſuſcipiendorum capax, niſi lege impediatur. At nulla eſt lex, quæ ubi incertum eſt, an commiſſum ſit homicidium; pœnam irregularitatis præſcribat. Ergo, ubi non eſt certum fuiſſe commiſſum homicidium, nemo certò irregularis cenſeri debet. Ita Boſſius *tract. de conſcientiâ dubiâ par.* 2. *titul.* 1. §. 41.

De homicidio incerto.

§. 41. *pag.* 323. *b. num.* 1315. ex Regulis *per leg. abstentem*, *ff. de pœnis*; & ibi Augustinum Barbosam *in praxi pensiones exigendi. voto* 11. *num.* 24. *&* 25. Sanchez *cap.* 10. *num.* 45. Sayrum *cap.* 13. *num.* 24. Salas *disput. unic. num.* 176. Vasquez *in* 1. 2. *disput.* 66. *cap.* 1. *num.* 5. Fagundez, Molinam, Garziam & alios Doctores adlegat.

De homicidio certo, & homicidio dubio.

N. B. Considera bene Conclusionem, ubi enim de ipso corpore delicti dubitatur: Vtrùm videlicet aliquis occisus fuerit? & quando Petrus an illud reverà fecerit, ex quo forsitan homicidium provenit, irregularitas non habet locum: ut enim quis propter homicidiũ in dubio irregularis fiat, debet certo accidisse homicidiũ, & ipse telo v. g. nocuisse: & posteà an ex vulnere mors fuerit sequuta dubitari.

Tertia, *Si certum sit fuisse commissum homicidium, & certum sit Petrum fecisse aliquid, ex quo dubitetur, an homicidij causa fuerit, Petrus erit certò irregularis.* Ostenditur; quia sunt Canones, qui in tali casu Petrum irregularitatis condemnent. Est communis Theologorum & Iurisperitorum sententia *ex cap. ad audientiam. cap. significasti. 2. de homicidio.* & aliis Canonibus Iuris Pontificij desumpta. Hanc tenendam esse inquit Bossius, *libri citati, part.* 2. *tit.* 1. §. 41. *num.* 1310. *pag.* 322. *a.* Et eam apud ipsum tuentur Navarrus *in cap. Si quis autem*, *num.* 36. 37. *&* 38. *de pœnit.* 7. Covarruvias *in Clem. si furiosum num.* 3. Flores de Mena *variarum lib.* 1. *q.* 9. *num.* 18. Garzias *de benef. par.* 7. *cap.* 2. *n.* 18. Augustinus Barbosa *collectaneo ad cap. ad audientiam num.* 2. Hugolinus *de Censuris, cap.* 4. §. 2. *n.* 3. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 19. *part.* 3. Molina *de iust. tract.* 3. *disp* 67. *n.* 6. Avila *de cons. part.* 7. *disp.* 2 *dub.* 5. Azorius *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 16. *fine*, & *q.* 11. Sayrus *de cons. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 16. & *lib.* 1. *clavis, cap.* 13. *n.* 23. *&* 24. Sanchez *de matr. lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 9. & latiùs *lib.* 1. *summ. cap.* 10. *num.* 42. *& seqq.* Coninch. *de Sacram. disp.* 18. *num.* 231. (licèt indicet se existimare probabilem etiam priorem sententiam) Rebellus *de obligat. iust. part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 2. *num.* 13. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 4. *num.* 39. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 21. *cap.* 4. *num.* 166 Gordonus *lib.* 7. *q.* 17. *n.* 27. Villalobos *diff.* 22. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 10. *num.* 11. Diana *part.* 3 *tract.* 5. *res.* 72. Portel. *v. arboriis in addit. num.* 11. & *verb. irregularitas, n.* 31. Stephanus Banny *Theolog. Moral. tom.* 1. *tract.* 11. *q.* 4. Fragosus *de regim. Christiana Reipublicæ, part.* 1. *lib.* 4. *disput.* 10. *num.* 213. *versic. an semper.* Arriaga 1. 2. *tom.* 1. *disput.* 25. *num.* 17. 70. *&* 171. *&* 177. &c.]

De communi consilio.

Quarta. *Si communi consilio aliquem plures aggrediuntur, quem tamen unus solus occidit, omnes fiunt irregulares.* Audi Bossium, *de conscientiâ Dubiâ part.* 2. *titul.* 1. §. 39. *num.* 1132. *pag.* 127. *a.* dicentem. [Si de communi consilio & consensu aggressi sint, omnes sunt rei homicidij quoad pœnam ordinariam, & incurrunt irregularitatem, sive vno tantùm vulnere; sive pluribus vulneribus inflictis aggressus interierit, & sive sciatur, sive nesciatur quis vulnus lethale intulerit, quia omnes tunc fuerunt cooperatores ad illud homicidium. Ita Iurisperiti, & Theologi communiter, ex Iurisperitis alios allegãtes Couvarruvias *in Clement. si furiosus*, *cap.* 2. §. 2. *num.* 3. Gomez 3. *Variar* : *cap.* 3. *num.* 36. Vgolinus *de irregul. cap.* 14. *n.* 3. Rota 2. *p. diversor.* Farinacij, *decis.* 44. *n.* 3. Farinacius *fragment. crimin.* 2 *part. lit. L, num.* 446. Augustin. Barbosa *collect. ad cap. significasti* 2. *num.* 9. ex Theologis Molina *de Iustitia & Iure, to.* 4. *tract.* 3. *disput.* 53 *memb.* 1. *initio. & memb.* 7. *initio.* Henriquez *lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 2. Suarez *de cons. disput.* 44. *sect.* 3 *num.* 31. *& disputat.* 45. *sect.* 5. *num.* 9. Sayrus *de censur. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 12. Coninch. *de Sacram. disp.* 18. *num.* 70. Villalobos *part.* 2. *tract.* 21. *diff.* 22. *num.* 20. Stephanus Bauni *part.* 2. *tract.* 11. *quæst.* 6. *& quæst.* 27. *quæst.* 8. Bonacina *de censur. disputat.* 7. *quæst.* 4. *part.* 8. *num.* 2. Gaspar. Hurtadus *de irregularitate, disput.* 2. *diffic.* 6. *num.* 21. Escobar *in Morali Theologiâ, tract.* 4. *examine* 6. *num* 68. *fine.* Gordonus *lib.* 7. *quæst.* 18. *num.* 41. *&* 53. &c.]

Omnes, qui cõmuni consilio ad homicidium concurrunt, etsi unus solus hominẽ occidat, fiunt irregulares.

De hoc argumento scripsi speciale syntagma; nam cum in Canonibus extent casus, à quibus leges Nos inferamus, debent illi accurate perpendi, & secũdum omnes circumstantias cõsiderari.

QVÆSTIO XVIII.

An, qui certò scit rem vovisse, teneatur voto, si dubitat, an res promissa bona & licita sit? An in possessione non satisfaciendi manutenendus sit, donec plenè rem promissam esse bonam probetur?

Proponuntur oppositæ Theologorũ sententiæ.

PRoderit hic audire Theologos, qui tametsi in Fundamento conveniant, in resolutione dissentiunt. Bossius *part.* 2. *tit.* 1. §. 45. *num.* 1520. *pag.* 387. *A.* hæc habet. [In hac difficultate Doctores videntur discordes, dum aliqui, ut Suarez *lib.* 4. *de voto. cap.* 6. *num.* 12. & alij, quos idem Suarez *ibidem*, & Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp. unica sect.* 25. *num.* 256. referunt, Fragosus *de Regim. Christ. Reipub. part.* 2. *lib.* 4. *disputat.* 10. *num.* 209. *versic. quando verò*, asserunt, obligare, eo quòd possessio stet pro voto, vel iuramento, quod constat certò fuisse emissum, & excusatio sit dubia, ac proinde vovens, aut iurans non possit suâ authoritate votum violare. Alij verò, ut Salas *dict. num.* 256. & Bresserus *dict. lib.* 4. *de consc. cap.* 10 *num.* 97. *&* 98. velint non obligare, quia tunc, cùm sit dubium de valore voti ratione turpitudinis materiæ, locum habere debet illa Regula, *Quòd melior* [r] *est conditio possidentis suam libertatem*; sicut quando est dubium de voto ratione eius existentiæ, vel iuxta eundem Suarez, & alios *num.* 1616. relatos ratione sufficientis libertatis.

r] Ecce Resolutio à libertatis possessione desumitur.

N. B. De præcepto debemus aliter philosophari, fut q. 16. *sect.* 8. demonstrabitur.

Conciliãtur præcedentes sententiæ.

Has duas Sententias ad concordiam reduco, asserendo, hanc Propositionem, *Materia in hoc voto, aut iuramento promissa non est interdicta*, posse habere aut non habere Veritatem, & Bonitatem: & habebit Veritatem si reverà interdicta non sit: & habebit Bonitatem, si prudenter admitti, possit, si probabili ratione & authoritate succolletur. Dico igitur, si de huius Propositionis Bonitate dubiũ sit, sententiam severam esse veram; debet enim homo, ut tutus in conscientiâ sit, certò

Circa Iudicij Bonitatẽ & Licitatẽ Certitudo requiritur.

cognoscere sui iudicij Bonitatem & Liciтatem: si autem de eiusdem Propositionis Veritate disputetur, esse veram benignam.

Eamdem viam init Bossius, ut has sententias ad concordiam reducat: supponens enim esse benignam veram, ubi agitur de Veritate; & probaturus admissum iri alteram, ubi agitur de Bonitate, ait [In hoc dubio, An materia voti sit bona, seu licita, an mala, vel illicita, dicendum primò votum vel iuramentum non obligare; quia cum hoc dubio practico [s] operari, est malum ob periculum faciendi aliquid illicitum, cui operans exponeretur. Nec enim placent Deo, in quibus privatis periculum imminet, ita præter Salam, & Bresserum, Sanchez *lib.4. summ. cap.2.num.34. fine, cap.6.num. 5.* & clariùs *num.6.* Bonacina *dict.quæst.2.par.4. §.1. num. 5. versic. adde, & §.2. versic. idem dicendum*, Diana *part.4. tract.3. resolut.13.* & etiam Suarez & Fagundez *num.1619.* & idem Suarez *dict. cap.6. num.13.* Et prætereà Sotus *dub.7. de iustit. quæst.1. artic.3. præsertim circa finem in responsione ad tertium*, loquens [t] in dubio, an votum macerationis corporis excedat limites virtutis, quoad macerationem promissam, & Castrus Palaus *tom.1. tract.3. disp.3. puncto 12. num.2.* & hoc certum est, si urgeret tempus votum, aut matrimonium implendi, seu necessitas operandi contra votum, & deficeret copia Superioris, vel saltem non posset commodè adiri idem Superior pro consilio, vel dispensatione.

s] vocat *dubium practicū*, quod nos *dubium de Bonitate Iudicij*.

t] Ponitur hoc exemplum; at considerato communi hominum in rebus Pietatis tepore, vix aut ne vix quidem accidet, ut sanæ mentis vir in pœnitentiis limites Prudentiæ excedat.

QVÆSTIO XIX.

Quid fieri in Casu debeat, quo aliquis obligationem esse certam fatetur, & An eidem satisfecerit dubitat? Utri faveat, præcepto-ne an libertati possessio?

Casus proponitur.

EST valde necessaria Resolutio Casûs, quem examini & censuræ subiicio. Illum paucis verbis propono. Isiodorus rem talem Deo promisit. Scit certò votum fuisse validum; & dubitat, an illud impleverit? & interrogat, An hoc stante dubio, teneatur adhuc rem promissam præstare?

Respondet *part.2.tit.2.§.45. pag.398.a. num.* 1670. Bossius Probabile ab Improbabili dubio distinguens. Quoniam; si *Dubij* nomine illud intelligas, quod levibus ratiunculis nititur (& hoc sensu accipitur à Philosophis Dubium prout à Probabilitate distinguitur) severam opinionem amplectitur: benignam verò, si eodem *Dubij* nomine intelligas Probabilitatem.

N. B. Dubiū Philosophicum, nascitur ex rationibus levibus, & moraliter nullis, adeoque in rebus Moralibus nihil prorsus operatur, nam habetur, ac si in rerum natura non esset. Sublatâ autem satisfactione dubiâ certa obligatio in Possessione remanet.

Hanc ipse ob rem accipiens vocem *Dubij* primo modo, sic inquit [Tenetur non obstante tali dubio rem implere: & colligitur *ex dictis suprà, num.1384. 1385. & 1389.* & ex Doctoribus *ibidem relatis*, in terminis tradunt Sanchez *lib.1. summ.c.10. num.36. fine. & num.12.* Suarez *tom. 2. de Religione, lib.2.de iuramento,cap.33.num.7.* Rebellus *de obligatione iustitia,par.2.lib.1. quæst.2.num.15.*Layman *lib.1.tract.1.cap.4. num.31.*Fagundez *in Decalog.lib.2.cap.10. num.26.*Trullench.pariter *in Decalog.lib 1. cap.2.dub.16.num.25.*Bresserus *de conscientia,lib.4.cap.10.num.99.*Fragosus *de Regim. Christiana Reipub.part.1. lib.4. disputat.10. num.209.* Et ratio desumitur ex dictis in præallegatis numeris, scilicet, tum quia in hoc casu debitum est certum; & ideò quamdiu solutio est incerta, ius possessionis stat pro voto, seu creditori Deo; tum quia impletio, seu executio voti, aut iuramenti, alteriúsve obligationis, sicut & remissio donationis, & solutio cuiuscumque alterius debiti est quid facti, quod in dubio non præsumitur, ut constat ex dictis *suprà,num.1200.* & tradunt Doctores communiter, præsertim relati *suprà dict.num.1389.* &c.]

Transit posteà ad alteram acceptionem vocabuli, & ait: [Si adessent rationes, seu coniecturæ probabiles, quibus ductus rationabiliter, seu probabiliter opinaretur seu iudicaret se votum implevisse, liber esset ab obligatione, iuxta dicta *n.1387. & 1394.* & sæpe in præcedentibus repetita, & in terminis Layman *d.num.31.* licet enim sequi in praxi iudicium probabile, seu opinionem probabilem, præsertim cùm in moralibus sæpe maior certitudo haberi non possit, neque in talibus cōscientias nimis gravare oportet, licet ex parte minùs probabiliter contradicat Bresserus *loco citato*, dicens, non obstante dicto iudicio probabili teneri voventem adhuc implere votum, si id non sit notabiliter incommodum, aut difficile, & molestum.

N. B. Hic etiam vides, quod in Dialexi asseruī esse duas Theologorū sententias, ubi agitur de præcepti certi adimpletione dubiâ.

Doctrina similitudo postulat, ut hunc casum proponamus & resolvamus.

Casus proponitur.

SCit & certò Petrus se teneri ad Officium Divinum, & dubitat an hodie recitaverit? & inquirit, an recitare teneatur? Ponitur casus eruditionis gratia, tametsi, si totum officium concernat, non videatur possibilis. Illum severè resolvit Bossius: nam *part.2. tit.1. §.42. pag.342. b. num.1385.* [Tenetur, inquit, recitare; quia, cùm sit certus de obligatione illas recitandi, possessio stat pro lege obligante, & obligationi certæ iniustum est satisfieri solutione dubiâ. Et ita in terminis asserunt Navarr. *in cap.si quis autem, dist.7. de pœnit.num.76.& de oratione,cap.1. num.30.* Ioannes Medina *Cod. de orat. quæst.de horis canonicis.* Ledesma *2.4.quæst.16.art.6. 2.p. dub. 3.* Rebellus *de obligat. iustit. part.2. lib.1.quæst.2. num.13. versic.* quà etiam ratione, Palaus *tom.1.tract.1. disput.3.par.7. num.7.*

Authores, qui videntur stare pro severâ sententia.

*num.*7. Fagundez *in Decalog.lib.*2. *cap.*16. *num.*27. Arriaga 1.2. *tom.*2. *disp.*25.*n.*11. Carolus Macignus *de horis canonicis cap.*18. *num.*4 Fragosus *de Regim.Christ. Reip.par.* 1. *lib.*4. *disput.*10. *num.*109. Bonacina *eodem tract.disput.*1.*quæst.*6. *part.*3. *num.*11. & alij ab eodem Bonacinâ relati, nec puto dissentire alios Doctores mox referendos,] &c. At hic, aut agit de Dubio Philosophico, quod levi rationi fulcitur, & opponitur Probabilitati; aut immemor sui, præcedenti doctrinæ contradicit. Ergo dicere debuit Sacerdotem, cùm dubitat, An legerit Divinum Officium; hoc est, cùm leves ei rationes occurrunt, quæ sibi suadeant, se illud legisse, illud adhuc debere legere: quia est in possessione obligatio, & dubia, seu rationes leves, nihil mutant in re. Et debuit addere, eum, qui rationabiliter dubitat, hoc est, qui habet rationes graves, & credit probabiliter se iam legisse, manere sub Doctorum iudicio; & ab aliis ab onere legendi absolvi; & ab aliis ad lectionem damnati.

Quid dicendum sit, si rationes dubitandi sint leves?

Quid, si sint graves?

De illo, qui dubitat, an in lectionis medio, aut aliquam horam, aut aliquem Psalmum omiserit?

Sed quid, quando quis incepit recitare Divinum Officium, vel aliquam horam animo recitandi totum divinum Officium, vel totam, & integram horam, & quando pervenit ad finem Officij, vel ad finem horæ, non recordatur, seu dubitat, an aliquam horam, vel Psalmum, aliamve partem horæ inchoatæ, & ad cuius finem pervenit, omiserit, seu non recitaverit, fortè mente aliò distractus. Hunc casum ponit *ibid.* Bossius; & respondet [Non teneri.] Et probat, quia sic affirmant Maior *in* 4. *dist.* 12. *quæst.*3. Gerson.3.*par.mater. de orat. lit. F.* Ioseph. Angles *floribus qq. theolog.* 1. *part. mater. de hor.* Azorius 1. *part.lib.*10. *cap.*12. *quæst.*12. Suarez *de relig. tom.*1. *lib.*4. *cap.*26. *num.*20. *ad finem.* Homobonus noster *in consultat. cas. consc. vol.*1. *part.*5. *resp.*210. Reginaldus *lib.*2. *num.*133. Filliucius *tom.*2. *tract.*2. *cap.*8. *num.*255. *fine*, Bonacina *dict.par.*3.*num.*12. Macignus *ubi suprà numer.* 3. Bresserus *de consc. lib.*6. *cap.*13. *num.*167. & alij relati à Sanchez *tom.*2. *consil. moral. lib.*7.*cap.*2. *dub.*33. ubi & ipse idem tenet, modo mox explicando,] &c. Et ut probet, rationem piam, nescio, an efficacem adducit: inquit enim: [Probatur, præsertim ab Azorio, quia si in hoc casu esset obligatio repetendi, seu recitandi partem Officij, vel horæ, quam quis in recitatione totius Officij, vel horæ non recordatur se recitasse, innumeris scrupulis via aperiretur, & ut plurimum obligati ad recitationem divini Officij cogerentur ad sæpius in die repetendas similes partes, cùm facilè sit mentem vagari, & inde contingere oblivionem,] &c. At ego hac potiùs ratione uterer: dicerem sic. Ego soleo semper bene Canonicas Horas recitare, & nunquam ad finem pervenio, quin per media transiverim; at modo incepi legere Matutinum. Et me modo, in ultimo psalmo reperio. Præcedentes ergo recitavi. Et hoc existimo, nam est verisimilius, & plerumque (aut etiam semper) fieri consuevit.

An sufficiat, esse opinionè scrupulis multis obnoxiam, ut prudenter damnetur?

In dubiis id præsumitur, quod plerũque fieri cõsuevit.

QVÆSTIO XX.

An, quando Censura est certa & Absolutio dubia pro Possessione standum sit?

Casus proponitur.

Gellius innodabatur censurâ, & petierat absolutionem: & utrum eam obtinuerit dubitat; nam alij asserunt, & alij negant; & ipse inquirit, *An se debeat gerere, ut censurâ innodatum?*

Proponit hanc Quæstionem Bossius *part.*2. *titul.*1. §.52. *pag.*492.*b.num.*1041. & iterum Philosophicum Dubium à Probabilitate distinguit. Et agens de testibus, quorum depositio non sufficiat ad Probabilitatem, sed tantùm inducat leve dubium sic inquit. [Ioannes Sancius *disp.*43. *num.*57. infert, Si quis dubitet, an absolutus sit à censurâ, quam incurrerat certò, & testentur aliqui iudicem absolutionem pronunciasse, affirmantibus contrarium aliis, eum teneri se gerere uti ligatum censurâ, quia opiniones illæ (ait) solùm sunt opiniones facti; nec proderit (subdit) testes illos affirmantes se vidisse absolutionem fuisse impensam, doctos esse; quia per accidens, & materialiter sapientia concomitatur, nam non ut sapientes loquuntur, sed ut testes oculares.] Pergit ulteriùs, & ad Probabilitatem veniens, ait. [At supposito, quòd illi testes asserentes absolutionem fuisse datam, sint tantæ fidei, ut illis prudenter credatur, licèt etiam contrarium ob alios testes probabile existimaretur, dicendum quòd possit se gerere tanquam absolutum, ut tradit Suarez *loco suprà num.*2028. allegato. Et sentiunt alij tenentes, cùm utrimque sunt rationes, vel coniecturæ probabiles, ob quas quis iudicat probabile esse, non commisisse peccatum mortale, vel illud iam confessum esse, non teneri tale peccatum confiteri, tametsi etiam contrarium probabile credat; conformando enim se iudicio, quòd fuerit absolutus, prudenter se gerit, cùm illud iudicium sit probabile, ut suprà ostensum est. Et tunc de conscientia dubia satis.

An in testibus ocularis sensius sit docti, quàm indocti testimonium?

Quid in Probabilitate dicendum sit?

An qui probabiliter putat, se nõ peccasse, aut se iam fuisse absolutum teneatur confiteri?

QVÆTJO XXI.

De Contractibus. *An Possessio Libertatis faveat, quando de Contractûs valore disputatur?*

Bossius *part.*2. *tit.*1. §.44.*num.*1587.*b.* proponit non paucos Authores pro sententiâ severâ, & *num.*1588. benignè resoluit, & ait. [Dicendum est in huiusmodi dubio, an contractus aliquis sit licitus, necne, post factam debitam diligentiam ad investigandam veritatem remanente,

manente, contractum non esse damnandum & neminem teneri ad abstinendum ab illo. Ita in terminis Salas *dict.num.* 163. ubi dicit ad salvandum aliquem contractum, & rectè illum celebrandum sufficere nullo certo iure esse damnatum, licèt limitet, modò non possit sine incommoditate contractus omitti: Hoc idem procul dubio sentiunt Doctores relati *suprà num.* 1286. Et constat tum ex dictis ad confirmandam sententiam quartam *dict. num.* 1186. positam, tum ex dictis *num.* 1296. tum ex dictis *in praecedenti* §. scilicet, Quòd [*u*] in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem, & quòd nemo obligatur lege aliquâ positivâ, Naturali, aut Divinâ, [*x*] nisi illi sit sufficienter proposita, & constet de illius obligatione, quod non contigit quoties rationabiliter de lege an extet, vel saltem casum comprehendat, dubitatur, ut dictum est *suprà d.num.* 1296. & alibi.

Quid requiratur, ut aliquis contractus sit licitus?

u] Ecce sibi ipse similis ad possessionem libertatis recurrit.

x] Et ecce ad obligationem Certitudo requiritur, & ad deobligationem sufficit Non Certitudo.

QVÆSTIO XXII.

Vtrùm in dubio, An filius legitimus sit, aut illegitimus, recurrendum sit ad Possessionem?

DIssentiunt Authores inter se: & tametsi vix pauci conveniant in singulis, tres designari poterunt Capitales sententiæ.

Prima severa est; cumque censet esse illegitimum: quia legitimitas pendet à matrimonio, quod cum res facti sit, non debet præsumi, sed probari.

[Secunda sententia (do verba Bossij) cum distinctione difficultatem resoluit, scilicet, quòd vel filius est Reus, & convenitur, ac est in possessione bonorum, & hoc casu non debet probare se esse legitimum, & talis præsumitur, & ad adversarium spectat probatio illegimitatis; vel ipse filius est actor, & tunc debet probare suam legitimitatem, cùm sit fundamentum suæ intentionis. Ita sensisse plerosque refert Paleottus *de nothis cap.* 20. *num.* 2. ita etiam nonnulli Domini de Rotâ responderunt, ut refertur *dict. decis.* 470. *num.* 10. & Cravetta *consil.* 166. Gratus *cons.* 62. *num.* 9. Azevedo *lib.* 5. *nova recopilationis in* 8. *l.* 9. *à num.* 14. & alij Iurisperiti relati à Petrâ *num.* 473. & ex Theologis Castrus Palaus *part.* 1. *tract.* 1. *disput.* 3. *puncto* 5. *num.* 3. & idem sentire puto Sanchez; & colligitur ex his, quæ habet *consil. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 6. Ratio prioris partis [*y*] distinctionis est, quia *in dubio melior est conditio possidentis*, & *favendum est reo potiùs quàm actori*. Ratio verò posterioris est, cum quia actor probare debet fundamentum suæ intentionis, ut dictum est, nec sufficit præsumptivè probare, sed concludenter, Rota *decis.* 470. *num.* 10. post Achillem *decis.* 1. *de probat.* nisi pro actore esset præsumptio vehemens, quæ relevaret ab onere probandi, ut post Covarruviam *var. resolut. lib.* 8. *cap.* 9. ait Rota *decis.* 470. *eod. n.* 10. Tum quia (inquit Palaus) iniquum esset alios [*z*] à possessione, vel iure certo, quod habent, expellere: nam ius incertum, & dubium non debet aliorum certum vincere. Et hanc eandem sententiam amplecti videtur Mascardus *conclus.* 595. *num.* 8. dum ait, ubi quis Electo opponit non esse legitimum, ad hoc ut deleatur electio, eidem opponenti incumbere onus probandi illegitimitatem; si verò electus peteret confirmationem, ipsum debere probare se esse legitimum, & pro hac eâdem sententiâ Farinacius *in repert. indic. quæst.* 43. *num.* 2. refert eumdem Mascardum *concl.* 795. & *concl.* 799.

Vtra (legitimitas, aut illegitimitas) probari debeat?

y] At hæc prior Secundæ sententiæ pars videtur extra casum propositum, nō enim est dubium, an filius legitimus sit, quando ille est in reputatione (nā passim legitimus reputatur,) necnon bonorum possessione.

z] Hic, sicut in cæteris, semper à possessione Bossius argumentū desumit.

An, & quando Electus, se esse legitimum, debeat probare?

Tertia sententia absolutè asserit in dubio filium præsumi potiùs legitimum, quàm illegitimum, ita ut excipienti de illegitimitate incumbat onus illam probandi, ita Baldus *cons.* 74. *lib.* 2. & *consil.* 437. *lib.* 5. Ioann. Fabri §. *ult. instit. de adopt.* Cæpola *cautelâ* 118. Gallianla *in rubr. de verborum oblig. numer.* 161. Bero. *consil.* 19. *num.* 16. & *consil.* 20. *lib.* 2. Gabriel Paleottus *de nothis dict. cap.* 20. *per totum* Gaillus *obseru. pract. lib.* 2. *obser.* 97. *num.* 19. (ubi dicit, quòd possessio filiationis sufficit ad obtinendam hæreditatem, sive filius talis agat; sive conveniatur; quia, ut etiam ex dicendis constabit, habet intentionem suam ex iuris præsumptione fundatam, quæ onus probandi contrarium in adversarium reiicit) Menochius *lib.* 6. *præsumpt.* 54. *n.* 20. *& seqq.* ubi ait hanc sententiam esse magis receptam, & *de arbitr. lib.* 2. *casu* 89. Petrus Peregrinus, & Gratianus *locis infrà allegandis*. Surdus *de alimentis tit.* 1. *quæst.* 10. *num.* 36. Simon de Petris *lib.* 3. *interpr.* 1. *dub.* 2. *solut.* 2. *num.* 4. Cavalcanus *decis.* 12. *num.* 13. Farinacius *d. quæst.* 43. *num.* 52. & plures alij Iurisperiti quos allegant Menochius *dict. præsumpt.* 54. *eod. num.* 20. Surdus *d. n.* 36. & Rota *d.decis.* 476. *n.* 2. *&* 3. Et ex Theologis ita expressè sentiunt Vasquez 1.2. *disp.* 76. *cap.* 8. Sayrus *lib.* 1. *clavis, cap.* 13. *num.* 19. Salas 1.2. *tract.* 8. *sect.* 24. Azorius *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 7. Villalobus *p.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20. *num.* 11. Sanctarellus *var. resolut. part* 1. *quæst.* 24. *num.* 23. & *quæst.* 44. *n.* 10. *ead. part.* 1. Basilius Poncius *de matr. lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 4. Martinus Bresserus *de conscientiâ, lib* 4. *cap.* 19. Arriaga 1.2. *tom.* 1. *disput.* 26. *num.* 17. Layman. *lib.* 5. *tract.* 19. *par.* 3. *cap.* 5. *num.* 22. Coninch. *de Sacram. disp.* 18. *num.* 105. & plures alij quos allegat & sequitur Diana *part.* 4. *tract.* 3. *res.* 6. Et idem sentiunt omnes, qui tenent illegitimum in dubio præsumi potiùs naturalem, quàm spurium.

N. B. Est in legitimitatis possessione, qui in domo materna est ut filius habitus & educatus, & tametsi contra hunc aliquæ rationes occurrant, illis ipse respondere debebit, & adæquatè illas solvet, si probabilem satisfactionem dederit. Actor est, in quem exonerat onus probandi: & nisi intentionem ipse suam plenè persuaserit, filium à possessione non expellet.

QVÆ

QVÆSTIO XXIII.

De Excommunicatione. *An, & qualiter in dubio ad Possessionem recurratur?*

Tria dubia proponuntur.

DVplex dubium intervenire potest: vel enim dubitat Petrus. An talem actum fecerit, cui est excommunicatio certo adnexa: vel scit certò se tale peccatum commisisse, & dubitat, an illud censuræ subiaceat? Adde tertium, potest enim contingere, ut sciat se culpam commisisse, & illam esse excommunicationi obnoxiam cognoscat, & utrum absolutionem impetraverit, ambigat.

Primum deciditur.

Ad Primum Dubium respondemus benignè: & subscribimus Bossio, qui *tom. de conscient.dub.part.2.tit.1. §.42.pag.342.A.* (quæ 338. esse debet) *num.1383.* Sic scribit. [Verior responsio est, in neutro foro censendum esse excommunicatum, aut suspensum, vel interdictum. Ita omnes Doctores relati *suprà num.3053.* item Sanch. *lib.1. summ.cap.10. num.55.* Suarez *de Censur. disp.40. sect.5.* Fagundez *in Decalog. lib.20.cap.10. num.9.* Bonacina *de peccatis, disp.2. quæst.4. part.7. num.15.* Layman. *lib.1. cap.4. num.38.* & Diana *part.4. resolut.35. & resol. 66.* & apud eum Petrus Cornejo 1.2.*tract.8.quæst.19. dist.4.dub.2.* Fragosus *de Regim. Christ. Reipub. part.2. lib.4.disput.10. num. 211.* Probatur, quia nullus est iuris textus inducens excommunicationem, vel aliam censuram in dubio facti, cui annexa est; ergo in hoc dubio *melior est* [a] *conditio possidentis.* Confirmatur, tum quia delictum in dubio non præsumitur, ut suprà probatum est, ergo nec pœna debet præsumi: tum quia in hoc dubio delictum non potest dici consummatum; & consequenter in tali dubio pœna præsumi non debet inducta, cùm sit quid odiosum, & homo existat in possessione immunitatis, tum quia reus in dubio absolvendus est, *ff. de reg. iuris l.167.* Quoniam *Favorabiliores Rei potiùs, quam actores habentur*, Et Reg. XV. de Reg. iur. in 6. *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Ex quo præterea magis confirmatur, quia si Iudex in foro externo neminem [b] punire debet, sed absolvere, si delictum, cui in iure pœna statuta est, sufficienter cognitum, & probatum non sit, multò minùs in foro conscientiæ quis seipsum condemnare, & pœnam legis in se exequi cogitur, puta abstinere à Sacris tanquam excommunicatus, aut suspensus, donec illi certo [c] constet se deliquisse, & censuram contraxisse: Capitulum autem illud *Dominus, de Cleric.excomm. ministrante*, quomodo intelligatur, explicatum est *suprà num.1206. & 1356.* Aliis etiam fundamentis prioris responsionis satisfactum est in præcedentibus, præsertim *à num.1201.* ad 1205.]

a] Bossius doctè semper possessionem considerat, & ex illâ oppositis argumentis occurrit.

b] Superiùs in Dialexi à foro Civili & Criminali ad forum Conscientiæ argumentabar, Analogiam & rationis paritatem supponens: hic argumentandi modum tenent multi Doctores & Bossius impræsentiarum, ut videmus.

c] Nota illud *donec certò cõstet.* Ergo ad obligationẽ requiritur Certitudo, & ad deobligationẽ sufficit Nõ-Certitudo.

Pergit posteà Bossius, & sic dialecticatur. [Hinc si quis temerè, & malâ fide Sacrum Ordinem suscepit, dubitans utrum legitimam ætatem haberet, si factâ morali diligentiâ veritatem scire non possit, non est censendus incurrisse suspensionis Censuram, ut in terminis notat Layman. *ubi supr.* addens, quòd, si nulla necessitas cogat, debet abstinere ab usu Ordinis recepti, usque dum certus sit de ætate legitimâ.] &c. At ego hunc discursum reiicio, quia nulla est paritas inter eum, qui dubitat, An percusserit Clericum, & eum, qui dubitat, an habeat ætatem, quantam Ordinum susceptio requirit: Quoniam in primo casu stat pro innocentiâ possessio, & in dubio se debet Petrus iudicare innocentem donec certò se delictum commisisse cognoscat: in secundo autem casu est in possessione minor ætas. Est & inhibitio, Ergo debet Clericus ab Ordinum susceptione abstinere, donec de legitimâ ætate constiterit. [Et hîc obiter nota, aliter scriptores examinate, quæ obiter dicunt; & aliter, quæ ex professo dilucidant: ipse enim Bossius, qui impræsentiarum cespitare videtur, hanc eamdem Difficultatem *num.1700.* (& apud Nos *supra, quæst. 15. §. Sicut*) ex professo edisseruit, & Possessionis fundamentis insistens nostram sententiam tradidit.

De illo, qui in dubio de legitimâ ætate suscepit Ordines.

Ostenditur manifesta disparitas.

N. B. Non negatur à possessione debere argumentum procedere, sed ostenditur, stare aliter possessionem.

Ad secundum Dubium eodem modo respondeo: dico enim debere Petrum examinare. An suum peccatum sit aliquâ censurâ affectum: At illum existimo ante examen non posse temerè procedere, nec ea facere, quæ censuræ inhiberent. Cæterùm, si debito præmisso examine adhuc remaneat dubium (Grammaticum sit aut Philosophicum) se in possessione manutenebit; Nam antequam illam culpam committeret, nulla erat innodatus censurâ. Ergo non debet contra se sententiam ferre, nisi sint Iura certa & indubitata.

Resolvitur secundum Dubium.

Non est asserendum culpam aliquam subiacere Censura, nisi in Iure contineatur expressè.

Ad tertium Dubium dico, illud iam esse dissolutum *suprà quæst.20.* Interim, quia ipsum iterum reponit Bossius, quo ratiocinetur modo videamus. Attende: nam *num. 1384.* sic inquit. [Si alicui certò constet se excommunicationem incurrisse, dubitet autem, utrùm absolutionem obtinuerit? in tali dubio debet reputare se excommunicatum, donec sibi constet de absolutione ita Sanchez *dict. num.55.* Bonacina *ibidem num.16.* Layman. *dict. num.38.* & Ioannes Sancius *disput. 43. num.47.* & alij relati *suprà num. 1296.* & ratio est, tum quia in hoc casu excommunicatio possidet, libertas solùm iure dubio potitur. Tum quia absolutio ab excommunicatione non præsumitur, sed probari debet ex Abbate *in cap. proposuit. num.4. de Cleric. excommun.* ubi ait, Quòd semel excommunicatus, semper præsumitur esse excommunicatus, nam qualitas semel posita, quæ

Resolvitur Tertium Dubium à Bossio.

De Absolutione dubiâ, An sufficiat?

N. B. Semper innodatus cẽsurâ, semper innodatus præsumitur, nisi se esse absolutum ostendat.

quæ ex solo cursu temporis non tollitur, præsumitur existere, donec probetur sublata, arg. reg. 8. in 6. *semel malus semper præsumitur esse malus.* Et idem colligitur ex Mascardo *concl.* 21. ubi latè ostendit, quomodo probari debeat, & possit absolutio ab excommunicatione,] &c. Hic Bossius inter Grammaticum & Philosophicum Dubium non distinguit: ea tamen, quæ doctè dicit, intelligi debent de Grammatico, ubi enim agitur de Philosophico, hoc est, de Opinione Probabili, Theologi, ut iterum & iterum vidimus, adhuc subdividuntur. Ergo Conclusio sit. *Si agatur de Dubio Philosophico, Severa Sententia certa est: si vero de Philosophico, benigna, non certa, sed probabilis est.*

Vera Tertij Dubij solutio.

Vt severam hîc Sententiam probet Bossius, doctrinam valde incertam adsumit. Inquit enim. [Confirmatur etiam, quia ut *supra num.* 1224. ostensum est, cùm constet aliquem esse aliquâ lege obligatum, & est certus de illâ obligatione, & dubius, an satisfecerit, remanet lege obligatus, & debet satisfacere, dubio non obstante, quia iniquum est, quempiam eximi à certâ obligatione propter dubiam solutionem; qui verò certò scit, se excommunicatum fuisse, certus est de obligatione obtinendi absolutionem; Ergo à tali illum obligatione non eximit dubia absolutio,] &c. Et hîc iterum moneo Bossium Dubium Grammaticum cum Philosophico confundere: & dico, quæ adsumit esse certò vera, si agatur de Dubio Philosophico, esse autem probabiliter falsa, si agatur de Grammatico. Et addo hoc ipsum ab eodem Bossio tradi *tom. de conscient. part.* 2. *tit.* 1. §. 45. *pag.* 398. apud Nos suprà *quæst.* 19. §. *Transit postea.*

An obligationi certa satisfaciat solutio dubia?

Exponi debet, quo sensu accipitur vox Dubium.

QVÆSTIO XXIV.

De Homicidio. *An in dubio cooperationis aliquis ad ullam sit restitutionem condemnandus? Quid de Irregularitate hic dici debeat? An etiamnum Resolutio à Possessione desumatur?*

NOn est ita facilis Controversiæ Decisio, quàm aliquis posset existimare. Vberioris doctrinæ gratiâ Casum propono. Petrus occidit Ioannem, & ne caperetur iuvit Lælius. Et modò quæritur, An cooperatus Lælius fuerit ad substantiam delicti? An ad circumstantiam (videlicet, ne caperetur) tantum? An, si Lælius abfuisset, adhuc fuisset homicidium commissum? Casu igitur hoc modo proposito, quid dicant Authores videamus. [Bossius *ubi supr. n.* 1376. *pag.* 336. *A.* Sic ait. [In dubio, An quis cooperatus sit ad homicidium, furtum, vel aliud damnum ab altero datum, tunc nulla adest obligatio restitutionis damni, quando nulla adest probabilis, & verisimilis præsumptio cooperationis, ut in casibus *suprà, num.* 1376. & 1372. positis: tunc [*a*] enim privilegium possessionis, & cætera pro priori sententiâ adducta habent locum, etiamsi dubium non esset æquale, sed foret maior verisimilitudo cooperationis, existente tamen rigoroso dubio, iuxta dicta suprà *num.* 1295. quicquid secus sentiat Rebellus *loco suprà citato.*] Nunquam exactè Bossius Dubium Grammaticum à Philosophico distinguit: & hîc præcipuè confundere videtur terminos. Dubium illud, de quo impræsentiarum Bossius agit, est Philosophicum, quod reperitur, ut ait, quando nulla adest probabilis & verisimilis præsumptio. Ergo si in dubio Philosophico rationes sunt realiter leves, & moraliter nullæ, quo in illis modo poterit magis & minus inveniri? Et, si in illo nulla adest verisimilis ratio, quo modo dari in ipso poterit maior & minor verisimilitudo? Sit igitur

Casus proponitur.

a] Resolutionem ecce suam lege Possessionis successit.

Sicut rerum in Civilibus, sic & datur innocentiæ possessio in Criminalibus.

An vocem Dubium Bossius bene intelligat, & bene exponat?

Conclusio I. *Vbi cooperatio dubia occurrit (seu dubium Philosophicum, seu Grammaticum sit: hoc est, seu levibus rationibus seu gravibus illa suadeatur) Lælius ad nullam tenetur restitutionem.* Patet: quia antequam restituat, illud quod restituturus esset, possidet: & tamen in omni dubio, qui possidet, manutenendus est. [*a*]

De Restitutione.

Si essent leges, quæ homicidas in dubio ad restitutionē obligarent, observari procul dubio deberent.

Conclusio II. *Si certum sit; quod cooperatus fuerit, tenetur ad restitutionem.* Patet: quia sicut damno, sic cooperari restitutioni debet.

Conclusio III. *Lælius, sive cooperatio certa sit, sive dubia, manet irregularis.* Patet; quia expresso Ecclesia Canone irregularitatis pœnâ non certum modo, sed etiam dubium homicidium condemnat, Vide, quæ superiùs notavimus *quæst.* 17.

De Excommunicatione.

Hinc opportunè nova excitatur Quæstio, quæ interroget, An concursus negativus (seu omissio positivi) sit efficax? An verè dicatur ab Ethicis, *Quem non defendisti, occidisti?* Respondeo Negativum Concursum moraliter æquivalere Positivo: quamobrem Negativus in Efficacem, & Inefficacem, nec non in Certum & Dubium dividitur. Et de Certo iuxta secundam Conclusionem: de Dubio verò iuxta Primam & Tertiam poteris philosophari: & lucem indipisci à Bossio, qui *loc. cit.* progreditur ulterius dicens: [In dubio efficacis cooperationis, ex sola omissione culpabili, cùm delictum non præsumatur *d. l. merito, ff. pro socio,* dubius post factam moralem diligentiam non tenetur ad restitutionem damni ab altero dati, ut rectè tradunt Doctores prioris Sententiæ *num.* 1374. relati. Quapropter depositarius vel commodatarius, si dubius sit, an suâ culpâ depositum, vel commodatum perierit, in foro conscientiæ non tenetur ad restitutionem, quia, iuxta *d. l. merito,* in dubio non præsumitur delictum, Et ipse est in possessione suæ innocentiæ, nisi

De Concursu Negativo.

Quid sit & in quæ membra dividatur?

De Depositario, & Commodatario.

nisi contrarium probetur, Et ita in terminis etiam Sanchez *disput.*41. *num.*18. Lessius *cap.*27. *num.*13. Diana *part.*4. *tract.*3. *resolut.*30. Arriaga *disputat.*26. *numer.*29. Ioannes Sancius *disput.*43. *num.*11. Palaus *puncto* 4. *num.*4. & alij Dixi *in foro conscientia*, nam quoad forum exterius, si depositarius dicat absque suâ culpâ perdidisse res depositas, præsumitur in dolo, si res eiusdem depositarij appareant incolumes, *cap.*2. & ibi Abbas, *num.*2. *de deposito*, & post alios Mascardus *de probat. conclus.*509. *num.*1. Et Farinacius *in praxi crim.*2. *part. tertij tomi, quæst.*169. *num.*37. quæ doli præsumptio cessat, si constet, seu probetur, depositarium non potuisse servare simul res suas, & depositas ab incendio, v. g. vel in naufragio, vel in invasione latronum, ut Mascardus *ibidem num.*4. quod procedit non solùm, si res depositarij essent pretiosiores, quàm res depositæ, sed etiamsi viliores, ut post Abbatem *in dict.cap.*2. *n.*2. ait idem Mascardus *num.*5. & approbat Farinacius *eod. num.*37.

N. B. Tu inter eos distingue: nam in deposito, qui dat; in commodato autem, qui recipit, percipit utilitatem. Nam, si tibi, ut tibi ipsi faverem, commodavi unum equum, qui domi meæ securus fuisset, & apud te ob hanc vel illam causam periit, cur mihi perire debeat, nescio.

QVÆSTIO XXV.

Iterum de Homicidio. *An, qui hominem occidi consuluit, & tamen dubitat, utrùm vi sui consilij homicidium acciderit, teneatur ad restitutionem? An Possessionis iure possit excusari, ne ante sententiam Iudicis aliquam restitutionem faciat?*

An Consilium sit cooperatio?

QVæstio hæc meritò præcedenti coniungitur, quia Consilium etiam est, (consideretur) cooperatio; & tametsi argumenta quæ occurrent, æquè de furto, calumniâ, & etiam de aliis rebus moveri possent, de homicidio, ut de re graviori differemus; & Resolutionem poterit unusquisque aliis similibus materiis & argumentis applicare.

a] Ad Possessionem, ut ad verum Fundamentum meritò recurrit Bossius: & dicens *possidet suam libertatem & pecuniam*, duas possessiones considerat, & posset tertiã addere, & dicere, *possidet suã innocentiã*. Vt ergo aliquis censeatur aut libertatem; aut pecuniam, aut innocentiã debere perdere. Dubiũ aut Probabilitas non sufficit, sed omninò Certitudo requiritur.

Bossius *tract.de consc. dubiâ part.*2.*tit.*1. *dub.*41. §.1373. *pag.*335. *b.* Sic scribit. [Sententia multorum est, in tali dubio non teneri dubitantem ad ullam restitutionem. Ita Sylu. *v. restitutio* 3. *quæst.*6. *d.*2. *initio.* Tabiena *eodem, quæst.*23. *num.*24. Sà *eodem num.*35. Henriq.*lib.*14.*cap.*3.*num.*4. *iuncto fine in Glossa cap.*16. *num.*3. Petrus Navarrus *de restit. lib.*3. *quæst.*7. *num.*58. Avila *de censſ.part.*2. *disp.*3. *dub.*3. *concl.*5. Ioan.Medina *C.de restit.quæst.*7. Lessius *de iustit. lib.*2. *cap.*13. *num.* 38. Rebellus *de oblig.iust.part.*1. *lib.*2.*quæst.*14.*num.*7. Sayrus *lib.*10.*clavis.tract.*2.*cap.*7.*num.*4.*cap.*8. *num.*1. *fine* & *cap.*12. *num.*6. Villalobos *tom.*1.*summ.tract.*1.*diffic.*20. *num.*9. Bonac. *de restit.disput.*1.*quæst.*2.*part* 4.*num.*1.Trullench. *in Decalog.tom.*1.*lib.*7.*cap.*13.*dub.*1. *num.*6. & *dub.*2. §.1. *num.*5. Diana *part.*4. *tract.*3.*resol.*28. & nonnulli alij apud eosdem. Ratio est, tum quia in dubio, præcipuè in materia iustitiæ, [a] melior est conditio possidentis, *l.si ob turpem causam, ff.de condict.ob turpem causam*, qui autem dubitat, an suo consilio, aliâve actione suâ fuerit causa efficax damni, possidet suam libertatem, & pecuniam, & ita potest præsumi ex suo consilio, & actione iniustâ non esse damnum secutum. Tum quia obligatio ad restituendum est odiosa, odia autem non sunt extendenda, sed restringenda, *l.quicquid astringenda, ff.de verb. oblig. & cap. odia de reg. iuris in* 6. Tum quia in pari causa Reus absoluitur, *l.*2. *de condict. ob turpem causam & cap. penult. & ultimo de adulteriis.* Tum quia in hoc dubio non valet argumentum ab irregularitate ad restitutionem, quia iuxta iura speciale est, ut in dubio facti homicidij quis in utroque foro habendus sit tanquàm [b] irregularis, ut suprà dictum est. Quare iuxta hos Auctores tunc solùm quis ad restitutionem damni, ob homicidium, vel furtum tenetur, [c] quando certus est moraliter, quod suo consilio, actioneve iniustâ fuerit causa efficax damni, seu ut alter damnum intulerit; quod aiunt etiam insinuari à S. Thoma 2.2. *quæst.* 62. *artic.* 7. *in fine corporis*, ubi ait, quòd tunc solùm tenetur consiliator, aut palpo, id est, adulator ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quòd ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio secuta. Hanc quoque sententiam de immunitate à restitutione tenet Palaus *num. sequenti allegando*, si verè dubium sit, an ex consilio, aliâve actione iniustâ damnum secutum fuerit, quia, inquit, æquum non [d] est quempiam obligare certam satisfactionem exhibere, cùm certum non sit damnum dedisse,] &c. Hanc sententiam probabilem iudicat Bossius, nam §.*At aliorum*, oppositam vocat probabiliorem. Vbi duo observo: *Alterum* inconsequentiâ laborare illum, ubi Oppositam iubet probabiliorem esse; & tamen, quæ docet Opposita, diruunt omnia, quæ ipse Bossius de cooperatione docuerat. *Alterum*, male citari D.Thomam; nam hæc sententia asserit, quòd consiliator, aut palpo, quando probabiliter æstimari potest, quod ex huiusmodi causis (consiliis) fuerit iniusta acceptio sequuta, non tenetur ad restitutionem, ut enim in hac Opinione teneatur, certitudo requiritur. Et hoc important illa Bossij verba, [Iuxta hos Authores tunc solùm quis ad restitutionem damni ob homicidium vel furtum tenetur, quando certus est moraliter, quod suo consilio, &c. damnum intulerit.] Et illa Palai, quæ paulo ante sunt posita:

b] Verba illa *in dubio facti* sunt obscura: & ideò cum ipso Bossio dico, ubi dubium est, An homicidiũ factum sit, nulla est irregularitas: ubi autem certum est homicidiũ fuisse commissum, & Petrus aliquid certò fecit, unde prudenter dubitet, An homicidij fuerit causa, tunc Petrus erit irregularis.

c] Nota illa verba, *quando certus est moraliter.*

d] Nota etiã illa, *cùm certum non sit.*

An benè D. Thomas citetur?

posita: & tamen contrarium S. Thomas dicebat.

Interim, cuiuscumque sit, quæ D. Thomæ accensetur sententia, falsa est. Quia, ubi probabile est consilium Petri fuisse homicidij causam, etiam ibi probabile est consilium Petri non fuisse homicidij causam. Ergo, si propter Probabilitatem potest prudenter Petrus credere, se causam homicidij fuisse: propter eamdem ipse Probabilitatem poterit prudenter credere, se homicidij causam non fuisse. Ergo, si se ad restitutionem teneri iudicat, quia se homicidij causam fuisse credit, se ad restitutionem nullo modo teneri iudicabit, quia se homicidij causam fuisse non credit. Et hæc omnia fundantur illo certissimo in Dialecticâ Axiomate, *Impossibile est, ut quando altera contradictionis pars est probabilis, altera non sit etiam probabilis.* [c]

c] Hoc Axioma certissimum est, & à me demonstratum: unde, ut sincerè loquar, P. Izquierdus, & pauci alij, qui aliter sentiunt, verum Probabilitatis conceptum non habere videntur.

QVÆSTIO XXVI.

An consulendum semper sit, ut Opiniones Probabiliores & Certiores sequamur?

An dentur Opiniones Probabiles & minus Probabiles? an verò omnes sint, aut saltem censeri debeant æquè Probabiles?

HUcusque ex Bossio minùs Probabiles & Probabiliores sententias eodem loco habuimus; *vel, quia*, sicut æquè veræ sunt, quæ veræ dicuntur, sic etiam æquè Probabiles sunt omnes, quæ dicuntur Probabiles: *vel saltem, quia*, licèt dentur gradus Probabilitatis quoad se, nos latent isti, qui Critolaj librâ caremus, & nescimus illos inter se ponderare: *vel denique, quia*, licèt sit quoad nos magna & nota in gradibus Probabilitatis differentia, hæc in Moralibus attendi non debet, quia ad securitatem conscientiæ æquè sufficit quæcumque sententia Probabilis. Hæc omnia nobiscum supponis, & inquiris, *An in sententiarum concursu melius & consultius sit Probabiliorem, quàm minùs probabilem sequi?*

Proponitur Quæstio.

Deciditur. Quid sentiat Sancius, Pasqualigus, & Bossius?

Negat Sancius *in Select. disputat.* 41. *num.* 12. *vers. non placet.* Et quia Veritas omnibus adlucescit, eamdem sententiam, etsi hunc Sancij locum non legisset (aliàs enim citasset) elegit Pasqualigus *in Decisionib. decision.* 25. Subscribit Bossius *de Conscientiâ part.* 1. *titul.* 1. §. 31. *num.* 1124. *pag.* 275. *B.* & sequentes Conclusiones statuit.

SECTIO I. Proponitur Prima Conclusio.

RESpondet primò, aliquando non esse consilium, nec magis laudabile sequi opinionem probabiliorem, sed potiùs præceptum sequendi minùs probabilem. Patet ex dictis *suprà num.* 142. & 147. ubi dictum est esse operandum, secundum opinionem minùs probabilem, quando sequendo probabiliorem, sequeretur aliquod inconveniens; & ex dictis à *num.* 234. *ad* 243. ubi ostensum est, Confessarium auditâ pœnitentis confessione, teneri sequi illius opinionem licèt minus probabilem.

Non eligenda sententia ex cuius praxi incōvenientia sequantur?

SECT. II. De Baptismo in nomine Iesu-Christi. Qualis sit?

CIrca huius Primæ Conclusionis Probationem, quæ continet duo membra, sic discurro. Quando ex opinione probabiliori sequitur inconveniens (hoc est, aliquid contra Charitatis legem, votum, iuramentum, aut præceptum Superioris legitimi) tunc nemo poterit probabiliorem Opinionem amplecti. Pono exempla in particulari. Peto, An hæc in baptismo forma sit sufficiens, *Ego te baptizo in nomine Iesu-Christi?* Illam iudicant multi probabiliorem: & , ut talem vidi eamdem publicè propugnari Neapoli apud Clericos Regulares, & alibi. Et, ne sit aliqua æquivocatio, monetur Lector non esse Quæstionem inter has duas formas, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritussancti*: Et hanc, *Ego te baptizo in nomine Iesu-Christi*, utra sit probabilior? Nam prima est certa, & de secundâ disputatur: sed versari Quæstionem inter has duas modales, *Hæc forma*, ego te baptizo in nomine Iesu Christi, *est valida.* Et *Hæc forma eadem non est valida.* Et assero eam, quæ à valore stat probabiliorem videri; quoniam pro se producit testimonium expressum Sacræ Paginæ; & tamen nec in eâ (Sacrâ Paginâ) nec in Conciliis, aut Patribus linea invenitur, quæ ipsam manifestè condemnet. An ideò, hæc ipsa quæ probabilior dicitur, alicui consuletur in praxi? Minimè: Nam peccaret mortaliter, qui illam in praxi adsumeret: summam enim iniuriam infanti inferret, qui, cùm posset certum baptismum minùs aut magis probabilem administraret: testimonium expressum Sacræ Paginæ: nec in eâ, aut Conciliis, aut Patribus reperitur textus, qui illam certò condemnet.

Lex Charitatis, & interdum Iustitia obligat, ne probabiliorem Opinionem sequamur?

Quo sensu hæc forma, Ego te baptizo in nomine Iesu-Christi, *probabilior dicatur?*

Sacramenta, si possunt certa, non debent probabilia administrari.

SECT. III. Quales esse debeãt sententiæ & Leges, ad quas debeat Iudex sua Decreta elimare.

ET hîc examinare obiter proderit, Quales illæ sententiæ sint, quas Textus clari & expressi tuentur? An Probabiliores censendæ sint? An illas sequi debeat Index? Et, si debeat, An ideò debeat, quia tenetur probabiliorem Decisionem amplecti. Audi eumdem Bossium, qui *part.* 1. *tit.* 1. §. 27. *num.* 534. *pag.* 153. *B.* Sic scribit.

[Debet Iudex in iudicando sequi legem claram, seu eam Opinionem, cui adsistit Textus aliquis clarus & concludens in materiâ, de quâ est Quæstio, cui sufficienter [a] responderi non potest; licet communis [b] opinio foret in contrarium. Ita Glossa *in l. minimè, ff. de legibus.* Azoguidus *lib.* 3. *commun. opin. cap.* 4. Marthesilanus

a] Textus clarus & convincens est, cui nequidem probabiliter responderi potest: non enim con-

vincit, si patitur solutionem probabilem.

b] Sed nec possibile est & Textum esse convincentem, & opponi opinioni communi; non enim potest dici convincens, qui communis Opinionis asseclas nō convincit.

Marthesilanus *tractat. de elect. num.* 1. Nevizanus *in Sylvâ lib.* 5. *num.* 65. *lib* 6. *num.* 1. 2. & 3. Carocius *titul.* 9. *num.* 88. 89. 90. & 137. Navarrus *cap.* 17. *num.* 286. Cævallos *in allegata præfat. num.* 33. Farinacius *in rep. iud. quæst.* 13. *num.* 50. & 60. Sylvester, Angelus *locis supra allegatis.* Layman. *cap.* 5. *num.* 16. *versic. porro probabilior*, Villalobos *diff.* 4. *num.* 15. Fragosus *disput.* 10. *num.* 189. & 190. & communiter Doctores, quos Nevizanus, & Carocius referunt; Iudex enim in mandatis habet, ut secundum leges iudicet *l. nemo. C. de sententiis & interlocutoriis, cap.* 1. *de constitut. cap. in istis d.* 4. & *cap. de quibus d.* 20. & ante omnia lex est servanda, *l. leges, ut generales, C. de legibus.* Et communiter Scribentes *in dict. cap.* 1. *num.* 5. cumulat quod verum est etiamsi Iudex nesciret rationem legis, *argum. l. non omnium, ff. de legibus*, aientis, quòd *non omnium, quæ à Maioribus constituta sunt, ratio reddi potest*, Carocius cum aliis *dict. num.* 90. Notandum autem ex Nevizano *num.* 67. *paulò post principium*, legem claram, seu (ut idem Nevizanus dicit,) casum legis clarum esse, quando in lege scriptum est, seu continetur in terminis id, de quo quæritur, quo casu Baldus solebat dicere, *casus est rotundus*, & Bartolus, *Casus est formalis*, ut ibidem refert Nevizanus addens, quòd est pudor dicere contra casum legis, ex Barbatio *in cap. Clerici, num.* 16. *de iudic.* Præfata autem doctrina, ut Iudex textum clarum in iudicando sequi debeat, procedit, etiamsi quæstio principalis sit unius Iuris, & textus alterius v. g. si discrepent inter se legistæ, & non reperiatur textus clarus in Iure Civili, inveniatur autem textus clarus, & casus expressè decisus in Iure Canonico, standum erit iuri Canonico, etiam in foro sæculari, etiam in terris Cæsaris, & Imperij, & è contra variantibus Canonistis, & non inveniatur textus clarus in Iure Canonico, reperiatur autem in Iure Civili, etiam in foro Ecclesiæ standum erit decisioni factæ per Ius Civile, Ita Mathesilanus, & Navarrus *ubi suprà*, Nevizanus *lib.* 5. *sylva numer.* 69. *versùs finem*, communiter scribentes *in cap.* 1. & 2. *de operis novi nunt.* Felinus *in cap. in causis de testibus*, & *in cap. fraternitatis, eod. titul.* Marianus *in tract. de citatione artic.* 23. *quæst.* 4. Menochius *de arbitr. lib.* 1. *quæst.* 30. *num.* 3. & *quæst.* 74. *num.* 53. Cassaneus *Catal. lib.* 8. *consid.* 23. & alij relati à Mathesilano.

Casus rotundus.

Casus formalis.

An, & quando sequi debeant in iudicando Legistæ Canones, & Leges Canonistæ?

SECTIO IV an necessariò debeat confessarius Pœnitentis opinioni adhærere?

TRanseo ad alterum Casum, quem proponebat Bossius. Dicebat, [Confessarium, auditâ pœnitentis confessione, teneri sequi illius opinionem, licèt minùs probabilem.] Non ergo potest Confessarius in casu secundum probabiliorem iudicare. Sinichius, & cæteri, qui Confessarium asserunt Magistrum esse, pœnitentem discipulum, & non esse discipulum supra Magistrum, adeoque non Magistrum discipuli, sed hunc illius sententiæ adhærere debere, obludunt verbis, confunduntque probabilia cum certis. Porrò pœnitens est de peccatis a Confessario iudicandus: Et, quia nihil volitum, quin præcognitum: & quia non per intellectum Confessarij, sed per suum ratiocinatur pœnitens; secundum intellectum & capacitatem ipse suam, & non iuxta Confessarij scientiam iudicari debebit. Ergo si actionem fecit, quam leviter malam ex invincibili ignorantiâ putabat, quæ tamen actio certò sit peccatum mortale, debet Confessarius iudicare pœnitentem peccavisse venialiter: & præterita distinguendo à futuris (est enim & Iudex & Magister) etsi iudicet eum ob ignorantiam à mortali excusari, debet illum instruere, ne imposterum rursus adlucinetur. Proderit audire iterum Bossium, qui *par.* 1. *titul.* 1. §. 23. *pag.* 68. *B. num.* 243. Sic ait. [Si pœnitens existimet contractum aliquem sibi licere ex probabili opinione aliorum Doctorum indicantium esse licitum, Confessarium debere illum absolvere posteaquam illum in confessione audivit; quod etiam in terminis tradunt Villalobos, & Palaus; imò, si pœnitens ex ignorantiâ aliquem contractum licitum putaret illicitum, & vellet illum exercere, licèt non posset absolvere talem pœnitentem, dum in tali errore permaneret, quia esset indispositus, & sic absolutione indignus: nihilominus tenetur saltem ex charitate Confessarius pœnitentem monere, licitum esse secundum aliquorum opinionem; ut sic à periculo peccandi eum removeat: ut rectè post Salon 2. 2. *quæst.* 62. *tract.* 2. *contron.* 4. *paulò ante solutionem argumenti*, docent Sanchez *cap.* 9. *num.* 31. & Palaus *punct.* 4. *num.* 7. Quod si è contra idem pœnitens, sequens opinionem improbabilem, aut falsam, putet esse licitum aliquem contractum, qui verè est illicitus, illumque exerceat, & velit iuxta suam opinionem absolvi, tunc si id putet provenire ex ignorantiâ culpabili, Confessarius non debet tunc, nec potest illum absolvere, sed tenetur illum monere, & docere veritatem, etiamsi non speret ullam emendationem, quia talis pœnitens est indispositus, id quod docent etiam Bartholomæus Cadena *in summ. titul. de sacram. pænit. diff.* 4. Villalobos *diffic.* 12. *num.* 4. Coninch. *disput.* 8. *num.* 136. Filliuc. *cap.* 12. *num.* 136. & quod in tali casu teneatur Confessarius pœnitentem monere, etiamsi advertat monitionem non profuturam latè ostendi *in meo tractat. de contract. matrimon. cap.* 2. *num.* 88. Si verò existimet licitum ex ignorantiâ inculpabili, seu sequatur opinionem improbabilem, ex invincibili ignorantiâ, perpendat Confessarius, an interdum pœnitens sit relinquendus in suâ ignorantia cum bonâ fide, puta, an admonitio sit profutura ad emendationem, nec ne: &, si non speret profuturam, relinquat,

An discipulus sit suprà Magistrum?

Quidquid agant homines intentio iudicat omnes.

Tenetur Confessarius monere pœnitentem hanc tali sua opinionem esse probabilem, si eum videat ex conscientiâ erroneâ peccare.

Tenetur etiam pœnitentem monere, si is peccet ex ignorantiâ vincibili.

An possit eum in errore relinquere, si bonâ fide sit in ignorantiâ invincibili?

quat, & absoluat in suâ ignorantiâ, ut tradunt Navarrus *in cap. si quis autem, num. 69. de pœnit. d. 7* Henriquez *lib. 6. cap. 16. d. num. 6.* Vallerus, Villalobos, Coninch. locis *suprà num. 225.* allegatis. Ego ipse *in dict. cap. 2. num. 90. & duobus seqq.* Confessarius enim non est Iudex inter partes, sed inter Deum, & hominem, ut suprà dictum est. Rectè etiam advertunt Henriquez, & Ioannes Valerus, Confessarium cùm præter officium Iudicis sit Medicus, pater spiritualis, & pius Advocatus, debere in dubiis benigniorem partem sequi, in favorem Pœnitentis,] &c.

Qualis Iudex Confessarius sit

Vt rem meliùs intelligas, hunc Casum decidendum proponis. Lucius Sacerdos, & Ioannis Confessarius, eam habebat Opinionem, quæ docet, sex uncias & non plures in collatione posse diebus ieiunij sumi: & tamen quia Ioannes in confessione exposuit, se octo sumere, hæret, & nescit, quid debeat facere. Absolvere Ioannem contra propriam opinionem non audet: iubere ipsi, ne octo imposterum uncias in collatione sumat, non videtur expediens; nam tyrannicè procederet, si inhiberet opinionem probabilem. Quid ergo faciet? An debebit eum ad alium confessarium mittere, qui habeat opinionem, quam Ioannes? Respondet *ibid.* Bossius dicens, [sequitur, saltem utplurimum non rectè facere Confessarios, qui timentes pœnitentem contra propriam sententiam absoluere, eumdem remittunt ad alium Confessarium, qui oppositam opinionem probabilem tenet; nam si ille alter absolvere potest, cur non & ipse? aut cur ipsius Confessarij speculativa persuasio pœnitenti obesse debet? Quamvis, ut dictum est, sæpe excusentur Confessarij, dum ad alium Confessarium remittunt, seu negant absolutionem, præsertim si sint Confessarij non proprij, & faciant ob finem *n. 228.* explicatum,] &c.

An Confessarius, pœnitentem, quem non vult absolvere, possit ad alium Confessariū remittere?

Sed quas Opiniones eligere Regum Confessarij tenentur? Est profectò ministerium difficile, sed non semper regiminis arcana Confessarius indagare tenetur. Bossius *ibid.* [Ovandus *proposit. 33.* ex dictis infert Confessarios Regum & Principum non teneri semper inquirere de illorum statibus, & principatibus, ex quo sciunt illos petiisse aliorum Doctorum consilium pro gubernandis statibus, nisi aliqua essent adeò manifestè mala, & iniusta, quod esset de illis meritò inquirendum. Sed iustè conqueritur Ioan. Sancius *num. 54.* his miseris temporibus audaciâ necessariâ inopes esse aliquos Confessarios ad conquirendum, & obiurgandum de manifestè iniustis, & absolutionem non esse ausos negare dominis indignis,] &c.

Quo Regum & Principū Confessarij modo debeāt procedere?

Quia tandem Pœnientis eruditio & doctrina adiuvat Confessarium, pergit Bossius & ait. [Si pœnitens sit vir doctus, & multò magis, si ipso Confessario doctior sit, posse Confessarium absque aliquâ inquisitione se conformare opinioni talis pœnitentis, maioreque obligatione teneri ad illam sequendam in danda absolutione, ut post Sotum *ubi suprà* adnotavit Villalobos *diff. 12. n. 1.*] &c.

An pœnitētis doctrina adiuvet Cōfessarium?

AD Quæstionem sub initium propositam respondet idem Bossius [*Aliquando esse non solùm consilium, sed præceptum & obligationem sequendi sententiam probabiliorem & tutiorem.*] Hæc resolutio, quia universalis non est, postulat ut in aliquo Casu verificetur: & ideò sufficit, ut constet ex dictis de Opinione, quam sequi debet Sacerdos in administratione Sacramentorum, Medicus in adhibendis medicamentis, & Iudex in ferendâ sententiâ,] &c. At hæc obligatio nascitur ex lege Charitatis, Iustitiæ, & Superiorum præcepto.

Sect. V. Proponitur Secunda Conclusio.

Quinam, & cur teneantur sequi opiniones veriores?

Sanè Parochus, quia Altari servit, de Altari vivit. Illi autem, nec Episcopus authoritatem & munus contulit, nec rustici contribuunt decimas, ut sibi administret Sacramenta probabilia & incerta; ergo ex Iustitiâ tenetur certas materias ponere, & formas adhibere legitimas. Et Sacerdos simplex, quando agitur de Iustificatione, ex Charitatis lege sub mortali tenetur viam securam inire, & relinquere merè probabilem: summam enim iniuriam infanti faceret, si ei baptismum ministraret probabilem: summam adulto, si absolutionem ei probabilem impertiretur. Et legi Bossius poterit, qui *part. 1. titul. 1. §. 25. à num. 315.* disputat de Sacramentorum collatione probabili.

De Parocho.

De simplici Sacerdote.

Et hîc obiter noto, minimè audiendos esse, qui inter mortalia & venialia distinguunt; nam fortè (& casus possibilis est) ille, qui venialia confitetur est in peccato mortali, quoniam aut grave commisit, & memoria illum deficit, aut in præcedente confessione non fuit ritè absolutus. Iste igitur, si certam absolutionem reciperet, consequeretur primam gratiam per accidens; &, si morte subitaneâ moreretur, fieret salvus: qui tamen, si absolutionem sortiretur invalidam, etsi Doctorum opinione probabilem, remaneret in æternæ damnationis statu; &, si eum mors ibi raperet, in æternum periret.

An adhiberi probabilis forma possit in absolutione venialium?

De primâ gratiâ.

EOdem modo de Medico philosophator. Quoniam in medicinis duplex est probabilitas: vel enim (1) dubitatur, An proderit nocebit-ve pharmacum *A*? vel (2) scitur, quod nocere non poterit, & an proderit quæritur? ægrotus autem Medicum conducit, & illi suum salarium solvit, non ut necetur, & se novis exponat indispositionum aut morborum periculis. Ergo est implicitus inter Medicum & ægrotum contractus, vi cuius ex Iustitiâ & sub mortali tenetur ille non adhibere probabilia remedia, si certa possit. Ergo Medicus, qui non habet certa remedia, extra casum desperatum non poterit

Sectio IV. De Medico.

Diversa sunt genera medicamentorum.

Ad quid Medicus ex iustitiâ teneatur?

terit uti remedio primi modi; sed tenebitur ad secundum recurrere. Et de hoc fusè disserit Bossius *part.1.tit.1. §.26. à n.449. & pag.129.A.*

SECT. VII. De Iudice. *Debet semper à possessione stare.*

DE Iudice minor est difficultas, nam semper in criminalibus, & etiam in civilibus, quando altera pars est in bonorum, aut innocentiæ possessione, tenetur ab omni Probabilitate, aut etiam Probabilioritate abstinere, & viam certam inire; nemo enim, aut plecti capite, aut exui bonis, quæ bonâ fide possidet, vi probationis probabilis aut etiam probabilioris poterit in bene gubernatâ Republicâ. Vbi aguntur civilia, & neuter in possessione est, de Opinionum electione sunt leges: nam sunt communiores & receptiores eligendæ. Vide Bossium, qui vberrimè hanc Quæstionem *p.1.tit.1.§.21.à n.474. & pag.136.A*, exagitat.

Quid, si neutra pars in possessione sit?

Tertia Conclusio proponitur, & dilucidatur.

Ad principalem adhuc quæstionem respondet Bossius, [*Vbi sunt de eadem re, seu operatione opposita Opiniones, sit, necne licita? sequi probabiliorem, & semper tenetur Iudex veriorem.*] Et hæc est sententia communis, quam tuentur Burgos de Paz *in proœmio legum Tauri, num.* 409. Suarez *de charitate, disp.13.sect.6.num.2.* Vasquez 1.*2.disp.46.cap.2.& opusc.de restitutione,c.6. §.3.num.75. & 76.* Bañez 2.2.*quæst.63.artic.4.dub.1.circa solutionem ad 2.* Sotus *lib.3.de iustitia,quæst.6.art.5. concl.4.* Valentia *loco citato.* Rodriguez *in sum. part.1.cap.6. num.2.* Sanchez *lib.1.summ. cap.9. num.46.* Becanus 1.2.*tract.3.cap.4. num.14.* Conin. *de Sacram. disput. 34. num.93.* Reginaldus *lib.13. num.99. versic. colligitur secundo, & lib.23.num.42.* Layman.*lib.1.tract.1.cap.5. num.16.* Gordonus *lib.4. quæst.12. num. 6.* Villalobos *part. 1. summ. tract.1. diffic.15. num.4.& seqq.* Faventinus *in 4.dist. 14.q.2. disputat.6.num.73.* Filliuc. *tom.2. tract.21. cap.4. num.144.* Anton. Perez *laurea Salmant.certam.10.scholast.dub.2.cap.16.n.71. & seqq.* Torres *de Iustitia,disput.48.num 9.* Malderus 1.2.*quæst.19.art.5. disput.86. circa finem.* Portel. *in dubiis reg. verb. opinio, num. 12.* Petrus Alas *tract. de Advocato, part.2.quæst.72.* Ægidius Trullench. 2.*tom. summ.lib.8.cap.1.dub.7.num.2.* Ioann.Lugo *de iustitia, part.2.disp.37.sect.10.num.116.* Fragosus *de Regimine Christ.Reipub.part.2. lib.4.disput.10.num.198.propositione tertia.* Bresserus *de conscientia.lib.3.cap.14.n.140. & seqq.* Arriaga *in 1.2. tom.1. disputat.24. sect.5. subiectione secunda, & subiectione tertia.* Huius sententiæ videtur etiam Azorius *part.1.lib.2. cap.17.quæst.vlt.* Eamdem approbare & sequi videtur Navarrus *in man. cap.27. num.288. & 289.* idem sentiunt Sylvester *verb. opinio*, §.2. Angelus *eodem,num.11.* Tabiena *v.idem*, §.4.quibus in locis aiunt Iudicem, vbi iura non sunt clara, sed ambigua, teneri in iudicando sequi opinionem magis communiter receptam, quia hæc existimatur probabilior, & verior, vel si non appareat, quæ sit opinio magis communis, & magis recepta, quia pro vtraque parte sunt famosissimi Doctores, teneri in foro conscientiæ sequi eam, quæ validioribus rationibus firmatur, licèt quamlibet earum opinionum sequeretur, non posset subiici syndicatui & puniri in foro sæculari. Hanc eamdem sententiam tenent communiter Iurisperiti asserentes Iudicem teneri in secundâ sententiâ sequi opinionem communem, scilicet à Doctoribus magis receptam & magis probatam, quos Iurisperitos latè refert, & sequitur Ioan. Valerus *de diff. in utrumque for.verb.opinio.diff.1.num.1.*de quibus infrà; & quòd in conflictu oppositarum opinionum communium Iudex in iudicando debeat amplecti eam [*] opinionem, quæ illi in conscientiâ verior videtur, docuerunt plures Iurisperiti, quos referunt & sequuntur Carocius *de commun. opin. tit.9. num.165.* Menoch. *de præsumpt.lib.2. præsumpt.71.n.11.* idem in terminis etiã asserit Cevall.*commun.contra comm.in præfat.n.15.* & alij, qui infrà *num.* 715. allegantur. Probatur, quia dictum est supra num. præcedenti ex communi Doctorum sententiâ, Iudex debet iudicare secundum merita causæ, & maius ius, quod ex allegaris, & probatis constat unum ex litigantibus habere; sed quando iura, leges, & rationes, quibus una pars litigantium in iudicio suam causam tuetur, eamdem causam probabiliùs, & efficaciùs fovent, tunc eadem pars habet maiora merita, maiúsque ius, ut videtur per se notum; Ergo Iudex debet ferre sententiam, iuxta sententiam, quæ inspectis allegationibus & probationibus, probabilior, & iuri, legibus ac rationi conformior est, seu talis [*] sibi apparet; non enim electus est à Republica Iudex, ut sententiam [a] pro suo libito dicat, sed habito respectu ad merita causæ, & ad potius ius partis.

N. B. Non impugnandos, sed incriminandos Iudices puto, qui ubi vident diversas Doctorum sententias Casum pro amico esse pronunciãt, & duas cõmittunt iniquitates: nã primò, se posse pro quo voluerint, ferre sententiam, asserunt: & secundò, se hoc arbitriũ (quod alteri faveant potiùs, quàm alteri) posse vendere: adeoque pro eo, qui plus obtulerit, posse sentẽtiam pronunciare. Ergo (Deus bone!) delirant Reges, qui magnis salariis alunt homines, qui pecunias à Litigantibus recipiant, & illi bona, de quibus litigatur, adiudicent, qui plures dederit. Id fungi credens, non homines.

Ergo certum est non esse ex mẽte Principũ quod sententiæ vendantur.

*] Debet Iudex eam sententiam amplecti, quæ passim censetur probabilior, non quam privatum iudicat probabiliorem: illam enim esse probabiliorem debet non solùm sentire, sed probare.

a] Ergo, si non pro libito, nec pro pecuniis poterit hanc sententiam potiùs quàm illam pronunciare.

SECT. VIII. De Superiori & Inferiori.

OPinio, quæ docet, non iam esse præceptum, sed esse semper melius facere quod melius aut probabilius est, destruit Hierarchiam Ecclesiasticam & sæcularem, nam semper pateret locus discolis, ut dicerent id quod Superior jubet esse minus probabiliter bonum, aut utile & se velle & debere probabiliori adhærere sententiæ. Vt hanc pessimam evasionem proscribar Bossius statuit, subditum, nisi aliunde excusetur, ratione malitiæ rei præceptæ non posse excusationem ab obediendo prætendere, quamdiu quod præcipitur certò malum non sit. Ergo etiamsi pro malitia & dehonestate sit probabilior opinio, non solùm poterit, sed & tenebitur, secundum minùs probabilem sententiam agere. Audi ergo Bossium, qui *tract. de conscient. dubia, part. 2. titul.1. §.49. pag. 428. B, num. 1789.* sic inquit: [Communissima senten

An quando præcipit Superior, id quod est probabiliùs inhonestum, & malum, teneatur necessariò subditus minùs probabili adhærere sententiæ, rem iussam esse bonam credere, & Superiori obedire?

Quæstio resolvitur.

sententia est *subditum in hoc dubio speculativo,* An res (à Superiori) *præcepta sit licita vel illicita* (hoc est sit, aut non sit divinitus interdicta) *eo etiam* (dubio) *permanente aut non deposito, teneri Superiori præcipienti obedire.*] Et addit aliquam limitationem; ait enim Obedientiæ legem obligare cum moderatione tamen, de quâ *suprà num.*301. & etiam infrà ponendâ, scilicet, si ipse potest absque notabili proprio, vel tertij detrimento, vel obedire non sit sibi nimis difficile, & molestum.] At hæc limitatio aut nullibi habet locum, aut ubique: nam cum notabili proprio aut alieno detrimento, & quæ nimis sunt difficilia, loquendo regulariter humana præcepta [*] non obligant: unde ægroto, si graviter nocivum, vel nimis difficile sit ieiunare, carnium esus permittitur. Et quidem à limitatione præscindendo tenent Resolutionem S.Thomæ 1.2.*q.*96.*art.*6. *ad* 2. Caietanus, & Medina *ibid.* Angelus *v. Religiosus, n.*29. & *v. obedientia num.* 6. & *v. conscientia, num.*2. & *v. bellum num.* 8. Sylvester *v. Religio* 6. *quæst.*6. *v. obedientia quæst.*2. *v. conscientia* 1. *quæst.* 9. *conclus.* 3. Tabiena *v. obedientia quæst.*11. *v. bellum,* & *v. conscientia* Rosella *v. obedientia, num.*19. & alij Summistæ eisdem locis, D. Bonaventura *in* 2. *dist.*39. *artic.*1.*quæst.*3. *ad ultimum,* Sotus *de tegendo secreto: membro* 3. *quæst.*2. *conclus.*1. Navarrus *in cap. Si quis autem, num.*114.*de pænitent.d.*7.& *in man.cap.*23. *num.*37. Corduba *lib.*3. *qq.quæst.*6. *in principio,* Tapia *in Auth. Ingressi, versic. ipso ingressu. cap.* 1. *num.*46. Covarruvias *loco infrà allegando.* Valentia 1.2. *disputat.*2. *quæst.*14. *part.*4. *quæst.* 4. *versic. peculiariter autem,* & 2.2. *disput.*3.*quæst.*16.*par.*2. *concl.* 5. *versic. Sextò certum est,* & *disp.*7. *quæst.*3. *part.*2. *versic. & hæc quidem,* & *disput.*10 *quæst.*4. *part.*3. *ad finem* Azorius 1. *part. lib.*2. *cap.*19. *quæst.*9. Sayrus *lib.*1. *clavis cap.*13. *numer.*40. Suarez *de legibus lib.*6.*cap.*8. *num.*8. & *tom.*4. *de relig.lib.*4. *citato, cap.*15. *num.*20. *& seqq.* & *tom.*3. *lib.*10. *cap.*3. *numer.*5. Rodriguez *qq. reg. tom.*3. *quæst.*19. *art.*6. Sanchez *lib.*6.*summ. cap.*3.*n.*3. *& seqq.* Lessius *de iustitia lib.* 2. *cap.*41. *num.*76. *conclus.*3. Filliucius *tom.*2. *tract.*28.*cap.*4.*num.*92. Layman *lib.* 1.*tract.* 11. *part.*15. *num.*11. Ioannes Sancius *in Selectis disput.*33.*num.*37. Gordonus *lib.*1. *quæst.*9. *num.*35. *lib.*6. *quæst.* 5. *num.*102. *versic. Alterum hic,* & *quæst.*11. *num.*23. *versic. Dicendum porrò,* Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*1. *disput.*3. *num.*3. Portel. *in dubiis reg. v. obedientia, in addit. num.* 5. *& num.*8. *in fine,* Hieronymus Rodericus *in compendio qq. reg. resolut.* 101. *numer.* 5. Martinus Bresserus *de conscientia lib.*4. *dict. cap.*14. *& cap.*15. Lezana *in Summ.qq.reg. tom.*1.*cap.*4.*n.*25. Peirinus *ubi supra concl.*2. Tamburinus *quæst.*12.*num.*4. & *tom.*3.*disp.* 4. *quæst.*13. *num.*2. Diana *part.* 2.*tract.*13. *resolut.* 10. & *part.*4.*tract.*4.*miscell.resol.*31. & *eadem part. tract.*3. *resol.*9. Arriaga 1.2. *disp.*26. *num.*31.& 32. alij Doctores citati *suprà num.*261. & 1082. Glossa, Innocentius, Ioannes Andreas, Baldus, Abbas, Alexander de Nevo, Bellameta, Henricus, Hostiensis, & innumeri alij Theologi, & Summistæ, quos latè referunt Sanchez, & Ioannes Sancius, & convincitur ex dictis *suprà num.*262. *& sequentib.*] Stat igitur hanc sententiam, quæ docet, Superiori iuxta minùs probabilem opinionem præcipienti debere subditum necessariò obedire, esse hodie in scholâ communem: & à plerisque omnibus Theologis, & Canonistis, immò etiam Legistis propugnari. Probationes modò consideremus.

*] Quando autor de præceptis Divinis, si ea certa sint, opus est obedire nec potest quempiam periculum, aut molestia excusare; at excusat incertitudo, ubi enim illa dubia sunt seu dubium eorumdem existentiam, sive interpretationem concernat, pro creatæ libertatis possessione deciditur. Et hanc ob causâ Martyres, cùm certò cognoverint, se, nisi illus adolescent Idolo, cruciandos & occidendos esse, debuerunt potiùs mori, quàm adorare Idolum; nã Deus, qui est vitæ & mortis Dominus, singulis dicit, *Non habebis Deos alienos coram me.* Non ergo humanum periculum, sed incertitudo sola excusat à legis Divinæ observantiâ.

Primum Bossius sumit ex Scripturâ; tum ex locis suprà *numer.*264. relatis, & perpensis; tum ex Deuteron. 17. & 2. Paralip. cap.19. & Ezechiel. 34. ubi Deus dicit in difficillibus, & ambiguis iudiciis standum esse definitioni Sacerdotum? Ergo in dubio illis erat credendum. Neque, ut notat Sanchez, illud præceptum fuit peculiare Legis Veteris, sed Iuris Naturalis; quia sic expedit ad rectam gubernationem, ut ex sequentibus constabit.] &c. Hæreamus hîc tantisper, & Sacerdotum Responsiones consideremus. Anne erant speculativè infallibiles? Minimè: Non enim Antiquæ Legi concedenda est prærogativa, quæ Sacerdotibus novæ legis negatur. Ergo sæpe Hebræorum Sacerdotes in respondendo probabile dictamen sequebantur. Pone illos Titio consulenti iuxta minus probabilem sententiam respondisse; & aio, debuisse illum in casu iuxta illam minùs probabilem sententiam operari.

Sacerdotum in lege veteri responsiones non erant realiter infallibiles.

Secundam probationem sumit ex Patribus, præsertim D. Augustino, & D. Bernardo *locis suprà num.*262. & 263. adductis, ubi expressè docent Principibus, & Superioribus esse obediendum; ubi certò, & [a] apertè non constat præceptum Superioris esse contra mandatum Dei, ipsique displicere; Quando autem est solum dubium, non constat certò, & apertè esse contra Deum: Ergo subditus non obstante tali dubio debet obedire formando iudicium practicum, quod id sibi liceat, & necessarium sit, iuxta mox dicenda. Et si quis dicat, quòd homines falli possunt, respondet D. Bernardus: *Quid hoc tua refert, qui conscius non es; præsertim cùm teneas de Scripturis, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est,*] &c. Ecce S. Bernardus supponit & admittit posse Superiorem, non minùs probabilia modò, sed & falsa præcipere, & te obedire debere; eius enim error tuâ non refert, qui conscius nõ es.

a] Asserit Bossius cum communi sententiâ, *esse obediendum Superiori, ubi certò & apertè non constat, præceptum esse contra mandatum Dei.* Sed quod probabilius suadetur, nec certò, nec apertè constat. Ergo debet subditus Superiori obedire, ubi probabiliter, aut etiam probabilius, non tamen certò & apertè, esse contra mandatum Dei res præcepta videatur.

Tertiam probationem Bossius à ratione desumit: Quia quoties subditus, aliquid licitè agere potest; præcipiente Superiore illud agere debet, quia tunc Superior legitimè,

mè, & iustè præcipit, ut *suprà, num.* 265. dictum est. Sed quando subditus solum speculativè dubius est, an res imperata sit, necne illicita? potest eo dubio speculativo non obstante licitè agere [*b*] & obedire formando iudicium practicum, seu conscientiam practicam, quòd sibi liceat sequi judicium Superioris, & illius præceptum exequi, innixus principiis illis, tum quòd in dubio melior sit conditio Superioris existentis in possessione sui juris præcipiendi, qui propter dubium subditi non debet spoliari; tum quod in dubio præceptum Superioris præsumitur iustum, *cap. quid culpatur.* 23. *quæst.* 1. Glossa *ibidem, verb. iniquitas*, & *in cap. ad aures, verb. audientiam de temp. ordinationum*, & *in cap. in præsentia, de renunciat.* & *in cap. de maiorit. & obedientia*, & *in cap. ex tenore, verb. mandato, de sentent. excommun.* Doctores communiter *ibidem*, Covarruvias *in regulam peccatum* 1. *part. num.* 5. *ad finem*, & alij apud ipsum, & Doctores *suprà, num.* 1080. relati & Vasquez *opuscul. de restitut. cap.* 6, *num.* 69. cùm enim Superiorem loco Dei, ut Divus Bernardus loco *num.* 264. allegato ait, habeamus, ac proinde etiam à Deo singulari modo gubernetur in subditis dirigendis, & ipsi vice Dei se gubernandos tradant subditi, meritò semper præsumi debet iusta, & licita, ac non excedentia suæ potestatis limites præcipere, nisi apertè [*c*] contrarium constet, &c.] Consultò illud *consultò* Bossius, posuit, nam etsi probabilior sententia, rem à Superiori præceptam esse divinitùs interdictam suadeat, adhuc inferior obedire tenetur, de re enim, quam ratio probabilior suadet, nondum constat apertè, & ut eximatur ab obligatione obtemperandi subditus, certitudo requiritur.

Superior est in præcipiendi possessione, à qua propter rationem probabilem, aut probabiliorem spoliari non potest.

b] Debet in dubio subditus adhærere Superioris sententiæ, licèt minùs probabilis sit.

c] Nota illud *apertè constat.* Illud *nisi constiterit.* Et tandem illud, *quod certò illicitum non constat.*

Addit probationem quartam, sententiam hanc, quam verè communissimam vocat, demonstraturus, Quoniam subditus, & præcipuè Religiosus, ubi Obedientiam promisit, libertatem Superiori submisit, cessitque iure suo eligendi quamcumque opinionem probabilem. Et [dubium illud, An res præcepta sit honesta, vel illicita (magis, aut minùs probabili rationi innitatur) est [*d*] speculativum, quo non obstante potest haberi practicum iudicium, quod hîc & nunc liceat illud & præceptum exsequi, & Superiori obedire; siquidem indicio speculativo non semper debet correspondere iudicium practicum, si adsit aliqua peculiaris ratio formandi iudicium practicum oppositum: hæc autem ratio in præsenti supposito præcepto, est, tum præsumptio iuris, quod in dubio præceptum Superioris sit iustum, tum possessio iuris præcipiendi, & ut sibi obediatur, qua, propter dubium subditi non est spoliandus, nisi constiterit limites suæ potestatis excessisse rem illicitam præcipiendo; Ergò cùm prædicta ratio sit certa, & illa nitens formando iudicium practicum, seu conscientiam practicam quòd liceat obedire, possit licitè præceptum exequi, hîc & nunc Superiori præcipienti obediendum est, etsi illud dubium speculativum, An rem licitam Superior præcipiat? remaneat.

d] Distinguit bene Bossius inter iudicium practicum & speculativum, sed quia termini sunt obscuri, clariùs procedes, si meis verbis utaris. Dico necesse esse ut inter Veritatem & Bonitatem Moralium Propositionum distinguamus. Quoniam ubi rem probabiliùs interdictam à Deo Superior præcipit, hæc Propositio debet considerari, *Res præcepta non est interdicta* Si de huius Propositionis Veritate disputetur, est incerta, & minùs probabilis. At in ipsâ Veritatem dubiam certa Bonitas concomitatur: licitum est enim eam supponere, & obligatorium iuxta eam operari.

Circa modum practicam deponendi formidinem, reiecto Vasquezij, Sanchesij, & Navarri consilio, suam conclusionem statuit, inquit enim: [Non est necessarium, ut putat Vasquez *cap.* 9. subditum, ut licitè obediat, debere deponere omninò illud dubium speculativum, & habere opinionem, seu iudicium saltem ex principiis extrinsecis, quo putet probabile, rem præceptam esse licitam: sed immò contra, necessarium est, ut subditus deponat illam opinionem, si habeat, quòd absque probabili illo indicio obedire non possit; nam nihilominùs teneretur obedire, licèt obediendo peccaret contra iudicium illud practicum, nisi deponeret, prout ob allatas rationes teneretur deponere, & formare contrarium; Et similiter non videtur necessarium, (ut advertit Sanchez *part.* 3. *num.* 2. *fine.*) quod dixit Navarrus *cap.* 23. *num.* 37. scilicet, quod ut subditus in hoc dubio licitè obediat, deponat conscientiam dubiam, credens posse Superiorem præcipere, quod iubet; quod habet etiam *in cap. si quis autem, num.* 114. ubi ait, opus esse, ut sibi subditus priùs persuadeat rē præceptā esse bonam, saltem quoad affectum, ad quem sibi præcipitur; non, inquam, est necessarium hoc iudicium in subdito, ut ex dictis, & etiam ex Doctoribus allegatis constat, cùm sit speculativum, non excludens oppositum iudicium practicum, sed satis est. quòd certò illi [*e*] non constet rem imperatam esse malam, &c.]

e] Non requiritur ut subditus certò sciat rem sibi à Superiori præceptam non esse divinitùs interdictam, sed sufficit quod non sciat certò illam esse divinitùs interdictam.

Supponit Bossius esse in possessione præceptum: & quia volet aliquis fortasse dicere subditum esse in possessione suæ libertatis.

ta tis, occurrit ; & negat doctè assumptum; cum, [quia generaliter constat, seu supponitur illum abdicasse suam libertatem in Superiorem, illáque se privasse, tum quia possessio est pro illo, pro quo est præsumptio Iuris, ut *suprà* latè dictum est, & in proposito præsumptio est pro Superiore ut probatum est, &c.]



EPISTOLA.

Ad Perillustrem & Eruditissimum Virum D. Marcum Antonium Bravum, Pontificium in Indicis Congregatione Consultorem, &c. Dominum & Amicum suum observandissimum.

Romam.

Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Acacij March. de Velasco ex Sacra Theologia in Valentina Universitate Cathedratico Oriolanensis Pontificis, Amici mei etiam post fata dilectissimi, mentem accuratè dilucidat.

Oportet de re scribere, quàm exactè intellegere desideramus.

DESIDERAVI, & ut jam video obtinui (Ingeniosissime & Eruditissime Marce) ut aliquod Theologicum Argumentum calamo illustrandum adsumeres, profundius enim singula cùm librum scribimus, quàm cùm loquimur, consideramus: quoniam

Epist. ad Marcellin.

Litera dicta volat, litera scripta manet, & ratio postulat, ut fluenti tempori Æternitas anteferatur. *Fateor*, ait Augustinus, *me ex eorum numero esse conari, qui proficiédo scribunt, & scribendo proficiunt;* & tu Augustino similis, quia in Theologicis proficis, scribis: & quia præscribis viam, quam morum debeat Reformatio tenere, proficis, prodésque, velut Lucerna ardens & Lucens, Perge igitur & ardere & lucere; arde æstu Charitatis tuo bono; & luce bono nostro, ut in libro tuo, si non discamus, quæ nescimus (non enim ignotas Veritates producis, sed quarum fortè non volumus meminisse nos mones) saltem quæ scimus attentione debita recogitemus. Librum Tuum, quem commendat Amicorum applausus, nondum vidi; non enim adhuc fuit in hoc Parthenopæum Regnum invectus, fac ut citò illum habeam, hoc enim & fides tua postulat, & mea vota requirunt. Dialexi autem Mea, quam desideras, nondum prodiit è prælo, nam Typographus, ut solet, non festinat. Interim, ne omninò doctrinâ optatâ careas, mitto unum aut alterum ex Acacio paragraphum, qui totam illam ad synopsim reducit. Fuit P. Acacius March. de Velasco, Patrum Prædicatorum gloria, & Valentiæ Provinciam pluries pietate & prudentiâ eximiâ gubernavit, & in illâ Universitate ad Lauream Doctoralem promotus præcipuam Theologiæ Scholasticæ Cathedram administravit, tandem ad Oriolanensem Pontificatum adsumptus vitæ innocentiâ, & doctrinæ eminentiâ gubernat Clerum & Pópulum reformatissimum. Hic doctissimus Vir Morales Resolutiones édidit, quæ magno fructu in Ecclesiâ & Scholâ leguntur; & tametsi ubivis meæ sententiæ subscribat, habet aliquos locos lectu dignos, in quibus illam verbis expressis profitetur; quales sunt, qui sequuntur.

D. Marc. de reformatione morum scribit.

Quid doceat.

Eius liber cum applausu recipitur.

Qualis fuerit Acacius?

Qualis eius liber qui Morales Resolutiones inscribitur?

Hic itaque Illustrissimus & doctissimus Vir, agens de Comœdiis *tom.* 1. *resol.* 183. *num.* 1. *pag.* 360. *B*, sic scribit. [Tratando pues alli este Gravissimo y piissimo Dotor, (Gerson) de la manera, que se ha de persuadir al pueblo, la observancia de las traditiones Ecclesiasticas y humanas, trae a la memoria de los Predicadores que las predican aquellas Sentencias del Espiritu Sancto, *Noli esse iustus multùm, quia, qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Con la primera sentencia que es del Ecclesiastico cap, 7. vers. 17. aconseja este Autor al Predicador, que en sus Sermones, *ne plus æquo sibi tribuat*, [*a*] como declaran hombres muy doctos. Esto es, que en materias opinables, no prefiera su parecer al de los demas, calificando por pecado lo que en algun caso gravissimo, Autores lo tienen, calificado por Virtud: y de los que esto hazen, dize en la segunda sentencia (que es de los Proverbios cap. 30. vers. 33. que son como los que con demasia quieren purgar los excrementos del celebro por las narices sonando las con porfiá, los quales procurando sacar los excrementos, que ya no tienen, en vez de excrementos sacan sangre, y con las mismas diligencias, con que

a] Ne se putet Tiresiæ similem de quo apud Plutarchum in Apophth. canit Homerus Odyss. K. *Ille sapit solus volitant alij velut umbra. An, & cur non expediat, conscientias nimium stringeret*

que pretenden alcançar, salud, la gastan, y pierden.] Et quàm multi hisce similes sunt; & præcipuè inter eos qui contra Probabilitatem hodie vociferantur! Admittere nolunt Probabilia, & tamen nunquam ipsi hanc Propositionem, *Ad conscientia securitatem non sufficit doctrina probabilitas*, nunquam claré & euidenter demonstrarunt. Erit ergo, vel falsa, vel probabilis Si falsa inutilis. Si probabilis, seipsam destruet & falsificabit, & nostram Doctrinam stabiliet. Pergit Acacius, inquitque [A este proposito dize (tanbien Gerson de los tales Predicadores aquella celebre sentencia de Terencio, *Nonnunquam summum jus, summa iniustitia fit.* Que suma demasía en las cosas aun de Virtud, se passan a sumo vicio porque la Virtud consiste en el medio, y tiene grande oposicion con los estremos. Deste, y otros fundamentos infiere Gerson la siguiente dotrina saludable para los Dotores Theologos, esto es, *Que no sean faciles en calificar por pecado mortal algunas acciones, o omissiones singularmente en los Sermones que predican al pueblo*] Sic vir doctissimus, & prudentissimus: & tamen hodie multi, nec ex infimâ plebe, se putant sanctitatis æstimationem consequuturos, si ubi suam laxant, & alienas conscientias constringant; & actiones, quas alij aut indifferentes, aut leviter esse malas pronunciant, mortalis sceleris incriminentur. Gersonis ergo mentem duæ sequentes repræsentabunt Conclusiones. Erit

Zelus nimius, est indiscretus.

In medio consistit Virtus.

Monitum Morale ad Concionatores & Confessores.

Cur scioli conscientias aliorum restringant?

CONCLVSIO I. *Quod multi Viri docti esse licitum asserunt, non est peccatum.*

CONCLVSIO II. *Quod esse malum ratione certissimâ non persuadetur non est peccatum.*

Pratheoremata Fundamentalia.

Et quia ipsas diversis mediis persuadere conatur, illa proponam & discutiam.

PRIMVM argumentum nititur ratione generali, omnibus humanæ vitę occupationibus communi, quia ut quidam Vir doctus nos docet [En toda Arte, o Dotrina es perniciosa qualquier resolucion audaz y singular, principalmente, quando alguna obseruancia, o uso comun esta en contrario, y en ella todos la impugnan y contradizen.] Hæc ratio paritate fundatur: nam si hoc in aliis scientiis & Artibus verificabitur, cur in Theologiâ Morali debebit Veritate carere. In singulis sic debemus discurrere. [Plerique omnes, qui hanc Facultatem profitentur, sic pronunciant. At mihi contrarium videtur. Sed quid inde? Credibilius est unum falli, quàm omnes. Ego igitur fallor, & non illi.]

Sicut in cæteris scientiis sic est procedendũ in Ethicâ.

Quomodo sit argumentandum pro doctrinâ communi.

SECVNDVM argumentum à priori procedit, ab humani enim ingenij tenuitate, inconstantia & obscuritate desumitur: & proponitur sic. [Qualquiera deve siempre estar acordado de quan incierta es nuestra sciencia: pues un mismo hombre dentro un instante muda de parecer, inclinandose ya a vna sentencia, ya a la contraria.]

Quàm incertus sit humana mens in Veris?

Quàm sit incerta humanæ scientia videlicet in rebus practicis?

TERTIVM argumentum ponit ob oculos inconuenientia, quæ ex oppositâ sententiâ sequantur. [Porque ademas de esto sucede algunas vezes que las tales resoluciones, enseñadas en los pulpitos, que son muy duras generales y apretadas principalmente en materias, *que no son certissimas*, no sacan a los oyentes del sieno de los pecados, antes bien les ocasionan, a çabullirse en ellos mas profundamente; porque mas desesperadamente se entregan a sus vicios.] Nota, & attentè considera & perpende illa verba, *que no son certissimas.* Ergo (attende) Gerson, qui sic discurrit: Ergo Acacius, qui eius doctrinam facit suam, non tolerat, vt aliquis mortiferæ culpæ accusetur, aut damnetur, si id non fuerit certissimum. Sufficit ergo mea *Non-Certitudo* ut quis à peccato excusetur.

Quod non est certissimum in conscientiâ, non obligat.

Ergo Non-Certitudo sufficit ad securitatem conscientiæ.

QVARTVM ad Iudicium Practicum argumentum recurrit, & iubet circumstantias bene considerari; nam ab illarum positione aut ablatione, prædicati in Propositione affirmatio aut negatio dependet. Ipse discurrit sic. [Ademas de esto en dichas materias, nacen varias, y infinitas circomstancias, por cuya diuersidad se deue variar el juizio en sus resoluciones, de tal manera; que a pena se puede dar Regla general en dichas materias morales, que en particolares casos, no se deua admitir excepcion de ella]

Mutatis circumstantiis practicum variatur Iudicium.

QVINTVM conuertit oculos ad Misericordiam & Prouidentiam Diuinam: nec existimat esse à Deo legem, quæ conscientias perturbet, & spinas consolationum in corda hominum inserat; & ideò ait. [Finalmente las dichas resoluciones de los tales predicadores, causan tales escrupulos en las conciencias de los hombres senzillos, y les inquietan de manera que en cosa alguna no hallan firmeza, ni seguridad; porque de todo dudan, si es pecado, y aunque es verdad que dize el Espiritu Santo en los Prouerbios. *Bienaventurado el varon, que siempre viue con timor, y cuidado de no ofender al Señor con alguna de sus obras*: pero ni este ha de perder de vista en este su cuidado, aquel prouerbio de Terencio, NE QVID NIMIS, *En nada ha de hauer demasia* [a] y como el mismo dixo: NE IN SCIRPO NODVM QVÆRANT; *No busquen ñudo en el junco liso*, porque no se les pueda dezir con burla aquellas otras palabras del mismo Comico: QVID SI CÆLVM RVAT? *Que serà, si entre tantos males, que teneis, os sucede que el cielo os cae en cima.*]

Lex Dei suauis est.

Doctrina dubia, & quæ generat scrupulos, non est Dei.

In via Domini debemus cum timore procedere.

At hic ipse timor debet esse prudens.

a] Ego non Ethnicorum testimonia, sed Bibliorum textus ut Proverb. dilucidarem adhibuissem.

SEXTVM rursus Divinam Misericordiam respicit, & incriminatur eos qui suis subtilitatibus viam Domini strictiorem reddunt, quàm æquitas & ratio permittit. Vnde ait. [De que prouechio serà, o por mejor dezir, que daño no causarà apretar mas de lo que es justo la Ley de Dios, de quien dize Dauid, *que es ancha en grande manera?* Y de que vtilidad puede ser al yugo de Christo, *que es suaue*, hazerle muy amargo, y a su carga ligera hazerla muy pesada? Porque aunque de esta suavidad y dulçura del yugo de Señor, en los coraçones de algunos malos nace menosprecio mayor tomando por capa de su malicia la libertad de hijos de Dios: pero en

Psalm. 118.96. *Latum mandatum tuũ nimis.*

Matth 11. 30. *Iugum meũ suave est, & onus meũ leve.*

en los coraçones rendidos a la ley diuina, y natural, la consideracion de dicha su dulçura y suauidad produzirà el devido hazimiento de gracias. Y se acudirà con mas cuydado, con el deuido seruicio al Señor, y Padre de tanta mansedumbre, cuyos mandamientos no son pesados como lo dize San Iuan *cap.5.vers.3.* El qualquiera que nosotros no seamos tentados, ni agrauados mas de lo que nuestras fuerças pueden llevar.]

Ioannis Epist.1.cap.5. vers.3. *Mandata eius* (Dei) *grauia non sunt.* 1.Corinth. 10.13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.*

Hæc sex argumenta pro nostrâ & benignâ doctrinâ format Gerson, cuius verba Acacius hâc Censurâ commendat. [Asta aqui, *ait*, son palabras de Gerson, las quales son grauissimas y importantissimas para regular el zelo que los Predicadores tienen de las mejoras espirituales de sus oyentes, &c.]

Quomodo Confessarius cum minoribus qui ludunt, & cū eu qui cum illis ludunt, debeat procedere?

POsteà *tom.2.verb. juegos resol.*133.*pag.*304.*a.* adducit verba Dianæ, quæ nostram Dialexim adfirmant. Sic enim ait. [*Yo concluyo este Dicho con lo que dize Diana* part.7. tract.9. resol 11. *Sed circa præsentem quæstionem in facti contingentiâ, ne deserat Confessarius recognoscere, me ipsum.* 3. part. tract.5. resol 44. *ubi assero in casu, de quo, loquimur; quòd si minor,* (quæ perdiderat in ludo) *nolit soluere; &, si soluerit* (& repetat) *collusor nolit restituere, non potest Confessarius probabiliter neque minorem ad solutionem, neque collusorem ad restitutionem obligare.* Considera illa verba *non potest Confessarius probabiliter.* Et attende.

An minor teneatur soluere, quæ in ludo perdidit?

Non dicit Diana, nec Acacius, qui illum citat & sequitur, non esse probabile, quod minor, qui lusit & perdidit, teneatur soluere: sic enim statuit Sà *in Summ. verb. Ludus num.6.& verb.Minor. num.5.* Molina *disp.*519. & exactiùs disp.224 & alij, qui omnes leges, quæ dirimunt minorum contractus, exponunt de foro exteriori, & existimant interius non concernere.

An qui in ludo lucratur à minoribus teneatur restituere?

Non dicit, non esse probabile, quod ille contractus inter minorem & collusorem sit inualidus, & quod collusor teneatur ad restitutionem; per invalidum enim contractum non transfertur dominium. Nam hoc ipse asserit esse probabilius his verbis *La sentencia mas comun, y mas probable enseña, que el dicho contrato no tiene valor alguno. Assi lo sienten muchos Dotores, que* lib.2.de Iust.tract.18. disp.4. dub.5. n.31. *refiere Dicastillo.* Et iubet legi Gomezium *tom. 2. var. cap.*14. §.1. Dianam & Molinam *loc. cit.* &c.

An Confessarius possit obligare pœnitentem in materiâ probabili?

Sed dicit, non esse probabile, quod teneatur pœnitens sequi aliquam opinionem merè probabilem; nec esse probabile, quòd Confessarius possit aut minorem obligare, ut soluat; aut collusorem, ut restituat in materiâ probabili, in qua sunt diuersæ Theologorum sententiæ. Ergo Diana & Acacio testibus, certum est, in materiâ incertâ non posse pœnitentem à Confessario obligari Ergo ad deobligationem sufficit Non-Certitudo: & ad obligationem Certitudo requiritur.

VIdeamus modo quid nos docet iterum ingeniosissimus Acacius *verb. juezes, resol.*137.*num.*7. *pag.*312.*b.* inquit enim. *En las causas criminales puede y debe el Iuez seguir la opinion, que es mas en favor de reo, aunque sea la menos probable. Assi por Regla del Derecho citado; como, porque no es el Derecho de las partes claro, sino obscuro. A mas de que para condenar a un reo, deben sêr las probanzas mas claras que la luz del sol de medio dia conforme al Derecho.* leg. sciant cuncti. C. de probat. *Y aqui no lo son. Y seria rigorosissima cosa, que pudiendo dexar de condenar a uno el Iuez a galeras, o a muerte, le condenasse. Esse sentir tienen Salon* in 2.2. quæst.67. art.2. *Villalobos* part. 1. tract.1. diff.15. *Sierra, y otros.*

Regula XI in 6. *Cùm sunt partium jura obscura, reo fauendū est, potiùs quàm actori.*

Quam debeat Iudex in criminalibus opinionem eligere?

Quæstiones, in quibus de mortiferâ culpâ disseritur, sunt criminales. Ergo potero in Linguam Latinam verba præcedentia conuertere, illa nostræ Dialexi attemperando. Ergo attende: à me enim manuductus sic loquitur Latinè Acacius. *In causis grauibus, quæ conscientiam concernunt, quando videlicet agitur de peccato mortali; potest Confessarius, & Animarum Director sequi in proxi opinionem, quæ faueat pœnitenti, etsi speculatiuè sit minus probabilis. Ita præscribit Æquitas: quia ad condemnandum aliquam actionem de peccato mortifero, debent esse rationes Sole clariores & lucidiores meridiano.* [At probabiles & non certæ tantam claritatem non habent. Ergo ad condemnandum aliquam actionem de mortali non sufficit Probabilitas aut Probabilioritas, sed omninò Certitudo requiritur.] *Esset enim crudelissimus Iudex, qui, ubi potest non facere, morte aliquem æternâ condemnaret.* Cùm igitur Charitas incipiat à seipsâ; si in materiâ non certâ, in proximo non potes actionem aliquam mortalis culpæ incriminari, nec in te poteris: nisi velis aliter de te, & aliter de cæteris philosophari.

Dauid Psalm. 118. 86. cùm dixit, *Omnia mandata tua Veritas,* visus est, nō Probabilitatem, sed veritatem, hoc est Certitudinem, ut obligent leges & mandata requirere.

SAtis clarè nostram iterùm sententiam amplectitur *tom.2. verb. impotentia resol.* 70. *num.* 6.7. & 8. *pag.*205.*a.* Ibi enim proponit Quæstionem difficilem, & valde necessariam his verbis. *Preguntarà alguno,* ait, *si el que despues de casado, y consumado el matrimonio, llegare (por vejez, o por otro accidente) a tener tanta impotencia, que no puede seminar* intra vas, *y de ordinario semina* extra vas, *podrà con esse peligro tener accesso a su muger?* Respondet; Quæstionemque sic propositam resoluit & dilucidat, dicens, *Que si ay alguna probabilidad de seminar* intra vas, *licito es procurarlo*; quamvis per accidens, & præter intentionem effundatur semen extra vas. *Assi lo siente Sanchez* tom. 1. de Matrim. lib.9. disp.17. num.20. *y da la razon porque este hombre llegando a su muger, y procurando tener copula consumada con ella,* dat operam rei illicitæ, & præter intentionem sequitur, externa illa effusio. *Segundo se prueva. Porque en el capitulo* laudabil. de frigid. & malef. *se conceden tres*

An & quādiu impotentes possint conari ad veram copulam, & si seminent extra vas?

NOTA. *Verba hæc in contextu considerentur.* Si ay alguna probabilidad.

Dat operam rei illicitæ.

Tres años de experiencia. *Ergò non tollitur omninò spes seminandi intra vas, etsi mille aut pluribus vicibus seminaverit extra vas.* Pero, si tiene experiencia cierta, de suerte que *prorsus desperatus sit,&c.* Constando pues con toda certeza. Si quedáre alguna esperanza. *Licèt vix intra seminet.* Donde no consta con toda certeza. El no puede tener certeza. *Et hic obiter nota sapo Authores Teologos aliquas condemnare sententias, quòd non tradant doctrinam certam sed praestent, ut homo viva con muchos escrupulos, y padesca muchas afflicciones.* *Impotentia in Matrimonio est duplex Antecedens & Subsequens.* *Quale peccatum sit seminis effusio extra vas?*

tres años de experiencia, para experimentar, si la impotencia es perpetua: y por consiguiente, si el matrimonio es valido: y en todo esse tiempo, o siempre, o casi siempre, el que tiene impotencia, seminarà extra vas:Et stante tali periculo est licitum conari ad copulam jureque approbatur. *Pero si tiene experiencia cierta, de suerte que* prorsus desperatus sit posse seminare intra vas, *o por alguna enfermedad perpetua, o por vejez por la qual,* Vires potestasque seminandi intra vas deficiunt, *Constando pues con toda certeza, que esta impotencia es perpetua; podran tener tactes* citra pollutionis periculum. *pero no copula. Con todo el mismo Sanchez en el lugar citado, parece que no se acaba de determinar en esse, y assi añade: Pero si quedare alguna esperança de poder seminar* intra vas *alguna vez* licèt vix intra seminet, licet copula uti cum eo periculo. *Y aunque (donde no consta con toda certeza, que la impotencia es perpetua) se persuada al marido, que sucederà aquella vez que llega a su muger, derramar el semen* extra vas, *podrà deponer la conciencia, y llegar sin escrupulo a su muger; lo uno, porque el no puede tener certeza, de que sucederà lo que teme, aunque otras vezes le aya sucedido; lo otro, porque puede suceder, que el afecto al atto sea ocasion, de que* membrum vires assumat, erigaturque atque ita possit vas penetrare, & intra effundere. *Y si no depusiere la consciencia vivirà con muchos escrupulos, y padescerà muchas affliciones.*

Non potuit doctissimus Vir sententiam nostram clarioribus verbis proponere: non potuit clariùs & dilucidiùs persuadere. Relege contextum, & attentè considera, quæ notantur in margine. Et, ut exactiùs Acacij sententiam intelligas, duplicem cum eo & universis doctoribus Impotentiam distingue: alia enim est præcedens, & alia consequens. Præcedens dicitur, quæ ante Matrimonij celebrationem virum affecerat: Subsequens, quæ ex senectute aut morbo post ritè initum Matrimonium supervenit. Et hac distinctione præmissâ considera Conclusiones sequentes. fit

Prima. *Effundere semen extra vas si liberè & ex intentione fiat, est peccatum gravissimum, & militat contra natura finem, quæ semen ad generationem ordinavit.* Est peccatum homicidio simillimum, unde molles *Viri sanguinum* in Sacrâ Scripturâ vocantur.

De marito, qui impotentia ab uxore accusatus, per triennium experiri iubetur.

Secunda. *Maritus, qui per sententiam Iudicis ad triennalem experientiam damnatur (1) non scit certò Matrimonium à se contractum esse validum: (2) nec scit certò hanc fœminam, cum quâ libidinatur esse uxorem suam (3) nec scit certò hic & nunc, se semen intra vas emissurum; & tamen non obstante præcedentis Conclusionis doctrinâ, conando habere copulam, etsi præter intentionem (4) semen effundat extra vas (5) dat operam rei licitæ (6) & nec mortaliter nec venialiter peccat.*

Hæc Conclusio continet præcipuè sex partes. PRIMA est, *Maritus in casu non scit certò matrimonium à se contractum esse validum.* Et hæc est manifesta; nam hæc notitia dependet à futuro eventu: nam, si intra illud triennium quod Tribunal concessit, consummetur, erit validum; &, si non consummetur, invalidum. SECUNDA est. *Nec certò scit hanc fœminam, cum quâ libidinatur, esse uxorem suam.* Et hæc etiam est manifesta huius enim secundæ partis cognitio à cognitione primæ partis dependet: quamobrem, si illa sit certa, hæc erit certa; &, si illa sit merè probabilis etiam hæc erit merè probabilis. Sed interrogas, *An hàc duplici incertitudine non obstante marito in experientia triennio constituto teneatur debitum solvere?* Respondeo affirmativè; Primo, quoniam Matrimonialis contractus est in possessione: &, ut quis à possessione expellatur, nec ratio probabilis, nec probabilior sufficit, sed certa & indubitata requiritur. Secundò, quoniam, si debitum illa non solveret, nunquam posset lis illa finiri, semper enim ipse dicere posset, propter inobedientiam uxoris non fuisse matrimonium consummatum. Ergo sextum Decalogi præceptum, donec certò constet de Matrimonij nullitate, nec illum, nec illam à copulâ procurandâ interdicit. TERTIA est, *Nec scit certò se hic & nunc semen intra vas emissurum.* Et hæc etiam est indubitata quoniam, si millies, aut pluries extra vas seminavit, erit temerarium iudicium dicere, *Certum est quòd hic & nunc seminabo intra vas.* Ergo, qui fuerit prudens, tantùm dicet. *Non est certum, quòd hic & nunc seminabo extra vas.* Vbi enim cessat spes seminandi intra vas, & adest seminandi extra vas certitudo, cessat Quæstio; nam constat Matrimonij contractum fuisse invalidum. QVARTA est, *Præter intentionem semen effunditur extra vas.* Et hæc supponi debet, non probari: nam, si intendat maritus semen effundere extra vas, peccabit mortaliter peccatumque contra naturale committet. QVINTA est, *Dat operam rei licitæ.* Et hæc similiter est indubitata: nam per legitimi Iudicis sententiam condemnatus, adhibere debet diligentias, ut exploret, an Matrimonium, quod contraxit validum sit. SEXTA est, *Nec mortaliter, nec venialiter peccat.* Et hæc quatenus peccatum veniale negat, est certa. Quia materia gravissima est, ubi materia est gravis, Decalogus obligat sub peccato mortali. Quatenus autem etiam mortale negat, est similiter certa: Quoniam, ut patet ex Acacij verbis, (quæ non sunt in ipso singularia, sed resolutioni omnium Doctorum consonant) ut maritus teneatur ab uxoris abstinere consortio, & peccet si conetur ad copulam, non sufficit interdictionis Probabilitas, non Probabilioritas, sed omninò Certitudo requiritur. Tunc enim debebit absistere, cùm certò sciat, Matrimonium à se contractum esse invalidum: & hoc certò cognoscet, cùm certus sit, se nunquam posse seminare intra vas; cùm videlicet nulla prorsus spes intra vas seminandi supersit. Ipsi igitur, ut dare operam

Se contraxisse validum matrimonium non scit. *Illam cum qua dormit esse suam uxorem non scit.* *An ipsi mulier, aut ipse mulieri teneatur solvere debitum?* *Quàm sit efficax argumentum quod à possessione desumitur?* *Ille, se semen intra vas deciseurum non scit.* *Sed neque oppositum scit.* *Extra vas semen præter intentionem effundit.* *Dat rei licita operam.* *Et tamen, quia hæc omnia non scit, se non peccare certò scit.* *Vbi materia est gravis Decalogus graviter obligat.* *Acacius sententiam singularem nõ habet.* *Ad obligationem ligantis legis Certitudo requiritur: ad deobligationem sufficit mera Non-certitudo.*

operam rei licitæ dicatur, & ut sine ullo prorsus peccato operetur, mera sufficit *Non-Certitudo*. Sufficit, inquam, quòd non sit certum, se esse seminaturum extra vas.

De superveniente impotentiâ Quanam tunc maritus certò scit, & quæ certò non scit.

Difficiliora sunt quæ de Antecedente, quàm quæ de subsequête impotentiâ dicuntur.

Conclusio III. *Quando Impotentia ob morbum aut senectutem post Matrimonij consummationem supervenit (1) tunc maritus certò scit Matrimonium à se contractum esse validum; (2) certò scit illam, quam ad thorum admisit, esse suam coniugem, (3) non tamen certò scit hic & nunc se semen intra vas emissurum; & tamen non obstante (4) prima Conclusionis doctrinâ, quia Matrimonium est in possessione, conando habere copulam, etsi præter intentionem semen effundat extra vas, donec nulla spes intra vas seminandi remaneat, & certum sit se nunquam seminaturum intra vas, conando ad veram copulam, dabit operam rei licitæ, & nec mortaliter, nec venialiter peccare poterit.* Clariora & minus difficilia sunt, quæ de superueniente, quàm quæ de Antecedente Impotentiâ in Scholâ dicuntur: Et hæc Tertia Conclusio multò clarior est, quàm Secunda. Quatuor eius partes breviter dilucidemus. Erat prima: *Tunc maritus certò scit Matrimonium à se contractum esse validum.* Est manifesta: nam hîc de impotentia disseritur, & hæc esse nequit præcedens, & contractum dirimere. Vbi matrimonium est consummatum. Erat Secunda. *Certò scit, illam, quam ad thorum admisit, esse suam coniugem.* Constat ex præcedenti: nam si Matrimonium certò validum fuit, tunc & vir & fœmina qui illud contraxerunt, certò per illud copulantur. Erat Tertia, *Non scit certò hic & nunc se semen intra vas emissurum.* Constat ex experientiâ: nam pluries extra vas propter impotentiam, quâ laborabat, seminasse, supponimus. Et erat tandem. Quarta. *Non obstante prima Conclusionis doctrina,* &c. Et patet, nam potest conari ad copulam donec certum sit nullam spem seminandi intra vas superesse. Quando autem hæc Certitudo adquiritur, non possunt ampliùs conari ad copulam, tunc enim iam est certum semen effusum iri extra vas.

In casu maritus se validum contraxisse matrimonium scit.

Illam quam apud se habet esse suã uxorem etiam scit.

Se tamen intra vas semen emissurum non scit. Et tamen se non peccare scit.

Sic Acacius (Mi Marce) de Decalogi præceptis discurrit: quoniam seminare extra vas, non hominum Constitutione, sed lege Divinâ interdicitur. Similia apud plerosque omnes Theologos *lib. de Matrimon.* ubi de Impotentiæ impedimento disputatur leguntur. Ergo, *nisi certum sit, hic & nunc legem obligare, non tenetur subditus obedire.* Ergo, *eum in sua libertatis possessione conservat legis* Non-Certitudo. Hæc pro tui Ingenij dexteritate considera: perpende: & novis si placeat, argumentis dilucida; & vive felicibus annis.

Conclusionum conclusio.

NOTA I.

De Leandri mente.

P. Leander laudatus.

Iam deposueram calamum; sed, quia ob oculos habeo P. Leandrum à Sanctissimo Sacramento, cuius ingenio & industriæ Moralis Theologia multum debet, quid ipse sentiat de nostræ Dialexeos doctrinâ, hîc breviter dilucidabo.

An in necessitate possint administrari Sacramenta in mortali? Quomodo debeamus discurrere in Controversiis Moralibus?

Leander itaque *part. 1. tract. 1. disp. 4. quæst. 5.* interrogat, *An Laicus, aut Clericus non sacerdos, baptizans in mortali in necessitate, peccet mortaliter?* Et postquam multos Doctores pro parte Asserente citaverat, eligit Negantem; & ait, *Non peccare mortaliter.* Et probat, *Quia non est ratio, quæ ad contrarium asserendum cogat.* Aperi, quæso, oculos; & singula verba Probationis considera. Durandus, Capreolus, & multi alij illam actionem (baptizare in peccato) mortalis culpæ condemnabant: eamdem peccatum esse Leander negat: & in Adversarios transfert onus probandi. Et, quia illi nîl omninò demonstrant (non enim rationes probabiles, sed demonstrationes mentem ad assentiendum cogunt) stat pro libertate, & eligit benigniorem sententiam.

Vi probabilium rationum ad assentiendum intellectus non cogitur.

Vter onus probandi habeat, An, qui dari præceptum asserit; an verò, qui dari illud negat?

Et tu hinc inferas primò, *Eum, qui negat præceptum, & obligationem, nil debere probare;* Nam præceptum & obligatio pertinent ad Quæstionem facti, in quâ non creditur dicenti, sed probanti.

Inferas secundò, *Eum, qui asserit præceptum & obligationem, habere onus ea, quæ dicit, probandi.* Deducitur ex præcedenti.

Quamdiu non est certò probatum dari obediendi obligationem manere in possessione libertatem, & nullam esse obediendi obligationem, certum & indubitatum est.

Inferas tertiò, *Eum, qui negat præceptum & obligationem, posse in suâ sententiâ negativâ persistere, donec Adversarius rationem producat, quæ ad contrarium asserendum cogat.* Cumque rationes, si sint merè probabiles, neminem possint cogere, poterit ille in suâ negativa persistere, donec Adversarij producant rationem certam & indubitatam. Ergo *Non-Certitudo* præcepti & obligationis infert Certitudinem & securitatem libertatis.

De Ministro ad conficiendũ aliquod Sacramentum specialiter consecrato.

Tametsi hîc Leander fuerit satis clarè loquutus, dabo alium locum, in quo loquatur multò clariùs. Quæstione ipse nonâ interrogat, *An saltem sit probabile, asserere, non peccare mortaliter illum, qui in mortali conficit Sacramentum ad quod specialiter est consecratus Minister?* Et pro parte affirmativâ sic arguit. [Nulla est ratio, quæ efficaciter [a] ostendat dictam sententiã esse improbabilem, vt ingenuè confitetur Granadus *tract. 5. disp. 5. num. 6.* per hæc verba. *Quod Minister peccet mortaliter in administrandis Sacramentis cum conscientiâ peccati mortalis, non est adeo exploratum, attenta efficacitate rationis, quia reverà nulla est ratio id omninò convincens, licèt certa sit propter Authores.* Sic Doctor Granado. Ergo præfata sententia non est undequaque improbabilis; aliàs id evidenter

N. B. Non est idẽ deputari ac consecrari: nam contrahẽtes ad conficiendũ Matrimoniũ specialiter sũt deputati, non autem consecrati.

Quomodo probari debeat propositionẽ aliquam esse probabilem?

denter [a] ostenderent, tam graves Theologi.] Pergit ulteriùs, & resolvit esse improbabilem, quia ut talem in summâ Hieronymi de Llamas 1. *part. cap.* 1. §. 5. illam anno 1640. Censores Fidei deleverunt. Et ad rationes benignæ sententiæ respondet dicens. [Nec argumenta contraria nunc urgent, quia omnia fere authoritate nituntur, quæ post Decretum Sanctæ Inquisitionis, omninò fuit (lege, ruit,) &c.]

Propositiones ab Expurgatorio deleta, redduntur improbabiles.

a] Nota illud *efficaciter*, & illud *evidenter*. Ergo est licitum, quidquid esse illicitum efficaciter & evidenter non probatur.

Quæ hic specialiter notari debent?

Et hîc mihi multa venirent consideranda, si locus & tempus paterentur: interim, ne omnia videar omittere, aliqua ponderabo.

Cur quæratur, An aliqua doctrina sit probabilis?

Primò relego titulum, & illa verba, *An saltem sit probabile*, &c. dilucidaturus, sic inquam. [Authores, qui benignam hîc opinionem tuentur, non eam probabiliorem dicunt; nam oppositam esse probabiliorem asserunt, & solùm petunt, ut inter minùs probabiles permittatur consistere. Id non obtinent. At nulla est ratio, ob quam tantâ sollicitudine hæc Opinio è minùs probabilium numero detrudatur, si non possumus tutâ conscientiâ minùs probabili Opinioni adhærere. Omnes igitur Theologorum vociferationes, quæ contra huius, & aliarum similium Opinionum probabilitatem excitantur, demonstrant, ad conscientiæ securitatem minùs probabilem Opinionem sufficere: nam aliàs in morum regimine idem esset Opinionem esse minùs probabilem aut esse improbabilem.

N. B. Si minor probabilitas ad conscientiæ securitatem non sufficit, in tribunali conscientiæ, idem erit propositionem esse minus probabilem aut esse probabilem. Et, si hoc ita est cur tanto nisu Theologi persuadere conantur, aliquas doctrinas esse improbabiles?

Dialectica utriusque modus proponitur.

Secundò Logicam, quâ utitur Granadus, & admittit Leander, considero; nam utriusque ratio potest ad hanc formam reduci.

Quid requiratur, & sufficiat ad conscientiæ securitatem in materiis moralibus?

Vbi non datur ratio efficax, quæ certò & evidenter ostendat aliquam rem obligare sub peccato mortali, non debet hæc admitti obligatio:

De Ministro ad conficiendum aliquod Sacramentum specialiter consecrato.

Sed non datur ratio efficax, quæ certò & evidenter ostendat eum, qui administraturus est Sacramentum, ad quod est specialiter consecratus, habere obligationem expiandi suam conscientiam & peccare mortaliter, si illud administret in mortali;

An, & quomodo peccet, si illud in mortali conficiat?

Ergo, qui administraturus est Sacramentum, ad quod est specialiter consecratus, non habet obligationem expiandi suam conscientiam, nec mortaliter peccat, si illud administret in mortali.

Sententia à Sancta Inquisitionis Tribunali damnata, hoc ipso censentur improbabiles.

Huic argumento respondet Leander negando minorem; quoniam ratio, quæ à Sanctæ Inquisitionis Decreto sumitur, est tam efficax, tam certa, tam evidens, ut coram illâ tota verisimilitudo, quam habebat opposita Sententia, ruat: nam hoc *ruendi* verbo ille utitur, ut quanta sit illius Decreti Certitudo declaret.

An Granadus, Leander, & alij nostra Dialexeos Decisionem admittant?

Maiorem igitur Granadus, Leander, & alij Doctores, qui ab ipsis producuntur, admittunt. At in illâ Majori tota nostra Dialexis ad synopsim reducitur. Ergo Granadus Leander, & alij Doctores, qui ab ipsis producuntur, nostræ Dialexeos Conclusionem admittunt.

NOTA II.

Finis coronat Opus.

Cur ad D. Terralaborium Epistola in Opere sint ponatur?

Ergo ut hoc nostrum Opus aureâ laureolâ coronetur, illud claudamus Reverendissimi & Ingeniosissimi D.D. Terralaborij celeberrimo nomine, cui Epistola sequens inscribitur.





EPISTOLA.

Ad Reverendissimum & Eximium Dominum D. Matthæum Terralaborium, Neapolitanum, Ordinis S. Benedicti, olim totius Congregationis Cælestinorum Abbatem Generalem: nunc Monasterij S. Petri & Catharinæ ad Magellam Abbatem, nec non eiusdem Congregationis Vicarium Generalem, &c. Dominum & Amicum suum Observandissimum.

Neapolim.



Qualis sit D. Terralaborij Metaphysica?

OPULENTAM Seientiarum omnium, quæ ab Scholasticis edisseruntur Ἐγκυκλοπαιδίας (Præsul Reuerendissime) quam *Metaphysicam Universalissimam* inscribi iubes, & ad me mittis, libentissimè evoluo, & illam evoluendo proficio. Sub Metaphysicæ in eâ nomine, sobriæ Charites speciosas Rhetoricæ, Severæ Religionem Dialecticæ, Naturales totius Physicæ Resolutiones, Supernaturales universæ Theologiæ Conclusiones iuxta novæ doctrinæ methodum accuratè digestas, & diluecidè explicatas, & robustè probatas, aut etiam persuasas reperio: & desiderarem omninò, ut *Indicem Scholasticum* adderes, qui Lectorem Candidum servato communi Disputationum ordine per Aristotelis Logicam, Porphyrij Prædicabilia, Categorias Architæ, Veterum Physicam, & Theologicas Partes (aut Miracula veriùs) Angelici Præceptoris conduceret. Vbi enim conduntur Vniversa, recondeteret hic Index singula. Aliquid simile in Theologiâ Fundamentali olim tentavi, quam conferre poteris, si publica negotia permittant. Ago ergo Tibi ob tam nobile donum Eximias & reverendissimas gratias: nîl enim mihi potuit gratius, nihil æstimabiliùs offerri.

An Indice Scholastico indigeat?

Cur illum Theologiæ Fundamentali adiecerim?

An aliquid audebo respondere? Etiam inferioris commatis metalla acceptant Principes, qui abundant auro, & Oceanus, licet hydrophylacium Mundi, non solùm copiosa & opulenta flumina, sed etiam rivulos pauperes & egenos admittit. Ergo de Tuâ Dignatione confidens, auro donatus plumbum mittam; & Seientiarum Oceano quem suspicio, non ut Tigres, Nili, Rheni, Danubij aut Tyberes, contentiosus & audax bellum ingeram, sed ut Sicamber tenuis succedam, ut sitim propriam potiùs, quam alienam extinguam. Quid ergo mittam? Ad lucem tenebras, & ad splendorem caliginem. Cum Tuarum Demonstrationum *Certitudine* Dialexeos meæ audebo componere Non-Certitudinem, ut ab Ingenio Tuo indipiscatur Certitudinem illam, quam Conscientiæ postulat manifesta & indubitata securitas. Hoc ergo Syntagma (breve est, & unâ die perlegi potest) meditari digneris; eiusque Fundamenta, (quæ Romæ, Madriti, Salmanticæ, &c. à doctissimis Viris admissa, novis inventis confirmantur.) Critolai statera ponderare, & Lydio etiam lapidi digneris adhinere, ut à Te discam, an sint gravia, & nullo metallo spurio immixta?


In mare non solum magni fluvij, sed etiã rivi tenues exonerant.

Cur Dialexim mittat?

An illa fuerit cum approbatione recepta?

Vive itaque, Præsul Reverendissime, Sanctissimo & doctissimo Cælestinorum Ordini, quem nuper Generali authoritate gubernabas, & Vicariâ modo in pristino Observantiæ rigore manutenes, Vive Scholæ, quam eruditissimis libris exornas, & ingeniosis argumentis nobilitas; Vive denique mihi, quem tuis Amicis accensere dignaris hanc maximi facturo gloriam, non solùm quamdiu vixero: sed quamdiu fuero. Dedi apud S. Petrum in Galatinâ 12. Novembr. 1672.

N. B. Præter Metaphysicam Vniversalissimã, alia D. Terralaborius habet Opera, à quibus magnam in Controversiis Philosophicis & Theologicis lucem Orbis Literarius exspectat.



INDEX

INDEX RERVM MAIORIS MOMENTI

Quæ totâ istâ Dialexi continentur.

NOSTRÆ huius Dialexeos Finis fuit, unicam tantùm Propositionem demonstrare, videlicet, *Rationem primam & fundamentalem Bonitatis, quæ in actibus Humanis reperitur, non in Veritate, sed in veracitate consistere; adeoque non judicatum iri à Deo homines secundum Veritatem rerum, quas insuperabiliter ignorarunt; sed secundum rationis Dictamen, quod habuerunt, aut habere debuerunt: & huius Dictaminis honestatem in Non-Certitudine Opposita sententia fundari.* Est hæc Doctrina nostra, Communis & Antiqua, ut opinor; & nihil prorsus mutat in praxi & regimine morum: sed, quia aliqui aliter videbantur sentire, Theologorum Illustrium testimoniis illam fulcire debui, exhibendo eorum textus, in quibus ad meæ logicæ Canones dialecticantur. Cæterum, in iis ipsi textibus tam varias Controuersias dilucidant, ut Liber, qui ex Operantis Fine futurus fuerat unius tantùm Controversiæ Decisio, ex Fine Operis evaserit in Encyclopædiam, quæ totam Moralem Philosophiam & Theologiam dilucidet. Vel qui dubitet, attentè Indicem sequentem contempletur, videbitque clarissimè, nullam esse in Ethicâ Philosophicâ aut Theologicâ Difficultatem, cuius in terminis parvus hic Liber Resolutionem non exhibeat, aut Fundamenta præbeat, ex quibus necessariò inferatur.

Omnes numeri sunt Paginarum.

De

Præcipuas

CHAOS.

CHARITAS

Index Rerum.

An

DIAL

Dubium

An

De

Index Rerum.

IMAGINARIUM.

IMPEDIMENTA.

IMPERATORES.

IMPLICITUM.

IMPOSSIBILE.

Quæ

Committere

Index Rerum.

 An,

Index Rerum.

Quis

Index Rerum.

LICITUM.

LINGUA.

LLAMAS

Index Rerum.

M

Præ

Index Rerum.

Sunt

Index Rerum.

POLLV

Index Rerum.

POTENTIÆ.

PRÆCEPTUM.

Genera

Index Rerum.

Caramuelis Dialexis.

Index Rerum.

PROCVRATOR.

PRODROMVS.

PROMISSIO.

PROPOSITIO.

PROPOSITVM.

PRVDENTIA.

An,

In

inducti

Philosophi

Index Rerum.

FINIS.